





1
6
498











Cor: Celsi meminit Juuenalis sat. 6. lib. 2.
Principiũ, atq. locos Celso dictaturũ paratē.

...sta: Sachetij :–

In vehementib: malis medicamentis utendu 425.


Celsi secundus liber ab Hippocrat: pene totus desumptus. 15.

Bis die potius quam semel cibu et c 17.

Concubitus neq: concupiscendus neq: pertimescendus. 17.

In secunda valetudine adversa praesidia no consumenda. 17.

Paulatim renutriendu 203 = fames definita 79.



AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBRI OCTO.

ACCESSERE
In primum eiusdem, HIEREMIÆ THRIVERI BRACHELII commentarij doctissimi:
In reliquos verò septem, BALDVINI RONSSEI GANDENSIS, *Reipub. Goudanæ medici* ENARRATIONES.





LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
cIↃ IↃ. XCII.

Hippocrati quantum debet Cos insula parua,
Pergama tantundem docte Galene tibi.
Sed tamen ambobus quantum sua patria debet,
Tantum, Corneli, maxima Roma tibi.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMISQVE BATAVIÆ ORDINIBVS.

SÆPE egomet mecum cogitare ſoleo, Viri Ampliſſimi, quî fiat vt in hac rerum omnium diſciplinarumque luce, maximis erroribus tanquam nebulis denſiſſimis antiquiſſimos auctores offuſcatos comperiamus. Et quanquam omnibus in ore eſſet barbariem quæ multis iam annis in ſcholis viguiſſet, atque adeò immaniſſimas Gotthorum ac Longobardorum, Vandalorumq. excurſiones malo huic, quod aiunt, feneſtram aperuiſſe, mihi certè id nondum ſatisfacere potuit; præſertim quando antiquiſſimi ſcriptores doctiſſimo hoc ſeculo omnibus in manu ſint, atque inter reliquos corrupti deprauatique legantur. Altiùs igitur nonnihil huiuſce rei cauſſam indagan-

dam censui, atque honestum quendam, ne dicam subrusticum pudorem, in caussa comperi, dum quæ apud graues auctores corruptè legimus, amicè interpretari, religioseque defendere malimus, quàm errati originem perscrutari. Id namque, vt auctor est Plinius libro Naturalis historiæ quinto, plerumque fallacissimo experimento deprehenditur, quia dignitate indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget, haud alio fidei proniore lapsu, quàm vbi falsæ rei grauis auctor existit. Siquidem quando ea sit quorundam insania, vt quod semel animo conceperint, mordicus tueri malint (dummodo grauem aliquem auctorem in testimonium afferre possint) quàm saniori opinioni cedere; factum est vt dum in suam sententiam antiquorum scripta torquent, fœdissimis nonnunquam lituris eosdem aspergant, contaminentque, quas temporum spacio, ni propicius aliquis intercedat deus, pro genuinis, germanisque recipi contingit. Quod sanè, prò dolor, in Celso nostro vsu venisse nimis quàm compertum habet, qui in eodem aliqua ex parte versatus est. Siquidem quum iam antè visos vt-

cunque

cunque eiuſdem libros in manus recepiſſem, ac quòd præ cæteris Hippocratis mentem exprimerent, in eoſdem breues enarrationes conſcribere mens eſſet, primùm, & ante omnia, dum lecta prius attentiùs relego, atque cum Hippocratis ſententiis, vt ſic loquar, recoquo, multa occurrunt quæ ad ſenis illius Coi limam reuocanda erant, quòd mendi opinionem præ ſe ferrent: aut confitendum nobis erat, ſtudio quodam in multis ab Hippocrate deſciuiſſe Celſum. Quod quàm ſit veriſimile, intelliget qui procemium eiuſdem in librum ſecundum De ſignis & communibus auxiliis legerit: ſiquidem ibidem ingenuè fatetur, eo præſertim libro, ſeſe auctoritate antiquorum virorum, & præcipuè Hippocratis, vti. Igitur quum non poſſemus in animum inducere eam eſſe multis locis Celſi genuinam lectionem quæ apud me eſſet, plurimos errores acceptos ferebam exemplari quod vnicum nobis erat Venetiis in officina Pinzana excuſum: atque dum aliunde alia accerſo, adfertur aliud Haganoæ typis Ioannis Secerij cum lima Ioannis Cæſarij: quod ſicuti ex titulo plurimum lucis allaturum videbatur, ita parum admodum, aut ni-

hil contulit: nam præter breues aliquot D.Cæsarij annotationes, nihil erat Pinzano correctius. Quando igitur hinc nobis constaret, temporum iniuria, mutilum, hiulcum, atque deprauatum esse Celsum, bonamque illius partem ex Hippocrate, Galeno, Oribasio, Dioscoride, Ægineta, atque aliis absoluissem, instandum iudico, atque quod antè religio erat, locos quos priùs inter legendum asteriscis annotaueramus, immutare mens erat, atque ad Hippocratis sententiam reuocare. Sed quum arduum hoc opus & ita difficile animaduerterem, vt alium virum, aliud ingenium, aliasque vires deposceret, pedem retrahere omnino erat animus, nisi iam antè perspectum nobis fuisset, nihil tam esse durum quod non emolliat, nihil tam arduum quod non efficiat, nihil tam abstrusum quod non eruat improbus assiduusque labor. nam vt Galenus tertio De temperamentis libro, οὕτω δήπου κᾀκεῖνο καλῶς εἰρῆσθαι δοκεῖ,

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη:

præsertim quando iugis, continuaque Hippocratis lectio ad Celsi restitutionem satis esse

possit,

possit, vt omittam Galeni in Hippocratem commentarios, qui non parum lucis eidem afferre queant. Nam hoc ingenuè fateor, me non solùm ab Hippocrate, Galeno, Oribasio, atque aliis classicis auctoribus vbi res postulabat, integras periodos desumpsisse, sed & à neotericis quibusdã: siquidem è Ioannis Fernellij libello De arte vacuandi, multa mutuati sumus, capitibus secũdi libri De sanguinis missione, de deiectione, & de cucurbitulis. libro autem quinto vbi simplicium quarumcumque rerum ex quibus medicamenta fiunt facultates perscrutatur, plurima ad propositum nostrũ ex Hollerij Stempani De materia chirurgica libello decerpsimus: Et quod de Fernellio, Hollerioque fatemur, de aliis idem quoque dictum volumus: siquidem quotiescunque vsus postulabat, non piguit eorundem bene scripta pro nostris asscribere. quod præmonendum censuimus, ne quis plagij nos incuset. Quum igitur totus in hoc sum, vt secundum Cornelij Celsi De signis & communibus auxiliis tandem absoluerem, cœptisque vtcunque aspiraret fortuna, me ipso iam quodammodo robustior effectus, plures longè

quàm

quàm ſpes erat locos reſtituo, atque ita reſtituo, vt ſperem me nuſquam in Celſum aut durum aut iniurium fuiſſe. Verùm poſteaquam iam poſtremam manum operi impoſuiſſem, afferuntur nobis in eundem librum commentarij D. Gulielmi Pantini Tiletani, quos quando ſolum nomen Pantini omnibus modis abſolutiſſimos, & doctiſſimos perſuaſum redderet, animus erat noſtras enarrationes ſupprimere (tum quòd certò nobis conſtaret, illum qua eſt eruditione, & diligentia, nihil intactum, nihil inexcuſſum relicturum; tum quòd puderet noſtra cum illius ſcriptis conferre) niſi aliquot nominis noſtri nimis quàm ſtudioſi, hortarentur, inſtarentque ne ab incepto deſiſterem; ſed quod in reliquos poſteriores ſex libros inceperam, tandem abſoluerem: nam etſi maximè perſpicaci ingenio ſit Pantinus; eſſe tamen nonnulla quæ illum ſubterfugiant, aliiſque perſpicua ſint: Siquidem & ipſe Pantinus poſt D. Doctoris Hieremiæ præceptoris quondam noſtri abſolutiſſimas in primum Celſi De ſanitate tuenda librum, enarrationes, alios ſuperaddidit commentarios: & vtriſque ſuccedens Iodocus

Lommius

Lommius Buranus tertios in eundem emisit: fore igitur si inceptum prosequar opus, vt non minus mihi debeant studiosi, quàm aut Hieremiæ, (debent autem plurimum) aut ipsi Pantino. Nam si multa post fusissimas eiusdem in secundum librum enarrationes, à me sunt enodata, quæ non animaduertit ille, aut volens alioqui prætermisit, futura multo plura in reliquis sex quos ille obiter tantùm percurrit, quæ censuram ac limam requirant. Ego interim mecum perpendens, quàm sit domi mihi curta supellex, & quàm sit varius, quàm sit intricatus, neque semper pede stans in vno auctor, etiamsi amplos satis Pinzani exemplaris margines annotationibus, quæ breuis commentarij vices supplere poterant, iam illeueram, meo me pede metiens operam recuso, quum illi eandem semper occinentes cantilenam vrgent, nolentemque compellunt, vt cœptum opus semel ad vmbilicum perducam, neque labores meos studiosis inuideam, & auctorem qui quondam à doctis tantùm legi poterat, quibusuis iam per me planum redditum euulgem. Quibus interpellationibus, Viri Nobilissimi, ac Patres

Ampliſſimi, coactus quodammodo in pub-
licum iam emitto noſtras in poſteriores Cor-
nelij Celſi ſeptem libros enarrationes: In pri-
mum etenim deinceps aliquid velle addere,
aut commentari, quid ſit aliud quàm θαλάττῃ
ἐκ χαράδρας ὕδωρ: quando tres in eundem,
vt iam diximus, extent doctiſſimorum viro-
rum ampliſſimæ enarrationes? Verùm quum
magna ſit hodie ingeniorum varietas, varia-
que ſint hominum iudicia, & qui hodie ali-
quid in publicum emittunt, omnium ſubii-
ciantur cenſuris, ſciens noſtra tanta, taliaque
non eſſe quæ per ſe maleuolorum calumnias
ſubterfugere poſſint; ex veteri, & à multis
vſque ſeculis vſurpata conſuetudine hoſce
noſtros labores ſub alterius tutela & patroci-
nio in publicum emittere ſtatui: & quum
mecum reputo quem potiſſimùm deligam;
vos, viri Ampliſſimi, ſtatim occurritis, tum ob
ampliſſimam auctoritatem qua præditi eſtis,
tum ob doctrinam qua plerique veſtrum ex-
cellitis; tum etiam quòd quaſi iure quodam
V. A. id debeatur, quum potiorem vitæ meæ
partem (elapſis iam quadraginta annis quòd
Furnis municipio Flandriæ occiduæ publico
ſtipen-

ſtipendio medicum agens, magiſtratus Goudani literis in Hollandiam accitus ſim) hæc tranſegerim, atq. operam meam non tantùm ciuitati cui ſeruio impenderim, verùm omnibus, dum res ita poſtularet, qui me ſibi auxiliares manus allaturum putarent, præſens præſenti conſilio adfuerim. Accipite igitur, Viri Ampliſſimi, exporrecta fronte, beneuoloque animo, A.V. dicatum opus, tanquam meæ erga A.V. obſeruantiæ μνημόσυνον: quod certè ſeu domi, ſeu militiæ agatis, plurimum prodeſſe poterit. Siquidem ſi domi vitam tranquillam, & ab omni moleſtia ſecuram, curíſque liberam tranſigatis, docebit vos Celſus noſter firmam quo ad fieri poteſt, conſeruare valetudinem: ſin ea iam collapſa, moleſtior ſit morbus, aut ſymptωma aliquod, habetis ad manum explicata cuiuſuis morbi ſigna, & cauſſas, atque adeò ipſa tandem adſcripta remedia. Verùm ſi turbido bello impliciti, aut alio quouis modo ſaucij (quod omen auertat Deus) chærurgi expoſcatis operam, en vobis Celſum in chærurgicis exercitatiſſimum, & in ambiguis maximè expeditum. Ita vt ex hoc noſtro

Celſo ſanitatem integram & conſeruare, & quouis modo collapſam valetudinem optimè reſarcire poſſitis: quam vt firmam, ſtabilemq́ue Deus opt. max. diu conſeruet, vnicè mihi in votis eſt. Gouda ex Muſeo noſtro Anno cIↃ. IↃ. XCII.

A. V.

addictiſſimus

BALD. RONSSEVS.

I. HEVRNIVS
CLARISSIMO
MEDICINÆ DOCTORI
D. BALDVINO RONSSEO
GOVDANORVM ARCHIATRO,
AMICO SALVTEM.



OMMENTARIOS *tuos ad Celsum legi cum maxima animi voluptate: qui celsiora quædam viridaria medica quàm vulgò solet, longeque amœniora, flosculisque vndique picturata facundiæ, ad vsum reuocas: vnde, te auctore, mox celsiores medicos spero, & voueo. Video enim te Latinum hunc Hippocratem ad Græcum, suum parentem, cum maxima studiosorum medicarum rerum vtilitate, deduxisse. Cui sanè ego tantum tribuo, vt primas ei per totam medicinam deferam, neque Galenum excipio, quod pace maximorum virorum dictum volo. Sit enim Galenus, quod omnes sani fatentur, amœnior ac suauior in dicendo, alliciat blandius in sententiam auditorem: inductionibus, insinuationibus, demonstrationibusque nos ita circumscribat, vt nos sinamus quicquid velit persuaderi. Attamen Hippocrates pressa illa breuitate, oraculisque infallibilibus, tanquam cogentissimis rationibus, cunctos adigit manus dare veritati. Nam vsu ratione que doctus, cominùs rem aggreditur, & abiectis Samnitum hastis, quibus ad voluptatem magis gladiatores quàm ad pugnam vtebantur,*

signis tecmeriis, id est, fulgentibus veritatis armis, quibus rem ipsam aperiat, &, si pugnandum, quibus mox iugulum petat, in hominũ animos grassatur, & volentes nolentes suam in sententiam rapit. Ego, doctissime Ronssee, in ea sententia sum, optimos & significantibus verbis splendentes in quaque arte scriptores legendos esse. qui, etiamsi nitore dicendi ornamenti nihil remediis adferant, certè dignitatem medelis non detrahunt. Fateor, eloquentia non medicos, attamen maiores, in facienda medicina, vt appareant medici, facit. Illud non dissimulabo, ea quæ acutis & grauibus modulata sententiis animo immittimus, animos nostros in sui quasi characterem transferre, ac longè fideliùs menti inhærere. Viden vt Platonem legentes heroicam quandam amplitudinem hauriant, ac afflatu propè diuino concitentur? qui frequentes Isocratem voluunt, vt picturatam comptamque orationem effingant? qui Demosthenem voluunt, vt tubam quandam classicam animo fingant, vt paulò minùs ad arma prosiliant, vulneraque inferre & accipere honestum putent? quid dicam de his qui apud Ciceronem sunt? qualem illi ducunt animi habitum? qui clamores? qui tumultus? qui luctus? quæ deplorationes animis? Si itaque tantum potest auctorum lectio; profectò optimus in quaque arte proponendus erit. Si de medicis quis quærat? vnicus Celsus medicis Latinis præferatur: qui pomœria Romanæ eloquentiæ eò protulit, vt Medicina suauissimo ore eloquentiæ iam sese cunctis cultioribus ingeniis meritò commendet. Quàm presse vbi lubet ille progreditur! quàm luculenter causas morborum enarrat! certè rem planè admirandam præstitit, vt quum muta hæc nata ars sit, minimeque eloquentiæ capax, is tamen tanto splendore eam exornauit, vt non aliunde libentiùs

tiùs

IX

tiùs eloquentiæ medicæ rationem mutueris. Et quota hæc portio innumerabilium laudum, quas facundus hic medicus promeruit? Velim sanè omnes intelligant, ei qui in gloriam literatam surget, & sermonis decore opus esse: quo ablegato ac reiecto, non aliter fraudabitur, quàm si oneraria nauis pacato in mari, remittentibus ventis, renitentibus ac inhibentibus nautis, fluctuet tantùm, neque promoueat, portus optatos sibi polliceatur. Nec tamen ego hoc dico, quòd cæteros medicinæ scriptores in ordinem redigam, aut suo honore fraudatos velim. absit à me hic furor, vt Celsum cunctis præferam. An ego Dictatorem medicinæ Hippocratem non suspiciam, & cunctis præferam? qui eo scripsit animi acumine, vt rectè dixerim in eo fulgere verborum pressam proprietatem, sententiarum concisam subtilitatem, sermonis venerandam antiquitatem, artificij commendabilem dignitatem: cuius tanta fuit benignitas, vt nihil sciuerit quod nos nescire voluerit; tanta autem solertia & sapientia, vt nemo post eum sciuerit, quod ipse ignorauerit. Quem, tanquam summum Medicinæ præceptorem publicè in hac academia vnicumque, interpretor & enarro. Quid dicam Galenum? quem cunctis penè prætulerim, quo certè nemo mirificas illas naturæ opes feliciore penicillo expressit, nemo suauiùs, nemo polydædala rerum historia iucundiùs. At hoc dico, Celsum imitandum, Hippocratis imitatorem; quò eleganter Hippocrates Latinè loquatur. nam, vt verum fatear, eius potiùs latinitatem amplector, quàm Medicinæ scientiam, vbi ab Hippocrate abit. Fatetur ipse se in multis Asclepiadem sequutum esse. Prudentem itaque lectorem postulo ad Celsum, hoc est, qui Hippocratica à methodicis secernat.

cernat. Quare meritò tibi, Clariß. Ronſſee, gratias debent omnes; qui indigitas ex quibus ſedibus hæc tranſlata commigrarint in Latinam ditionem. quid ex Æſculapidûm gente enatum, quid aliunde ſcriptis ſuis intulerit auctor: quo ſanè nihil felicius ad commodam lectionem huius auctoris excogitari potuit. Vale, ac me ama. Ex hoc lycæo Batauienſi Leidæ. M. D. XCI. *Die* XVI. *Iulij.*

Tuus I. Heurnius.

BAL-

BALDVINVS RONSSEVS LECTORI.

POSTEAQVAM iam omnino ſtaret ſententia, candide lector, quæ in Cornelij Celſi libros De re medica commentatus eſſem, in publicum emittere, & ἀκέφαλον prorſus videretur opus, quòd primum quem De ſanitate tuenda conſcripſit, intactum reliquiſſem, quòd in eundem extarent D. Hieremiæ, Pantini, & Lommij Burani commentarij, non videbatur inconſultum, ſi vnum aliquem prædictorum commentariorum noſtris præfigi curarem enarrationibus, vt omni ex parte abſolutum eſſet opus. Igitur quum mecum delibero cuiuſnam potiſſimùm deligam, vicit ea opinio, quæ D. Hieremiæ Thriueri Brachelij quondam præceptoris mei doctiſſimi, & de re medica optimè meriti, adſcribendas annotationes dictitaret: idque eo potiſſimùm, quòd (ſicuti fuit homo à natura planè philoſophus) inter reliquos (abſit verbo inuidia) magis philoſophici ſint, atque adeò ex intimis medicinæ arcanis deprompti. Nobis porrò in noſtris enarrationibus id ſtudio fuit, vt locum loco ex Hippocrate redderemus, atque id ſi non vbique concederetur, ſaltem ad Græcorum Hippocrate poſteriorum cenſuram reuocaremus. hæc enim vera mihi videbatur com-

*** mentandi

mentandi ratio, idq́ue eô potiſſimùm quòd dicat ſe auctoritate antiquiſſimorum virorum, & præſertim Hippocratis, vti. Quanquam & in id quoque incubuerim, vt ſi quando obſcurior eſſet lectio, eandem enarrationibus planiorem reddiderim. Tu interim, amice lector, noſtris hiſce fruere ac vtere laboribus.

IN BALD.

XI

IN BALD. RONSSEI *Gandensis* CORNELIVM CELSVM Epigramma

AD LECTOREM.

RONSSEVS *nuper Musis & Apolline dextro*
Venatvm melicè composuit MEDICVM,
Ad Flacci genium permiscens vtile dulci:
Nomine quo punctum quamlibet omne tulit.
At modò dum CELSI *scriptis adiungit honorem,*
Et face perplexis dum rutilante præit,
Maior se, atque adeò CELSO *propè celsior ipso,*
Latè conspicuum tollit in astra caput.
Quæ patria huic? dices. Vel queis nunc degit in oris?
GANDA *dedit luci,* GAVDA *Batâua tenet.*
Felicem ô patriam, felicem hoc hospite Gaudam!
Quàm vellem posset dicere LEYDA *suum!*
Gymnasij augeret famam ille decusque Batâui,
Pæonia illustrans Orgia voce, libris.

Bon. Vulcanij.

DE C. V.

BALDVINI RONSSEI

IN

CORNELIVM CELSVM

ENARRATIONIBVS

Carmen.

DEBES Ronſſeo tantum doctiſſime Celſe,
Quantum æger medico cuius ab arte valet.
Hic tibi reſtituit quod longior abſtulit ætas,
Integer vt poſthac tempora plura feras.
Mancus enim mutilusq́. diu membra ægra trahebas,
Huius ope incedis debilitate carens.
Ergo cherurgis quod confers, quodq́ue medendi
Peritis, Ronſſei id ſedula lima tibi.

Vibrandus Dominicus, legum apud
Duacenſes profeſſor.

IN BAL-

IN BALDVINI RONSSEI NOVOS IN CELSVM Commentarios.

ECQVID apud Latios ſcriptores doctius extat
Quàm Celſus medica primus in arte dedit?
Cuius ſcripta tamen multis obſcura videntur,
Quòd craſſis mendis illa referta iacent.
Sed quo cheirurgis placeat, doctiſque probetur,
Ronſſei lima cuncta nouata vides.
Qui dedit obſcuris lumen, reliquiſque nitorem,
Qui reſecat falſum, reſtituens mutila.
Vulnera qui veteri putredine fœda repurgans
Abſtulit, & mendas, difficileſque locos.
Quare iſthunc emito, curandi vulneris artem
Qui petis, aut medicus qui cupis eſſe bonus:
Atque vide quantos impenderit ille labores
Celſo illuſtrando; tum quoque gratus eris.

Henricus Iunius Goudanus.

IN NOVVM CELSVM

D. BALDVINI RONSSEI

Gandensis Gaudanorum

archiatri.

EXESTE quotquot inuidentiæ ſacro
  Caletis igne, iudices
Amore Græciæ inuidi, ite Græculi,
  Exoſculamini inuicem,
Medendi arte qui negatis vſpiam
  Vigere, & eſſe nobilem,
Quem non vetuſta protulere Pergama,
  Coi ſenis vel inſula,
Athenæ, Amidos, Ægina, & Quiritibus
  Boni relinquitis nihil
In arte quæ omnibus ſacratior cluit
  Patre edita Æſculapio.
Vobis nihil ſalis, parumque pectoris
  Et fibra planè cornea eſt.
Negatis? en vobis vel inuidentibus
  Viros in arte nobiles
Quiritium orbe fuſos, & perennibus
  Famæ decoros præmiis.
Scribonius, Celſusque, & ipſe Plinius,
  Qui vno Latiam volumine,
Et Græciam concluſit, atque Cælius
  Aurelianus nomine;
Marcellus ille, Priſcianus, & quidem
  Hos CELSVS inter emicans,

Vt Phœ-

Vt Phœbus orbe ſplendidum fundens iubar
Inter minora ſidera:
Cui pectus ipſe præſes Æſculapius,
Suadæ rigauit nectare:
Qui nunc vel ipſis inuidendus Gratiis
Dias in oras luminis
Prodit, nitens, venuſtus, elegans, tuo
Labore docte Ronſſee.
O qualis hoc ſplendor, decor volumine!
Quàm gratioſa gratia
Diffuſa ſemet explicat ſententia,
Priùs remota & abdita!
Nitore plena ſpirant omnia en tibi,
Vernant roſæ hæc, & lilia,
Nouus color, noua omnia, & Celſus nouus;
Quem promus ecce Ronſſeus
In arte Apollinari haut infimus, tibi
Donat, beatque munere,
Quo magis optari haut queat, vel inuido, &
Furente Momo iudice.
Cape ergo lector candidi hoc munus viri
Fauente natum Apolline,
Cui triga Gratiarum abunde gratiam
Et nectar infudit merum,
Eique partus vt ſubinde edat nouos
Æuum precare Neſtoris.

Gualterus Verdoeſius Medic.

ELEN-

ELENCHVS AVCTORVM,

quorum auctoritatibus auctor vtitur.

Abenzoar
Aëtius
Albucas
Alexander Aphrodiſeus
Alexander Trallianus
Alexander Benedictus
Aliabas
Alexander Pedemontanus
Andreas Matheolus
Andreas Veſalius
Apitius
Apuleius
Ariſtoteles
Actuarius
Aſclepiades
Athenæus
Auicennas.
Carolus Stephanus
Cato
Caſſius
Cælius Methodicus
Columella.
Dion
Dioſcorides.
Eraſiſtratus.
Fabianus
Franciſcus Meſſarius.
Galenus
Gualterus Ryffius
Guilielmus Pantinus.
Hadrianus Iunius
Herodotus
Heraclides
Heſichius
Hippocrates
Hieremias Thriuerus
Horatius.
Ianus Cornarius
Iacobus Syluius
Iacobus Holerius
Ioannes Fernelius
Ioannes Cæſarius
Ioannes Manardus
Ioannes Moriſotus
Ioannes Guinterius Ander.
Ioſephus.
Leonarthus Fuchſius.
Martialis
Matthias Cornax
Meſue
Michael Sauanarola.
Nicolaus Maſſa.
Oribaſius.
Palladius
Paulus Ægineta
Philotheus
Philon Iudæus
Plinius
Pſellus
Ptolemæus.
Q. Serenus Sammonicus.
Rembertus Dodonæus
Rhazes.
Scribonius Largus
Simeon Sethi
Suidas.
Theophilus
Theodorus Priſcianus
Theophraſtus
Varro
Vidus Vidius
Vitruuius.

AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER PRIMVS,

Ab HIEREMIA DRIVERO BRACHELIO *medico, Commentariis illustratus.*

VT ALIMENTA ſanis corporibus Agricultura, ſic ſanitatem ægris Medicina promittit. Hæc quidem nuſquam non eſt. Siquidem etiam imperitiſſimę gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum, morborumque nouerunt. Veruntamen apud Græcos aliquanto magis, quàm in cæteris nationibus exculta eſt: ac ne apud hos quidem à prima origine, ſed paucis ante nos ſeculis, vtpote cùm vetuſtiſſimus auctor Æſculapius celebretur. Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulo ſubtiliùs excoluit, in deorum numerum receptus eſt. Huius deinde duo filij Podalyrius & Machaon bello Troiano ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilij, ſed vulneribus tantummodo ferro, & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo apparet, has partes medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſque eſſe vetuſtiſſimas. Eodemque auctore diſci poteſt, morbos, tum ad iram deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam. Verique ſimile eſt, inter nonnulla auxilia aduerſæ valetudinis plerumque tamen eam bonam contigiſſe ob bonos mores, quos neque deſidia, neque

* tentarāt. luxuria* vitiarant. Siquidem hæc duo, corpora prius in Græcia, deinde apud nos afflixerunt. Ideoque multiplex ista medicina, neque olim apud Græcos, neque apud alias gentes necessaria, vix aliquos ex * bonis ad senectutis principia perducit. Ergo etiam post eos (de quibus retuli) nonnulli clari viri medicinam exercuerunt, donec maiore studio litterarum disciplina agitari cœpit, quæ vt animo præcipuè omnium necessaria, sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia, sapientiæ pars habebatur, vt & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit. Scilicet his hanc maximè requirentibus, qui corporum * suorum robora * inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex sapientiæ professoribus, peritos eius fuisse accipimus. Clarissimos verò ex his Pythagoram & Empedoclem, & Democritum. Huius autem (vt quidam crediderunt) discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiæ disciplinam hanc separauit, vir & arte & facundia insignis. Post quem Diocles Carystius, deinde Praxagoras, & Chrysippus, tum Herophilus & Erasistratus, sic artem hanc exercuerunt, vt etiam in diuersas curandi vias processerint. Iisdemque temporibus, in tres parteis medicina diducta est, vt vna esset quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, secundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν, Græci nominauerunt. Eius autem, quæ victu morbos curat, longè clarissimi auctores etiam altius quædam agitare conati, rerum quoque naturæ sibi cognitionem vindicauerunt, tanquam sine ea trunca & debilis medicina esset. post quos Serapion primus omnium, nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in vsu tantùm & experimentis eam posuit. Quem Apollonius & Glaucias, & aliquanto pòst Heraclides Tarentinus, & aliqui non mediocres viri secuti, ex ipsa professione, se Empiricos appellauerunt. Sic in duas parteis ea quoque quæ victu curat, medicina diuisa est, aliis rationalem artem, aliis vsum tantùm sibi vendicantibus, nullo verò quicquam post eos, qui suprà comprehensi

Marginal notes: * nobis — *Disciplina corpori inimica.* — * sanorum — * quieta — *Hippocrates.*

prehensi sunt, agitante nisi quod acceperat: donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutauit. Ex cuius successoribus Themison nuper ipse quoque quædam in senectute deflexit. Et per hos quidem maximè viros salutaris ista nobis professio increuit. Quoniam autem ex tribus medicinæ partibus, vt difficillima, sic etiam clarissima est ea, quæ morbis medetur, ante omnia de hac dicendum est. Et quia prima in ea dissensio est, quòd alij sibi experimentorum tantummodo notitiam necessariam esse contendunt, alij nisi corporum rerumque ratione comperta, non satis potentem vsum esse proponunt: indicandum est, quæ maximè ex vtraque parte dicantur, quo faciliùs nostra quoque opinio interponi possit. Igitur hi, qui rationalem medicinam profitentur, hæc necessaria esse proponunt, Abditarum & morbos continentium caussarum notitiam, deinde Euidentium, post hæc etiam Naturalium actionum, nouissimè partium Interiorum. Abditas caussas vocant, in quibus requiritur, ex quibus principiis nostra corpora sint, quid secundam, quid aduersam valetudinem faciat. Neque enim credunt posse eum scire, quomodo morbos curare conueniat, qui vnde hi sint, ignoret. Neque esse dubium, quin alia curatione opus sit, si ex quattuor principiis, vel superans aliquid, vel deficiens aduersam valetudinem creat, vt quidam ex sapientiæ professoribus dixerunt, alia, si in humidis omne vitium est, vt Herophilo visum est: alia, si in spiritu, vt Hippocrati: alia, si sanguis in eas * venas, quæ spiritui accommodatæ sunt, transfunditur, & inflammationem, quam Græci φλεγμονὴν nominant, excitat, eaque inflammatio, talem motum efficit, qualis in febre est, vt Erasistrato placuit: alia, si manantia corpuscula, per inuisibila foramina subsistendo, iter claudunt, vt Asclepiades contendit. Eum verò rectè curaturum, quem prima origo caussæ non fefellerit. Neque verò inficiantur, experimenta quoque esse necessaria. Sed ne ad hæc quidem aditum fieri potuisse, nisi ab aliqua ratione contendunt. Non enim quidlibet antiquiores viros ægris inculcasse: sed cogitasse, quid maximè conueniret, & id vsu explorasse, quod

*arterias,

*didicissent. *an initia pleraque

antè coniectura aliqua *duxissent. Neque interesse,*an nunc iam pleraque explorata sint, si à consilio tamen cœperunt. Et id quidem in multis ita se habere. Sæpe verò etiam noua incidere genera morborum,in quibus nihil adhuc vsus ostenderit. Et ideo necessarium sit animaduertere, vnde ea cœperint: sine quo nemo mortalium reperire possit, cur hoc, quàm illo potius vtatur. Et ob hæc quidem in obscuro positas caussas persequuntur. Euidentes verò has appellant, in quibus quærunt initium morbi calor attulerit, an frigus: fames, an satietas: & quæ similia sunt. Occursurum enim vitio dicunt eum, qui originem non ignorarit. Naturales verò corporis actiones appellant, per quas spiritum trahimus, & emittimus cibum, potionemque & assumimus, & concoquimus. Itemque per quas eadem hæc in omnes membrorum partes digeruntur. Tum requirunt etiam,quare venæ nostræ modò submittant se,modò attollant:quæ ratio somni, quæ vigiliæ sit. Sine quorum notitia neminem putant vel occurrere, vel mederi morbis * inter hæc nascentibus posse. Ex quibus * quàm maximè pertinere ad rem concoctio videtur. *Huic potissimum insistunt, & duce alij Erasistrato, atteri cibum in ventre contendunt: alij Plistonico, Praxagoræ discipulo, putrescere: alij credunt Hippocrati, per calorem cibos concoqui. Acceduntque Asclepiadis æmuli,qui omnia ista vana & superuacua esse proponunt. Nihil enim concoqui, sed crudam materiam (sicut assumpta est) in corpus omne diduci. Et hæc quidem inter eos parum constant. Illud verò conuenit, alium dandum cibum laborantibus, si hoc: *aliud, si illud verum est. Nam si teritur intus,eum quærendum esse,qui facillimè teri possit. Si putrescit, eum in quo hoc expeditissimum est. Si calor concoquit, eum qui maximè calorem *moueat. At nihil ex his esse quærendum, si nihil concoquitur. Ea verò sumenda quæ maximè manent, qualia assumpta sunt. Eademque ratione cùm spiritus grauis est,cùm somnus,aut vigilia vrget,eum mederi posse arbitrantur,qui prius illa ipsa qualiter eueniant perceperit. Præter hæc cùm in interioribus partibus & dolores, & morborum varia genera

*intra

*quia quamm.

*, huic

*alium,

*foueat.

genera naſcantur, neminem putant his adhibere poſſe remedia, quæ ipſe ignoret. Neceſſarium ergo eſſe incidere corpora mortuorum, eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari: longeque optimè feciſſe Herophilum, & Eraſiſtratum, qui nocentes homines à regibus ex carcere acceptos, viuos inciderint, conſiderarintque etiam ſpiritu remanente, ea quæ natura antè clauſiſſet, eorumque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, læuorem, contactum: proceſſus deinde ſingulorum, & receſſus: & ſiue quid inſeritur alteri, ſiue quid partem alterius in ſe recipit. Neque enim cùm dolor intus incidit, ſcire quid doleat, eum, qui qua parte quodque viſcus, inteſtinúmve ſit, non cognouerit. Neque curari id quod ægrum eſt poſſe, ab eo, qui quid ſit, ignoret. Et cùm per vulnus alicuius viſcera patefacta ſunt, eum qui ſanæ cuiuſquam colorem partis ignoret, neſcire quid integrum, quid corruptum ſit. Ita ne ſuccurrere quidem poſſe corruptis, aptiusque extrinſecus imponi remedia, compertis interiorum & ſedibus & figuris, cognitaque eorum magnitudine: ſimileſque omnia, quæ * poſita ſunt, rationes habere. Neque eſſe crudele (ſicut plerique proponunt) hominum nocentium, & horum quoque paucorum ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſeculorum omnium quæri. Contrà, hi qui ſe Empiricos ab experientia nominant, euidentes quidem cauſſas, vt neceſſarias amplectuntur: obſcurarum verò cauſſarum, & naturalium actionum quæſtionem ideo ſuperuacuam eſſe contendunt, quoniam incomprehenſibilis natura ſit. Non poſſe verò comprehendi, patere ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia: cùm de iſta re, neque inter ſapientiæ profeſſores, neque inter ipſos medicos conueniat. Cur enim potius aliquis Hippocrati credat, quàm Herophilo? Cur huic potius, quàm Aſclepiadi? Si rationes ſequi velit, omnium poſſe videri non improbabiles: ſi curationes, ab omnibus his ægros perductos eſſe ad ſanitatem. Ita neque diſputationi, neque auctoritati cuiuſquam fidem derogari oportuiſſe. Etiam ſapientiæ ſtudioſos maximos medicos eſſe, ſi ratiocinatio hoc faceret: nunc

Per læuorem, & cōtactū, aſperitatem intelligit, & quod illi eſt cōtrarium.

*intus poſ.

illis verba supereſſe, deeſſe medendi ſcientiam. Differre quoque pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Quòd ſi morbos eædem cauſſæ facerent vbique, remedia quoque vbique eadem eſſe * debuiſſent. Sæpe etiam cauſſas apparere, vtputa lippitudinis, vulneris, neque ex his patere medicinam. Quòd ſi ſcientiam hanc non ſubiiciat euidens cauſſa, multominus eam poſſe ſubiicere, quæ in dubio eſt. Cùm igitur illa incerta, incomprehenſibiliſque ſit, à certis potius, & exploratis petendum eſſe præſidium, id eſt his, quæ experientia in ipſis curationibus docuerit, ſicut in cæteris omnibus artibus. Nam ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed vſu fieri. At nihil iſtas cogitationes ad medicinam pertinere: eò quoque diſci, quòd qui diuerſa de his ſenſerint, ad eandem tamen ſanitatem homines perduxerint. Id enim feciſſe, quia non ab obſcuris cauſſis, neque à naturalibus actionibus, quæ apud eos diuerſæ erant, ſed ab experimentis, prout cuique reſponderant, medendi vias traxerint. Ne inter initia quidem ab iſtis quæſtionibus deductam eſſe medicinam, ſed ab experimentis. Ægrorum enim, qui ſine medicis erant, alios propter auiditatem primis diebus, protinus cibum aſſumpſiſſe, alios propter faſtidium abſtinuiſſe, leuatumque magis eorum morbum eſſe, qui abſtinuerant: itemque alios in ipſa febre aliquid ediſſe, alios paulò ante eam, alios poſt remiſſionem eius, optimè deinde his ceſſiſſe, qui poſt finem febris id fecerint. Eademque ratione, alios inter principia protinus vſos eſſe cibo pleniore, alios exiguo, grauioreſque eos factos, qui ſe implerent. Hæc, ſimiliaque, cùm quotidie inciderent, diligentes homines notaſſe, quæ plerumque melius reſponderent: deinde ægrotantibus ea præcipere cœpiſſe. Sic medicinam ortam, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, pernicioſa diſcernentem à ſalutaribus. Repertis deinde iam medicinæ remediis, homines de rationibus eorum diſſerere cœpiſſe; nec poſt rationem medicinam eſſe inuentam, ſed poſt inuentam medicinam, rationem eſſe quæſitam. *Requirere etiam, ſi ratio idem doceat, quod experientia, an aliud.

Si idem,

* debuiſſe.

* Requiritur

Si idem, superuacuam esse: Si aliud, esse contrariam: Primò tamen remedia exploranda summa cura fuisse, nunc verò iam explorata esse, neque vlla aut noua genera morborum reperiri, aut nouam desiderari medicinam. Quòd si iam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris: sed eum protinus visurum, cui morbo id proximum sit, tentaturumque remedia similia illis quæ vicino malo sæpe succurrerint, & per eius similitudinem opem reperturum. Neque enim se dicere consilio medicum non egere, & irrationale animal hanc artem posse præstare: sed has latentium rerum coniecturas ad rem non pertinere: quia non intersit, quid morbum faciat, sed quid tollat. Neque ad rem *pertineat, quomodo, sed quid optimè digeratur. Siue hac de caussa concoctio* intercidat, siue de illa: &, siue concoctio sit illa, siue tantùm digestio. Neque quærendum esse quomodo spiremus: sed quid grauem, tardumque spiritum expediat. Neque quid venas moueat, sed quid quæque motus genera significent. Hæc autem cognosci experimentis, & in omnibus eiusmodi cogitationibus in vtranque partem disseri posse. Itaque ingenium & facundiam vincere, morbos autem non eloquentia, sed remediis curari. Quæ si quis elinguis, vsu* discreta bene norit, hunc aliquanto maiorem medicum futurum, quàm si sine vsu linguam suam excoluerit. Atque ea quidem, de quibus est dictum, superuacua esse tantummodo. Id verò quod restat, etiam crudele, viuorum hominum aluum, atque præcordia incidi, & salutis humanæ præsidem artem, non solùm pestem alicui, sed hanc etiam atrocissimam inferre, cùm præsertim ex his, quæ tanta violentia quærantur, alia non possint omnino cognosci, alia possint etiam sine scelere. Nam colorem, læuorem, mollitiem, duritiem, similiaque omnia non esse talia inciso corpore, qualia integro fuerint: quia cùm corporibus inuiolatis, hæc tamen metu, dolore, inedia, cruditate, lassitudine, *mille aliis mediocribus affectibus, sæpe mutentur: multo magis verisimile est, interiora, quibus maior mollities, lux ipsa noua sit, sub grauissimis vulneribus, & ipsa tru-

*pertinere,
*incidat,
*discretus
*milleque

cidatione

cidatione mutari. Neque quicquam esse stultius, quàm quale quidque viuo homine est, tale existimare esse moriente, imò iam mortuo. * Nam vterum quidem, quî minus ad rem pertineat, spirante homine posse diduci? Simul atque verò ferrum ad præcordia accessit, & discissum transuersum septum est, quod membrana quadam superiores partes ab inferioribus diducit (διάφραγμα Græci vocant) hominem protinus animam amittere. Ita demum mortui præcordia, & viscus omne in conspectum latrocinantis medici dari: quod necesse sit tale esse, quale mortui sit, nõ quale viui fuit. Itaq. consequi medicum, vt hominem crudeliter iugulet: non vt sciat qualia viui viscera habeamus. Si quid tamen sit, quod adhuc spirante homine conspectui subiiciatur, id sæpe casum offerre curantibus. Interdum enim gladiatorem in arena, vel militem in acie, vel viatorem à latronibus exceptum, sic vulnerari, vt eius interior aliqua pars aperiatur, & in alio * alia sita, ita sedem, positum, ordinem, figuram, similiaque cognoscere prudentem medicum, non cædem, sed sanitatem molientem, idque per misericordiam discere, quod alij dira crudelitate cognouerint. Ob hæc ne mortuorum quidem lacerationem necessariam esse. Quæ etsi non crudelis, tamen fœda sit, cùm aliter pleraque in mortuis se habeant. Quantum verò in viuis cognosci potest, ipsa curatio ostendat. Cùm hæc per multa volumina, perque magnæ contentionis disputationes à medicis sæpe tractata sint, atque tractentur, subiiciendum est quæ proxima vero videri possint. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab vtraque nimium abhorrentia, media quodammodo inter diuersas sententias. Quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus, vt in hac ipsa re. Nam quæ demum caussæ vel secundam valetudinem præstent, vel morbos excitent: quomodo spiritus, aut cibus, vel * detrahatur, vel digeratur, ne sapientiæ quidem professores scientia comprehendunt, sed coniectura persequuntur. Cuius autem rei non est certa notitia, eius opinio certum reperire remedium non potest. Verumque est, ad ipsam curandi rationem nihil plus

* Nam ne vter.

* alia: ita sed.

* deferatur, *al.* distrahatur.

plus conferre, quàm experientiam. Quanquàm igitur multa sint ad ipsas artes propriè non pertinentia, tamen eas adiuuat excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturæ rerum contemplatio,* quamuis non faciat medicum aptiorem, tamen medicinæ reddit perfectum. Veriq́ue simile est, & Hippocratem, & Erasistratum, & quicunque alij non contenti febres & vlcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideò quidem medicos fuisse, verùm ideo quoque maiores medicos extitisse. Ratione verò opus est ipsi medicinæ, etsi non * inter obscuras caussas,* neque inter naturales actiones, tamen sæpe. *Est enim hæc ars coniecturalis: neque respondet ei plerunque non solùm coniectura, sed etiam experientia. Et interdum non febris, non cibus, non somnus subsequitur sicut assueuit. Rarius, sed aliquando tamen morbus quoque ipse nouus est, quem non incidere, manifestè falsum est: cùm ætate nostra quædam ex naturalibus partibus carne prolapsa, & * arente, intra paucas horas expirauerit: sic vt nobilissimi medici, neque genus mali, neque remedium inuenerint. Quos ego nihil ideo tentasse iudico, quia nemo in splendida persona periclitari coniectura sua voluerit: ne occidisse, nisi seruasset, videretur. Veri tamen simile est, potuisse aliquid cogitare, detracta tali verecundia, & fortasse responsurum fuisse id, quod aliquis esset expertus. Ad quod medicinæ genus neque semper similitudo aliquid confert, etsi quando confert, tamen idipsum rationale est inter multa similia genera, & morborum, & remediorum cogitare, quo potissimùm medicamento sit vtendum. Cùm igitur talis res incidit, medicus aliquid oportet inueniat, quod non vtique fortasse, sed sæpius tamen etiam respondeat. Petet autem nouum quoque consilium, non à rebus latentibus (istæ enim dubiæ, & incertæ sunt) sed ab his quæ explorari possunt, id est euidentibus caussis. Interest enim fatigatio morbum, an sitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames fecerit, an cibi, viniq́ue abundantia, an intemperantia libidinis. Neque ignorare hunc oportet, quæ sit ægri natura, humidum magis, an magis siccum corpus eius sit: validi nerui, an infirmi: fre-

* *Aliàs:* quamuis non faciat medicum: aptiorem tamen medicina reddit, atque perfectũ.
*semper inter
*atque

Caro ex naturalibus prolapsa.
* hærente.

mi: frequens aduersa valetudo, an rara: eaque cùm est, vehemens esse soleat, an leuis: breuis, an longa. Quod is vitæ genus sit secutus, laboriosum, an quietum: cum luxu, an cum frugalitate. Ex his enim, similibusque sæpe curandi noua ratio ducenda est. Quamuis ne hæc quidem sic præterire debent, quasi nullam controuersiam recipiant. Nam & Erasistratus non ex his fieri morbos dixit, quoniam & alij, & iidem aliàs post ista non febricitarent: & quidam medici seculi nostri sub auctore (vt ipsi videri volunt) Themisone contendunt, nullius caussæ notitiam quicquam ad curationes pertinere, satisque esse quædam communia morborum intueri. Siquidem horum tria genera esse, vnum adstrictum, alterũ fluens, tertium mixtum. Nam modò parum excernere ægros, modò nimium: modò alia parte parum, alia nimium. Hæc autem genera morborum, modò acuta esse, modò longa: & modò increscere, modò consistere, modò minui * consueuerunt. Cognito igitur eo quod ex his est, si corpus adstrictum est, digerendum esse: si profluuio laborat, continendum: si mixtum vitium habet, occurrendum subinde vehementiori malo: & aliter acutis morbis medendum, aliter vetustis, aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter iam ad sanitatem inclinantibus. Horum obseruationem medicinam esse; quam ita finiunt, vt quasi viam quandam, quam μέθοδον Græci nominant, eorumque quæ in morbis communa sunt, contemplatricem esse * contendunt. ac neque rationalibus se, neque experimenta tantùm spectantibus annumerari volunt, cùm ab illis eo nomine dissentiant, quòd in coniectura rerum latentium * volunt esse medicinam ab his, eò quòd parum artis esse in obseruatione experimentorum credunt. Quod ad Erasistratum pertinet, primùm ipsa euidentia eius opinioni repugnat, quia raro, nisi post horum aliquid morbus venit. Deinde non sequitur, vt quod alium non afficit, aut eundem aliàs, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio noceat. Possunt enim quædam subesse corpori, vel ex infirmitate eius, vel ex aliquo affectu, quæ vel in alio non sunt, vel in hoc aliàs non fuerunt, eaque per se non tanta * vi concitant morbum,

* consueuisse.

*contendant.

*nolunt

*vt comitentur

bum, tamen obnoxium magis aliis iniuriis corpus * efficiunt. *efficiant.
Quòd si contemplationem rerum naturæ (quam temere medici sibi vendicant) satis comprehendisset, etiam illud scisset, nihil omnino ob vnam caussam fieri, sed id pro caussa apprehendi, quod contulisse plurimum * videtur. *videatur. Potest autem id dum solum est, non mouere, quod iunctum aliis maximè mouet. Accedit ad hæc, quòd ne ipse quidem Erasistratus, qui transfuso in arterias sanguine febrem fieri dicit, idque nimis repleto corpore incidere reperit, cur ex duobus æquè repletis, alter in morbum inciderit, alter omni periculo vacarit (quod quotidie fieri apparet) non discreuerit. Ex quo dici potest, vt vera sit illa transfusio, tamen illam non per se (cùm plenum corpus est) fieri: sed cùm horum aliquid accesserit. Themisonis verò æmuli, si perpetua quæ promittunt habent, magis etiam quàm vlli rationales sunt. Neque enim si quis non omnia tenet, quæ rationalis alius probat, protinus alio nouo nomine artis indiget: si modò, quod primum est, non memoriæ soli, sed rationi quoque insistit. Si, quod vero propius est, vix vlla perpetua præcepta medicinalis ars recipit: idem sunt quod ij, quos experimenta sola sustinent. Eo magis, quoniam si compresserit aliquem morbus, *an fuderit, quilibet etiam imperitissimus videt. Quid autem compressum corpus resoluat, quid solutum teneat, si à ratione tractum est, rationalis est medicus. Si (vt ei, qui se rationalem negat, confiteri necesse est) ab experientia, Empiricus est. Ita apud eum morbi cognitio extra artem, medicina intra vsum est. Neque adiectum quicquam Empiricorum professioni, sed demptum est: quoniam illi multa circunspiciunt, hi tantum facillima, & non plus quàm vulgaria. Nam & ij qui pecoribus ac iumentis medentur, cùm propria cuiusque ex multis animalibus nosse non possint, communibus tantummodo insistunt. Et exteræ gentes, cùm subtilem medicinæ rationem non nouerint, communia tantùm vident. Et qui amplè valetudinarios nutriunt (quia singulis summa cura consulere non sustinent) ad communia ista confugiunt. Neque Hercules istud, & antiqui medici nescierunt, sed his contenti non fuerunt.

Hinc medicina, ars interpollis à Plinio dicta est.

* aut

runt. Ergo etiam vetustissimus auctor Hippocrates dixit, mederi oportere & communia, & propria intuentem. Ac ne isti quidem ipsi intra suam professionem consistere vllo modo possunt. Siquidem & compressorum & fluentium morborum genera diuersa sunt, faciliusque id in his quæ fluunt, inspici potest. Aliud est enim sanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere: aliud deiectionibus, aliud torminibus laborare: aliud sudore digeri, aliud tabe consumi. Atque in parteis quoque humor erumpit, vt in oculos auresque. Quo periculo nullum humanum membrum vacat. Nihil autem horum sic, vt aliud curatur. Ita protinus in his à cõmuni fluentis morbi contemplatione, ad propriam medicina descendit. Atque in hac quoque rursus alia proprietatis notitia sæpe necessaria est: quia non eadem omnibus, etiam in similibus casibus opitulantur. Siquidem certæ quædam res sunt, quæ in pluribus ventrem aut astringunt, aut resoluunt. Inueniuntur
* id eo. tamen, in quibus aliter atque in cæteris, * idem eueniat. In his ergo communium inspectio cõtraria est, propriorum tantum salutaris. Et caussæ quoque æstimatio sæpe morbum soluit. Ergo etiam ingeniosissimus seculi nostri medicus, quem nuper vidimus, Cassius febricitanti cuidam, & magna siti affecto, cùm post ebrietatem eum premi cœpisse cognosceret, aquam frigidam ingessit. Qua ille epota, cùm vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno & sudore discussit. Quod auxilium medicus opportune prouidit, nõ ex eo, quòd aut strictum corpus erat, aut fluebat: sed ex caussa, quæ antè præcesserat. Estque etiam proprium aliquid & loci & temporis, istis quoque auctoribus, qui cùm disputant, quemadmodum sanis hominibus agendum sit, præcipiunt, vt grauibus aut locis aut temporibus, magis vitetur frigus, æstus, satietas, labor, libido, magisque vt conquiescat iisdem aut locis, aut temporibus, si quis grauitatem corporis sentit, ac neque vomitu stomachum, neq. purgatione aluum sollicitet. Quæ vera quidem sunt: à communibus tamen ad quædam propria descendunt, nisi persuadere nobis volunt, sanis quidem considerandum esse, quod cælum, quod tempus anni sit, ægris
verò

verò non eſt. Quibus tanto magis omnis obſeruatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia offenſis infirmitas eſt. Quin etiam morborum in iiſdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates ſunt: & qui ſecundis aliquando fruſtra curatus eſt, contrariis ſæpe reſtituitur. Plurimaque in dando cibo diſcrimina reperiuntur, ex quibus contentus vno ero. Nam famem facilius fert adoleſcens, quàm puer: facilius * in denſo cælo, quàm in tenui: facilius in hyeme, quàm æſtate: facilius vno cibo, quàm prandio quoque aſſuetus: facilius inexercitatus, quàm exercitatus homo ſuſtinet. Sæpe autem in eo magis neceſſaria cibi feſtinatio eſt, qui minus inediam tolerat. Ob quæ * competit eum, qui propria non nouit, communia tantùm intueri debere: eumque qui noſſe propria poteſt, illa quidem non oportere negligere, ſed his quoque inſiſtere. Ideoque cùm par ſcientia ſit, vtiliorem tamen medicum eſſe amicum quàm extraneum. Igitur, vt ad propoſitum meum redeam, rationalem quidem puto medicinam eſſe debere, inſtrui verò ab euidentibus cauſſis, obſcuris omnibus non à cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte reiectis. Incidere autem viuorum corpora, & crudele, & ſuperuacuum eſt: mortuorum corpora diſcentibus neceſſarium. Nam poſitum, & ordinem noſſe debent: quæ cadauera melius, quàm viuus, & vulneratus homo repræſentant. Sed & cætera, quæ modò in viuis cognoſci poſſunt, in ipſis curationibus vulneratorum paulo tardius, ſed aliquanto mitius, vſus ipſe monſtrauit. His propoſitis, primùm dicam, quemadmodum ſanos agere conueniat: tum ad ea tranſibo, quæ ad morbos, curationesque eorum pertinebunt.

* cōiicit e.

* *Quibuſdā videtur hic legendū potius*, in tenui cęlo, *quàm* in dēſo: *&*, æſtate & quā hyeme, *propterea quòd Hippocrat. dicat lib. 1. Aphor. Vētres hyeme et vere ſunt calidiſſimi. Quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Ex Paul. Æginetæ libro itidē 1. cap. 53. Hyeme quidem & fortiori exercitatione, & pleniore cibo vtendum eſt. Niſi eò referas, quòd in denſo cœlo, & per hyemē corpora ſunt robuſtiora, atque ideo etiam facilius quamlibet moleſtiā ferunt.*

Hieremiae Driveri Brachelii Commentaria.

DECRETVM *erat ſemel exempto hoc capite ad artem ſalubrem tranſilire, poſtea verò ſeruari, vt ex illo lector antiquitatem medicinæ agnoſceret, ſectas atque ipſarum conditores, conditionesque. in quo ſi quid contractè aut obſcurè ab ipſo dictum eſt, à nobis illuſtratur: melius enim erat, non tantum duas hæreſes, ſed tres diſtinguere; verùm tertiam Celſus cum Empirica coniunxit: Etenim manca fuit longo tempore medicina, in nullas ſectas diſtracta, paucis necdum ſer-*

dum firmis confirmata experientiis, ratione quidem non contempta, ſed nondum adiecta, id enim primus tentauit Hippocrates, qui inſigniter medicinam locupletauit, at primus elementa in ordinem ac numerum digeßit, veterum inuenta, ac fortunatas illas experientias, ratione expenſas, circumquaque cauſis ſigniſque inſtruxit, muniuit, ac plura longe ratione eruit, quàm ipſa experientia forte fortuna veteribus oſtendit. Non tulit Philinus hoc medicinæ acceſſorium, ſed rationalem contemplationem ab ea ſeparauit, ac rationem empiricam primus inſtituit, quem Serapion poſtea ſecutus eſt. qui verò ſuam ſectam antiquiorem, aut venerabiliorem facere volunt, * Anacreonem huic ſectæ præficiunt.

* Acronem Agrigentinum.

Multum tamen dißimilis fuit hæc factio ab his qui hodie Emperici vocantur, nam hi analphabeti quidem nebulones, ac circumforanei circulatores ſunt, nulla experientia præditi, ſed tantum duobus aut tribus remediis, at potius venenis inſtructi. Illi verò grauißimi erant philoſophi, qui in ſingulis morbis, ſua habebant remedia: & prius ſingulorum morborum concurrentia ſigna, ſyndromas, ſeu concurſus, appellabant: verùm naturæ in quas morbi incidunt, ac conditiones quæ corpora circumſcribunt, tam variæ ſunt, vt congeſta illa ſignorum ſeries, nihil perpetuum habeat. Rarißimus enim morbus eſt vbi hæc omnia vel ipſorum plurima, concurrant, & non vnum ex aliis omnibus aſſideat, quod reliqua confundere poßit. Ergo vulgari modo Cornelius Celſus arbitratus videtur, qui vtrique ſectæ aliquid indulget, & medium quoddam tenet, dum experientia medicinam inſtituit, ratione autem perficit. Nam contra maior pars ratione, minor autem ab experientia proficiſcitur: etenim ſimplicia experientia, ac ſæpe forte fortuna inuenta ſunt, tamen ratio ſola morbos eruit, axiomata ac medicorum præcepta digerit, & oſtendit: Quippe neque à ſimplicibus abſtinet, ſed hæc quoque in methodum refert. Quapropter recte in tertio Therapeutices, & multis aliis locis Galenus, rationem citra experientiam, quàm experientiã citra rationem præfert: nam vt alibi dicit, ad ſolas ſuppurationes experientia comprehendendas, mille annorum tempus non ſufficeret. Peßima tamen tertia ſecta eſt, quæ neutram tolerat, & ſi verum fateri velit, alia quàm empirica non eſt, niſi quòd multo ſit inartificioſior. Anceps tamen ratio ipſius autoris quæ methodicos à rationalibus ſeparat, vbi dicit, Si verò quod propius eſt, vix vlla perpetua præcepta ars medicinalis continet, idem ſunt quod ij quos ſola experientia ſuſtinet: Nam & rationales alios re vera inuoluere videtur, quoniam neque horum rationes perpetuæ ſunt, ſed plærumque tantum artificiales coniecturæ contingunt; ergo hanc redargutionem ad methodicos tantum referre licebit, qui ob eam fortè cauſam rationales dedignabantur, quia ratio perpetua ac ſtabilis non erat, atque ob eandem cauſam methodum ſuam tanquam magis perpetuam præferebant: ſed neque id iis obtigit. quare dum rationem nimis anguſtè finiunt, neque ſub rationali ſecta contineri, neque maiori iure ſibi nomen vſurpare methodicæ ſectæ poſſunt, ſed in empiricam nolentes incidunt: verùm etiam dum ſub lege perpetua ſint, nonne ob hæc empiricos vincunt? nequaquam. nam empiricis nihil adiiciunt, ſed particularia detrahunt, communibus contenti: ob gloriam tamen nouum nomen ſibi hæc hæreſis inſtituit, & methodica appellari voluit. Huius primus artifex Themiſon, princeps autem Theſſalus, quorum admodum breuis fuit methodus, quia nihil aliud quàm purgare aut aſtringere docebãt, ad quos mihi prope accedere videntur multi ex noſtris philoſophis, quibus per omnia hic vnus ordo eſt, vt primo minoratiuum aliquod ſolutiuum quod vocant exhibeant, ſecundò ſyrupum aliquem in tres aut quatuor vices partiuntur: hoc ſtatim medicamentum quod eradicatiuum appellant, excipit, qualiſcunque morbus fuerit, longus vel breuis: nam neq. morbi tempus animaduertunt, propterea, quocunque die occurrant, idem faciunt, & ſi forte quis diuerſos per annum integrum conſuluerit, eandem methodum

thodum inueniet: Propterea vir quidam neque malus neq. indoctus, iis qui rerum notis vtuntur comparauit, quoniam vtriq. suum perpetuo compendium ac formam seruant eandem: non tolerant tamen hanc toties repetitam tyrannidem morbi longi; & propterea quamuis ij à principio magis securi sunt, tamen fere plurimi illorum commoriuntur, quòd aduersis medicinis exasperantur: Atqui non est eadem omnibus fortuna, sed alia atque alia fama, quippe alios mores commendant, alios aurum, alium Græcæ, alium Latinæ linguæ peritia, alium loquacitas, alium cõtentio, alium ingenium, alium muliebris assentatio, alium ex vrina impostura, & mille alia, nam quod nondum diximus, plurimos promouet fastus annuli, longa peregrinatio, & bibliotheca varia, prout scilicet ægrorum varia sunt studia: etenim alius alio capitur. veruntamen omnes in hoc vno fere sunt, vt ventrem soluant, vel astringant, adeo atque alius quidam propter hos nescias breuius, an malignius medicinam definiuerit stercoris vnius adiectionem aut detractionem, & re vera horum methodus, longe quàm methodicorum (quos diximus) breuior: etenim hi fluorem atque astrictionem in singulis moliebantur partibus, illi verò tantum in ipso ventre, propterea quoque nostri breuius quàm illi euaserunt medici: nam methodicis iis sex saltem mensibus opus erat, nostris vero paucissimis diebus medicinam illis innasci, vel subito inspirari diceres, adeo subito fiunt medici, sine labore, sine ratione, nulla experientia instituti, sed tantum aliquot exemplaribus instructi, quibus quom variè abundant seplasiarij, de medicorum, eadem fortuna certant primatu, non tantum vulgo iudice, sed & doctis, & quod magis miraberis, illiteratæ mulieres quoque in his suam laudem sæpe obtinent, & quod hominibus sæpe imponit etiam philosophis, quos ratio non vindicat, temeritas adiuuat. Cum qua secta ego hos omnes conferam nescio: nam breuior videtur mihi prædictarum sectarum numerus, quàm vt aliquos ex ijs contineat, certe nisi forte cum Thessaliis illis asinis locum sibi compaciscantur, nullus superest. Credo vero quod neque hos Thessalus dignabitur, vt gratis admittat: atque inter reliquos philosophos vel empiricos, vel rationales nunquam non etiam precio locum inuenient. Non enim ille rationalis statim dicitur qui axioma aliquod pronunciare didicit, aut qui verbis aliquot, numquid contrarium contrario curetur, disceptare nouit, sed qui dialecticam, physicam speculationem, aut vniuersam rem medicam ad vnguem tenet: neque ob eam causam empiricus est, quia multa vidit, sed quia multa animaduertit, atque à se inuicem prompte discernit. Vide ergo quàm male huc confugiunt, qui quom rationibus parum valent, atque longe vincuntur, his contemptis experientiam multorum annorum iactant, & quasi reliquos omnes totis humeris supereminent: in singulis etenim citra rationem sibi tribui volunt, quorum experientia (si vera dicere fas est) cæcorum terroribus eadem est, qui varium perpetuo iter inierunt, sed dum viam baculo tentant, nunc huc nunc illuc oberrant, ita & iis, qui quotidie varia vident quidem, sed illorum rationem non tenent, imperitiores quotidie euadunt, atque nunc huc nunc illuc feruntur, tanquam hi qui sine remis velisque nauigant. certè pueris in platea ludentibus mihi videntur similes, dum velatis oculis de scopo aliquo certant: nam & ij quo frequentius à coætaneis prius circumducuntur, eo longius à scopo aberrant; verùm hoc statim dicere audies & rationales sese esse, sed omnium rationem non exquirere, neque ad medicinam exigi, satis esse generalibus quibusdam contentos esse. quorum responsio multo peior est, quàm ipsa criminatio; nam hoc verbo plane se methodicos ostendunt. Itaque nunc se magis produnt: nam in variis locis Galenus asserit multo securiores medicos esse qui sola experientia nituntur, quàm qui dilutam illis rationem adiiciunt, quippe ij optimam experientiam, sæpe diluta ratione confundunt, ac vitiant, ac multo præstiterit nulla quàm infirma ratione vti. Ac tantum de medicorum sectis: inter quos bonos non redarguimus, sed indoctos, vt ab

illis discat

illis discat cauere vulgus, prodimus. Superest vt Cæsario scrupulum eximamus: qui non citra suspicionem, locum illum in fine legit: Nam famem facilius fert adulescens, quàm puer; facilius in denso cœlo quàm in tenui. *quasi secunda hæc pars cum aliis Hippocratis locis pugnaret. Rèuera autem nulla est controuersia: quoniam licet plus alimenti feratur sub denso cœlo, quàm tenui; tamen diutius differri potest. Exemplum exhibet hyems respectu æstatis. quod ipse quoque præscripsit: quippe in hyeme cœlum densius, in æstate tenuius; & tamen hic quàm ibi ieiunium egregiùs fertur. ferè enim sub eadem constitutione alimenti copia affatim exhibita admittitur, vbi ieiunium difficilè toleratur. Magis suspectus est mihi locus qui præcessit, vbi dicitur:* Itaque ista quoque naturæ rerum contemplatio, quamuis non faciat medicum aptiorem, tamen medicinæ reddit profectum. *Cuius loco ego legere malim;* tamen medicum reddit perfectum. *Fortè autem hæc castigatio minùs tibi arridebit; quo magis cum priore parte dissidet: nam sine aptiorem quidem faciat, quomodo perfectiorem reddet? Verùm hac ratione non est quod reformides: quippe quum quod sequitur eandem habeat controuersiam; vbi legitur:* non ideo quidem medicos fuisse, sed maiores medicos extitisse. *quod idem est, ac si dicas, Medicos perfectiores: ita vtrunque cum eo quod prius aptiores negauit, ex æquo pugnat. Quare quispiam arbitrabitur illum rerum differentias omisisse, quum in verbis luxuriaretur.*

Malim tamē salua pace D. Hieremiæ priorē Celsi lectionē seruare. Alij sic hic legunt: *Quamuis non faciat medicū, aptiorem tamen medicinæ reddit, atque perfectum.*

Reuerà autem ista ipse ex professo scripsit, quia ad artem propriè nihil istorum pertinere dixit, sed ad exercendum artificis ingenium. Neque est quod hìc illi excusationem aliquam quæramus, qui tantillum à rationabili secta tanquam scrupulosa recessit, & medium quoddam inter vtranque sectam elegit: & experientia quidem medicamina instituit; ratione autem perfecit. quæ si ad inuentionem medicinæ referas, vera sunt: è contrario verò, nunc in medio res se habet, quo primum ratione singulorum instrui debet, experientia perficitur. Nam, vt alibi (præsertim autem libro de Crisibus) dixit Galenus, prinsquam quis omnia quæ scripta sunt diligenter didicerit, nihil ægrotos intuendo proficiet. Et in tertio Therapeutices, solam rationem soli experientiæ præfert. Et iterum in quinto De sanitate tuenda vsum quantumuis longum sine ratione nihil posse efficere perhibet. Rationem alibi citra experientiam non item formidat: nam is putat ferè nihilo secius ex suis libris, quàm euidentibus operibus, instrui experientiam; ita, ipso dicente, in omnibus his nos quasi manu duxit. Vnus adhuc superest locus, qui Hippocratem fortè vitiat. Is autem in principio ferè scribitur; vbi ex Hippocrate omnium malorum causam spiritum reddit. nam contrà Hippocrates, primus ordinem elementorum ostendit; atque ex horum præparatione vel bene vel malè affici demonstrauit. verumtamen spiritum subinde his malis occasionem præstare, in libello De flatibus dixit: atque hoc est quod Celsus noster parùm feliciter accepit.

CAPVT I.

Quemadmodum sanos agere conueniat.

SANVS homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet: ac neque medico, neque *iatralipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modò ruri esse, modò in vrbe: sæpiusque in agro, nauigare, venari,

* *Reunctores videtur transferre Plinius lib. 29. cap. 1.*

venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longã adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti: modò vngi, modò idipſum negligere: nullũ cibi genus fugere, quo populus vtatur: interdum in conuiuio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere: modò plus iuſto, modò non amplius aſſumere: bis die potiùs, quàm ſemel cibum capere: & ſemper quàm plurimum, dummodo hunc concoquat. Sed vt huius generis exercitationes, cibique neceſſarij ſunt, ſic athletici ſuperuacui. Nam & intermiſſus propter ciuiles aliquas neceſſitates ordo exercitationis corpus affligit: & ea corpora, quæ more eorum repleta ſunt, celerrimè & ſeneſcunt, & ægrotant. Concubitus verò neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus, corpus excitat, frequens * ſoluit. Cùm autem frequens, non numero ſit, ſed natura, ratione ætatis & corporis ſcire licet, eum non inutilem eſſe, quem corporis neque languor, neque dolor ſequitur. Idem interdiu peior eſt, noctu tutior: ita tamen, ſi neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor ſtatim ſequitur. Hæc firmis ſeruanda ſunt, cauendumque ne in ſecunda valetudine, aduerſæ præſidia conſumantur.

* reſoluit.

Paulus Ægineta li. 1. ca. 37. Frequẽs concubitus, corpus rarius, frigidius, & imbecillius reddit.

COMMENTARIA.

SANVS *homo nullis ſe debet obligare legibus: ſed, vt* Hippocrates *inquit, aliquando ad inſueta permutare, propter fortunas (commentante* Galeno*) quæ nobis inuitis imminent: &, vt* Celſus *noſter in tertio capite dicit, quia poteſt incidere laboris neceſſitas; non autem laboris tantùm, ſed & multorum aliorum.* Ne *ergo ex inſperato nos afficiant, oportet illorum vnumquodque priùs in libertate tentare: lubrica enim eſt rerum humanarum conditio.* Huc *quidem* Galenus *putat reſpexiſſe* Hippocratem*: ego verò & hunc &* Celſum *generalius aliquid cenſuiſſe arbitror.* Nam *tametſi nobis ſemper æqua, libera verò atque luculenta vitæ poßit contingere conditio; indicarem ego moleſtum ſanitati noſtræ idem perpetuò vitæ genus: natura enim noſtra non vno ſed pluribus eſt conſtituta elementis; vnde quandam mediocritatem obtinet. vni autem viuendi generi, non niſi vnum dominatur elementum: quare periculum eſt, ne vitæ ſimilitudo plus ſatis hoc ipſum elementum vltra alia efferat, ac mediocritatem corporis noſtri tollat.* Non *ergo voluptas in varietate tantùm eſt ſita, vt vulgò dicitur; ſed & ſanitas.* Oportet *autem hanc varietatem & in aliis captare, non tantùm in cibo ac potu. nam aër nihilo minus corpus noſtrum immutat, quàm vtrumuis illorum.*

Igitur tametſi peſtilens aër aut aliter corruptus nunquam non ſit fugiendus: tamen non ſemper ruſticum, ſed & urbanum ſubire ſalubre eſt. etenim hic craſſus, ille verò tenuis, atque vterque ſuo more corpus afficit. Quapropter ne ex altero illorum periculum impendeat; inuicem nunc hunc, nunc illum, magis autem ruſticum eligere oportet. Sic interdum bis, interdum ſemel comedere, aliquando ientari, aliquando omittere, tum propter alia, tum vt defectus ſi quis antè fuit reponatur: & præterea è contrario, ſi quæ fuit cruditas, abſtinentiâ emendetur; vt etiam importunitatẽ ægritudinis, (cuius paroxyſmus aliquando manè cibum, aliquando in prandio, interim in cena reformidat, amátue) præuideas, ac cibum vt morbus exigit, quocunque tempore meliùs ferat. Nam ſi quis per ſanitatem præter conſuetudinem ientaculum non ferat; quomodo id ipſum in morbo tolerabit? Semper tamen, inquit, quamplurimũ cibum prodeſt ſumere, dummodo hunc concoquat: quoniam minor eſt error plenitudinis, quàm parcimoniæ. quippe, quod vulgo dicitur, Natura paucis contenta eſt, vt & id ipſum veriſſimum eſt; ita dumtaxat quod vltra vires concoctricis eſt, redarguit. Eò ſpectat quod ab Hippocrate dicitur, Veſci citra ſaturitatem, ſeruare ſemen genitale, atque impigrum eſſe ad laborem, eſſe ex maximè ſalubribus. Sic & intelligitur id quod poſtea ab auctore noſtro dicitur, vbi ad cibum ventum eſt, nunquam eſt vtilis nimia ſatietas. Atque hæc de viciſſitudine cibi ipſius. Neque minus exercitium ipſum variare oportet, vt nulla ſit pars quæ relinquatur otioſa. Veruntamen athletica illa atque violenta exercitia non laudat. Redarguit verò eadem ante hunc Hippocrates. de quibus quia in primo Aphoriſmorum libro diximus, nunc ſuperſedemus. Eandem mediocritatem & in Venere obſeruare oportet: non enim minima ſunt accidentia, quæ retentum ſemen ſequuntur; quippe calor naturalis, ab illius copia facilè ſtrangulatur: quamuis is qui breuiter ratiocinatur, non libenter iſta ſemini tanquam calido accepta ferret. Quæ verò incommoda ſequantur profuſam Venerem, quotidiana oſtendit experientia, podagra, cheiragra, atque vniuerſum genus malorum, præſertim articulorum: quippe ſpiritus in ipſa fruſtrà it, in quo plurima vitæ noſtræ portio, ac ferè tota eſt. atque alius quidem magis, alius minùs Venerem tolerat: verùm quam mens rectior, ſomnus iocundior, atque appetitus melior inſequitur, generatim bona eſt; quemadmodum contrà mala, quam dolor capitis euidens excipit, corporis mollicies, aut flaccidus aliquis languor: nam hæc plus ſatis ſpirituum detrimentum conſequuntur. multis etiam melius fertur à primo ſomno ac noctu, quàm interdiu ab ipſa vigilia. ſpiritus ſatis magnam patitur iacturam, tametſi ex Venere nõ accedit ſecunda. A primo autem ſomno, vt cruditatis ferè in ventre nullum eſt periculum; ita ſi quæ ſubſit laſſitudo, per ſequentẽ ſomnum recreatur. nam ſi Venerem à ſomno ſtatim labor accipiat, nihil melior eſt, quàm quæ interdiu admittitur; ſed quam cibus ſtatim ſequitur: quantum enim ſpiritus cibo ſtatim recreantur, proportio oſtendit corporis, ſi idem à cibo, & ante cibum expendas. Sed vel citra hoc, omnes ſentientibus nobis, à cibo ſimus leniores. Benè ergo ſe habet ſenis Hippocratis oratio atque ordo: Labor, cibus, potus, ſomnus, Venus; omnia mediocria. Secundum hunc ordinem, ſi ſuam narrationem digeſſiſſet noſter Cornelius, paulo fuiſſet breuior, atque clarior. Huiuſmodi ergo obſeruatio integris atque firmis corporibus ſatis eſt. neque enim medico æger, neq. cheirurgo quem fortè aliptam vocant: nam contrà nihil magis cauendum, quàm vt præſidia aduerſæ valetudinis, magna ſcilicet illa auxilia purgatio & phlebotomia, conſumantur. in proſpera etenim corpus colliquant, atque effæminant, non autem firmant: quamuis hodie quibuſdam aliter videtur non ſine maximo hominũ detrimento. Meliùs vulgares ſentire dices, qui per ſanitatẽ phlebotomiã cauent; vt tẽpore ægritudinis (ita enim illos audies dicere) admiſſa præſentiùs cõferat ad quorũ fortè opinionẽ, licet vulgarẽ, nũc alluſit Celſus.

CAPVT

CAPVT II.

Quæ stomacho imbecilli seruanda sint.

At imbecillis stomacho (quo in numero magna pars vrbanorum, omnesque penè cupidi litterarum sunt) obseruatio maior necessaria est: vt quod vel corporis, vel loci, vel studij ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur qui bene concoxit, manè tutò surget: qui parum, quiescere debet: & si manè surgendi necessitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotio credere. Qui crudum sine præcordiorum dolore ructat, is ex interuallo aquam frigidam bibere, & se nihilominus continere. Habitare verò ædificio lucido, * per flatum æstiuum hibernum solem habente, cauere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus, itemque auras fluminum, atque stagnorum, minimeque nubilo cælo, soli aperienti se committere, ne modò frigus, modò calor moueat. Quæ res maximè grauedines, distillationesque concitat. Magis verò grauibus locis ista seruanda sunt, in quibus etiam pestilentiam faciunt. Scire autem licet, integrum corpus esse, cùm quotidie manè vrina alba, dein rufa est. Illud concoquere, hoc concoxisse significat. Vbi experrectus est aliquis, paulū intermittere, deinde (nisi hiems est) fouere os multa aqua frigida debet, longis diebus meridiari potius ante cibum, sin minus, post eum: per hiemem potissimum totis noctibus conquiescere. Sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem. Quem interdiu vel domestica, vel ciuilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod seruandum curationi corporis sui est. Prima autem eius curatio exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laborauit, & bene concoxit, amplior: in eo, qui fatigatus est, & minus concoxit, remissior. Commodè verò exercent, clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio, atque hæc non vtique plana commodior est. Siquidem melius ascensus quoque & descensus cum quadam varietate

*perflato, æst. hibernumque

Exercitatio.

In sole, si caret vento, ambulat nudus Plin lib 3. epist: pri.

corpus *moueat, nisi tamen id perquàm imbecillum est. Melior autem est sub diuo, quàm in porticu: melior (si caput patitur) in sole, quàm in vmbra: melior in vmbra, quàm parietes, aut viridaria efficiunt, quàm quæ tecto subest: melior recta, quàm flexuosa. Exercitationis autem plerunque finis esse debet sudor, aut certè lassitudo, quæ citra fatigationem sit, idque ipsum, modò minus, modò magis faciendum est. Ac ne his quidem Athletarum exemplo, vel certa esse lex, vel immodicus esse labor debet. Exercitationem rectè sequitur, modò vnctio, vel in sole, vel ad ignem; modò balneum, sed in conclaui quàm maximè & alto, & lucido, & spatioso. Ex his verò neutrum *sæpe fieri oportet, sed sæpius alterutrum pro corporis natura. Post hæc paulum conquiescere opus est. Vbi ad cibum ventum est, nunquam vtilis est nimia satietas. Sæpe etiam inutilis nimia abstinentia. Sæpe si qua intemperantia subest, *durior est in potione, quàm in esca. Cibus à salsamentis, oleribus, similibusque rebus meliùs incipit. Tum caro assumenda est, quæ assa optima, aut elixa est. Condita omnia duabus de caussis inutilia sunt, quoniã & plus propter dulcedinem assumitur, & quod *modò par est, tamen ægrius concoquitur. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas pomaque & similia meliùs primo cibo assumit. Post multas potiones, quæ aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est; post satietatem, nihil agendum. Vbi expletus est aliquis, faciliùs concoquit, si quicquid assumpsit potione aquæ frigidæ includit, tum paulisper inuigilat, deinde bene dormit. Si quis interdiu se impleuit, post cibum neque frigori, neque æstui, neq. labori se debet committere. Neque enim tam facilè hæc inani corpore quàm repleto nocent. Si quibus de caussis futura inedia est, labor omnis vitandus est.

Lassitudo est grauitas corporis. Virgil. Lassove papauera collo quæ etiam citra laborẽ accidit. Fatigationem verò nimietatẽ laboris intelligimus. idem: Veloces iaculo ceruos cursuq; fatigat. quod mox immo dicũ laborem appellauit. Verũ de generibus lassitudinis legendus est lib. 3. Galeni de Sanitate tuenda.

*mouet, *semper *tutior *Cibus* *modò paruum

COMMENTARIA.

PRÆSTITERAT quæ hîc de medicatione stomachi dicit, ad octauum caput transferre, quoniam hæc extra primam rationem salubrem est contemplatio: nihilo seciùs fortaßis, quia & iis qui stomacho laborant, atque aliis qui citra querelam sani sunt, eadem somni ratio congruit, cũ iis illos simul perstrinxit. etenim hactenus omni-

bus

bus dormiendum eſt, donec perfecta fuerit in ventre concoctio: nam ea quæ in hepate fit, non ita admodùm multum ſomnum requirit; ferè autem prima concoctio ſpatio ſeptem horarum perficitur. Itaque non temerè, ſed & eadem ratione, licet pauci ſciant, in mediocri natura ſomnus mediocris tot horarum expenditur. Quòd ſi vltrà differatur concoctio; & ſomnum ampliùs promouere oportet: neque ad hoc tu multùm ſtudere debes, nam vel vltro ferè longitudo ſomni diuturnitatem concoctionis imitatur. etenim non antè ferè vapor in cerebro diſcutitur, qui vigilias moratur; quàm concoctio in ſtomacho perfecta fuerit. Quòd ſi non ſatis ex ſomno victus concoctionem aſſequatur (vt ex ructibus eſt deprehendere;) aquam frigidam bibere quidem debēt; modò leuius tantùm malum ſit, ac ſine dolore. iam nunc contractum etenim frigida ſtomachum indenſat, ac calorem naturalem congregat, vt poſtmodum dicemus. Neque iam obambulandum eſt, etiamſi nullum ſomnum ſperes: ſed ſaltem quieſcendum, quia motus omnis concoctionem diſtrahit; de quo inferiùs. nam nunc fortè magis quiſpiam requiret cauſam, cur (aſſerente in principio Celſo) ſtudioſi literarum ſtomacho minùs valeant. non enim ex ſtudiis tantùm hoc illis accidit; ſed felicioribus ingeniis innatum eſt: quia hæc ſpiritus ſubtilitate gaudent; quæ cum corporis robore raò coniungitur.

Habitare verò ædificio, &c.

TAMETSI ab hoc in illum aërē, atq. è conuerſo, aliquando tranſeundum ſit; tamen magna ex parte, aër perlucidus atque purus captandus eſt atque hæc definitio in omni varietate audienda eſt. Ergo domicilium tam hieme quàm æſtate ab ipſo ſole bene diſſlabile habere oportet. Quia autem omnis exceſſus cauendus eſt, meridianus in æſtate ſol; veſpertinum ac matutinum frigus in hieme formidandum eſt. quoniam vnumquodque iſtorum excellenter corpus afficit: &, quod magis miraberis, etiam aër cui flumina (paludes enim & ſtagna volens omitto) ſubiacent, inidoneus eſt. grauiſſimus tamen, qui inæqualis (modò frigidus, modò calidus) eſt; nam hic propemodùm peſtilens eſt, ſi diutiùs duret: nec tamen quantumcunq. diurnus ſit, diſcrimine vacat; quoniam diſtillationes ſiue catarrhos promptiſſimè mouet. caliditas enim attrahit; frigiditas exprimit. Itaquè minimè ſe cōmittere oportet ſoli ſeſe aperienti per nubilum cœlum: quoniam in huiuſmodi conſtitutione maximè prædicta inæqualitas deprehenditur.

Vbi experrectus eſt aliquis.

MIRABITVR quiſpiā fortaſſe cur æſtate (nam hiemem excipit) aqua frigida os fouere moneat: nam, vt nequam aliquis conuitiabitur, tantùm ad ablutionem, (quemadmodum Quintus ille dicebat de calido) ſpectare videtur. Re verâ autem plurimum confert corroborando vniuerſo cerebro, atque deinceps cunctis ſenſibus; dum ſpiritus, quibus animales operationes obeuntur, cogit atq. in vnum cōtrahit. vnde & oculis præſentiſſimum remedium putauit Ægineta, illos manè aqua frigida imbuere. Nimis autem noſter Celſus indulgens eſt, dum meridianum in æſtate concedit; nam niſi nocturnus ſomnus iuſto breuior fuerit, omnino admittendus non eſt. nec fortè ſimpliciter conſulit, ſed potiùs ante cibum quàm poſt cibum admittit, ſi qui ſint qui alterum pertinaciter facere velit. Habet autem id ex Hippocrate, vt multa alia. quanquam tu mirari non deſines, quum potiùs poſt cibum, quàm ante illum, natura prima ſomnum inſtituiſſe videtur; niſi longè noſtra ab illa diſceſſerit, aut degenerauerit: nam pauci ante cibum, multi verò poſt ipſum vltro dormituriunt. Re vera tamen tam breui ſomno cibus potiùs corrumpitur, quàm concoquitur; ante illum forſan defectum reſtituit, & corpus tantùm leuiter infrigidat & humectat: idque non ſemel in hoc libro. ſed pluries ſomnum à cibo redarguit; nouiſſimè autem in peſte. Nec ſecus, cum Hippocrate, in libro De victu priuatorum, exercitium à cibo reformidat. Cui quid reſpondebunt neſcio, qui exercitium concoctioni conferre dicunt; atque ob id prandium quàm liberaliſ-

simum accipiunt. bis etenim peccant: & quòd plenius prandium quàm cœnam describunt; & secundò quòd motum permittunt. Dicit enim præsens autor, ne lucubrandum quidem esse ante cōcoctionem: non enim contemnendum est literarum studium; nam cerebrum atque spiritus maximè ad se rapit, atque exercet, quos melius erat ad concoctionem concurrere. Nunquid ergo à meridie perpetuò feriandum est? nequaquam. sed more antiquorum philosophorum, qui non nisi mel ex pane lingebant, in prandio leuissimum aliquod gustandum est, quod non multam concoctionem desideret: reliquum facilè cœna supplebit. in qua si quid peccatum fuerit, citra distractionem negociorum nostrorum facilè somnus emendabit. Quod autem in habitu corporis relictum est; hoc promptè matutina disiiciet exercitatio, balneum, frictio: in quibus antiqui totam ferè cutis curationem collocauerunt; à quibus nos duntaxat prouerbium ad ventrem accommodamus. Quousque autem exercitium fieri debeat, contendunt adhuc neoterici. quidam vsque ad lassitudinem; quidam citra fieri volunt. Qui si nostrum autorem, potiùs quàm barbaros, amassent, nunquam in ea re tam diu hæsissent. nam is paucissimis verbis tantam absoluit disputationem; dicens: Exercitationis autem plerunque finis esse debet sudor, aut certè lassitudo, quæ citra defatigationem sit. Quippe lassitudo spiritum nonnihil exoluit, fatigatio etiam plus satis corpus incalfacit & exiccat. Et tamen Galenus in libro De sanitate tuenda, lassitudinem cauet. Verùm hæc de nomine tantùm est controuersia; Galeno, aut potiùs eius interprete, lassitudinem reddente quod Celsus fatigationem appellat. Quod quum neoterici non intelligant, de rebus etiam dubitare cœperunt. sed hæc latiùs in secundo Aphorismorum. Diligens autem fuit noster Latinus Hippocrates: qui non tantùm discrimina exercitationis scripsit; sed ipsius aëris quoque, sub quo exercendum voluit. Vnum omnium eorum caput est, vt sit aër maximè illustris: nā & qui in viridariis est, magis difflatur, quàm qui in porticu est. Solem tamen meridianum, ac omnem aërem feruentem vitare oportet.

Vbi ad cibum ventum est.

NVNQVAM per se vtilis nimia satietas: nisi scilicet vomitu corpus expurgare velis; de quo postea. nam & hic fortè melius aliis quibusdam prouocantibus, quàm ebrietate, prouocatur aut crapula. Pauci verò intellexerunt quod sequitur. neque enim dubium est, quin immodica quantitas cibi molestior sit corpori quàm potus. Nam eò alludit quod vulgo dicitur, Omnis repletio mala; panis autem pessima. Atque hactenus illud verum est: non tamen ex omni parte, vt pòst dicemus. &, si quàm verissimum esset, non tamen hunc locum redarguit: quia Celsus qualitatem, non autem quantitatem, potus ac cibi inter sese æstimauit. dubium enim non est, quin in potu peior sit intemperies, quàm in cibo: quippe intemperamenta cibi stomachus ferè retundit; quoniam primò illorum fert iniurias, dum diutius in eo morantur. At potus facillimè è ventre fluctuat, atque internis visceribus qualitas illius sese promptè insinuat; etiam cordi: quod nisi patiatur, vita non interit. Exemplo Socrates est, qui tum primùm mortem sensit, quum, eo dicente, vis cicutæ ad cor peruenit. Hac ferè ratione, (& quod quidam perhibent) vinum lymphatum promptiùs infrigidat, quàm ipsa aqua.

Cibus à salsamentis, oleribus.

PRIMAM partem mensæ sibi vendicant quæ ventrem mouent. Talia sunt, iusculа salsa, & pinguia. neque enim iis hactenus credere oportet, qui exhibituri iusculum aliquod ad emolliendum ventrem, insulsum ac macilentum propinant. Ferendi erant neoterici, si hac ratione & carnes salsas apponerent, & cereuisiam. Verùm dum illarum cruditatem timent, dum vini caliditatem formidant; nostram excusationem adimunt. Et re verâ, prout hodie assumuntur salsamenta illa rudia ac cereuisia, meliùs in finem referuntur. quemadmodū & aqua. Quòd

autem

autem Cornelius Celſus per ſalſamenta potiùs colymbades & ſimilia intellexit, quæ antiquis ad primam veniebant menſam; ex eo aſtruitur quod poſt hæc dicit: Tum caro aſſumenda eſt quæ aſſa optima aut elixa eſt: nam ficta exuccis eſt. Elixa autem aſſumetur à ſiccis; aſſa ab humidis: quòd elixa multo humidior ſit. non enim eos amplius audire oportet, qui dicunt aſſa ſucco interno; elixa magis externo ſucculenta. Quorſum enim iis ambagibus vti oportet, quum elixa abſolutè multo meliùs humectent, vt patet ex Hippocrate de victu idiotarum. Condîta antiqui medici ferè nominare ſolebant, quæ vulgo Hippocratica appellant. nunc verò condita, hoc eſt carnes conditas variis aromatibus, damnat. ac poſt illum de ſanitate tuenda redarguit Galenus: non ſolùm quia auidiùs aſſumuntur; ſed quia, vt noſter Celſus dicit, etiam difficiliùs concoquuntur. Nam & hoc atteſtatur Galenus, quòd ægriùs multo huiuſmodi concoquuntur aromata, quàm ipſa caro: quoniam rudis ferè eſt horum ſubſtantia, quæ plus negotij ipſa carne exhibet: ſicut & omnis alia herba etiam calida. quamquam rudis aliquis hæc, & ſimilia ad carnium concoctionē multum momenti habere putet. Atque hæ ſunt duæ partes primæ menſæ: ſecundam, quæ ex bellariis & (vt appâret) tempore auctoris, non ſecus quàm noſtro, ex fructibus & pomis fieri ſolet, meritò redarguit: nam niſi fortunatum ſtomachum inuenerint, quædam aceſcunt, alia etiam vileſcunt. Itaque & quiuis alius, & præſertim qui malè ſolido ſtomacho præditus eſt, potiùs ea ad primam menſam referet: nam & ibi quidem commoditatem quandam obtinent: & dum ventrem mouent, nihil illorum dulcedinem in parua quantitate veriti, quod multi hodie ſuperſtitiosè formidant. Committitur autem & alius in fine error ab iis qui de poculis certant: nam veriti ne copia vini illis officiat, ſtudio etiam caſeum adiiciunt; quaſi hoc modo illius exceſſum temperent. at contrà bis delinquunt, atq. dupliciter naturam affligunt: hoc eſt quod dicit, poſt multas potiones edendum non eſt: nam cibus hic in ventre fluctuabit, nihil priori peccato conferens. Neq. poſt multum cibum aliud ſuperbibere expedit: niſi fortè aut aquam frigidam, aut cereuiſiam adbibas; nam nihil ſegniùs quàm caſeus, aut aliquid aſtringens, ſtomachum roborat: adducitq; non minimum ad concoctionem, atque ſomnum momentum. Nam ſtomachum cibum complecti eſt neceſſarium, ſi modò bene concocturus ſit. ſed neque tam multus vapor ad caput fertur, dum totus cibus frigida includitur. Quantum autem is vapor ſomnum aliquando interturbet, pueri exemplo ſunt; qui ratione illius ſæpe excitantur atque turbantur inſomniis. nam & viri multi hac ratione à potu vini & breuiùs dormiunt & inſaniunt. Rectè ergo & conſentaneè cum Galeno alibi à noſtro auctore idipſum dictum eſt, quòd totum quod aſſumptum eſt, frigida potione includere ſalubre eſt.

Si quis interdiu ſe impleuit.

QVAM difficilè feratur immodicū prandium, ex hoc loco manifeſtum eſt; vbi inquit poſt ſatietatem nihil agendum. Durior tamen ſermo appâret quem ſubiicit: Neque enim tam facilè hæc inani quàm repleto nocent corpori: nam corpus pleno ventre meliùs videtur perferre frigus, quàm inani. Igitur per inane corpus moderatum intelligere oportet, ac mediocre: quod reſpectu eius, quod admodum repletum eſt, inane dicitur. qualem in aliis commentationem & Galenus aliquando in Hippocrate exquirit. Mihi autem melius apparet audire ipſum ſermonem ſimpliciter. non enim (quamuis alius putet) per immodicum alimentum quod concoqui non niſi longo tempore poteſt, natura ab iniuriis frigoris protegitur; ſed aliqua ex parte ſtrangulatur: quapropter eo tempore inediam meliùs ferret; nam hæc nulla ex parte calorem ſuffocat. Optimum autem ſub huiuſmodi frigore mediocria eſſe: nam ex iis natura non opprimitur, ſed ſpiritus recreatur non minimùm, caloris natiui habitaculum. Quòd autem labor potiùs pleno quàm inanito noceat, antè ſæpe dictum eſt.

De

est. De æſtu quoque cum frigore, eadem eſt ratio. natura enim leuiùs vnum, quàm duo, tolerat incommoda. eâdem ratione labor prohibetur ſub inedia. Nec pugnant hæc cum priori ſententia: nam aliud eſt inanitum eſſe, ac fortè ieiunum; aliud longa laborare inedia. Accepit autem Celſus hanc mutuò ab Hippocrate ſententiam, Vbi fames laborandum non eſt. quam quia in ſecundo Aphoriſmorũ multis illuſtrauimus, nunc omittimus.

CAPVT III.

Obſeruationes quædam prout res nouæ accidunt, & prout corporum genera, & ſexus, & ætates, & tempora anni ſunt.

ATQVE hæc quidem pænè perpetua ſunt. Quaſdam autem obſeruationes deſiderant & nouæ res, & corporum genera, & ſexus, & ætates, & tempora anni. Nam neque ex ſalubri loco in grauem, neque ex graui in ſalubrem tranſitus ſatis tutus eſt. Ex ſalubri in grauem prima hieme: ex graui in eum, qui ſalubris eſt, prima æſtate tranſire melius eſt. Neque verò ex multa fame, nimia ſatietas: neque ex nimia ſatietate, fames idonea eſt. Periclitaturque & qui ſemel, & qui bis die cibum incontinenter, contra conſuetudinem aſſumit. Item neq. ex nimio labore ſubitum ocium, neque ex nimio ocio ſubitus labor ſine graui noxa eſt. Ergo cùm quis mutare aliquid volet, paulatim debebit aſſueſcere. Omnem etiam laborem faciliùs, vel puer, vel ſenex, quàm inſuetus homo ſuſtinet. Atque ideo quoque nimis otioſa vita vtilis non eſt, quia poteſt incidere laboris neceſſitas. Si quando tamen inſuetus aliquis laborauit, aut multo plus quàm ſolet, etiam is qui aſſueuit, huic ieiuno dormiendum eſt, multo magis, ſi etiam os amarum eſt, vel oculi caligant, aut venter perturbatur. Tum enim non dormiendum tantummodo ieiuno eſt, ſed etiam in poſterum diem permanendum, niſi citò id quies ſuſtulit. Quod ſi factum eſt, ſurgere oportet, & lentè paululum ambulare. At ſi ſomni neceſſitas non fuit, quia modicè magis aliquis laborauit, tamen ingredi * aliquid eodem modo debet. Communia deinde omnibus ſunt poſt fatigationem cibum ſumpturis, vbi paulum

Puer.
Senex.
Homo.

qa pot. accidere laboris necessitas, vel quia pot. incidere etc legendu puto.

* aliquantum

lum deambulauerunt, si balneum non est, calido loco, vel in sole, vel ad ignem vngi, atque sudare: si est, ante omnia in tepidario residere, deinde vbi paulum conquieuerunt, intrare, & descendere in solium, tum multo oleo vngi, leniterque perfricari, interdum in solium descendere. Post hæc os aqua calida fouere, deinde frigida. Balneum his feruens idoneum non est. Ergo si nimium alicui fatigato pænè febris est, huic abunde est loco tepido demittere se inguinibus tenus in aquam calidam, cui paulum olei adiectum sit: deinde totum quidem corpus, maximè tamen eas partes, quæ in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo, cui vinum, & paulum contriti salis sit adiectum. Post hæc, omnibus fatigatis, aptum est cibum sumere, eoque humido vti: aqua, vel certè diluta potione esse contentos, maximeque ea quæ moueat vrinam. Illud quoque nosse oportet, quòd ex labore sudanti, frigida potio perniciosissima est, atque etiam (cùm sudor se remisit) itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Asclepiades inutilem eam iudicauit. Quod in his verum est, quibus aluus facilè, nec tutò resoluitur, quique facilè inhorrescunt. Perpetuum in omnibus non est, cùm potiùs naturale sit, potione æstuantem stomachum refrigerari, frigentem calefieri. Quod ita præcipio, vt tamen fatear, ne ex hac quidem caussa sudanti adhuc* frigidum bibendum esse. Solet etiam prodesse, post varium cibum, frequentesque dilutas potiones, vomitus, & postero die longa quies, deinde modica exercitatio. Si assidua fatigatio vrget, in vicem modò aqua, modò vinũ bibendum est, raroq. balneo vtendum. Leuatq. lassitudinem etiam laboris mutatio, eumque quem nouum genus * eiusdem laboris pressit (id quod in consuetudine est) reficit. Fatigato quotidianum cubile tutissimum est, insolitum contrà lassat. Quod enim contra consuetudinem est, nocet, seu molle, seu durum est. Propriè quædam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur: hunc reficit in ipso quoque itinere frequens frictio, post iter, primùm sedile, deinde vnctio, tum calida aqua in balneo magis superiores partes, quàm inferiores foueat. Si quis verò exustus in sole est, huic

* frigidam bibendam esse.

*cuiusdam

in balneum protinus eundum eſt, perfundendumque oleo corpus & caput, deinde in ſolium bene calidum deſcendendum eſt, tum multa aqua* per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. At *ei qui perfrixit, opus eſt balneo primùm inuoluto ſedere donec inſudet, tum vngi, deinde lauari, cibum modicum, deinde potiones meracas aſſumere. Is verò qui nauigabit, & nauſea preſſus eſt, ſi multam bilem euomuit, vel abſtinere cibo debet, vel paululum aliquid aſſumere. Si pituitam acidam effudit, vtique ſumere cibum, ſed aſſueto leuiorem: ſi ſine vomitu nauſea fuit, vel abſtinere, vel poſt cibum vomere. Qui verò toto die, vel in vehiculo, vel in ſpectaculis ſedit, huic nihil currendum, ſed lentè ambulandum eſt. Lenta quoque in balneo mora, dein cœna exigua prodeſſe conſueuerunt. Si quis in balneo æſtuat, reficit hunc ore exceptum, & in eo retentum acetum. Si id non eſt, eodem modo frigida aqua aſſumpta. Ante omnia autem norit quiſque naturam ſui corporis: quoniam alij graciles, alij obeſi ſunt, alij calidi, alij frigidiores, alij humidi, alij ſicci, alios aſtricta, alios reſoluta aluus exercet. Rarò quiſquam, non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis verò homo implere ſe debet, plenus extenuare: calidus refrigerare, frigidus calefacere: madens ſiccare, ſiccus madefacere: itemque aluum firmare is, cui fuſa; ſoluere is, cui aſtricta eſt. Succurrendumque ſemper parti maximè laboranti eſt. Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, vnctio: & ſi poſt prandium eſt balneum, contracta aluus, modicum frigus hieme, ſomnus & plenus & non nimis longus, molle cubile, animi ſecuritas, aſſumpta per cibos & potiones maximè dulcia & pinguia, cibus & frequentior, & quantus pleniſſimus poteſt concoqui. Extenuat corpus aqua calida, ſi quis in eam deſcendit, magiſque ſi ſalſa eſt, in ieiunio balneum, inurens ſol, & omnis calor, cura, vigilia, ſomnus nimium vel breuis, vel longus, lectus per æſtatem terra, hieme durum cubile, curſus, multa ambulatio, omniſque vehemens exercitatio, vomitus, deiectio, acidæ res & auſteræ, & ſemel die aſſumptæ epulæ, & vini non perfrigidi potio ieiuno in conſuetudi-

* ſuper
* eũ q. p. o. e. in b. p. inuolutum

ſuetudinem adducta. Cùm verò inter extenuantia poſuerim vomitum, & deiectionem, de his quoque propria quædam dicenda ſunt. *Eiectum eſſe ab Aſclepiade vomitum in eo volumine, quod De tuenda ſanitate compoſuit, video, neque reprehendo, ſi offenſus eorum eſt conſuetudine, qui quotidie eiiciendo vorandi facultatem moliuntur. Paulò etiam longius proceſſit. Idem purgationes quoque eodem volumine expulit. Et ſunt hæ pernicioſæ, ſi nimis valentibus medicamentis fiunt. Sub hæc tamen ſubmouenda eſſe non eſt perpetuum, quia corporum temporumque ratio poteſt ea facere neceſſaria, dum & modo, & non niſi cùm opus eſt, adhibeantur. Ergo ille quoque ipſe, ſi quid iam corruptum eſſet, expelli debere confeſſus eſt. Ita non ex toto res condemnanda eſt. Sed eſſe eius etiam plures cauſſæ poſſunt, eſtque in ea quædam paulo ſubtilior obſeruatio adhibenda. Vomitus vtilior eſt hieme, quàm æſtate. Nam tum & pituitæ plus, & capitis grauitas maior ſubeſt. Inutilis eſt gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus. Vtilis eſt plenis & biliosis omnibus, ſi vel nimium ſe repleruntr, vel parum concoxerunt. Nam ſiue plus eſt, quàm quod concoqui poſſit, periclitari ne corrumpatur, non oportet. Si verò corruptum eſt, nihil commodius eſt, quàm id, qua via primùm expelli poteſt, eiicere. Itaque vbi amari ructus cum dolore & grauitate præcordiorum ſunt, ad hunc protinus confugiendum eſt. *Item prodeſt ei, cui pectus æſtuat, & frequens ſaliua, vel nauſea eſt, aut cui ſonant aures, aut madent oculi, aut os amarum eſt. Similiterque ei, qui vel cælum vel locum mutat hiſq. quibus (ſi per plures dies non vomuerunt) dolor præcordia infeſtat. Neque ignoro inter hæc præcipi quietem, quæ non ſemper contingere poteſt agendi neceſſitatem habentibus, nec in omnibus idem facit. Itaque iſtud luxuriæ cauſſa fieri non oportere confiteor. Interdum valetudinis cauſſa rectè fieri, experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui valere, & ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat. Qui vomere poſt cibum volet, ſi ex facili facit, aquam tanquam tepidam antè debet aſſumere: ſi difficilius, aquæ vel ſalis, vel mellis

Vomitus.

* Reiectũ

* Idem

Prouocantia vomitum. paulum adiicere. At qui manè vomiturus est, antè bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse radiculam debet, deinde aquam tepidam, vt suprà scriptum est, bibere. Cætera, quæ antiqui medici præceperunt, stomachum omnia infestant. Post vomitum (si stomachus infirmus est) paululum cibi sed huius idonei, gustandum, & aquæ frigidæ cyathi tres bibendi sunt. Si autem vomitus fauces exasperauit, qui vomit (si manè id fecit) ambulare debet, tum vngi, deinde cœnare. Si post cœnam, postero die lauari, & in balneo sudare, hinc proximus cibus, mediocris vtilior est, isque esse debet cum pane hesterno, vino austero, meraco, & carne assa, cibisque omnibus quàm siccissimis. Qui vomere bis in mense vult, melius consulet, si biduo continuarit, quàm si post quintum decimum diem vomuerit, nisi hæc mora grauitatem pectori faciet. *Deiectio.* Deiectio autem medicamento quoque petenda est, vbi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increscunt. Quid enim inter hæc adiuuare possunt quies & inedia, quæ per illa maximè eueniunt? Qui eiicere volet, primùm cibis, vinisque vtetur his, quæ hoc præstant. Dehinc si parum illa proficient, aloën sumat. *Purgationes.* Sed purgationes quoque vt interdum necessariæ sunt, sic vbi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit. Calefacit autem vnctio, aqua salsa, magisque si calida est, omnia salsa, amara, carnosa, si post cibum est balneum, vinum austerum: refrigerat in ieiunio & balneum, & somnus, nisi nimis longus est, & omnia acida, aqua quàm frigidissima, oleum si aquæ misceatur. Humidum autem corpus efficit labor *maior, quàm ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio, post hæc ambulatio, & vigilia: per se quoque ambulatio multa, & vehemens, & matutina exercitatio, & non protinus cibus adiectus, ea genera escæ quæ veniunt ex locis frigidis, & pluuiis, & irriguis. Contrà siccat, *modica exercitatio, fames, vnctio sine aqua, calor, sol *modicus, frigida aqua, cibus exercitationi statim subiectus,

*alias, minor,
*alias, immodica
*alias, immodicus,

iectus, & is ipse ex siccis & æstuosis locis veniens. Aluum astringit labor, sedile, creta figularis corpori illita, cibus imminutus, & is ipse semel die assumptus ab eo, qui bis solet: exigua potio, neque adhibita, nisi cùm cibi quis quantum assumpturus est, cepit: post cibum quies. Contrà soluit, aucta ambulatio atque esca, post motus qui post cibum est, subinde potiones cibo immixtæ. Illud quoque scire oportet, quòd ventrem vomitus solutum comprimit, compressum soluit. Itemque comprimit is vomitus, qui statim post cibum est: soluit is, qui tardè superuenit. Quod ad ætates verò pertinet, inediam facillimè sustinēt mediæ ætates, minus iuuenes, minimè pueri, & senectute confecti. Quo minus fert facile quisque, eo sæpius debet cibum assumere, maximeque eo eget, qui increscit. Calida lauatio, & pueris & senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus meracius, neutri ætati quæ inflationes mouent. Iuuenum minus, quæ assumant, & quomodo curentur interest. Quibus iuuenibus fluxit aluus, plerunque in senectute contrahitur: quibus in adolescentia fuit astricta, sæpe in senectute soluitur. Melior est autem in iuuene fusior, in sene astrictior. Tempus quoque anni considerare oportet. Hieme plus esse conuenit: minus, sed meracius bibere: multo pane vti, carne potius * elixa, modicè oleribus; *assa, semel die cibum capere, nisi si nimis venter astrictus est. Si prandet aliquis, vtilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius vtendum est, vel calorem mouentibus. Venus tum non æquè perniciosa est. At vere paulum cibo demendum, adiiciendumque potioni, sed dilutius tamen bibendum est: magis carne vtendum, magis oleribus: transeundum paulatim ad assa ab elixis. Venus eo tempore anni tutissima est. Æstate verò & potione & cibo corpus sæpius eget. Ideo prandere quoque commodum est. Eo tempore aptissima sunt, & caro, & olus, potio quàm dilutissima, vt & sitim tollat, nec corpus incendat, frigida lauatio, caro *assa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Vt sæpius autem cibo vtendum, sic exiguo est. Per autumnum propter cæli varietatem peri- elixa,

culum maximum eſt. Itaque neque ſine veſte, neque ſine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus: neque ſub dio nocte dormire, aut certè bene operiri. Cibo verò iam paulo pleniore vti licet: minus, ſed meracius bibere. Poma nocere quidam putant, quæ immodicè toto die plerunque ſic aſſumuntur,* ne quid ex denſiore cibo remittatur. Ita non hæc, ſed conſummatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus, quàm in his noxæ eſt. Sed his vti non ſæpius, quàm alio cibo conuenit. Denique aliquid denſiori cibo, cùm id accedit, neceſſarium eſt demi. Neque æſtate verò, neque autumno vtilis Venus eſt. Tolerabilior tamen per autumnum: æſtate verò in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum.

* vt ne q.

COMMENTARIA.

QVAM difficiles ſint corpori ſubitæ mutationes, in Aphoriſmis Hippocratis oſtendimus. Neque difficile eſt vnicuique mutationi ſua mala ſubſcribere; ſiue ex ſubito otio in laborem aſſurgas, ſiue ex ſatietate diuturna in abſtinentiam, ſiue è contrario tranſeas. Nam & qui præter conſuetudinem ientantur, ventriculo grauantur. nec proderit ſi tantillum aut ſequenti prandio, aut præteritæ cœnæ detraxeris: ſæpe magis oberis, dum ſuo tempore alimentum ſubtrahis; fortè enim præ deſiderio ſoliti alimenti inflammabitur. omitto quòd tenuem illam quantitatem forſitan venter aſſuetus pluribus, contemnet, nec aliter quàm alienam qualitatem corrumpet: non enim magis mirum cibum corrumpi ob iniquã quantitatem, quàm qualitatem. Grauiſsima tamen incommoda eos ſequuntur, qui aërem mutant: itaque valde religioſe id faciendum eſt. Summa autem totius obſeruationis eſt, vt tum has tum alias mutationes non repentè, ſed pedetentim; non affatim, ſed paulatim obeas. Itaque (quod mirum tibi hactenus viſum eſt) mirari deſines, cur ex ſalubri in grauem hieme, & contrarium in æſtate tranſitum Cornelius noſter præcipiat: nam grauis locus calidus & humidus eſt; ſalubris verò, aut temperatus, aut frigidus & ſiccus. Nunc ergo aër grauis, hoc eſt calidus & humidus, vt tempore hiemis minùs calidus; ita ſalubri, hoc eſt frigido & ſicco, ſimilior eſt. Sic & è contrario æſtiuus in ſalubri regione aër ſimilior eſt graui quàm hibernus: nam tempore æſtatis calidus euadit; quamuis ex conditione loci ſit bene frigidus. Summa ergo rei eſt quam dixit Hippocrates, Plurimùm atque repente euacuare, replere, incalfacere, aut quouis alio modo mutare, eſt periculoſum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt; niſi morbus ſcilicet acutus ſit, de quo alibi.

Omnem etiam laborem.

HANC *ſententiam etiam accepit ab Hippocrate, ſecundo Aphoriſmorum: quam, vt ibi diximus, non integrè Galenus expreſsit. nam non eſt dubium, quin ſenis vniuerſum corpus imbecillius ſit iuuenili: quippe & hoc ſupponit Hippocrates. & tamen promptiùs ac faciliùs exercebitur vniuerſo corpore ac fortè pila (quippe quod vaſtiſsimum vniuerſarum corporis partium exercitium eſt,) quàm diſſuetus iuuenis. itaq. virtus in cauſa eſſe non poteſt; ſed membrorum, lacertorum, ac neruorum promptitudo: tractabi-*

lior

lior enim in omnem partem neruus eſt conſuetus, quàm diſſuetus. itaque à parua facultate faciliùs exercetur, quàm rigidus à multa. Verùm ſiue ſenex ſiue iuuenis inciderit in fatigationem; huic etiam ieiuno, (non autem à cibo, vt antè diximus) dormiendum: atque eò diutiùs quò fatigatio fuerit maior: nam fatigatio affectus quidam calidus & ſiccus eſt; quies autem infrigidat & humectat. cuius demonſtrationem hîc de me non expectabis, puto; quia ex phyſicis quærenda eſt. Si ergo os emaricat, oculi caligant, aut turbatior venter (hæc enim ſigna ſunt, plus ſatis fatigatis ſanguinem plus æquo bilioſum redditum,) eouſque dormiendum, donec corpus ab eiuſmodi accidentibus recreatum ſit. Nec ob eam cauſam cubili exurgere debet quiſpiam, quia fortè dormire non lubet; fortè quia minùs fatigatus eſt: nam & quies ipſa (nedum ſomnus) ſiccum corpus recreat. itaque tametſi ſomni neceßitas non fuit, tamen ingredi cubile aliquo tempore debet. Hæc ſcilicet videtur mihi nouißima ſententia. cui non abſimilem in hoc loco Paulus Ægineta habet, vbi inquit: Cæterùm poſt longa itinera alioſque labores vehementiores, quanquam non fatigatus eſt; curari tamen exemplo fatigatorum debet, vt faciliùs futuras iniurias deuitet.

Communia deinde omnibus ſunt.

HAEC pars eſt de apotherapia, atque de ea recreatione quam antiqui philoſophi ſubierunt ab exercitio: qua corrigebatur ſi quid erat delictum; perficiebatur quod erat omiſſum. Subinde excrementa vſque ad cutem exercitio perferuntur; ſed ob cutis denſitatem illic morantur. ob hanc cauſam aliquot ex his in Laconico ſedebant, illinc ad ſolium calidum tranſibant: & ne corpus nimis cõnineret obnoxium externis iniuriis, demum varias vnctiones, frictiones adhibebant; maximè tamen illis partibus quæ fortè ex balneo magis conniuebant: aliquando tamen in poſtremis frigida ſuffundebantur. Hæc tractat in hoc loco. nobis ſatis fuit eadem obiter percurrere, ad illuſtrationem noſtri auctoris: nam vſque ad faſtidium ferè ea tractat Galenus in omnibus libris De ſanitate tuenda. Atque hæc fortè hodie multis ridicula & ſuperſtitioſa videbuntur, qui nihil niſi medicamentoſum ament. tamen talia hæc ſunt, quæ grauißimi quique philoſophi dignati ſunt ſcribere, ac quibus ſuam ſanitatem in longißimam ſenectam teſtantur ſeſe promouiſſe: ſoláque hæc erat (vt antè dixi) ratio, qua quondam homines ſuam cutem curarent, quamdiu ſanitatem potiorem quàm voluptatem habebant.

Poſt hæc omnibus fatigatis, &c.

CELSVS frigidam pernicioſam decernit, non tantùm ſudantibus adhuc; verùm etiam, dum ſudor remiſit, itinere fatigatis. Aſclepiades etiam inutilem putauit iis qui à balneo veniunt, tametſi ſudor reliquit. In hoc autem ab Aſclepiade Cornelius diſcedit. & re verâ multo magis fatigatis quàm à balneo venientibus pericuIoſa eſt: nam in fatigatis vniuerſum corpus conniuet; in balneo verò magis externa cutis. multo ergo minus periculi à balneo quàm à moleſto itinere frigida minatur: etenim hic ſolutum calorem vniuerſi corporis facilè extinguit; ſaltem maraſmo ſtomachum afficit: ibi verò æſtum ſtomachi in laconico, atque balneo contractum, dumtaxat reprimit; niſi flatulentum admodùm, & frigidum corpus ſit: nam hoc promptè refrigeratur, ac vniuerſo ventre perturbatur; ſubinde etiam aluus reſoluitur, qui non ita facilè reſtringi poterit. Intelligere tamen oportet, non ſtatim à balneo, neque ante omnem alium cibum frigidam admitti: ſed poſtquam cibus ingeſtus requirit. Semper enim meminiſſe oportet ordinem quem Hippocrates nobis reliquit, Labor, cibus, potus. Contra quem pueriliter deliquit, qui primus pueriliter verſum illum deſcripſit, à potibus incipe cenam. Hæc autem non ita multis admonere oportet. quoniam neque imperiti vinum

à multo

à multo labore perbibunt; sed priùs bolum aliquem assumunt; experientia edocti, sitim quidem extingui, sed tardiùs ad interiora viscera deferri: est enim id optimum ad tollendam sitim compendium. Quòd verò Celsus à balneo dilutam potionem, aut etiam aquam vino prætulerit, fortè ob eam causam erat, vt caliditatem præsentiùs reprimeret: fortè siquid supererat, sudore excluderet. experientia enim id ostendit, tum à cereuisia tum ab aqua citiùs quàm vino sudorem prouocari; nam frigiditas interna non aliter repellit foras quæ intus sunt, quàm externa, intróque foris in habitu sunt. Cur autem adiecerit hoc in loco, Solet etiam prodesse &c: ego coniectare non possum: fortè ex alio loco huc translatum est ab imperito; vt aliqua quædam quæ posteà annotabimus.

Si assidua fatigatio vrget.

VINVM perpetuò qui diutiùs fatigantur non competit, quia corpus excalfacit, ac digerit; neque rursum aqua, quia neque spiritus efficaciter recreat, neque virtutem instaurat: & rursus minùs vinum lymphatum; quia periculum est, ne interna viscera fortiùs infrigidentur: quippe antè dictum est, vini lymphati quàm aquæ periculosiorem subinde frigiditatem esse. Balneum etiam frequens inter multas fatigationes inutile est: quia corpus exoluit atque effeminat. Mirum autem quod scribit, altero labore corpus fatigatum, altero recreandum. nam contrà scripsit Hippocrates, In omni corporis motu, quies lassitudinem aufert. Habet tamen & illud ex Hippocrate aut Polybo, qui sic scripsit: Qui cursu fatigantur, luctari debent; qui lucta fatigationem sentiunt, his currendum est. Videtur autem mihi hoc eâ ratione scriptum, quia in eiusmodi oppositis exercitiis, membra quæ priùs exercebantur, non aliter ferè quàm si integrè quiescerent, feriantur: torpida etiam quodammodo in priori motu euaserũt opposita membra; vnde non minùs flaccida apparẽt, quàm si re vera fuissent fatigata: quippe sic & sedentes, non sedili, sed lenta recreantur obambulatione. sic & posteà dicitur, qui toto die vel in vehiculo, vel spectaculis sedet, huic lentè obambulandum est. Miraberis etiam quòd durum cubile fatigato alicui quamuis consueto volupe sit: & tamen re vera ita est, quia nõ aliter durum afficitur à molli, quàm frigidum à calido; aut, vt propius accedamus, siccum ab humido. quia autem humidum plus afficitur à sicco, ac molle à duro; hinc ipsa mutationis ratio præ paruitate à te contemnitur.

Propria quædam ad eum pertinent.

FRICTIO blandior motus est; quapropter emollit: quem autem citatior aut violentior aut longior aliquis cursus excitauit, spiritum etiam attrahit, quem ille digerit. Mirum tamen est, quòd ab itinere vel semel fatigatus (nam pluribus continuisque fatigationibus priùs importuna balnea diximus) potiùs superiores quàm inferiores partes balneo diluendas præcipiat; nam inferiores vt magis laborauerunt, ita maiori quoque recreatione egebant. An ergo iste locus inuersus erit, vt contrario modo legatur? id quoque mihi persuasum est.

Si quis verò exustus in sole.

QVOD ille qui sub frigido aëre ambulauit, atque perfrixit, diutiùs in Laconico atque balneo morari debet, quàm qui sub æstate exercitatus est; luce clarius est: quippe in illo cutis euasit densior; quando autem vsus aquæ frigidæ in balneo admittendus est, apud Galenum in libro De sanitate tuenda dicitur; non enim nisi in iuuene bene carnoso tempore æstatis opportuna est.

Is verò qui nauigauit.

LIBERIVS indulget cibum qui pituitam quàm qui bilem inter nauigandum enomuerit: contrarium autem magis rationabile apparet; quoniam humidis corporibus, vt quæ pituitam colligunt, quàm biliosis famem adhibere conuenit. verumtamen biliosi promptiùs quàm pituitosi nausea tentantur;

tentantur; itaque in illis studiosius vomitum obseruare oportet. in iis vero qui irrita nausea tentantur, pertinaciter pituita ventriculo adhuc affixa est; itaque omnino abstinere conuenit, vt spacio temporis concoquas, vel post cibum vomere, vt promptiùs totam sentinam euacues. Non puto nunc ex me exigetis, quare nauigantibus, sed insuetis, plærumque nausea oboriatur. Nam si ambulatio quæ inferiores partes exercet, inferiorem ventrem à cibo mouet; multo minùs admirabile, superiorem ventrem his exerceri quibus superiores duntaxat partes agitantur. Inspectio etiam aquæ motæ huc confert: argumento est, quòd potius nauigantibus, quàm curru vectis præcordia turbantur, quapropter ab ea contemplatione abstinere debet qui vomitum timet.

Qui verò toto die.

DE eo superiùs dictū est: quòd verò ab ocio minus; ab exercitio autem amplius & appetitur & concoquitur, omnibus manifestum est. Caue tamen ex eo inferas, prandium liberalius esse debere cœna; nam contrarium potiùs sequetur.

Si quis in balneo æstuat.

IN balneo non internas, sed externas partes rarefacere intendimus: fieri autem non potest, quum idem aër & suam caliditatem internis partibus maximè cordi insinuet. Itaque vnum est illius remedium, vel acetum vel aquam in ore continere: sic enim ab altero istorum temperalitur spiritus, priusquam ad cor perueniat.

Ante omnia autem norit.

DEBVIT hic distinctio intercedere, quæ ea quæ sequuntur, à præcedentibus partiatur: nam ea quæ sequuntur, ad secundam salubris partis sectionem attinent, quæ corpus sanum ad melius traducit, non autem in eodem statu, vt prima, conseruat. etenim sunt quædam intemperata corpora, quæ licet sana sint, transferri tamen in aliam conditionem amant. ac plura quidem alia sunt quæ in corpore emendationem requirant: communia tamen octo, caliditas paulo promotior, frigiditas, humiditas, siccitas, alui constantia, atque rursus ipsius mollicies. sæpiùs autem malè fertur gracilitas in corpore, atque obesitas: quocirca hæc duo Celsus primum corrigit. in quibus omnibus nullus est modus, excepto eo quod de balneo à prandio dicitur: nam & is error est vulgaris, & (dicente Galeno) admodùm perniciosus, quippe concoctionem perturbat balneum à cibo, & cibum in corpus præcociter plerumque rapit: quo fit vt non secus quàm exercitium aliquando venas infarciat. verumtamen si ab hoc periculo absit corpus, minùs extenuat, quàm idipsum ante cibum. Atque idipsum nostrum Celsum tantum dixisse puto: nam quomodo ipsum simpliciter impugnaret, non satis coniectare possum: neque enim à cibo crudo digesto, sed concocto nutritur. Balneum ergo à cibo vniuersum corpus malis succis implet; tantùm abest, vt impinguet: & tamen Galenus idem in sexto libro De sanitate tuenda asserit; vbi de biliosis dicit, quòd hos à cibis balneum quoque iuuat, adiiciens: Quidam verò eorum incredibile quàm etiam obesi sint redditi ex tali victus ratione. idem ille asserit XIIII. Therapeutices. Ergo balneum id intelligendum est de balneo dulcium aquarum, quod non admodùm cibum capere potest, sed tantùm humectat: quanquam vel hoc nonnihil difflat; ideò in gracilibus manè eiusdem vsus suspectus est: atque à cibo tutior, vbi nullus resolutionis timor est: licet & hic quoque aliquando noceat, vt ibidem Galenus testatur. Ergo securiorem impinguandi vim habet cibus plenißimus. adiicit tamen, Quantum concoqui potest. nam contrà, edacitas ipsa, vt sacræ literæ testantur, vertitur in choleram: atque hac ratione ferè fit, vt gulosi quàm minimè nutriantur, sed atrophiam patientibus ferè similes fiat; nempe, licet multa ingurgitent, nequaquam corpus multum proficit, sed venter totam illam saburram indignatus deorsum præcipitat, priusquam hepar attrahere anticipet. argumento est quòd plerique istorum ventrem perpetuò mollem obtineant: quippe & ipsa contracta aluus in-

ter impinguantia hîc meritò auditur. Multum etiam ad hoc confert somni plenitudo: nam vel breuis, vel longus admodùm, vterque extenuat; ac de breui non est dubitatio: sed multa somni prolixitas, corporis molem seruare potest, nam in externis partibus nutricationem offendit, ac tandem etiam in internis visceribus concoctionem lædit, quoniam spacio temporis calor emarcescit. Rectè ergo & breuem & nimis prolixum somnum inter extenuantia posuit. Durior appâret in ieiunio vini nō perfrigidi aut calidi commendatio. quippe hactenus sæpe auditum est, quòd vinum ieiuno potum nocet articulis; præsertim dum per corpus impurum digeritur, nempe impingens excrementa secum rapit: fortè ad articulos, quòd loco defluxionibus oportuniore sint. non tamen in puro corpore hæc formidanda sunt: nam contrà Galenus in huiusmodi corpore non tantùm simplex vinum, sed & diureticum commendat, vt à prædictis vitiis præseruetur. non etiam simpliciter Celsus manè ante omnem cibum fortassis laudat; sed manè in ipsô ientaculo: semper enim cibus potum antecedere debet, nam alioqui copia vini dum nullo impediente ad vniuersum corpus defertur, saltem neruos mordere possit. atque hoc est secundum vini incommodum: quo vel illi offenduntur, qui corpus purum habent; modò simpliciter vel ieiuni, vel liberaliter admodùm bibant.

Quum verò inter extenuantia.

ASCLEPIADES *ætate magni Pompeij; quia ex Rhetorica parùm lautè victitabat, ad medicinā se conuertit, vt maiorem faceret quæstum; nescias maiori cum temeritate an felicitate. nam occurrens ignoto funeri, hominem à rogo abstulit, atque etiam seruauit; adeò vt sponsionem cum fortuna fecisse videretur. qui vsque ad multam senectam validus vixit, nec vllo morbo, sed scalarum lapsu exanimatus est: quasi aliter mori non potuisset. Hic decreta medicorum antiquorum abstulit; & vt ipse magis solemnis esset, quasi nouæ sectæ auctor, vectigallis sui causa leges posuit; quæ non tantùm imperitum hominem apud plebeculam promouerunt, sed & regibus venerabilem fecerunt; adeò vt Mithridatis regis pollicitationes ac legationes sperneret. Nec ego adeò ista, vt Plinius, demiror: nam is saltem neque inter rhetores, neque inter philosophos minimus erat, quanquam in re medica parùm versatus: At (deum immortalem!) quales homunciones hodie fortuna, atque plebecula vsque ad miraculum effert! atque hactenus ferendum erat: dum verò etiam à doctis conspiciuntur, quis non indignabitur? Ferè autem huiusmodi homines bifariam sunt: alij qui de se atque portentis in corpore possunt insigniter mentiri (nam ista docti, indoctique mirantur:) alij verò qui elegantiores literas, fortè etiam Græcas possunt ostentare. nam hi statim hodie totam recentiorem medicinam, ipsum Hippocratem atque Galenum videntur imbibisse. Sed neque ab his, neque fortunis, amicis, vel etiamdum diuitiis (quippe & hæc insignia ferè primum in exuditione locum obtinēt) medicum æstimare oportet: sed, vt Hippocrates, vt Galenus à natura siue ingenio, ac bona à pueris institutione, nouissimè à perpetuo labore. nam cui ista obtigerunt, periculum non est vt malè aliquid committat: quemadmodum cui aliquid istorum trium desideratur, medicus iustus esse non potest. Tanto autem tolerabilior erat Asclepiades homuncionibus quos diximus, quanto purgationum frequentia, vino ipso, gestationibus, frictionibus, quæ abstinentia est molestior: nam in his ferè ille summam medicaminis ponebat: vomitus, deiectiones, (in quibus aliis ferè vnica anchora ac spes est; vsque adeò vt ferè nihil aliud faciant) ab vsu submonebat, non quidem omnium vt videtur; sed sanorum. neque in hoc multa reprehensione dignus est; nam si aliquando, raro tamen, expetiuit; verumtamen inter præcepta salubria audiri debent: præsertim vomitus; quippe neque hunc Hippocrates redarguit, & Galenus iuxta antiquos in libro De vsu partium, semel aut bis mense commendat. temporis tamen, temperaturæ, & aliorum (vt statim subscribitur)*

ſubſcribitur) obſeruationem adhibere oportet vt oportunitatem illius meliùs teneas.

Vomitus vtilior eſt hieme.

Ex diametro, vt appâret, hæc ſententia ab ea quæ in quarto Aphoriſmorum ſcripta eſt, diſsidet: nam ea contrà vomitum in æſtate commendat; in hieme vituperat. Itaque ſi præceps fueris, ſtatim noſtrum auctorem tanquam parùm ſimilia vero commentatum contemnes. & fortè in ſequentibus locis minorem illi fidem habebis. In qua criminatione ipſe maximè recriminandus es: nam & hanc ſententiam ipſe ab Hippocrate de victu idiotarum mutuò accepit. Componit autem eas inter ſe Galenus, dum in altera quæ in hieme probat vomitum, audit purgationem ipſius ventris; in altera autem, vniuerſi corporis. Verùm hæc concordia difficultates nihilo minùs nobis relinquere videtur, quàm prior diſcordia: non enim vniuerſum corpus, ſed tantùm ea quæ ſupra præcordia ſunt, vomitu purgare expedit; quemadmodum altera perhibuit in aphoriſmis auctoritas. Decet autem neque hanc neque ſimpliciter in aphoriſmis, ſed tantùm exilis motum humoris diſcere: quippe qui in præcordiis, hoc eſt ſuperiore ventre, hærent, promptiùs per vomitum educuntur; quæ verò infrà, vel inferiùs, vel alibi, copioſiùs per ſedem; niſi fortè aliud impediat: vt caloris circumfluentis æſtus: nempe huius occaſione, humores etiam ab vniuerſo corpore potiùs ſurſum rapiuntur, quàm deorſum. non tamen pituita multa in ventre generatur hoc tempore, ſed hiberno magis: & quæ in inferiori parte gignitur, per ſedem abire poteſt; at ea quæ in ſuperiori parte naſcitur, nullam à natura excretionem promptam habet: quapropter ſtimulum aliquem requirit; quippe etſi cum vtilitate aliqua ibidem generetur, non tamen vtilitatem aliquam inuenies, quæ illius moram ibi requirat. itaque ſingulis menſibus vomere expedit, modò alia conueniant, neque natura multùm abhorreat: nam, vt alibi Galenus inquit, cogere volentem abſurdum eſt. Eâdem ratione inutilis eſt gracilibus: etenim hi calidi ſunt, & imbecillum ſtomachum, hoc eſt extenuatum, habent. nam neque illic pituita multa accumulatur, ſed promptè ſtomachus laceratur. Vtilis tamen & plenis & bilioſis & reliquis temperaturis omnibus, vbi vel multa ingeſſerunt, vel alioqui modica concoxerunt. cuius ſigna ſunt, dolor, grauitas præcordiorum, ſaliua, ac pitiſſatio præter ſolitum frequens, ſonitus vtriuſque auris, vel lachrymæ vtrorumque oculorum; nam quæ alterum tantùm organum præhendunt, magis ex ipſa parte, vel ſaltem non longiùs quàm à cerebro ferè deſcendunt. Quòd ſi iam pectus, hoc eſt, præcordia ipſa æſtuant, aut etiam os amaricat (quamuis hoc aliud alibi ſignificet) hic tamen non ſimplicem ſed corruptam pituitam arguit: atque vel ob hanc cauſam magis vomitum requirit. maximè autem nauſea: nam hic vomitus non benè differtur; etenim hæc non à temperaturis, ſed à præſenti diſpoſitione accipiuntur ſigna. Sed & citra hæc vomitus conſulitur iis qui cælum aut locum mutant: nam meliùs externum aërem fert corpus purum quàm impurum; ſalubre quàm inſalubre. Non tamen ſæpiùs vomitus mouendus eſt, vt ij qui luxuriæ ſtudent, ac ſubinde vomunt vt multa ingerant: ſed ſatis eſt ſemel vel bis hibernis menſibus. Quòd autem duobus diebus continuis in menſe vomere, præſtare, quàm per longiora interualla, dixit Cornelius, & ante illum ſcripſit aut Hippocrates aut Polybius; meritò tamen recuſauit Galenus. At nos diſtinctionem ponere poſſumus, & ſeruare vtriuſque auctoritatem. nam ſi primo vomitu ſatis purgatum ſit; ſecundus meliùs differtur: ſin aliter, exquiſitior erit qui alterum ſequitur: nam duas in vno die euacuationes moliri, tantùm neoterici auſi ſunt. Itaque neque illud perpetuum eſt, quòd inter vomendùm quietem ſeruare neceſſe eſt: quippe Hippocrates quibuſdam è contrario motum conſulit, ſi fortè non ſatis vomant. huc Celſus acceſsit, quando dixit, quòd quies non in omnibus idem facit; etenim quibuſdam inutilis, quibuſdam rurſum vtilis erit.

Qui vomere poſt cibum volent.

QVIDAM *facilè, quidam difficilè vomunt: calidi ac macri natura, facilè; craßi aut frigidi, iterum difficilè. his ergo à cibo; illis verò manè commodiùs excitatur vomitus. nam, vt alias purgationes, ita & hanc quoque vacuus venter meliùs fert. Itaque in iis qui manè vomituri ſunt, ſatis eſt vel mulſum ſimplex bibere, vel (ſi difficilior ſit) in quo hyſſopus aut radicula elixa fuerit, aut aliquid quod incîdat; deinceps aquam tepidam aſſumere, quæ ſtomachum infirmet, aut quæ emolliat. hac etiam ratione promptißimè vomitus ſequitur. A cœnâ autem variâ (nam variam eſſe oportet & in cibo, & potu, à quâ vomitum expectes) ſatis effertur humor ſurſum; adeò vt hîc tantùm aquam tepidam ſuperbibere ſit ſatis: niſi fortè pituita tenaciùs hæreat. nam tum & hîc vel ſalis, vel mellis parum adiicere oportet; aliquando etiam radiculam, aut aliquod ſimile priùs eſſe: Quippe cætera (vt inquit) quibus antiqui vomitum ciebant, helleborus, aſarum, nimis ſtomachum vellicant: & re vera helleborus ſanis non competit, ſed tantùm extremis morbis. Recreatio autem quam à vomitu præcipit, nullam difficultatem habet; niſi fortè mireris cur potiùs à cœna quàm manè vomenti præſcribat balneum. ſed neque eius cauſa longè poſita eſt; quippe duas euacuationes, vt diximus, ægrè corpus vno die ſuſtinet.*

Deiectio autem medicamento.

NIMIS *pernicioſus error hactenus fuit medicorum (ægris enim condonandum erat,) putantium eadem medicamenta eſſe ſtercoraria, atque purgantia: qui iis qui difficilè deſederant, medicamentum purgans ſtatim exhibebant; atque ob id ferè tantùm: nam & Auicenna (ſi rectè memini) dixit quàm periculoſa aliquando illis accidentia ſuperueniunt, qui conſtipato aliquot diebus ventre purgationem experiuntur: Quippe non per ſe, ſed per accidens tantùm euenit, vt purgationem, dixit, ſtercus ſequatur, dum venter ab humoribus diſcurrentibus vellicatur. itaque nunquam purgationes in duro ventre, periculo vacant. Sed diſtinguere oportet, (ſicuti nunc noſter auctor fecit) deiectionem à purgatione: hanc quidem molimur, vbi vniuerſum corpus, atque ipſas venas à ſuis excrementis aſſerere; illam autem, vbi ventrem ſuo onere leuare volumus; præſertim ſi diutiùs aluus fuerit aſtricta; pro vniuſcuiuſque ſcilicet conditione. nam & hoc ſpatium potius eſt aliis quibuſdam accidentibus metiri, quàm dierum numero, quibuſdam à natura ſæpius in die, quibuſdam vix tertio quoque die reſpondet aluus. Aſtrictiorem ventrem conqueruntur inflammationes ſuperiorum partium; nō quidem nunc propriè inflammationes nobis vocantibus, ſed impropriè omnem calidam euaporationem, quam ſequuntur dolores capitis, caligines & alia. His igitur apparentibus, ſtatim ventrem mouere oportet: primùm oleribus, inſculſ & aliis humidioribus cibis, vinis quæ id præſtant, vt quæ melle condita ſunt; nam muſta aliis quibuſdam conditionibus plus obſunt quàm ſua lenitate proſunt: idem ex aliis captare oportet, quoniam varia eſt cauſa (quemadmodum in Aphoriſmis diximus) quæ ventrem firmant. Nouißimè autem ipſa aloë nō quidem per os ingeſta (ſicut illi qui pilulas ante cibum aut ſtatim poſt cibum vocant) ſed in glandem redacta; aut ſi neque id proſit, per clyſterem ſedi infuſa: nam neque quies neq. inedia ventrem molliunt; potiùs ſiſtunt: quippe prædicta mala ſæpe vltrò ſunt viſa ſequi; tamen, ſi nonnihil contulerint, conferre aliquando loco purgationis poſſunt: dicit enim Galenus in quarto Therapeutices, Non ſtatim laborante corpore confugiendum ad phlebotomiam, aut purgationem; ſed optimam pro his commutationem eſſe aliquando; ambulationem, aut inediam. Quàm autem periculoſæ ſint temerariæ, aut frequentes purgationes, nos alibi diximus: dicit autem id ipſum Celſus paucis, Quia corpus infirmant, hoc eſt (vt inſinuat) omnibus morbis obnoxium faciunt. Id verò & ipſa experientia teſtatur. pauci*

enim

enim ex iis medicamentis indulgent, qui non ferè perpetuò valetudinarij fiant, atque ab omnibus causis promptißimè afficiantur: etenim calorem naturalem deterunt, liquant; à quo omnis sanitatis firmitas.

Calefacit autem vnctio.

DIGRESSVS *est hactenus à proposito; regreditur nunc ad emendanda reliqua, quæ priùs attulit, corporis vitia: scilicet calidum infrigidat, siccum humectat; & è contra, in quibus nulla est difficultas, si non vitiosißimum hîc esset exemplar, & multa ab vno loco in alium transposita. Primum est, quòd inter humectantia dixit*, multa potio, posthæc ambulatio, & vigilia. *Ac de multa quidem potione, nemo tam rudis est qui contendat; quoniam insigniter humectat, ac digestionem in corpus promouet: & propterea rectè vulgo dicitur, Ientaculum caninum extenuare; dilutum verò potum, obesum reddere. Illud tamen scimus quòd ambulatio & vigilia nullam insigniter vim habent humectandi; sed potius exiccandi: &, quamuis modicè id potest ambulatio, non tamen vigilia vllam eius rationem patitur. Excusari potest vtrumque, si aliquid tale hîc audiamus quale priùs de balneo à cibo. opinor enim Cornelium Celsum, non illud dicere quòd ambulatio & vigilia simpliciter humectet, sed minùs quàm antè cibum exiccat: nam tametsi vigilia minùs, magis motus, potum in corpus pertrahit, atque ita magis humectat; non est sine crimine hoc consilium. ergo & in calidis remediis audire decet, balneum à cibo calefacere, hoc est minùs quàm ante cibum, infrigidare. Verùm quod sequitur*, Per se quoq. ambulatio multa & vehemens, & matutina exercitatio, & non protinus cibus adiectus *humectat: nulla ratione excusari potest; nam eadem ferè priùs inter extenuantia audita sunt, quæ ferè cum exiccantibus conueniunt. ergo ad exiccantia totus ille sermo transferri debet: quemadmodum ille qui sequitur in siccantibus auxiliis*, cibus exercitationi statim subiectus; *hîc è contrario transcribere oportet. Fortè autem & illud quod dicit*, vnctio sine aqua: *nam aqua potiùs humectare quàm exiccare videtur. quòd tamen frigidam per se aquam inter exiccantia posuit, tolerari potest: nam insigniter calidum, & frigidum per accidens ambo astrictoriam facultatem obtinent; caliditas tamen magis. inde & fructus & escas bene humidas, non tantùm à locis humidis, sed simul frigidis commendat; è contrario, siccas à calidis, nedum siccis. est tamen in regione frigidà aliquando reperire fructus multo exiliores quàm calidâ. Potißimùm autem humectationis vis in victu consistit: nam natura quasi vitæ nostræ inuida, medicamenta humida nobis negasse videtur: nam si vel victu, vel medicaminibus, detrimentum humiditatis reponere possemus, immortales maneremus. sed de iis alibi. Vinum autem omisimus inter calefacientia exponere, quòd austerum vinum ibidem pro acri audiri oportet: sic & in aliis quibusdam locis ac posterioribus.*

Aluum astringit labor, sedile, &c.

ID *est septimum & octauum quod sanitatem non infirmat, verumtamen incertiorem facit. itaque durum magis mouere, & motum astringere expedit: hoc autem facit, inquit*, labor, sedile: *labor scilicet ante cibum; sedile post cibum*: creta figularis corpori, *præsertim macilento*, illita: *in obesis etenim pauca facultate dotata est. Putarem illum nunc vocare cretam figularem, secundam speciem terræ cimoliæ, quæ paulo tenacior est; nisi vtraque discuteret. Cibus non imminuens sine modicus, nam excrementa ferè semper respondent alimento*. exigua potioneque adhibita, nisi quum cibi quis quantum assumpturus est, cepit: *hoc est*, Huic *expedit, non paulum, sed in fine affatim bibere. Contrà illi qui duriore ventre est, magis conuenit paulatim quàm affatim bibere: & id ferè omnibus simpliciter sanis magis vtile est; quoniam hoc pacto meliùs cibus cum potu subigitur, temperatur, ac faciliùs digeritur. at in ægris plerisque & fe-*

bricitantibus è contrario expedit affatim potiùs quàm paulatim bibere; nam modico potu, potiùs calorem ſuſcitant, quàm ſedant; more fabrorum, qui ferrũ vt magis igniant, priùs obiter diluunt. Sed & vomitus nimis violentus eſt, vt lubrici aut duri ventris remedium ſit: ob eam etenim cauſam à cibo ventrem comprimit; quia ipſum cibum euomit, atque materiam ventri adimit: verumtamen iam delapſam ad inferiora fæcem, ad ſedem comprimit atque detrudit.

Quod ad ætates verò pertinet.

MIROR quare hæc interpoſuit, nam omnia iſta vſque ad ſequens caput potiùs ad initium tertij capitis ſpectant; atque ad primam partem ſalubrem deſiderabantur, non autem ad ſecundam. Quòd verò calidi & humidi (cæteris paribus) minùs ferant inediam, in cauſa eſt quia promptiùs difflantur: tametſi biliosi fortè ieiuni magis tentantur dolore capitis, & ſimilibus accidentibus. Diximus autem de iis in primo Aphoriſmorum; aliter autem ac paulo clariùs in Secundo: etenim controuerſiam iſta diſceptatio habet non paruam. Indulgens eſt Cornelius Celſus, qui pueris dilutum vinum permittit: nam Plato omnino interdixit. quanto ergo ampliùs parentes qui adhuc ſtudent prolibus; nutrices quæ lactant; mulier quæ vterum gerit, abſtinere debent? non enim multo minùs infans in vtero læditur, quàm ſi ab ipſo ſumeretur: non tametſi vis vini priùs vtcumque refringitur, tamen ipſe conceptus multo tenerior eſt, atque à leniore cauſa offenditur. nec eſt quòd concoctionem eo promoueri dicas, nimis enim facilè mentem lædit; ac ſpiritum, qui non niſi halitus quidam eſt, digerit. Hoc, puto, conſiderauit, qui priùs vinum, potiùs quàm cordi aut hepati, cerebro nimirum prodeſſe pronunciauit: nam hoc frigidũ, illa verò calida; itaque id ipſum reliquis vino magis oblectari decebat. Ego certè, etiamſi cogor aliam cauſam reddere, non poſſum, cur plerumque debiles ac ſtupidos parentes generoſiores pariant; niſi vtriuſque parentis, tum in aliis tum in vino luxuriam. Iam non tantùm ſpectare oportet an iuuenes ſint; ſed an calidi, frigidi, humidi vel ſicci: itaque rectè adiecit, Iuuenum minùs, quæ aſſumant, & quomodo curentur, intereſt. puto ſic legendum: Iuuenum qui minus aſſumũt &c: Fortè ad illud Hippocratis alluſit, qui poſtquã pueros minimè ferè inediam ferre ſcripſit, notam ex temperatura adiecit ingẽs in omnes & inter hos maximè qui animo ſunt viuidiores. alterã autem partem illius dictionis credo pertinere ad illud quod ſtatim ſequitur quibus iuuenibus &c. nam quibus iuuenibus aluus fluida eſt, mollioribus medicamentis egent, reliqui durioribus. Sumpſit autem hanc ſententiam noſter auctor ex ſene Hippocrate, ſecundo aphoriſmorum; quam nos ibi illuſtrauimus. Eo autem quod ſubiicit, Melior in iuuene fuſio, in ſene aſtrictior; videtur mihi reddere ſententiam nouiſsimi aphoriſmi in fine ſecundi libri Aphoriſmorum qui ſic habet: Quicunque aluos humidas habent, ſiquidem iuuenes fuerint, meliùs degunt; ad ſenectutem verò deteriùs, nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccatur. in quo interpretes variant: ſed nos ibi cauſam reddidimus.

Tempus quoque anni conſiderare oportet.

IN victu iuxta hiemem aſſa pro elixis ſcribere oportet: ſic in eo qui æſtate competit, elixa pro aſsis; & iterum in eo qui veri accommodatur, legendum eſt ab aſſis ad elixa, pro eo quod ſcriptum eſt ad aſſa ab elixis. & ex iis & ſimilibus locis liquet, à quàm paucis hactenus Celſus ſit lectus, quum adhuc tam multis ſcateat mendis. nam Cæſarius non niſi obuia correxit. Sic autem reſtituto loco, nulla eſt difficultas: niſi fortaſsis mireris cur panis copiam laudauit in hieme; carnem in æſtate: etenim ea vt calida eſt, ita parùm in æſtate congruere apparet; atque alioqni plus ſemper panis quàm carnis conuenit; meliùs tamen fertur

in hieme

in hieme quàm æſtate, quoniam vires requirit, quæ in hieme pleniores ſunt. Poſſem hîc multa transfundere quæ à Galeno, & aliis ſcripta ſunt, de panum diſcrimine; ſi quidem ego in labore alieno deſudare vellem more neotericorum ſcriptorum, qui hodie nihil aliud faciunt: ſed nunquam fuit mihi is animus, vt alienis plumis ſuperbirem; vel quod alij priùs ſcripſerunt, recoquerem. Itaque hoc loco dicere ſufficit, vt ſyncomiſtos, ſiue autopyros maximè familiaris eſt; ita generatim ſanis maximè ſalubris eſt. atque in huius quidem ſubſtantia omnes conueniunt; præter vnum Ruellium, qui contraria in eodem loco ſuper eo ſcribit, atque aliquando leuiter, aliquando autem omnino non ſecreto furfure autopyron fieri dicit; multa autem & alia ibidem confundit: nam & cibarium (quem tamen ex Celſo infirmiſſimum allegat) ſecundario committit, atque ſecundum ab autopyro habet. minùs delinquit, quando ſordidum cum ſyncomiſto comparat, atque paulum miratur quodammodo quòd ipſum à ſyncomiſto ſeparet; nam ſaltem magis cum ipſo quàm cum cibario conuenit, qui proximè illi aſſidet. Videtur ergo aliquando alium ſyncomiſtum, alium autopyrum putaſſe. Sed & ſiliginem potiùs ſpeciem quandam tritici, quàm partem, videtur arbitratus, & in hoc non ſolùm vulgarem opinionem, ſed & Plinium habere patronum: tamen, ſi mihi liberè liceat dicere quod ſentiam, Celſus noſter potiùs tritici optimam partem, quàm ſpeciem æſtimaſſe videtur, vbi differentias panis enumerans ait, Firmius triticum quàm milium; idipſum quàm hordeum; ex tritico firmiſſima ſiligo eſt; deinde ſimila; deinde cui nihil ademptũ eſt, quod autopyron Græci vocant; infirmior eſt ex polline, infirmiſſimus cibarius panis. *Itaque tres mihi partes videtur in tritico cogitaſſe Celſus; optimam ſiliginem, ſecundo loco pollinẽ, tertio furfur: quod ſi verum ſit, pollinem ipſe dixit, quod alij vtriculos appellant, aut fortè quod ex vtriculis & furfure eſt commiſtum; quale ferè remanet dum per tenuius cribrum ſola ſiligo concernitur: ſimilam verò forſitan putauit, quod nonnihil pollinis habet admixtum; vt quando leuiter tantùm furfur ſecernitur. noua profectò hæc ſunt; neque ego diu pro his contendere volo, & aliter hunc locum Celſi interpretari poſſum: veruntamen ipſius auctoris dictio huc magis inclinaſſe videtur: nam abſque diſcretione, ſi ſiliginem iuxta communem modum audias, nequaquam ex ea nitidiſſimus panis pinſetur. hæc ſi vera ſunt, (nam coniectare poſſum, aſſerere nolo,) panis differentias oſtendere facile erit: nam qui ex ſynceriſſima parte ipſius tritici fit, ſiligineus appellatur; huic reſpondet qui albus dicitur hodie; qui verò ex ſimila fit, vt vbi furfur tantùm leuiter ſecernitur, ſemidalis Græcè dicitur, ſecundarium quidam appellant; cui non iniquè comparatur is qui hodie ſecundum locum ab albo obtinet: quòd ſi nullo modo, nec obiter furfur diſcernitur, ſyncomiſtos atque autopyros eſt, quo hodie familiariter vtimur. Sordidus ergo erit, qui ex polline; cibarius autẽ, qui ex furfure. Quanquam & hic fortè multi mirabuntur, nos pollinem pro vtriculis vſurpaſſe: verùm niſi ita ſit, neſcio quomodo ex polline ſordidiorem, atque infirmiorem panem Cornelius Celſus pinſat. Itaque (non tamen ſine formidine) omnes has differentias ex vno tritico conflari putem. qui verò ſiliginem aliter audiunt, ita facere non poſſunt; veruntamen liberum vnicuique ſuum manet iudicium. nunc de ſalubritate harum aliquid obiter dicamus: nam licet ſiligineus nitidiſſimus ac ſolidiſſimus ſit; tamen ſenibus, & qui ad obſtructiones oportuni ſunt, periculoſus eſt; & ſyncomiſtos magis laudatur: ita & ſecundarius ſiue ſemidalis iis ſuſpectus eſt; ne nunc dicam multò inſalubriorem eſſe quem nos album vocamus, quoniam fermentum nullum habet, quod Galenus perpetuò fere requirit. ac tantum de panis differentia. Poſſem hîc & carnis & piſcium varietatem oſtendere: ſed quia hæc ſatis ab omnibus dicta ſunt, ſufficit hoc tantùm dixiſſe; inter piſces, optimos eſſe marinos; peiores fluuiales, præſertim qui in iis fluuiis*

Et iure miretur quiuis, quando pollen is in tritico fit, quod flos in ſiligine. Marcellus Pollinem eſſe dicit tenuiſſimum puluerem, magis quàm farinã: qualis circa molas plerũque & loca quibus panis pinſitur, parietibus hærens inuenitur. vnde fit panis omnium infirmiſſimus. Nos libro ſecundo de his panum differentiis etiam nonnulla in medium attulimus.

degunt

degunt qui ciuitates expurgant; pessimos paludinosos ac stagnales. inter marinos verò optimi sunt saxatiles ac squammosi. Sed nunc ad propositum reuertamur: nam eadem ratione qua panis fertur in æstate, itáque neque aliud affatim alimentum, sed modicum: conuenit autem hac occasione, vt & fames sæpius incidat; itaque leui & exiguo, sed frequente, opus est alimento. Hieme autem, raro solido ac pleno, tum propter alia, tum quia modicum semel ingestum cibum fortè natura contemnit atque corrumpit: itaque non solùm propter negotia, vt alibi diximus, vtilius est, sed ob hanc dictam caussam, salubrius quoque est iustum cibum in duabus vicibus accipere, quàm in tres aut quatuor partiri. Bene autem distinxit Cornelius in æstate cibum frigidum, vel qui refrigeret: quamuis quis alterum vocare putaret; nam alius actu vel phantasia frigidus; alius verò dumtaxat facultate, aut energia: vterque in æstate competit. Ex nullo autem quàm superiori loco manifestius est prandium longè ante cœnam esse debere; nam in hieme omnino prandium adimit, in æstate tantùm exiguum permittit. quare Platina non satis diligenter Celsum perlegit, licet ex eo plurima transcripsit; qui cœnam quoque leniorem prandio præcepit.

Per autumnum propter cœli varietatem.

ET in hieme cauendum quoque frigus putauit: sed magis in autumno admonuit, ne aliquis illius paruitatem cōtemneret. nam etsi non æquale cum hieme frigus autumnus habeat; tamen quia cum inæquali frigore coniunctus est, non minus periculum affert. Poma (quibus potissimùm autumni tempore abutimur) liberiùs commendauit: ac tu fortè paradoxum putabis. & re verâ admodùm sunt, & magis quàm caro, excrementitia, non solùm autem poma, sed & panis: quamuis nihilo salubriorem carnem quàm panem dicimus; quippe & illius plus quàm huius assumimus. Iam nihilo plus molestum ex pomis contractum, excrementum, quàm ex carnibus plenitudo: idq; rectè dixit; quòd non ipsa poma, sed ipsorum consummatio, atque copia nocet. nam & quondam dum homines tantùm mediocriter viuerent, neque infeliciùs degebant, neque breuiùs. quòd autem potiùs his, quàm aliis, abutimur, dulcedo facit; propter quam immodicè appetuntur: contrà autem modicè illis vti oportet, ac tantum solidiori cibo detrahere, quantum illis indulgetur; nam plus satis multitudine istorum oneramur, præsertim quum ex solidiori cibo præterea nihil remittitur.

CAPVT IIII.

De his qui aliqua parte corporis laborant, & primùm de his quibus caput infirmum est.

PROXIMVM est, vt de his dicam, qui partes aliquas corporis imbecillas habent. Cui caput infirmum est, is (si bene concoxerit) leniter perfricare id manè manibus suis debet: nunquam id (si fieri potest) veste velare, aut ad cutem tonderi: vtileque lunam vitare, maximeq. ante ipsum lunæ, solisque concursum: sed nusquam post cibum progredi. Si cui capilli sunt, eos quotidie pectere, multum ambulare: sed (si licet) sub tecto, neque in sole. Vbique autem vitare solis

ardorem,

ardorem, maximeque post cibum & vinum potius vngi quàm lauari, nunquam ad flammam vngi, interdum ad prunam. Si in balneum venit, sub veste primùm paulum in tepidario insudare, ibi vngi, tum transire in calidarium: vbi *sudabit, *sudauit, in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere: tum tepida vti, dein frigida, diutiusque ea caput, quàm cæteras partes perfundere: deinde id aliquandiu perfricare: nouissimè detergere & vngere. Capiti nihil æquè prodest, atque aqua frigida: itaque is, cui hoc infirmum est, per æstatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu subiicere. *Aqua frigida capiti prodest.* Semper autem, etiam si sine balneo vnctus est, neque totum corpus refrigerare sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere. Sed cùm cæteras partes attingi nolit, demittere id, ne ad ceruices aqua descendat, eamque ne quid oculis, aliisúe partibus noceat, defluentem subinde manibus ad os regerere. Huic modicus cibus necessarius est, quem facilè concoquat: isque, si ieiunio caput læditur, assumendus etiam medio die est: si non læditur, semel potiùs. Bibere huic assiduè vinum dilutum *leue, quàm aquam magis expedit: vt cùm caput grauius esse cœperit, sit quò confugiat: *lene, eique ex toto neque vinum, neque aqua semper vtilia sunt: medicamentum vtrumque est, cùm inuicem assumitur. Scribere, legere, voce contendere, huic opus non est, vtique post cœnam, postquam nec cogitatio quidem ei satis tuta est, maximè tamen vomitus alienus est.

COMMENTARIA.

HÆC est tertia salubris artis sectio: quæ neutrum, siue infirmum, nondum tamen ægrum, corpus firmat, ac imminentia vitia profligat; ac primùm capitis, quia hæc præsertim philosophis ac literatis scripsit, quibus hoc propter intempestiuum studium imbecille existit. Non libenter autem Galenus, perplexum imbecillitatis nomen audit, sed acceptius habet, calidum, humidum, frigidum, siccum; vnde ipsa imbecillitas oritur: attamen ipse magnam intemperiem subinde imbecillitatem appellat; aliquando & connalescentium corpora infirma, atque imbecilla nominat (tametsi nullam insignem hîc intemperiem, ipso dicente, inuenias) quia scilicet modico sanguine & spiritu præditi sunt. Ita & hîc Cornelius Celsus potiùs capiti vires reponit, quàm aliquam peculiariter temperaturam emendat. Ferè autem iis caput rarum est, quod & ab externis facilè afficitur, & fluxionibus ab infernis partibus oportunum est. itaque hæc ferè duo in

hoc præuidet: primò vt nihil ab infernis recipiat; secundò vt ipsum etiam contra externas iniurias bene denset: vbique verò rarefacientia reformidat. Ergo pileum damnat; nuditatem capitis commendat: videtur tamen id non solùm contra nostrorum philosophorum consuetudinem, verùm etiam Hippocratis, qui præ aliis philosophis tegebat caput. natura ipsa ad exemplum nos inuitasse videtur; quando & ipsa caput pilis nobis studiosè obsepsit. fecit autem & alia multa natura, non solùm ad vtilitatem sed & ad decôrem; quòd si vtroque modo caput pilis circumsepsit, externo auxilio non eget, nisi vbi ipsa deficit. vtroque modo Hippocrates excusari poterat, qui præcociter caluus erat. Sed quid de iis dices, qui bene densam adhuc cæsariem, non simplici sed duplici pileo onerant? non debent ipsi expectare redargutionem Aristotelis, dicentis, illos promptè canescere? nam ipsi diu ante canos sua incommoda experiuntur, dum perpetuò caput molle, & effæminatum circumferunt. Eodem modo offenduntur qui aut felinas, aut leporinas pelles in pectore gerunt: neque dubito, quin hodie eiusmodi homines ostentatio potiùs quàm sanitas pronocet. nec minùs eos damnabis, qui præter necessitatem caput aggrauant. Ego verò miror eiusdemmodi etiam non & faciem ipsam inuoluere. nec quisquam ista me putabit dicere derisionis causa: nam re vera plus periculi videtur imminere internis visceribus à frigido, quàm externo capiti ab aëre circumfluo: consuetudo tamen seruanda est, aut pedetentim relinquenda. Eâdem ratione tonsio exquisitè periculosa est: nam quantùm corpus rarefaciat, indicat sequuta pilorum fœcunditas. Quòd autem promptiùs iniuriæ externæ sese insinuent corpori raro, quàm denso, nemo est qui ignoret. Sed & conualescentes idipsum experti sunt, qui hac de causa sæpe fecerunt recidiuam. Quòd si sacra prophanis cõparare liceat, & Sampson ille deraso capite vires amisit; iterum comatus recuperauit: quamuis mysterium in illo quoque loco subsit. Luna autem, præsertim in suo vigore, vt quando cum sole concurrit, siue quia caput rarefacit, siue quia sol ipsos humores eò pertrahit, quippe & externis sol plus dominatur: tamen & hunc à cibo cauere oportet, & caput potiùs vngere quàm lauare, quoniam hoc quoque caput infirmius reddit, & plus quàm vnctio rarefacit, hæc enim sæpe densat. Quòd autem potiùs ad prunas quàm flammam vnctionem laudat, generale est; quia vnctio ad flammam meliùs insinuatur, etenim flamma externa nimis citò astringit: tamen ex prunis lentum æstum, quàm ex lignis viuacem flammam vulgus magis veretur, atque capiti magis suspectum habet: iniquè meo indicio; nisi æstus minor fuerit & diuturnior. Sicuti autem motum à cibo cauere oportet; ita multo magis lectionem, studium aut alteram cogitationem, quæ maximam & præcipuam studiorum partem obtinet: etenim motus tantùm leniter cibum in ventre perturbat, ac nonnunquam ad superiora mittit fumos; aliquando autem retrahit, si tantùm lentus fuerit: cogitatio autem, hæc sursum prouocat. Sed & balneum facilè caput confundit, tametsi tum ipsum, tum ipsius aër, sæpe præsens remedium fuerit vbi ab infernis partibus (præsertim ab vniuerso corpore) corpus feritur: alioqui ipsum cauere oportet; aut (si fortè ex consuetudine est) quàm leuissimè aut citissimè relinquere.

Scribonius Largus compositione 10. *Prodest*, inquit, *cùm diu caput dolet, ad cutem tonderi.* Nec negandũ est, quin, vt prima quarti ait ille, tonsura capitis poros aperiat, atq. ob id salubris existat: verùm, cùm rasura densam reddat cutem, prohibet, ne vapores exhalent.

Capiti nihil æquè prodest atque aqua.

AQVA *frigida, vt posteà dicemus, non tantùm capiti, sed & omnibus particulis frigidis per se obest: per accidens autem prodest; scilicet sanis, quos in eodem seruare volumus, inutilis; infirmis autem, quos mutare, vtilis: ita enim melius est res ipsas quàm nomina distinguere, ne auditorem suspendamus: quemadmodum faciunt, qui priori distinctione aut hîc aut alibi contenti non sunt. Condensat autem ipsum caput vehementer aqua: quapropter non iam tantùm aduersus externas iniurias, sed & ab infernis quoque impetus bene repellit, compescit; nec tantùm caput corroborat, sed oculos,*

oculos, vt antè diximus, si quis illos in ipsa frequenter imbuat.

Bibere huic assiduè vinum dilutum.

DECEBAT *autem in hac obseruatione, & victum præscribere: quapropter præter alia perpetuum vinum vetat, ne caput plus satis tentet; sed & aquam propter cruditatem reformidat. Itaque vinum dilutum ac lene consulit, vt forte fortuna tandem contractam capitis grauitatem, vino familiariter & citra incommodum, discutiat. etenim & dolores oculorum hoc modo Hippocrates medicatur, & ex vino conceptam grauitatem hoc modo curat, vbi dicit: Quem læsit hesterna vini potio, crastina curat; modò lene hoc pondus sit, & citra corporis consensum. Veruntamen vinum molestè tempore ægritudinis ferret, qui ne anteà lymphatum quidem bibit. hæc quidem mihi illius verba spectare videntur; nam paulo obscuriora sunt: quippe posteà statim, nunc vinum nunc aquam permittit; eàdem fortè ratione, qua prius vinum dilutum commendat. Reliqua manifesta sunt, quippe quòd vomitus caput offendat; nisi fortè ex ipso ventre capitis grauitas oborta sit, ex se patet, alioqui autem alleuiat.*

CAPVT V.

De his qui lippitudine, grauedine, destillatione, tonsillisque laborant.

NEQVE verò his solis, quos capitis imbecillitas torquet, vsus aquæ frigidæ prodest: sed iis etiam, quos assiduæ lippitudines, grauedines, destillationes, tonsillæque malè habent. His autem non caput tantùm quotidie perfundendum est, sed os quoque multa frigida aqua fouendum est: præcipueq. omnibus, quibus hoc vtile auxilium est, eo vtendum est, vbi grauius cælum Austri reddiderunt. Cumque omnibus inutilis sit post cibum aut contentio, aut cogitatio animi: tum his præcipuè, qui vel capitis, vel arteriæ dolores habere consueuerunt, vel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam grauedines, destillationesque possunt, si quàm minimè eum (qui his opportunus est) aërem vel loca, aquasque mutet, si caput in se protegit, ne incendatur, néve subitum ex repentino nubilo frigus id moueat, si post concoctionem ieiunus caput radit, si post cibum neque legit, neque scribit.

COMMENTARIA.

NOS *quidem in multis aliis locis diximus contra quosdam ex neotericis, causam distillationis immediatam semper esse frigidam; calidam autem nunquam: neque enim in aëre pluuia vnquam generatur (cui vni distillatio comparatur) nisi per aëris*

rigorem; nam quod aliquid vaporem indensare posset, præter frigus, non est intelligibile. Attamen nunc rationem velis refellere, & illis ex hoc Celsi loco patrocinari, qui audientibus omnibus frigidam laudat. sed non hæc suadet ille in his qui iam distillationem patiuntur, sed quòd ab ea præseruare voluit. dictum enim prius est, quòd frigida non solùm aduersus externas, sed internas quoque iniurias caput pertinax faciat: quapropter vel sub austro hæc maximè obseruanda sunt, vbi caput repleri formidamus. Quòd autem non his consulat qui iam patiuntur, sed quibus hi affectus recurrunt, tum ex aliis patet, tum ex eo maximè quòd omnem morborum curationem ad reliquos libros differt. & tamen per accidens quoque conferre frigida hîc posset. Eadem ferè obseruatio est, vbi arteria laborat; quippe raucedine: nam & hæc vna ex distillationis speciebus est, & de affectibus aliarum supernarum partium, oris atque similium. Reliqua priùs dicta sunt. Illud autem indistinctè, atque à præcedente capite dissentire dictum est, quòd vel post concoctionem ieiuno capitis rationem admittat, quippe plus omnino vetuit. si fortè autem non simpliciter laudat, sed minus quàm post cibum vituperat, ac faciliùs indulget; fortè etiã tempore declinationis idipsum intelligit.

CAPVT VI.
Ad solutam aluum remedia.

QVEM verò frequenter citata aluus exercet, huic opus est pila, similibusque superiores partes exercere, dum ieiunus est ambulare, vitare solis nimium ardorem, continua balnea, vngi citra sudorem, non vti cibis variis, minimeque iurulentis, aut leguminibus, oleribúsve his, quæ celeriter descendunt, omnia denique fugere quæ tardè concoquuntur. Venatio, duriqué pisces, & ex domesticis animalibus assa caro maximè iuuant. Nunquam vinum salsum bibere expedit, ne tenue quidem, aut dulce, sed austerum, & plenius, neque id ipsum peruetus. Si mulso vti volet, id ex decocto melle faciendum est. Si frigidæ potiones ventrem eius non turbant, his vtendum potissimum est. Siquid offensæ in cœna sensit, vomere debet, idque postero quoque die facere, tertio modici ponderis panem ex vino esse, adiecta vua vel olea, vel ex defruto, similibusque aliis, deinde ad consuetudinem redire. Semper autem post cibum conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione, quamuis leui, dimoueri.

Plin. lib. 14. cap. 8. Tenue, Dulce, Austerum, Plenius.

COMMENTARIA.

MIRVM est qua ratione hoc Caput Celsus hic asscripsit, nam priùs aluum lubricam satis medicatus est: quod si ibidem obiter fecit, satisfacere potuit, quod in secundo commentatus est. Omitto nunc literatis & desidibus (quibus hæc potissimùm

videtur ſcripſiſſe) potiùs aſtringi ventrem, quàm diffluere. Faciunt etiam caput quibuſdam ſuſpectum, ea quæ de ardore ſolis dicuntur, & vnctione citra ſudorem: nam æſtus ſolis potius omnem aliam euacuationem molitur, quàm per ſedem; nam hanc potiùs reuellit, dum ſuderem pronocat. & propterea Hippocrates tempore æſtatis magis vomitum quàm deiectionem probat. Quòd ſi ea ratione, qua virtutem, aliquando deiicit, ventrem turbet; & hoc quoque frigori magis frequens eſt: attamen excuſari poteſt; quemadmodum & illud, quod de vnctione citra ſudorem ſcriptum eſt: nam licet contrà ſudor deiectionem reuellit, fortè ex ea vnctione ſolutionem & emollitionem vniuerſi corporis poſſis timere. Diuerſa etiam ratio & conſilium huius capitis eſſe potuit: quippe prius ventrem mollem in ſanis medicatus eſt; hîc in neutris, vbi magis ſuſpectus eſt. Proſequamur ergo reliqua ab eo loco, vbi ſuperiores partes exercere conſulit; nam motus ſemper ad ſe reuellit: itaque & pila non eſt inutilis; quoniam neque hæc tam æquè omnes partes exercet, quin ſuperiores magis fatiget. ergo, è contrario, inferiorum partium motus cauendus eſt, nam facillimè totum onus quod in ventre eſt, deorſum traheret: quòd ſi fortè nullum ibidem onus ſit, iam non ipſum ventrem turbat, ſed exiccat, & aliis quibuſdam rationibus; magis autem quia excrementa in ambitum corporis diſiicit. itaq. matutina deambulatio ventrem corroborat; pomeridiana & veſpertina lubricat. nec minor huic debet eſſe victus obſeruatio; etenim in primis omnem varietatem, ſaltem in vno menſe, cauere debet, quoniam promptè hanc deiectio ventris ſequitur; aliquando etiam cholera: quippe varietas iſta, vt non percoquitur, ita ab hepate non allicitur, ſed in ventre moratur. corrumpitur autem hæc varietas maximè, ſi quidem ſcilicet etiam præpoſtero ordine aſſumantur dura ac deinde lenia: neque tamen à corruptione vindicantur, ſi ordo ſeruetur, nam diuerſa qualitate ſeipſa conficiunt: ac natura quoque, quæ ea conficere deberet, nonnihil ab eo patitur. Neque tantùm varietatem ipſorum ferculorum vitare oportet, ſed ipſius ſubſtantiæ cruditatem: nam dum hæc diutiùs in ventre atque inteſtinis morantur, oneratus, atque, vt ita dicam, dedignatus venter deorſum ea præcipitat. Quòd autem iurulenta, legumina, olera vitare oportet, prima ratione efficitur; quia ferè ea lubrica ſunt; præter pauciſſima olera, quæ virtutem aſtrictoriam habent, vt portulaca: & hæc tamen ipſa dum viridis eſt, inter mollientia poſteà numeratur. Eâdem ferè ratione contingit, quòd braſſica, ſiue crambe (iuxta prouerbium) bis cocta atque poſita, ventrem ſtringat; ſemel, molliat: nam ſecunda coctione recens illi humiditas extracta eſt. Conferunt autem è contrario omnes ſilueſtres carnes: quòd hæ perpetuò domeſticis ſicciores ſunt; ſic & piſces qui duram carnem habent, & friabilem, his qui mollem; ſolis enim ſiccis per ſe aſtringere euenit; calidis autem ac frigidis, per accidens. non operatur autem hanc ſiccitatem tantùm rerum ſpecies, ſed & ipſa concoctionis diuerſitas. hac ratione & aſſa potiùs eſſe oportet, quàm elixa. Neque minor debet eſſe in potu obſeruatio: etenim ſtudioſiſſimè illius copiam vitare oportet. vbi verò bibendum eſt, non ceruiſia, non vinum tenue, ac dilutum, aut dulce, ſed plenius, ac vinoſius, auſterum quoque bibendum eſt: nam illa omnia ventrem molliunt dum humectant. ita & vetera vina dum in acidam facultatem degenerauerunt, non aliter quàm acetum ac cholera ipſa, ventrem vellicant. Ergo neque mulſum bibere oportet; id enim antiqui ferè ex muſti partibus duabus, & mellis vna compoſuerunt, ſaltem mel perpetuò admiſtum habet: quare ſi quis eo vti velit hoc tempore, erit ſatius ipſum ex melle priùs cocto facere; ita enim minùs flatulentum reddetur, ac lubricum. Nec tantùm facultatem iſtorum ſpectare oportet; nam & hoc plurimùm refert, ſub qua qualitate exhibeas. confert autem ſemper his qualecunque quàm frigidiſſimum bibere, etiamſi vinum fuerit, niſi venter facilè turbetur: vt ſi quis ex natura frigidus vltrò, vel flatu-

lentus est, non frigidißimum magis competit: numquam autem tepidum, quamuis ita hodie abusus habet; emollit enim vniuersum ventrem. Potes etiam hoc loco per frigidas potiones, & aquam intelligere; nam & hæc nonnihil ventrem aliquando corroborare potest. quum autem priùs ea quæ tardè coquuntur, suspecta habuit, hinc nunc vomitum à cœna iis consulit, qui aliquid offensæ senserunt: scilicet siue ob multitudinem, siue ob cruditatem grauatus sit, venter fluctuet, murmuret, tremat, vel aliter vacillet, aut solito plures ructus edat; quippe hæc omnia cruditatem indicant, aut malum ventris complexum. Veriti igitur ne per ventrem, totum onus præcipitetur, præstat in contrarium vomitu reuellere, non sine obseruatione in sequentibus diebus: non enim subitò à vomitu ad crapulam, & consuetudinem redeundum est. sed & illo die, atque altero quoque frugaliter viuendum vnicuique iuxta discrimen consuetudinis: nam tanta sobrietas quantam hîc præscribit, nostratibus non conuenit; sed tantùm iis qui alioqui sobrij esse consueuerunt. Sed neque tertio die quemuis cibum assumere oportet, sed eum qui nonnihil facultatis astrictoriæ obtinet: vt integram vnam passam, nam caro illius lubrica est. Consulta est & olea, si eam intelligas, quæ in muria seruatur & colymbadis nomen accepit; non autem drupiam, nam hæc aut parum aut nihil astrictoriæ facultatis habet: sed & colymbades ventrem mouent, non per se sed ratione condimenti. Ergo vnam hanc vel oleam potiùs ex defruto quàm sapa accipere conuenit: nam longè minùs quàm sapa lubricat, quoniam plus quàm sapa ad dimidium decoctum est; vtrumque tamen ex musto fit. Quod in fine sequitur, obscuritatem non habet; nisi quòd animi intentio nihil incommodare lubrico ventri videtur; nam contrà potiùs reuellit: attamen quatenus concoctionem, vt priùs diximus, interturbat, ventrem quoque nonnihil tandem mouere potest; nam quo minùs venter coquit, eo magis diffluit. hoc (puto,) nec aliud, Cornelius noster intellexit.

CAPVT VII.

Remedia ad coli dolorem.

ETSI laxius intestinum dolere consueuit (quod κῶλον nominant) cùm id nihil nisi genus inflationis sit, id agendum est, vt concoquat aliquis, vt lectione, & aliis generibus exerceatur: vtatur balneo calido, cibis quoque & potionibus calidis: denique omnimodo frigus euitet, item dulcia omnia leguminaque, & quicquid inflare consueuit.

COMMENTARIA.

LAXIVS nunc intestinum appellauit colon, quòd ceteris laxius sit. Consistit autem & in ileo similis dolor; mollior tamen ac breuior, quanquam suspicentur neoterici contrarium. sed & de his alibi multa. Duo tantùm hîc adiicere oportet, ad præcautionem istorum dolorum non parùm conferentia, cinguli angustiam, atque allij esum: nam iis duobus etiam testatur multos vicisse vehementißimos circuitus; non enim consueuerunt antiqui adeò promptè ad solutiuos clysteres confugere, vt hodie moris est. quippe & ipse Galenus solo clysteri acri, hoc est, incisiuo, aut solo oleo rutaceo, in hoc morbo vti consueuit; de quo alibi.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quæ agenda ſint ſtomacho laborantibus.

SI quis verò ſtomacho laborat, legere clarè debet: poſt lectionem ambulare: tum pila, vel armis, alióve quo genere, quo ſuperior pars mouetur, exerceri: non aquam, ſed vinum calidum bibere ieiunus: tum cibum bis die aſſumere, ſic tamen vt facilè concoquat: vti vino tenui, & auſtero, & poſt cibum frigidis potionibus potiùs. Stomachum autem infirmum indicant, pallor, macies, præcordiorum dolor, nauſea, & nolentium vomitus, in ieiuno dolor capitis. Quæ in quo non ſunt, is firmi ſtomachi eſt. Neque credendum vtique noſtris eſt, qui cùm in aduerſa valetudine vinum aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrocinium in accuſationem non merentis ſtomachi habent. At qui tardè concoquunt, & quorum ideò præcordia inflantur, quíve propter ardorem aliquem noctu ſitire conſueuerunt, antè quàm conquieſcant, duos, treſve cyathos per tenuem fiſtulam bibant. Prodeſt etiam aduerſus tardam concoctionem clarè legere, deinde ambulare, tum vel vngi, vel lauari aſſiduè, vinum frigidum bibere, & poſt cibum magnam potionem, ſed (vt ſupra dixi) per ſiphonem, deinde omnes potiones aqua frigida intercludere. Cui verò cibus aceſcit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, & vomere. At is cui ex hoc frequens deiectio incidit, quoties aluus ei conſtiterit, frigida potione potiſſimùm vtatur.

COMMENTARIA.

IN fine huius capitis bis medicatur ſtomachum, hoc eſt ventrem: primò frigidum; ſecundo calidum. periculum ergo eſt, ne bis idem in eodem capite audiamus; niſi quiſpiã in principio capitis ſtomachum propriè pro ſuperiore ventris oſculo audiat. Fortè etiam in prima capitis parte dolorem diſcutit; in ſecunda verò ac tertia, concoctionem corrigit, prout frigido immutatur vel calido: ac quæ in tota prima parte ſcribit, niſi quòd fortè ægrè feres ipſum ieiuno indulgere vinum: potes autem coniectare, quod antè reſpondimus; non enim ſubitò vinum modicum articulos tentat, eò quòd tanquam medicamentum recipiatur, ſed immodicum. Maior eſt obſcuritas in iis verbis: Neque credendum vtique noſtris eſt, qui quum in aduerſa valetudine,

dine, vinum aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrocinium in accusationem non merentis stomachi habent. *Videtur autem mihi eos breuiter recriminari, qui fortè ex intemperantia vitæ stomacho affecti, genuinum stomachi intemperamentum malè accusant pro ipsa incontinentia.*

At qui tardè concoquunt &c:

HÆC est secunda huius capitis pars, qua frigidum stomachum emendat, ex quo (quod mirum est) ardor & sitis aliquando suboritur. itaque si modica ac toleranda est, superdormire oportet, inquit Hippocrates; *si autem magna, theorema medicinale est, intemperiem ac defectum potu restinguere. ita quidem Galenus consuluit. Quomodo bibendum esset, ipse Celsus adiecit:* Per tenuem, *inquit,* fistulam *vel* siphonem, *non affatim sed paulatim demittere. Videtur autem hoc pugnare cum eo quod priùs diximus, magnam sitim optimè in febribus dilui vniuerso potu simul affuso. verùm in febribus vniuersum corpus incensum est; hæc autem sitis à supremo ventris osculo oritur: quod meliùs delinitur paulatim exucta vniuersa potione, quàm affatim affusa. Lectionem etiam (matutinam scilicet, non autem pomeridianam,) ad concoctionem laudat; quia præsertim supremas partes exercet atque corroborat.*

Cui verò cibus acescit, &c.

NOVISSIME *ventrem calidum medicatur: sæpe enim cibos hic corrumpit; præsertim faciles ac calidos; idq; verbũ* acescit *audire oportet pro,* amarescit: *nam si propriè audias, nihil tali ventri magis inutile quàm aqua frigida. fortè verò ita verbo* acescit *vsus est, ex opinione antiquorum medicorum, qui acidum saporem per caliditatem fieri arbitrabantur: quos Galenus refellit libro quarto (si rectè memini) de simplicium facultatibus.*

CAPVT IX.

Quid obseruandum sit dolore neruorum laborantibus.

SI cui verò dolere nerui solent (quod in podagra, chiragráve esse consueuit) huic quantum fieri potest, exercendum id est, quod affectum est, obiiciendumque labori & frigori, nisi cùm dolor increuit. Sub * dio quies optima est. [* quo] Venus semper inimica est. Concoctio (sicut in omnibus corporis affectibus) necessaria est. Cruditas enim id maximè lædit, & quoties offensum corpus est, vitiosa pars maximè sentit. Vt concoctio autem omnibus vitiis occurrit, sic rursus aliis frigus, aliis calor. Quæ sequi quisque pro habitu corporis sui debet. Frigus inimicum est seni, tenui: vulneri, præcordiis, intestinis, vesicæ, auribus, coxis, scapulis, naturalibus ossibus, dentibus, neruis, vuluæ, cerebro. Idem summam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram. Ex hoc horrores,

rores, tremoresque naſcuntur. At prodeſt iuuenibus, & omnibus plenis, erectiorque mens eſt, & melius concoquitur, vbi frigus quidem eſt, ſed cauetur. Aqua verò frigida infuſa, præterquàm capiti, etiam ſtomacho prodeſt. Item articulis, doloribuſque qui ſunt ſine vlceribus. Item rubicundis nimis hominibus, ſi dolore vacant. Calor autem adiuuat omnia quæ frigus infeſtat. Item lippientes ſi nec dolor, nec lacrymæ ſunt. Neruos quoque qui contrahuntur, præcipueque ea vlcera, quæ ex frigore ſunt. Idem corporis colorem bonum facit, vrinam mouet. Si nimius eſt, corpus effœminat, neruos emollit, ſtomachum ſoluit. Minimè verò aut frigus, aut calor tuta ſunt, vbi ſubita inſuetis ſunt. Nam frigus lateris dolores, aliaque vitia: frigida aqua ſtrumas excitat. Calor concoctionem prohibet, ſomnum aufert, ſudorem digerit, obnoxium morbis peſtilentibus corpus efficit.

COMMENTARIA.

PODAGRA, *cheiragra, & ſimiles articulorum morbi, ex his ſunt qui literatis quoque aut certè vrbanis ſuperuenire conſueuerunt: etenim hi morbi non niſi molles & effœminatos ſequuntur: nam qui ex penuria accedunt, nunquam peculiarem aliquem locum deligunt, ſed vniuerſos ſimul articulos (dicente Galeno) ferè affligunt: podagra verò & chiragra fermè ob tres generatim cauſas eueniunt: intempeſtiuam Venerem, immodicam crapulam; aliquando autem ob articulorum aut genuinam, aut adſcititiam imbecillitatem: quam non parùm promouet otium; nam articuli ſua natura frigidi ſunt, ac ab hoc ſitu promptè langueſcunt. neque minùs partem infirmant, qui ipſam multis onerant: nam re vera calorem exoluunt, tantùm abeſt vt partem corroborent; quippe calor digerit, frigus vnit; ergo mollitiem tollere oportet. E contrà, pars ipſa frigori ſubinde obiicienda; non eo quidem tempore quo languet, ſed quo valet maximè exercenda: quod ſi fieri non licet, ſaltem frictio ex ſale vel aqua ardente negligenda non eſt; nequaquam enim calor iſte, vt qui à multitudine veſtium ſuſcitatur, mollis eſt ac languidus, ſed ſiccus. Quòd ſi præter hæc faſtidita crapula ſobrietatem ſeruare poſſit atque legitimam concoctionem; non dubium eſt quin rarò paroxyſmus recurret: nam ferè in corpore euenit, quod in republica, vt ſemper onus aliarum partium detrudatur in viliorem atque imbecilliorem. Sed rarò pauciſſimi ex his præſeruantur; quoniam non niſi effœminati ferè ſunt, qui eiuſmodi vitiis corripiuntur: qui mallent ſingulis annis ſemel morbum atque dolorem parturire, quàm diu ſobriè, ac frugaliter benéque viuere; digni profectò ſuo partu homines.*

Vt concoctio autem omnibus vitiis occurrit.

CALIDI, *frigidi externi, atque interni commoda & incommoda ſatis latè in Aphoriſmis demonſtrauimus: etenim frigus inimicum eſt generatim omnibus frigidis, omnibus tenuibus, atque vlceratis; quia licet ab internis abſtineat, vlcerata tamen mordet. ad concoctionem autem, ac deinceps*

omnia opera animalia; prodest si caueatur, hoc est non nisi modicè admittatur: per accidens autem prodest, & articulorum, & neruorum sine vlcere doloribus; dum calorem reuocat, iuxta eas conditiones quas in Aphorismis & alibi præscripsimus. Circa corporis extrema variè sese habet; nam leuius frigus aut non admodum diuturnum, calorem subinde meliorem aduocat; alibi autem nunc pallidam, nunc liuidam, aliquando nigram cutem reddit: pallidum autem appellat, non vt hodie recentiores, sed vt vulgus ipsum inaudit; sic & priùs. Malè verò hic legitur, Item rubicundis nimis hominibus, si dolore vacant; *pro eo quod suspicor* (Item rubicundis inflammationibus si vlcere vacant:) *nam & hoc consentit cum Hippocrate in quinto Aphorismorum, vnde hæc pleraque Cornelius Celsus desumpsit.*

Calor autem adiuuat omnia.

QVÆ de calore dicuntur, ex iis quæ de frigore diximus, manifesta sunt; excèpto principio, vbi lippientibus commendat si dolore quidē ac lachrymis vacent. vocat autem lippitudinem non vulgariter, sed more medicorum, inflammationem in oculo: atque hæc duplex est; aliquando enim cum euidenti foras defluxu; aliquando verò sine eo: nam si rarius cōoperculum, vel ex corporis vel ex circumstantis aëris natura obtigerit, ferè manifesta defluxio visitur. Igitur frigidum non admonebimus, veriti ne particulam ipsam plus satis astringamus. Cur autem & dolorem secludat, nescio; etenim citra dolorem, quomodo lippitudines istæ esse poßint? credo quòd & hic sine vlcere *legendum sit; nam hoc cum plurimo dolore esse solet: nos tamen integram lectionem retinere maluimus.*

CAPVT X.

Obseruatio in pestilentia.

EST etiam obseruatio necessaria, qua quis in pestilentia vtatur adhuc integer, cùm tamen securus esse non possit. Tum igitur oportet peregrinari, nauigare. Vbi id non licet, gestari, ambulare sub diuo, ante æstum leniter, eodemque modo vngi, & vt suprà comprehensum est, vitare fatigationem, * crudelitatem, frigus, calorem, libidinem, multoque magis se continere, si qua grauitas in corpore est: tum neque manè surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est, minimeque post cibum, aut balneum, neque ieiuno, neque cœnato vomendum est. Neque mouenda aluus, atque etiam si per se mota est, comprimenda est. Abstinendum potiùs, si plenius corpus est. Itemque vitandum balneum, sudor, meridianus somnus, vtique si cibus quoque antecessit, qui tamen semel die tunc commodiùs assumitur: insuper etiam modicus, ne cruditatem moueat. Alternis diebus inuicem modò aqua, modò vinum bibendum est. Quibus seruatis, ex reli-

* cruditatem,

ex reliqua victus conſuetudine, quàm minimum mutari debet. Cùm verò hæc in omni peſtilentia facienda ſint, tum in ea maximè, quam Auſtri excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem neceſſaria ſunt, vbi graui tempore anni diſceſſerunt ex ſuis ſedibus, vel vbi in graues regiones venerunt. Ac ſi cætera res aliqua prohibebit, vtique abſtinere debebit. Atque ita ab vino ad aquam, ab hac ad vinum eo, qui ſuprà poſitus eſt, modo tranſitus ei eſſe.

COMMENTARIA.

TVTISSIMVM eſt aërem peſtilentem quàm longiſſimè fugere: ſed non nunc id ſuadet Celſus, ſed diuerſa exercitiorum genera, vt nulla pars relinquatur ocioſa, quæ clam ſuo ſitu venenum alere poſſit. Secundò omnem exceſſum cauere oportet; maximè autem libidinis: quia hæc corpus maximè emollit, exoluit & putredini obnoxium reddit; quippe ſpiritum affatim euacuat, qui corpus regit, ac veges ſuſtinet: videtis enim vt corpus deſtitutum ſpiritu, ac mortuum promptè corrumpatur. Neque multo minùs plenitudo cauenda eſt, ac cruditas; nam iuſtiſſimam concoctionem obſeruare oportet. Ergo neque nudis pedibus obambulandum eſt, quia hoc concoctionem infirmat: & ſi qua priùs in corpore grauitas fuit, domi ſeſe continere oportet, donec cruditas ipſa perficiatur. quippe motus, vt diximus, concoctionem moratur. Confert igitur & ſobrium eſſe, ne quid imperfectum relinquatur, & ſemel tantùm in die cibum capere, quippe in cœna; ne fortè concoctio in die interrumpatur, vel alioqui alius exceſſus admittatur. Rectè igitur ſomnus meridianus (præſertim à cibo ſtatim) interdicitur: nam, vt antè diximus, ipſe quoque concoctionem corrumpit. & vtrumq. cum obſeruatione hodierna pugnat: nam & hæc ientaculum habet, & cibum quàm pleniſſimum comprobat; quoniam & Auicenna ipſe dixit, Tantùm euadunt qui viriliter bibunt, & comedunt. neque hoc multùm abeſt à mente Galeni, vt alibi diximus, ne fortaſſis recentiorem Auicennam aſperneris. Verùm hæc illorum præcepta non ad ipſam obſeruationem, ac præcautionem, ſed præſentem affectum pertinent: neque etiam corpus integrum præter conſuetùdinem ientaculum deſiderat; ſed penuria affectum atque indigum: nam & id auidiùs omnem aërem allicit, etiam malum; quapropter ipſum replere oportet. Huc fortè pertinet quod vulgò dicitur, Quod intùs eſt prohibet extraneum: quippe interna mediocritas non facilè admittit externam copiam. Magis autem ab omnibus his diſſidet, quum phlebotomiam, purgationem, vomitum prohibet, atque etiam ſi quid horum vltrò acceſſerit, aſtringit. nam in hac obſeruatione hodie in his nihil eſt communius, quàm ſubinde ſingulis diebus pilulas aliquot deglutire. atque hos fortè poſteà non laudabimus: non tamen Galenum contemnere poſſumus, qui corpora humida exiccauit, ſicca humectauit, plena euacuauit, & impura purgauit: quid ergo dicemus? quòd Celſus iſta, tanquam Aſclepiacles alter, temerè abſtulit? nequaquam. nam illa in corporibus neutris ac inſalubribus Galenus dumtaxat obit. Celſus verò integrum corpus accepit, quod nullam immutationẽ admittit. Verùm & ſi modicè plenum, aut impurum fuerit, neque hîc neq. alibi (dicente Galeno in Therapeutica,) ſtatim ad phlebotomiam aut purgationem fugiendum eſt: Subinde enim, inquit, probè ſatis facit exercitium; aliquando inedia. quanto religioſiùs hîc in euacuationibus ſobrij eſſe debemus, vbi omnibus modis, viribus ſtudendum eſt, quæ per euacuationes cum ſpiritu nonnihil exoluuntur?

Benè ergo & hîc dictum est ab auctore nostro, etiam abstinendum potiùs esse si corpus plenius fuerit, quàm euacuandum. Eâdem ratione & balneum vetetur, & sudoris profluuium. atque his obseruatis, nihil in reliqua consuetudine variare permittit; nisi quòd inuicem modò aquam, modò vinum consulit: fortè tamen & dilutum vinum permitteret; nam aqua continua, cruditatis; vinum verò perpetuum, caliditatis periculum minatur: contrà verò vicissim maximè confirmat: nam vinum putredinem; aqua verò inflammationem discutit: ergo & vicissitudo ipsorum magis quàm confusio expedit.

Macrobius vinum limphatū ideò commēdat, quòd cor, cerebrum, hepar à qualibet putrefactione venenosa præseruat: & vt veneno magis resistat, laminā auream in ipso extinguit.

Cùm verò hæc in omni pestilentia.

HÆC est grauissima pestilentia: etenim multo mitior est quam tantùm hominum afflatus attulit; quippe illa multo vniuersalior. neque tantùm istam obseruationem præsens pestilentia desiderat, sed & quæuis grauis constitutio, vnde hæc imminet. Maximè autem eam obseruare debet, qui sub eo ambulat, aut peregrinatur: nam is eiusmodi aërem nullo modo vitare potest; & is qui domi manet, domesticum aërem studio meliorem reddere potest. Ergo & in grauibus regionibus (præsertim si quis recens in eas venerit) eadem cautio adhibenda est; atque eo modo inuicem modò vinum, modò aquam bibere decet, & si quam grauitatem senserit, donec percocta fuerit, sese continere atque abstinere. Talis est obseruatio tum in his tum in peste, quæ aliquando febrem coniunctam habet, aliquando autem sine ea contingit, & tamen nihilo priore tutior. Sed nondum cum neotericis diariam aliquam febrem pestilentem ponimus: nam & contra Galenum est in libro primo De differentiis febrium; & contra rationem, quæ nihilo faciliùs diariam admittit inter pestilentes, quàm inter putridas. ac nos de iis alibi. Nunc verò obseruationem quam cœpimus, prosequi oportet. quæ otiosa, ieiuna, & admirabilis, ac omnino ridicula, iis (non dubito) apparebit, qui in recentioribus Arabibus ac barbaris versati sunt: apud quos nihil magis audies, quàm pilulas varias, amuleta, alexipharmaca, quæ etiam bezearthica barbari appellant. quàm salubriter verò hæc ab illis descripta sint, alij æstiment: omnia enim hæc excellente quadam facultate dotata sunt, quæ in mediocribus atque integris vehementer suspecta est, in quibus & quemuis alium excessum atq. mediocritatem priùs verebamur; nedum hanc. Ergo nisi in impuris corporibus, aut iam sub venenato aëre versantibus, exhibenda sunt: nimirum quæ media sunt inter salubria, atque intoxicata, quibus opportunè accommodatur auxilium, aliis autem venenum: quippe neque Galenus Armenum bolum (quantumcunque ab omni euidenti excessu semotum) aliis propinat, quàm iam laborantibus. Atque hæc precor mecum alij cogitent: ne fortè quos vindicare volumus, maiori afficiamus discrimine. nam antiqui ista alexipharmaca non ignorauerunt: & tamen ad præseruationem in corporibus firmis, extra conditionem pestilentem, ea non commendauerunt; soli neoterici ista factitârunt.

Finis Commentariorum D. Hieremiæ Driuerij in primum Cornelij Celsi librum.

AVRELII CORNELII CELSI LIBER SECVNDVS, DE CAVSIS SIGNISQVE COMMVNIBVS ET AVXILIIS,

A BALDVINO RONSSEO *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

PROOEMION.



NSTANTIS autem aduersæ valetudinis signa complura sunt. In quibus explicandis non dubitabo auctoritate antiquorum virorum vti, maximeque Hippocratis: cùm recentiores quoque Medici, quamuis quædam in curationibus mutarint, tamen hæc illum optimè præsagisse fateantur. Sed antequam dico, quibus præcedentibus morborum timor subsit, non alienum videtur exponere, quæ tempora anni, quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora maximè tuta, vel periculis opportuna sint, quod genus aduersæ valetudinis in quoque timeri maximè possit. Non *quò non omni tempore, in omni tempestatum genere, omnis ætatis, omnis habitus *hominum per omnia genera morborum & ægrotent, & moriantur: sed quòd frequentiùs tamen quædam eueniant. Ideoque vtile est scire vnumquemque, quid, & quando maximè caueat.

*quòd

*homines

BALDVINI RONSSEI ENARRATIO.

CAPTAT *Celsus hîc non secus, ac in præcedenti libro, per occupationem quandam, auditoris beneuolentiam: atque eum quodammodò attentum reddit, dum in ipso statim initio sese dicturum pollicetur, quæ quibusuis non solùm vtilia, sed & cognitu necessaria sint: vtile est enim vnumquemque scire, vt dicit, quid & quando*

maximè

maximè caueat. & quum homini nihil vtilius, nihílque magis expetendum ſit, quàm vt omnia corporis munia quàm rectißimè obeantur; & ſi ea aliqua parte læſa ſint, quàm fieri poteſt ocyßimè reſtituantur; promittit ſe ſigna aduerſæ valetudinis futuræ enarraturum: vt iis cognitis, omnem noſtram operam impendamus ad id quod deeſt reſtituendum, (eſt enim, vt poſteà ex Hippocrate docet, medicina additio, & ſubtractio) & quod ſupereſt demendum, ſubtrahendúmque; ac proinde, valetudinem quàm longißimè ſeruare incolumem: & deinceps, ſi eò iam ventum ſit, vt læſis functionibus naturalibus & animalibus, contingat hominem malè valere atque ægrotare; tum demum, quæ ſpem, quæúe metum polliceantur, ſeſe dicturum ſpondet. Atque poſt omnia quibus modis ægrotis ſubueniendū ſit, edocet: Siquidem chæruргicen, atque pharmaceuticen nobis ob oculos ponit, dum phlebotomiæ, frictionis, vnctionis cucurbitularúmque mentionem facit. Diæteticen autem ita abſoluit, vt nihil melius, nihil exactius, nihílque quod in eâ deſiderare poßis, reperiri queat. Nam præterquam quòd clarè ſatis diſſeruerit, quando cibandum, ac rurſum quando à cibo abſtinendum, omnium etiam eduliorum facultates; inſuper quæ multùm, quæ parùm nutriant, quæ ὀξύπορα, quæ βραχύπορα, quæ res ſtomacho amicæ, aut alienæ ſint, fuſißimè explanat. Idq́; ſe non ex vulgi aut quorumuis qui rem medicam profitentur opinione, ſed ex antiquorum medicorum præcipuéque medicinæ parentis antiquißimi Hippocratis placitis facturum, vt maiorem dictis auctoritatem conciliet, pollicetur: ne videlicet, aut bullatas nugas aut aniles fabulas lectori propoſuiſſe videatur. Nam quantumuis, inquit, recentiores nonnulli medici, ſicuti Aſclepiades, eiuſque ſequaces, relicta Hippocratis curatoria methodo, nouo quodam ordine Therapeuticen aggreßi ſunt: ad vnum tamen omnes in ſignis cauſiſque ſalubribus inſalubribúſque Hippocrati ſubſcribere coacti ſunt; quòd & verißima, & rationi quàm maximè conſona dixerit. Quare quum Hippocratis potißimùm auctoritate hoc ſecundo libro in ſignorum enarratione vſus ſit Celſus; id quoque nobis faciendum reſtat, vt ex eodem locum loco interpretemur: & ſi quando (quod frequentiùs quàm volumus nobis vſu venit) ſenem illum Coum non ſatis reddiderit, atque ab illius ſententia receſſerit, vtríſque conciliandis ſtudeamus, expunctis quæ calcographorum incuria redundabant, aut additis, quæ deſiderabantur; aut pro ſubſtitutis quæ vera germanaque ſunt, reſtitutis.

CAPVT I.

Quæ anni tempora, quæ tempeſtatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora vel tuta, vel morbis opportuna ſint: & quod valetudinis genus in quoque timeri poſſit.

IGITVR ſaluberrimum ver eſt, proxima deinde ab hoc hiems, periculoſior æſtas, autumnus longè periculoſiſſimus. Ex tempeſtatibus verò optimæ æquales ſunt, ſiue frigidæ, ſiue calidæ: peſſimæ, quæ variant maximè. Quò fit, vt Autumnus plurimos opprimat. Nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis ſimulque etiam veſpertinis frigus eſt. Corpus ergo & æſtate, & ſubinde meridianis

meridianis caloribus relaxatum, ſubito frigore excipitur. Sed vt eo tempore id maximè fit, ſic quandocumque euenit, noxium eſt. Vbi æqualitas autem eſt, tamen ſaluberrimi ſunt ſereni dies, meliores pluuij, quàm tantùm nebuloſi, aut nubili, optimique hieme qui omni vento vacant: æſtate quibus Fauonij perflant. Si genus aliud ventorum eſt, ſalubriores Septentrionales, quàm Subſolani, vel Auſtri ſunt. Sic tamen, vt hæc interdum regionum ſorte mutentur. Nam ferè ventus vbique à mediterraneis regionibus veniens ſalubris, à mari grauis eſt. Neque ſolùm in bono tempeſtatum habitu certior valetudo eſt, ſed priores morbi quoque (ſi qui inciderunt) leuiores ſunt, & promptiùs finiuntur. Peſſimum ergo cælum eſt, quod ægrum fecit, adeo vt in id quoque genus, quod natura peius eſt in hoc ſtatu, ſalubris mutatio ſit. Ætas media tutiſſima eſt, quæ neque iuuentæ calore, neq. ſenectutis frigore infeſtatur. Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcentia magis patet. Corpus autem habiliſſimum quadratum eſt, neque gracile, neque obeſum. Nam longa ſtatura, vt in iuuenta decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur. Gracile corpus, infirmum: obeſum, hebes eſt. Vere tamen maximè quæcunque humoris motu nouantur, in metu eſſe conſuerunt. Ergo tum lippitudines, puſtulæ, profuſio ſanguinis, abſceſſus corporis, quæ ἀποςήματα Græci nominant, bilis atra, quam μελαγχολίαν appellant, inſania, morbus comitialis, angina, grauedines, deſtillationes oriri ſolent. Hi quoque morbi qui in articulis, neruiſq. modò vrgent, modò quieſcunt, tum maximè & inchoantur & repetunt. At æſtas non quidem vacat pleriſque ab his morbis, ſed adiicit febres, vel continuas, vel ardentes, vel tertianas, vomitus, alui deiectiones, auricularum dolores, vlcera oris, cancros, & in cæteris quidem partibus, ſed maximè obſcœnis, & quicquid ſudore hominem reſoluit. Vix quicquam ex his in autumnum non incidit: ſed oriuntur eo quoque tempore febres incertæ, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, quam Græci φθίσιν nominant: vrinæ difficultas, quam ςραγγουρίαν appellant: tenuioris inteſtini morbus, quem εἰλεὸν nominant. Fit item

Pluuij, Nebuloſi, Nubili.

Corpus quadratum.

Febres incertæ.

item læuitas inteſtinorum, quæ λειεντερία vocatur, coxæ dolores, morbi comitiales. Idemq́ue tempus & diutinis malis fatigatos, & ab æſtate tantùm proxima oppreſſos interimit, & aliis nouis morbis conficit, & quoſdam longiſſimis implicat, maximeque quartanis, quæ per hiemem quoque exerceant. Neque aliud magis tempus peſtilentiæ patet, cuiuſcunque ea generis eſt, quamuis variis rationibus nocet. Hiems autem capitis dolores, tuſſim, & quicquid in faucibus, in lateribus, in viſceribus mali contrahitur, irritat. Ex

Aquilo. tempeſtatibus Aquilo tuſſim mouet, fauces exaſperat, ventrem aſtringit, vrinam ſupprimit, horrores excitat, item dolores lateris & pectoris. Sanum tamen corpus ſpiſſat, & mo-

Auſter. bilius, atque expeditius reddit. Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolores mouet, aluum ſoluit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Cæteri venti quò vel huic vel illi propiores ſunt, eo magis vicinos his illíſve affectus faciunt. Denique omnis calor & iecur, & lienem inflammat: mentem hebetat: vt anima deficiat, vt ſanguis prorumpat, efficit. Frigus modò neruorum diſtentionem, modò rigorem infert, illud σπασμὸς, hoc τέτανος Græcè nominatur: nigritiem in vlceribus, horrorem in febribus excitat. In ſiccitatibus acutæ febres, lippitudines, tormina, vrinæ difficultas, articulorum dolores oriuntur. Per imbres longæ febres, alui deiectiones, angina, cancri, morbi comitiales, reſolutio neruorum, quam παράλυσιν Græci nominant. Neque ſolùm intereſt, quales dies ſint, ſed etiam quales antè præceſſerint. Si hiems ſicca Septentrionales ventos habuit, ver autem Auſtros & pluuias exhibet, ferè ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeq́ue in mollioribus corporibus, ideoque præcipuè in mulieribus. Si verò Auſtri, pluuiæq́ue hiemem occuparunt, ver autem frigidum & ſiccum eſt, grauidæ quidem

*tum fœminæ, quibus *dum adeſt partus, abortu periclitantur. Hæ verò quæ gignunt, imbecillos, vixq́ue vitales edunt. Cæteros lippitudo arida, &, ſi ſeniores ſunt, grauedines, atque deſtillationes malè habent. At ſi à prima hieme Auſtri ad vltimum ver continuarunt, laterum dolores & inſania febricitantium,

citantium, quam φρενῖτιν appellant, quàm celerrimè rapiunt. Vbi primò calor à primo vere orsus, æstatem quoque similem exhibet, necesse est multum sudoren in febribus subsequi. At si sicca æstas Aquilones habuit, autumno verò imbres, Austrique sunt, tota hieme quæ proxima est, tussis, destillatio, raucitas, in quibusdam etiam tabes, oriuntur. Sin autem autumnus quoque æquè siccus, iisdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria esse proposui, secunda valetudo contingit: Durioribus verò instare possunt & aridæ lippitudines; & febres partim acutæ, partim longæ, & hi morbi, qui ex atra bile nascuntur. Quod ad ætates verò pertinet, pueri, proximique his, vere optimè valent, & æstate prima tutissimi sunt: Senes æstate, & autumni prima parte: iuuenes hieme, quique inter iuuentam senectutemque sunt. Inimicior senibus hiems, æstas adolescentibus est. Tum si qua imbecillitas oritur, proximum est, vt infantes, tenerosq. adhuc pueros serpentia vlcera oris (quæ ἄφθας Græci nominant) vomitus, nocturnæ vigiliæ, aurium humor, circa vmbilicum inflammationes exerceant. Propriè etiam dentientium gingiuarum exulcerationes, distentiones neruorum, febriculæ interdum, alui deiectiones, *maximeque caninis dentibus orientibus malè habent. Quæ pericula plenissimi cuiusque sunt, & cui maximè venter adstrictus est. At vbi ætas paulum processit, glandulæ, & vertebrarum quæ in spina sunt, aliquæ inclinationes: strumæ, verrucarum quædam genera dolentia (ἀκροχόρδονας Græci appellant) & plura alia tubercula oriuntur. Incipiente verò iam pube, ex iisdem multæ & longæ febres, sanguinis ex naribus cursus. Maximeque omnis pueritia primùm circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur. Si qua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in fœmina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt. Sæpius tamen morbi pueriles, qui diutius manserunt, terminantur. Adolescentia morbis acutis, item comitialibus, tabique maximè obiecta est, fereque

*maxillæque

iuuenes sunt, qui sanguinem expuunt. Post hanc ætatem laterum & pulmonis dolores, lethargus, cholera, insania, sanguinis per quædam etiam velut ora venarum (αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant) profusio. In senectute spiritus & vrinæ difficultas, grauedo articulorum, & renum dolores, neruorum resolutiones, malus corporis habitus (καχεξίαν Græci appellant) nocturnæ vigiliæ, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipueque soluta aluus, & quæ sequuntur hanc tormina, vel læuitas intestinorum, cæteraq. fusi ventris mala. Præter hæc graciles, tabes, deiectiones, destillationes. item viscerum & laterum dolores fatigant. Obesi plerunque acutis morbis, & difficultate spirandi strangulantur, subitoq. sæpe moriuntur. Quod in corpore tenuiore vix euenit.

ENARRATIO.

Saluberrimum ver est.

CLARIVS Hippocrates ver saluberrimum, ac morbis qui mortem afferant minimè obnoxium pronunciauit: nam alioqui, si quis saluberrimum simpliciter & citra exceptionem, vt Celsus noster, dixerit; ex professo sibi ipsi contradicere videbitur: nam paulo pòst, omnes quotquot sunt morbi, ex fusione non solùm sanguinis, sed reliquorum deinceps humorum, atque eos qui hæreditario iure soboles inuadunt, statisque temporibus accessiones faciunt, verno potissimum tempore exacerbari dicit. Ita vt si aliis conferatur, Celso non rectè saluberrimum, hoc est, minimè morbiferum dictum videatur; nisi saluberrimũ, *minimè mortiferum, quemadmodum* Hippocrates *quoque interpretatur, intelligamus. quanquam, si quis simpliciter ver saluberrimum, hoc est, minimè morbiferum, dicere velit; citra calumniam id facilè possit: quando ver (vt Galenus latiùs libro suo* De temperamentis *docet,) temperatum, neque sicut quidam suspicabantur, calidum & humidum, sit. Ac proinde, quum ad morbi generationem, alicuius intemperiei excessus requiratur; ver (quòd omnis excessus ac dyscrasiæ expers sit) nullos ex se procreaturum morbos; verùm si quod tandem genus morborum sit, quod verno tempore inuadere atque accessiones suas potissimùm facere dicimus; id non tam veri, quàm corpori quod sortitur malè affectum & impurum, acceptum ferendum.*

Proxima deinde ab hoc hiems.

CONSTITVIT veri proximã hiemem, quòd videlicet calor innatus tunc plurimus est; cuius substantia, vt auctor est Hippocrates, tempore æstiuo dissoluitur atque dissipatur. quod & voluit idem senex Aphorismorum primo, sententia XV. *Ventres hieme & vere natura calidissimos definiens: quare per ea quoque tempora alimenta copiosiora exhibenda esse; calorem etenim innatum tunc plurimum esse. Per ventres non solùm ventriculum intelligens, verùm etiam cauitatem totam, in qua intestina & alia instrumenta concoctioni seruientia, continentur. Quum igitur calor innatus, omnium operum naturalium caussa sit, vt rectè monet* Galenus, *necessarium erit hyberno tempore in corpore animalis omnia rectè administrari. cibi enim in ventriculo optimè concoquuntur, quòd calor innatus plurimus*

plurimus ſit, ſuperfluitatéſque in ſomnis longioribus expurgantur, quæ quidem exquiſitè extenuantur per cutem; quæ verò in vapores conuertuntur, per expirationem; quæ verò ſufficientem habent craßitudinem, per vrinas: in his enim plus eſt ſedimenti, quàm per æſtatem; præter id etiam, quòd tota vrinarũ multitudo ſufficienter augetur. Quæ omnia quamuis quam maximè ita ſeſe habeant, videtur tamen ex diametro hiſce contradicere Ariſtoteles libro Problematon primo, eâ videlicet Quæſtione quâ rogat, Cur per hiemem, minùs quidem quàm per æſtatem, ſed pernicioſiùs ægrotatur: vbi hieme non niſi grauißimis quibuſque de cauſis corpus affici dicit; æſtate autem leuißimis: & per conſequens, quo cauſæ grauiores, eò morbos eſſe vehementiores; ac proinde quò tempus anni vehementiores morbos inferat, eò etiã periculoſius dicendum. Verùm quando æſtiui morbi ferè acuti ſint, atque à putredine originem ſuam magna ex parte trahant (quanquam ſint pauci admodùm, qui hieme pernicioſiùs affligant) rectè tamen æſtatem hiemi poſtpoſuit Celſus: neque enim ſalubrem omnino definiuit hiemem, vtpote quæ in humiditate & frigiditate excedat; ſed æſtati tantùm prætulit, quòd videlicet calor innatus ſub id tempus dißipetur ac diſſoluatur. At autumnus, omnium periculoſißimus eſt; idq́ſ ſua inæqualitate: nam meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis, ſimul etiam veſpertinis frigus eſt: Quare non iniuriâ Hippocrates, autumno acutißimos ſimul & exitiales morbos fieri auctor eſt; idq́ſ vel ob antedictas cauſſas, vel quòd (vt docet Galenus) æſtiuum tempus ſubſequitur; in quo multis quidem humores aßi ſunt, præterea vires debilitatæ: quibus omnibus ceu auctuarium accedit, quòd quum verno ac æſtiuo tempore humores ad cutem mouebantur, ac difflabantur; ab ambientis iam aëris frigiditate, ad interiora truduntur pelluntúrque retorridi ſeróque ſuo ſpoliati à præcedente æſtu.

Si genus aliquod ventorũ eſt.

SALVBRITATEM *aquiloni inter reliquos potißimùm aßignat ventos; quòd quum frigidus ſit & ſiccus, omnes corporis ſuperfluitates conſumat, roburque addat ipſis inſtrumentis; eò quòd aſtringit ac in vnum cogit, denſando nimirum ſubſtantiam: quod voluit Hippocrates, eo Aphoriſmo quo dicit, Quotidianas conſtitutiones aquilonias, corpora denſare, contendere, bene mobilia reddere, coloratiora & meliùs audientia facere. Nam & ventres hiberno tempore meliùs concoquunt, ac naturalia munia rectiùs obeunt, calore innato auctiore reddito ab aëris ambientis frigiditate; qui dum cutim conſtringit, naturalem calorem repellit, & in profundo corporis concludit, atque adeò eundem roborat atque auget. Auſter autem, cùm ex diametro cum aquilone pugnet, inſaluberrimus vt ſit neceſſe eſt: nam qualis qualis tandem ſit, hoc eſt ſiue humidus ſiue ſiccus ſit, corpus reſoluit ac ſpiritus diſſipat. humidus enim auſter ſua qualitate putredini corpora obnoxia reddit; calida namque atque humida conſtitutio in corporibus potißimùm putredines inducit: vnde & fœtidi anhelitus cauſa Ariſtoteli Auſter dicitur. Hippocrates quoque in Aphoriſmis ait, Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, ac diſſoluentes. Siccos verò auſtros humidis longè pernicioſiores exiſtimat Plinius, quòd propter raritatem, animalium corpora deſiccant; vnde contingat animalia ipſo ſpirante minùs eſurire, reſeratis nimirum poris cutis calore auſtrino. Neque diſſonat quod alibi ſcribit Hippocrates, Auſter, inquiens, de ſimilis naturæ locis ſpirat vnde aquilo; videlicet de auſtrino polo; multáque niue & glacie, & gelu vexat loca, quæ polis vicina exiſtunt: quum verò per ſolis itinera, & per meridianam plagam tranſit, rareſcit deſiccatus à ſole, vnde iſthuc calidus & ſiccus neceſſariò peruenit, & proxima loca calefacit & deſiccat neceſſariò; vnde quæ terra iſthic eduntur, ſicceſcunt, clanculúmque iſthic homines deſiccat: quum enim de mari, neque de fluminibus vllum humorem capere poßit, de animalibus, & de terra natis omnem humorem exugit. Qualis igitur tandem ſit Auſter,*

hoc eſt

hoc est siue naturalis, siue à temperie innata declinet, perniciosus omnino est, & periculo non vacat. atque ab hoc quum parùm differat Subsolanus, ab eius quoque malitia non multùm declinat: nam sicuti Eurus non rarò in Notum, hoc est meridianũ flatum transit ob ipsam qualitatis calidæ similitudinem; ita frequenter eosdem quos Auster, præsertim siccus, morbos inducit. Fauoniorum autem cur hîc nõ meminerit Celsus, admodùm miror; præsertim quando hîc nonnihil addubitandum sit, sit ne Aquilo an Zephyrus salubrior: quum Aristoteles Homerum secutus non vereatur Fauonios ventorum omnium serenissimos & gratissimos vocare; quòd nimirum ventorum omnium temperatissimi sint, & Vere maximè spirent; neque calidi sint, vt Auster; neque frigidi, vt qui de septemtrionibus eueniunt; sed medium calidorum & frigidorum flatuum obtineant: vnde consequi videtur ventorum omnium saluberrimos esse, ac proinde non rectè à Celso prætermissos; idq; potissimùm quum subsolani meminerit. Sed hoc studio quodam Celsum fecisse dicimus: quũ enim inter calidum & frigidum temperati quodammodo sint Fauonij, hac parte meliores aquilonibus sunt: atque ita iam antè eas æstates laudauit, quæ zephyris quàm maximè perflentur. inferiores tamen septemtrionalibus ventis æstimantur, propter humiditatis excessum. Roborat igitur naturales functiones tum ob frigiditatem, tum siccitatem Boreas: huic quam proximè accedit Zephyrus; & quò serenior fuerit, eò quoque melior: hunc ordine sequitur Subsolanus; vltimas tenet Notus.

Sic tamen vt hæ interdum regionum, &c.

EXISTIMAT Plinius à natura legem quandam ventis attributam; ita vt quidam certis statisque tantùm temporibus, idque præscripto fine, spirent: quidam etiam prouinciales tantùm sint, ac vni tantùm prouinciæ communes. Sic Sciron loca tantùm infestat circa Athenas; Iapyx Calabriam; Atabulus Apuliæ grauis peculiariter dicitur. Quidam etiam sunt, qui quum passim flant, in vna tamen aliqua regione non percipiuntur. quemadmodum de Austro memoriæ proditum reliquit Fabianus, quem in Ægyptum penetrare negat. & (quod magis admirandum est) sunt qui vno loco calidi; alio sint frigidi: adeò mirum non est, ventorum salubritatem variari pro regionum sorte. Nam & austrini venti hieme si perflant Africam, ei non minùs frigidi sunt (si Aristoteli credimus) quàm regioni nostrati aquilones: ac rursus Boream idem testatur in Byzantio clarum & salubrem esse; in Thessalia verò turbidum & pluuiosum: illîc enim perflat montes; hîc arenas locaque calida. ergo sicut venti montibus auertuntur à quibusdam locis & ciuitatibus; ita etiam spiraculis aut cauernis quæ sunt in montibus, ipsorum qualitates alterantur, ita vt vel calidiores, vel frigidiores, leniores vel impetuosiores spirent: sic qui à mari spirat ventus, nubilus magna ex parte est grauisque; qui à mediterraneis, salubris ac serenus.

At ætas media, &c.

ÆTATVM omnium tutissima media; quæ & consistens dicitur: est siquidem medio quodam loco posita inter omnes reliquarum ætatum excessus. Iuuenilis enim calore; senilis frigore excedit: quo fit etiam vt hæc longis frigidisque morbis magis obnoxia sit; illa acutis, febribus, pleuritidibus, & id genus aliis. Inter corporis autem constitutiones quadrata habilissima est, hoc est inter obesam gracilémque; inter longam & breuem media: cuiusmodi ferè temperata est; nam quæ intemperie aliqua insigni constat, citra mali alicuius suspicionem esse nequit: gracile enim corpus infirmum imbecilléque est; obesum hebes, hoc est ad actiones pigrum, nisi quis hebetudinem ad actiones animales quoque referre malit: quemadmodum Aristoteles Sanguineos magna ex parte stultos, stolidosque esse dicit. Longam autem staturam quum iuuentæ nec indecôram nec inutilem, matura etiam senectute confici doceat; non video qui Hippocratis senten-

sententiam secutus sit, qui eam senectæ inutilem, & paruitate deteriorem definiuit: quod, ut docet Galenus, longi iam senescentes gibbi fiant, & vix poßint onus perferre: quales certè non admodùm propriè maturè senescentes dicemus. Matura *etenim senectus vocatur, quæ omnino perfecta & debitum tempus assecuta est; qualem longi inter reliquas corporis constitutiones optimè consequentur, quum temperiem calidam & humidam senectuti planè contrariam adepti sint: atque adeò tantum abest, ut aliquid vitij huic longitudini asscribi poßit, quin potiùs maximis annumerandum sit commodis. Quanquam si quis* Hippocratem *cum auctore nostro conciliare studens, maturam senectutem pro ea quæ ante tempus fit, (quemadmodum* Cicero *ætatem maturrimam pro ea quæ festinatißima est, dixit,) accipiat; per me quidem integrum erit.*

Vere tamen quæcunque, &c.

RECTE *docuit* Hippocrates, *morbos omnes omnibus fieri temporibus; quosdam verò magis in quibusdam ipsorum excitari: siquidem quum aëris temperatura nō solùm sit morborum caussa, verùm etiam ipsa victus ratio; omnes omnibus temporibus morbos fieri clarum est. Verùm quum aër nos ambiens non parùm faciat ad alterationem naturæ, rectè statis temporibus, exempli caussa, veri, æstati, hiemi & autumno, peculiares aßignat morbos. Atque ij quidem, ut antè diximus, quos veri attribuit* Celsus, *non tam ratione veris, quàm corporis quod sortitur malè affectum ac morbidum, contingunt. Si enim, ut ait* Galenus, *aliquod corpus bonos habens humores, vernum tempus excipiat; hoc saluberrimum conseruat, nihil ex propria natura mutans. Comprehendit autem breuiter, quotquot sunt, vernos morbos sub vno genere: quanquam, si numerum spectes, multi difficilésque esse videantur, quum morbos quicumque humoris motu nouantur, in metu esse dicit. atque inter hos quidem frequentißimæ sunt profusiones, aut profluuia sanguinis; sanguis enim verno tempore maximè abundat, atque eo ipso tempore profunda corporis expurgantur à vitiosis humoribus, atque à partibus principalibus ad cutem propelluntur. sic quoque pustulas oriri dicit* Celsus: Hippocrates *quoniam easdem æstati attribuit, vere plurimas easque vlcerosas infestare dicit, æstate verò pauciores.* Celsus *tamen breuiùs & aphoristicῶs* ἐξανθήσιες *tantùm conuertit, omittens* τὸ ἑλκώδεες καὶ πλεῖστας: *ut sub ijs etiam lepras, impetigines, vitiligines* Veri *maximè familiares, quum ex fusione humorum oriantur, comprehenderit. Nam pustulæ sortiuntur varia nomina pro humoris peccantis qualitate: siquidem psora aut scabies dicitur, quum ex simplici cholera, aut pituita oriuntur pustulæ, hæretq́; in superficie cutis quiddam furfuris speciem referens: penetrat enim bilis ad cutim exteriorem, atque inibi pruritum facit, qui frictione sedatur. Qui verò à cholera adusta fit pruritus, scalpendo vix sedari potest, ac veluti squammeum quiddam cuti adhæret. Discernuntur autem biliosæ pustulæ à pituitosis, quòd in his pruritus minor adsit, ac in latius fundantur; illæ autem magis in altum attollantur: adhæc quòd in pituitosis animalcula quædā nascantur, nonnullis* ψυδράκια, *aliis sirones dicti.* Celsus *tamen libro quinto* ψυδράκιον *pustulæ genus esse dicit durum ac subalbicans. Quæ liuidiores sunt pustulæ, ex melancholia ortū habent; acriores verò ex bile; ut rubicundiores ex sanguine; suppallidæ latæque ex pituita. Atque hæc hactenus de pustulis: quæ ideo in mediū proferre voluimus, quòd ipse* Celsus *libro quinto cap.* 28. *pustulas quidem omnes vernis temporibus potißimùm oriri dicat, quum earum plura sint genera, quæ ordine recenset. Cæterùm furores, atræ biles, anginæ, morbi comitiales, quamquam, ut docet* Galenus, *morbi autumnales sint; tusses, & grauedines, hyemales: eas tamen anginas verno tempore potißimùm molestas esse dicemus, quæ ex pituita fiunt, ut autumno biliosas; atque ita deinceps de lunatico morbo, grauedine & destillatione dicendum est. At articulorum dolores ex quibusuis humoribus*

fiunt, maximè tamen ex pituita bili commixta. inuadunt autem verno tempore, quòd tum (vt diximus) sanguis & reliqui humores ad exteriora funduntur. Omnes igitur morbi quos hactenus Veri ascripsimus, corporis tantùm exteriora petunt: atque eâ fortè ratione inter atram bilem, hoc est morbos melancholicos, quartanas non numerauit, quòd videlicet hæ magis fiant compactis quodammodo ad interiora, quàm fusis ad exteriora humoribus: fiunt siquidem febres etiam ex repercußione ad interiora.

At quidem æstas non vacat, &c.

HIC Galenus eam æstatis partem, quæ ver excipit, intelligit; quum potiùs intelligendum sit, plerosque morbos veri asscriptos æstati proprios esse: cuiusmodi sunt omnes biliosi; ver enim omnibus temporibus communes habere diximus. Quotquot autem sunt æstiui morbi, quadrifariam possunt distingui: nam aut ex bile fiunt, aut ex adustione; atque id aut in siccis aut in particulis humidis, quarum humor calore æstatis foras trahitur: sic genitaliũ, aut obscænarum partiũ putredines annumerat. vbi Galenus miris modis sese torquet, hoc æstate humida austrinoque flatu tantùm contingere affirmans; quando Celsus (vti etiam Hippocrates) de naturalibus anni constitutionibus loquatur. Per febres autem continuas, ardentes, tertianas, biliosos omnes morbos intelligit; iísque Hippocrates quartanas adiecit, eas videlicet quæ à cholera adusta fiunt, sicut Celsus quoque cancros fieri docet. Vomitus etiam & alui profluuia, Galenus ad cholericos morbos refert: quum enim æstate bilis præsertim abundet, stomachum vellicando sursum lata vomitum; in intestinis verò detenta, acrimoniâ quâdam ad expulsionem excitans, alui profluuia facit, non tamen diuturna sed breuia. Hippocrates eâdem ratione lippitudines adiecit, siccas videlicet, & quæ cum ingenti fiant rubore. Auricularum autem dolores, Galenus capitis repletioni attribuit; nos ipsi loco potiùs acceptas ferendas censemus, quòd aures propria quadam natura biliosæ sint ac siccæ, biliosique excrementi receptacula: nam si quid acre in cerebro est, magna ex parte per aures expurgatur; quo fit vt biliosis morbis promptißimè corripiantur. Oris verò vlcera accidunt, quòd carne sint tenera, & quæ bilis acrimoniæ facillimè cedat; bilis nanque proprium est vlcerare, præsertim si craßior sit, tenuis enim cutis superficiem, leni quadam inæqualitate fœdat tantùm; quemadmodum in herpete miliari accidit. Per sudamina autem biliosas & vlcerosas pustulas intelligit, quæ in corporis summa parte hærent.

Vix quicquam ex his.

AVTVMNVM sua inæqualitate morbiferum diximus; certúmque est eam autumni partem quæ æstatem excipit, æstiuis morbis obnoxiam esse. Est autem autumnus, vt latiùs Galenus, temperie siccus euidenter; calore verò & frigore inæquali. continguntq; in eo non secus ac in æstate, quatuor morborum genera, ex cholera videlicet, ex cholera adusta, ex inæqualitate humorũ, & eorundem corruptione. Erraticas igitur aut incertas febres, primo statim loco ponit, propter temperaturæ inæqualitatem, & victus erroneam rationem; intemperiem enim victus sequitur humorum & paroxysmorum inæqualitas. Degenerant autem hæ febres non rarò in quartanas; quarum origo atra bilis potißimùm est; quo fit vt in longißimum quoque tempus protrahantur; quod & antè Hippocrates docuit, æstiuas quartanas breues vocans, autumnales verò longas, maximéque quæ hiemem attingant. Rectiùs ergo seruaßet ordinem Celsus, si febribus incertis, quartanas, frequentißimum in autumno morbum, subiunxißet. Quos Celsus lienis dolores vocat, Hippocrates excrescentias lienum dicere maluit: nam ob bilis atræ superfluitatem lienes excrescunt; vnde & scirrhosi tumores generantur, iecinore videlicet eiusmodi humorem procreante, & ad splenem transmittente; vel potiùs liene ad se trahente, quum eo non secus ac proprio alimento delectetur nutriaturque. Lienis tumorem sequitur corporis extenuatio, & nutri-

& nutricationis imbecillitas; quo fit vt statim post lienis dolores recenseat hydropises, quòd eæ videlicet scirrhosum lienis tumorem non rarò concomitentur. Carcinoma autem cur omiserit, admodùm miror, quum ex melancholico succo fiat, præsertim id quod nondum sit exulceratum; id enim autumno frequentissimum est. Tabi verò opportunissimus autumnus est; & si qui in eam inciderint, periculo non vacant: est enim autumnus tabidis malus, siccus siquidem est, calore & frigore inæqualis. quum igitur contrariorum contraria sint remedia, ad phthisin arcendam requirebatur anni constitutio calida & humida: per tabidos autem non intelligit marcidos, qui calidi & sicci sunt; quamquam & ab his non omnino liber sit autumnus. Vrinæ verò difficultas (vt Galenus docet) fit, quoties vesica inordinatis, atque iisdem repentinis ad calidum vel frigidum permutationibus refrigeratur, & quæ ex malis fiunt humoribus acredines, ipsam molestant; tum præsertim quum facta ad frigiditatem fuerit permutatio, eos qui hactenus difflabantur, & per sudores euacuabantur humores, ad vesicam conuerterit.

Tenuioris intestini, &c.

VOLVVLOS Galenus oriri credit, ab inflammatione alicuius partis intestinorum (voco autem voluulum aut ileon, vbi ciborum superfluitates, quæ per aluum excerni solebant, retinentur:) Ego tamen, ni quid tanti viri obstet auctoritas, tam Celsum quàm Hippocratem eos voluulos intellexisse crediderim, qui flatus comitari assolent. qua ratione sub hoc affectu etiam colicum dolorem frequentissimū autumno morbum comprehenderit. Nam quum autumnus, vt auctor est libro Symptomatum Galenus, inter reliqua anni tempora flatuum generationi maximè sit obnoxius; verisimile est Celsum eum ileum qui flatuū copiam subsequitur, potiùs quàm qui inflammationem, subintellexisse siquidem eos voluulos qui inflammationem tenuiorum intestinorum subsequantur, subaudiamus; rectiùs eosdē æstati aut veri asscripserimus; quum iis temporibus sanguis & bilis efflorescere soleant; bilis inquam æstate, sanguis vere. Et quantumuis auctor noster dicat æstinos ferè omnes morbos in autumnum incidere; non ob id inferendum est, biliosos aut inflammationem subsequentes ileos hîc intelligi; quando (vt antè est dictum) flatulenti voluuli frequentiùs multo incidant, quàm alij quiuis: nisi fortè quis æstate ad exteriora; autumno ad interiora humores propelli dixerit. qua ratione post ileos, læuitates quoque intestinorum subiunxisse videtur, excretiones videlicet per posticum sine aliqua ciborum transmutatione; idq; aut propter exulcerationem in summa parte ventriculi, aut intestinorum. Coxendicum autem dolores ex malignitate, & frigiditate materiæ intelligit Galenus pulsis ad interiora: diximus etenim autumno proprium humores intrò pellere; quemadmodum veri, ad exteriora trudere. atque hinc fit, vt veri podagricos; coxæ autem dolores autumno attribuamus. Comitiales morbos à subita ad contraria transmutatione fieri putat Galenus: quanquam malim potiorem causam tribuere flatulentæ materiæ ventriculos cerebri occupanti; nam ob victus rationem erroneam fructuúmque frequentem vsum, autumnus flatus plurimos gignit; nec eos simplices tantùm, sed & cum lentore quopiam dissolutu rebelles. Eôdem referri potest quod dicit, Autumnum longis morbis pressos sua malignitate interimere. Quòd autem pestifer sit autumnus, Hippocrates docuit; qui autumno morbos acutissimos, simul & exitiales, esse dixit, quòd eodem die aliquando calorem, aliquando frigus obtineat; deinde quòd æstiuum sequitur tempus, quo virtus naturalis debilitata est; & quòd humores qui primùm ad exteriora cutimque mouebantur ac difflabantur, autumno ad interiora pellantur, ibíque febres acutas, erraticas pestilentialesq; generent: quibus omnibus, tanquam auctuarium quoddā, accedit victus incontinentia.

Hiems autem &c:

TRIA ferè sunt morborum genera quæ hiemi peculiaria esse dicit Celsus: vnum ex

multitudine

multitudine sanguinis, qui hieme copiosius generatur; alterum à frigiditate externa; tertium ex copia seu excessu humiditatis frigidæ, & pituitosæ. Primò igitur capitis dolores infestos esse docet; idq; pituita sua quantitate caput grauante: vnde & vertigines fiunt, vapore multo cerebri ventriculos obsidente. Tusses autem fiunt à frigiditate externa, membris respirationi inseruientibus læsis, humorúmque fluxu à cerebro in fauces concitato. Per laterum dolores pleuritida intelligit: hyberno nanque tempore, calor & sanguis innatus plurimus est; quo fit vt inflammationes promptissimè oriantur: Galenus tamen lateritios dolores ex frigiditate intelligit. Per viscerum morbos, pulmonis (ni fallor) inflammationem seu peripneumoniam intelligit; quamquam reliquorum etiam viscerum inflammationes, non secus ac peripneumoniam, intelligere liceat. Hippocrates his omnibus adiecit apoplexias; quas auctor noster (vti etiam vertigines) sub capitis doloribus comprehendit: omisitq; autumnales aliquot morbos; quòd ei suffecerat dixisse, æstatem non vacare vernis morbis.

Ex tempestatibus autem Aquilo &c.

IAM ad tempestatum differentias digreditur: ac primùm de quotidiana aquilonia constitutione, mentionem facit. Illud enim semel præmonendum est, auctorem nostrum quoties mutationis aut tempestatum meminit, repentinas & vehementes tantùm esse intelligendas; parui siquidem excessus non tam facilè in corpus nostrum agunt. Primùm igitur de aquilonia constitutione sermonem instituit; quæ, vt antè diximus, quemadmodũ reliquis salubrior est, ita paucissimos quoque morbos gignit; & si quos procreat, eos non tam sua natura quàm subiecti corporis quod impurum, vitiosisque succis plenum offendit, exsuscitat. Nam neque tussim per se mouet aquilo, neque fauces exasperat; verùm, si eædem præcesserint, adauget: quod Hippocrates segmento tertio Aphorismorum aphorismo 17 demonstrat, Si pectus, inquit, dolor aliquis obsedit, augent. adeò vt plus longè commodi expectandum sit ab aquilonia tempestate sano corpori, quàm incommodi; corpus enim expeditius mobiliúsque redditur. Si tamen succi plenum corpus sit, superfluam illam humiditatem expurgare nititur exprimendo: vnde tusses, faucinmque asperitates oboriuntur. Ventrem autem astringit, sua nimirum siccitate ventris humiditate exhausta: sic & vrinam supprimit, vesica aquilonis flatu ob frigiditatem læsa: quum enim exsanguis sit, frigidis ex causis facillimè læditur, horroréśque excitat corporis poris spissatis & obstructis.

Auster aures hebetat, &c.

Austrum esse temperatura calida & humida dictum est: sed ea commodissimè se habet vt cerebrum humectet, organa visus & auditus offuscans; sunt enim tenuissima, & passionibus maximè obnia. Eâdem quoque ratione tardat sensus; quòd principio neruorum humectato necesse sit circa voluntarios motus pigritiam euenire, & veluti in seipso dissolutum hominẽ apparere, calore innato ab Austri flatibus rarefacto. aluum autem soluit tota corporis constitutione humidiore reddita.

Cæteri venti, &c.

POSVIT Aquilonem & Austrum tanquam exemplar & canonem ad quos aliorum ventorum bonitatem vel malignitatem expendamus. nam quum Eurus à Noto quàm minimùm differat, non rarò in Notum degenerat, atque austrinis affectibus quàm simillimos gignit: sic quoque de Fauonio & septemtrionalibus ventis dictum volumus. Cæterum hîc iure aliquis miretur, quum ventus nihil aliud sit, nisi mota in aëre exhalatio, vnde tam diuersas qualitatum differentias suscipiat: exhalatio enim quando semper sibi sit similis, est calida & sicca; ventique (vt dictum est) alij frigidi, alij humidi, alij calidi, alij sicci sunt. Quibus responsum volumus, alterationes illarum qualitatum ventis inesse accidentaliter: prout siquidem

siquidem loca calida, aut frigida, humida aut sicca, amæna aut fœtida perflant; ita illorum qualitatibus afficiuntur, atque illas tanquã proprias recipiunt. De hoc præclarè Ptolemæus 1. quadrip. cap. 11. Ipsi venti, inquit, quum à quatuor spirent cardinibus, ipsorum quoque cardinum qualitates suscipiunt: etenim angulum eum mundi qui ad ortum est, quum solem, qui caloris est auctor, singulis ad nos diebus afferat, calidum quidem; & quia sol inde assiduus venit, siccum quoque esse par est. Aduersum verò huic, aduerso modo, humentem atque frigentem; quòd solem ipsum terris auferat: è cuius abitu frigus sequi necesse est; cuius rei nox ipsa indicio est. Atque vt à calore diurno siccitas, sic nocturno à frigore humiditas sequatur necesse est. Subsolanus igitur qui ab oriente flat cardine, perinde erit vt dies ipse, vt regio à qua fertur. huic contrarius Fauonius, quòd noctis naturam, quòd occasus qualitatem sequitur, erit contrario modo affectus. vt enim aduentus solis ac præsentia calorem; sic recessus atque absentia, frigus facit; atque vt illius increscentis comes est siccitas; sic huius humiditas est socia. Septentrionalis autem cardo, ab vtroque cardine surgentis atque cadentis solis singulas tantum qualitates sibi conuenientes sumit: nam si ab eo sol abest cardine, frigescere admodùm illum oportet; porrò nimij frigoris comes est siccitas. ergo ab orientis solis cardine siccitatem, ab occiduo frigiditatem mutuabitur. Ad oppositum verò huic cardinem, hoc est ad meridiei plagam, quum sol sit ei maximè familiaris, ob hanc ipsam solis familiaritatem, plaga vehementiùs concalescit; vnde spirantes inde flatus, à finitimo cardine, atque à solis vicinia calorem accipiunt: quum autem parte ab altera hæc ipsa plaga meridionalis declinet ad occasum; ab ipso quoque occasu mutuatur humiditatem. Hactenus ille.

Denique omnis calor.

ID potissimùm sibi faciendum ob oculos hîc posuit Celsus: vt quæ sparsim ac fusim alibi ab Hippocrate dicuntur, per capita quædam ceu locos communes distingueret. Postquam igitur singularum tempestatum morbos affectúsque numerauit; nunc calidi frigidíque incommoda enarrat, per frigidum aut calidum, balneum aut calentem frigentemue aquam intelligens. Sic Hippocrates calidum, vbi quis eo vtatur sæpiùs, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animíque defectionem generare dicit. Mentem igitur hebetat balneum calidum; spiritus dissoluendo: &, si verum est, quòd quantum quisque habet humiditatis, tantum habeat & stultitiæ, procul dubio frequenti vsu humidorum tepidorum, humectato cerebro spiritus dissoluuntur, ac mens hebetatur. quo factum est vt sanguineos formosósque stolidos dixerit Aristoteles; melancholicos contrà ingeniosos. Sub mentis autem hebetudine neruorum incõtinentiam comprehendit Celsus: nam quantumcunque balneum ea tantùm dicatur elicere, quæ inter cutem & carnem sunt, eius tamen qualitas ad neruos quoque pertingit, quos sensim humectat, ac laxos dissolutósque reddit, spiritibus dissolutis. fit etiam nonnunquam vt anima deficiat: quanquam Galenus id paulo generaliùs intellexisse videatur, quum profusiones sanguinis defectus animi sequi docet; eos nimirum defectus animi intelligens, qui ex nimio sanguinis fluore oriantur: quod certè (vel Hippocrate & Celso tacente) quiuis coniicere posset; quum non solùm ex nimio sanguinis profluuio, verùm etiam alia quauis purgatione immodica, animus facilè deficiat. Quòd autem iecur & lienem calido dicit inflammari, clarius est quàm vt longiore interpretatione egeat; nimirum calida qualitate balnei ad viscera penetrante: ac proinde quum calida à vicinis ferè partibus alliciant humores, facilè fiet vt sanguine ad alterutrum viscus repente, inflammatione corripiatur. Verùm quum aër cibíque calidi corpus nostrum alterent, nolim negare quin hæc quoque ad cibos ac aërem referri possint. Nam & Hippocrates ipse aërem non solùm corporis constitutionem, sed & mores quodammodò efformare auctor est. Sic in Asia

fœliciora ingenia; in Europa fortiora corpora inueniri docet. In Asia enim aër præterquam quòd calidus est, insigniter quoque siccus est: vnde & cerebrum immodicis superfluitatibus expurgat, & ingenium acuit.

Frigus modò neruorum distentionem, &c.

VIDETVR hic potiùs de balneo quàm victu sermonem facere, quum veteribus ex balneo calido descendentibus mos fuerit in solium frigidum ire, vbi aqua frigida aspergebantur. Spasmum tetano opponit Galenus, quòd hic musculis extendentibus, ille cõtrahentibus affectis oriatur: verùm quemadmodum calidum diximus resoluere neruos; ita frigidum quoque eosdem contrahere censebimus. Afficientur autem potissimùm frigore, quæ natura frigida sunt & exanguia; nam (vt in Aphorismis Hippocrates) frigidum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ inimicum est. Nigritiem in vlceribus, aut (vt Hippocrates) liuores excitat frigus, introrsum frigidæ affusione regurgitante sanguine puriore. Eòdem referri possunt horrores in febribus: nam & qui rigent, liuidi magna ex parte efficiuntur; vel quòd (vt auctor est Aristoteles) sanguis appulsu frigidæ gelascit, gelatusq; nigrescit, propter caloris inopiam. Rectiùs ergo Hippocratem secutus Celsus non horrores, aut rigores qui in febribus fiunt (habent etenim hi vtplurimùm causam calidam coniunctam) sed febriles, hoc est iis qui in febribus fiunt similes, dixisset. frequens enim est frigore nimio nos rigere, & præ horrore quodammodo concuti. quare, nisi quid obstet, τὸ in febribus commutarim in τὸ febrile. n.

In siccitatibus acutæ, &c.

ANTE, vbi de ventorum natura egimus, satis dictum est siccitate superfluas humiditates dissolui; per imbres intra corpus collectas putrefieri, nisi quis singulis diebus collectas exercitiis expurget: qua ratione etiam aquilonem omnium ventorum saluberrimum definiuimus. Nam & Hippocrates ex anni constitutionibus siccitates imbribus salubriores, minúsque mortiferas dixit; non tamen simpliciter à morbis pronuncians immunes, sed lippitudinibus (siccis videlicet) obnoxias, atque iis quæ ex reliquiis sanguinis biliosi oriuntur. Sic etiam acutæ febres, non ratione accidentium, sed motus humorum, infestant. Tormina autem sine difficultates intestinorum, ex corrosione bilis accidunt. Sicca enim constitutione bilis magis luxuriatur, quàm quauis alia. Vocat autem Celsus, sicuti etiam Plinius, tormina, ea quæ Græci dysenterias nominant. Quod autem vrinæ difficultates dicit; Hippocrates strictiùs paulo stillicidia vrinæ dixit. atque hic quidem, vt de torminibus, in causæ inquisitione admodùm se torquet Galenus: dicit enim, vrinæ stillicidia fieri, aut propter vrinæ acrimoniam, aut propter vis expulsiuæ, quæ est in vesica, imbecillitatem; quæ rursum imbecillitas ex intemperie contingat: ac porrò solam intemperiem siccam non generaturam stillicidium, nisi ea quoque calida fuerit. Quanquam, si rem propiùs intueamur, frigiditas siccitati coniuncta potior causa censenda sit. dictu enim difficile sit, frigidior ne an siccior (est enim neruea) sit vesica. Neque enim temerè vrinæ stillicidio articulorum dolores subiungit; sed quòd ex eâdem causâ (frigidâ nimirum & siccâ intemperie) oriantur. Notus est satis superque Hippocratis Aphorismus, quo frigidum ossibus ac neruis inimicum dicit: vbi omnes totius corporis partes immodica intemperie affici docuit; frigidas præsertim à frigida, siccas à sicca. Siccæ igitur constitutioni articulorum dolores, vrinæq; difficultates attribuit, vesica nimirum & articulis siccis ab intemperie sicca facilè affectis. Non negauerim tamen articulorum dolores, vrinæq; stillicidia referri posse ad biliosos affectus, bilioso videlicet defluxu aut ad vesicam aut ad articulos lato. Atque hos quidem morbos, tanquam siccitatibus proprios & peculiares, auctori nostro enumerasse sat fuit: quum tamen vnus ab Hippocrate inter alios recensitus, sit eidem constitutioni maximè familiaris: In siccitatibus enim, ait, tabitudines, lippitudines,

articulorum dolores &c: ubi statim inter initia tabitudines enumerat, tanquam frequentißimè accidentes, & periculosißimè affligentes. Neque id iniuria, quamuis Galenus hîc miris sese excruciet modis, per tabem eam tabis speciem quæ oculos infestat, intelligens. Corpora etenim sicca simili constitutione de facili offenduntur: sic iam ante autumnum sua inæqualitate & siccitate tabidis malum esse diximus. quare si cui hîc tabes lippitudinibus in hunc modū (In siccitatibus acutæ febres, lippitudines, tabes, tormina &c.) libuerit subiungere, parùm ab Hippocratis sententia aberrârit.

Per imbres longæ, &c.

Ex multitudine humiditatis febres longas fieri contendit Galenus. Mirum igitur minimè est, per imbres febres longas oriri: siquidem quum ægrotis ad morbi solutionem cruditatis concoctione opus sit, plures superfluitates, non nisi longo tempore concoqui poterunt. quibus accedit, quòd frigidi ac pituitosi sint humores, qui in pluuiarum multitudine generantur; sicuti in siccitatibus biliosi. Rectè ergò pluuio tempore longas febres; sicco acutas, hoc est breues, & quæ citò terminentur, asscripsit. Demus enim, exempli caussa, duas esse febres eiusdem speciei pluuio cælo; in longius protrahentur tempus, quòd corpus pluuiis grauetur: adeò rectè Galenus naturas corporum patientium considerandas docet. Cæterùm non oportet per imbres, aut aërem pluuiū, intelligere quemuis aërem humidum; sed magnum tantùm humiditatis excessum: nam & Hippocrates alibi Austrum pluuium & serenum distinxit. Alui autem profluuia, non secus ac longæ febres, à superflua oriuntur humiditate: pituitosus enim humor, & frigidus diarrhœam seu fluxum humoralem, vt vocant (de quo Celso nunc est sermo) facit; protrahiturque nonnunquam hic morbus in longum tempus, idq; quòd materia peccans vberior sit. Per anginas, non quasuis, sed pituitosas tantùm, intelligit: nam si eas quæ ex sanguine fiunt putasset, addidisset etiam pleuritides: fiunt enim non rarò ex superfluitatum copia ad fauces collecta anginæ; vti etiam frequenter ex fluxionibus seu catarrhis à capite ad fauces. Et quòd fluxiones quæ quidem à capite fiunt, pluuiis temporibus contingant potißimùm, quanquam ex præcedentibus satis clarum sit, nititur tamen tanquā exemplo quodam apertius reddere, quum neruorum resolutiones, & morbos comitiales pluuio tempore in periculo esse dicit, quos ex cerebri & spinalis medullæ intemperie humida, & pituitosa oriri certum est. Per cancros fortè putredines intellexit: sic ex Hippocrate Galenus ostendit humida cæli constitutione quibusdam carbunculos natos; & multis articulos decidisse.

Si hiems sicca, &c.

Breviter alterationes quæ in tempestatibus fiunt edocet: ac primùm quidem de hieme sicca & aquilonia, & vere pluuio & australi sermonem facit. quæ sanè alterationes proximè insequente æstate humidas, tenerásque particulas, facilè afficient; vnde oculorum lippitudines dicit oriri Celsus: nam quum naturâ humidi sint oculi, Veŕisque pluuij præcedentis humiditate, humoris nonnihil eis accesserit, calore subsequentis æstatis facilè inflammationem suscipient. Verùm quoniam quæ hîc Celsus, & in Aphorismis Hippocrates de Vere pluuio scribit, eadem in libro De aëre, aqua & locis fusißimè declarat idem senex; eius verba subiungam: Si, inquit, hiems quidem sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuium & Australe, necesse est æstatem abundare febribus, & lippitudinibus, & difficultates intestinorum oriri. Quando enim æstate æstus repentè superuenerit, & terra madida ex pluuiis vernalibus, & ab Austro fuerit, necesse est æstum duplicari, & à terra madida atque calente & à sole comburente, non astrictis hominum ventribus, neque exsiccato cerebro. Neque enim poßibile est tali Vere existente, non putrefieri, & humectari corpus & carnem; vnde febres accidunt non simplices, sed acutißimæ, tum reliquis omnibus, tum præcipuè mulieribus, & quibus

corpora sunt laxiora, & pituitosiora. Verùm quamuis quammaximè hæc ita sese habeant, videtur tamen præter rationem tormina adiecisse; idq; potißimùm, quòd quum intestina sicca quodammodo sint & neruosa, vere pluuio sese optimè habitura, ac proinde torminibus quàm minimè obnoxia futura sint. Hinc Galenus, Non quosuis, inquit, sed fœminas tantùm & viros qui humidiore constitutione præditi sunt, tormina apprehendent; siquidem quantumuis temperie sicca per se sint; per accidens tamen, & continuum excrementorum disfluxum humiditatem aliquam nanciscuntur.

Si verò austri pluuiæque.

INTELLIGIT *hic, sicut in præcedentibus quoque, mutationes hiemis & veris non subitas, sed quæ sensim & paulatim fiant: nam si de repentinis etiam ei sermonem fuisse dicamus, non solùm hos, sed & quosuis alios morbos produxerint. Notus est enim Hippocratis Aphorismus: Mutationes temporum potißimùm pariunt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris aut alia pro ratione, eodem modo. Itaque quum moderata constitutio hiemis sit, vt idem senex libro De aëre, aqua & locis docet, quæ mediocriter frigida & humida (dicit enim, Hiems frigore id quod oportunum est non excedat: & rursus, Hiems moderata sit, non valde sicca, sed mediocriter humida,) ver quoque temperatum esse iam plus satis inculcatum est, vtriusque temporis, hoc est veris & hiemis contranaturales dispositiones non paruas, sed vehementes proponit; eas videlicet quæ hieme ad calorem, at Vere ad siccitatem & frigiditatem declinent. Vnde grauidas quibus tum adest partus, abortu periclitari docet: cotyledones etenim aut acetabula hiemis immodico humore relaxatæ, infantulum diutiùs retinere nequeunt. Neque id mirum, quum aëris temperiem corpusculi nostri constitutio sequatur: vnde corpora nostra aëris nos ambientis vitio corrumpi contingat, ac temporum quotidianæ constitutioni velut compati. Sic hieme pluuia non solùm cotyledones relaxantur, sed & matrix iusto humidior redditur, vnde abortus periculum imminet; præsertim si ad intima penetrante verno frigore, embryo insueto aëris frigore perculsus, pedibus ac manibus (vt Hippocratis verbis vtar) calcitrans, secundas quàm par est & molliores & laxiores disrumpat; atque à cotyledonibus (quibus non secus ac poma arboribus, vtero alligabatur) decidit. Et quòd aër quidem tenuium sit partium, & quantumuis intima nostri corporis penetrare poßit, vel hinc clarum fit, quòd quum quis frigeat, ventre & intestinis doleat. Si quis ampliores abortus causas desideret, centones nostros consulat. Cæterùm si iam contingat grauidas ad legitimum vsque tempus fœtum vtero continere statóque tempore parere, imbecilles & morbosos, aut qui statim alioqui pereant infantulos excludunt; idq; aut quòd non ferant subitam ad contraria transmutationem, aut propter dolores quos perpetiuntur dum in lucem prodeunt. Cæteros lippitudo arida infestat, hoc est (vt vult Galenus) ea quæ sine fluxu est: Par enim est, inquit, calidis & siccis naturis, in sicca & frigida constitutione quæ calidam & humidam excipit, tales lippitudines fieri; caput enim priùs repletum est calida & humida constitutione hiemis, frigúsque Veris superueniens, veluti manus quædam extrinseca, capiens ac premens (quandã veluti spongiam) cerebrum, exprimit illam quæ in ipso continetur humiditatem: atque quum oculi ex natura ad patiendum sint habiles, lippitudines accidunt; atque eæ aridæ, quòd ex ipsis nihil effluat ad exteriora, propter aëris ambientis frigiditatem densantis superficiem exteriorem: &, si seniores sint, grauedines ac distillationes malè habent; per seniores valdè senes, non tamen decrepitos, intelligens. Per distillationes autem non solùm videtur intelligere defluxus, qui à capite per asperam arteriam ad pulmonem fiunt; sed omnes alias quæ per venas ad partes inferiores delabuntur. Atque hoc est quod voluit Hippocrates libro De aëre, aqua & locis; cùm dicit: Valdè senibus distillationes, propter raritatem &*

tem &

tem & venarum colliquationem contingunt, ita vt repentè intereant. quosdam verò contingit dextra aut sinistra parte fieri stupidos. Hinc quoque auctor noster, grauedines, (hoc est distillationes eas quæ à capite ad nares feruntur) aphoristicam alioqui breuitatem, cuius maximè æmulus est, non obseruans, superfluè posuisse videtur; quum omnes defluxus species quæ à capite per venas ad partes inferiores detruduntur, sub distillatione intelligi posse dixerimus. Verùm Celsus proprietati sermonis studens, distillationes eas tantùm propriè vocauit, quæ ad os vel fauces ferantur: quæ quum citò nonnunquam interimant, ab iis quæ in nares fluant distinxit; ita vt omne defluxionum genus (quale tandem id fuerit) tali temporum constitutione molestum dixerit. Hippocrates autem iam antedictis passionibus, difficultates intestinorum seu tormina adiicit: quæ Celsus noster, (fortè mendi suspicionem subesse arbitratus, quum dysenterias idem senex contrariæ anni constitutioni asscripserit) omisit; quum tamen à torminibus non omnino immunis aut libera sit hiems austrina, vérque aquilonium; veris siquidem frigiditate humiditates quæ in cerebro austrino, hiemis flatu, ac reliquis corporis particulis contractæ sunt, ad intestina deferuntur, atque inibi tormina excitant.

At si à prima hieme.

OMNES tempestatum differentias quæ ab Hippocrate scribuntur, dixisse non contentus Celsus, alias insuper adiicit; idq; vt lectorem in singulorum morborum indagatione attentiorem redderet, atque exercitatiorem: Si igitur, inquit, à prima hieme Austri ad vltimum ver continuauerint, laterum dolores phrenitidesq; quàm celerrimè rapient: Auster etenim calidissimus ventus quum sit & modicè humidus, sanguinem copiosissimum generabit (quando, vt docet Hippocrates libro De natura humana, à pluuiis & diebus calidis augescat sanguis) qui frigiditate hiemis intro pulsus, inflammationes, cuius modi phrenitides sunt & pleuritides, pariet: siquidem & austrinæ tempestates (Galeno teste) si diutinæ sint, putredines inducunt; atque id potissimùm, si humidæ etiam sint. Dein si austrinam hanc constitutionem primo statim vere calor ad finem vsque æstatis subsequatur, sudor multus in omnibus quidem febribus, præcipuè tamen synochis, superueniet; calore videlicet humiditatẽ quæ ab austrino statu in corpore congesta est, foras eliciente. Hippocrates posteriorem hanc periodum paulo aliter quàm hic enarrat: Si quando æstas, inquit, fit veri similis, sudores in febribus expectare conueniet; nullius in Vere excessus ad caliditatem mentionem faciens.

At sicca æstas, &c.

IAM æstatem eam describit, quæ relicto calore, à siccitate & frigiditate vitiatur. Huiusmodi autem distillationum omnes species concitabit: sunt antẽ hæ triplices genere; sunt enim ad nares meatibus colatoriis obstructis, Grauedines dictæ, κορύζαι Græcis. Raucedines autem (quas iidem βρόγχους nominant) vocantur, vbi ad asperam arteriam defluit humor: sub quibus tusses quoque comprehendere potuerat Celsus; sunt etenim hæ, aut ob intemperiem frigidam à capite ad asperam arteriam defluentem; aut alioqui ob humorem aliquem in pulmonibus aut thorace detentum; vnde potissimùm in peripneumonia, tabe, pleuritide tusses oriuntur. Neque mirum est his anni constitutionibus, proximè insequente hieme talia euenire pathemata, immodica humiditate repleto capite: quæ quum per æstatis adscititiam frigiditatem densetur, cerebrum grauat atque distendit, & dum eam humiditatem foras per insensiles meatus propellere nequeat, per venas ad inferiora fluxiones molitur; vnde fit vt iis quoque qui naturâ ad tabem procliues sunt atque propensi, iisdem corripiantur: tales autem potissimùm sunt, qui angusto strictóque sunt pectore, ac collo oblongo: nam quo strictius pectus fuerit, consequens quoque est vasa pectoralia eò esse angustiora ac proinde difficiliores expurgationes per strictum quàm amplum meatum; idque potissimùm, si idem quoque

longus sit: nam antequam id quod nocet, commodè expurgare poßit, tum ob angustiam, tum ob longitudinem meatuum, iam iteratò in locum affectum recidit: quo fit vt à capite fluxionibus per tracheam arteriam latis ad pulmonem, in quibusdam tabes oriantur. Nolim tamen negare, huiusmodi anni temporúmque constitutiones, non semper, neque necessariò, prædictos morbos inferre: nam, vt docet Galenus, par est non solùm quosdam non incipere ægrotare talibus constitutionibus; verùm & immodicæ siccitatis per æstatem habere remedium non mediocre, eam quæ facta est in autumno humidam constitutionem.

Sin autem autumnus,&c.

PER *molliora corpora non solùm muliebria, sed & omnia pituitosa laxáque intelligit. Hæc igitur quum temperie humida sint, ex opposita temporis constitutione, quæ sicca est, in contrariam partem trahendo, ad medium bonúmque habitum perducuntur. Eo igitur ipso tempore, vt ait Aristoteles, optimè valent, nisi quid vltro ipsi perperam agant, aut humidi ad hiemem ita deueniant, vt fomitem quendam & incitabulum frigori subministrent. Notus est in hanc sententiam Hippocratis Aphorismus: Si autumnus aquilonius & siccus fuerit, iis quidem qui humida sunt præditi temperie, & fœminis vtilis est.*

Durioribus verò instare.

DVRIORA *corpora, compactiora, qualia sunt aut biliosa aut melancholica, vocat: hæc autem tantum abest vt aquilonio autumno benè habeant valeantq́ue, quum potiùs variis, atque iis grauibus, morbis corripiantur; quod videlicet corpus eorũ ac temporis habitus ad idem vergant, atque ita velut ignis igni adiiciatur: quum enim, vt ait Aristoteles, eorum corpora exiccentur, quantúmque in his dulcedinis erat sit euaporatum, atq. vehementer incalescant; necesse est, vt dum humor consumitur, aridæ lippitudines oriantur; residuóque, quod biliosum est, remanente, atque eodem incalescente, febres acutæ, (vtpote quæ ex syncera sint bile) inuadant. Quòd si id quoque non solùm recalescere, sed & aduri contingat, iam non acutas sed longas, quales sunt potißimũ quartanæ, febres pariet; sicuti etiam insanias aliosq́ue ex atra bile morbos. Cæterùm hîc annotandum est Celsum τὸ χρόνιαι, quod ad coryzas refert Hippocrates, τοῖς πυρετοῖς non prorsus malè accommodasse, quum non solùm acutas, sed & longas febres tali constitutione in metu esse conueniat, vt ex Aristotele iam retulimus.*

Quod ad ætates verò,&c.

NVNC *ad quas anni constitutiones optimè se ætates habeant, edocet: naturarum enim (vt habet Hippocrates) hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hiemem benè maléue se habent: Morbi quoque alij ad alia bene maléve se habent, & quædam ætates ad tempora, & loca & victus genera. Nam temperaturæ similes malè afficiuntur à similibus; contrà dißimiles à similibus bene: sic calidæ naturæ malè se habent ad æstatem ac ad hiemem bene, frigidæq́ue modo contrario se gerunt. Sed neque hoc simpliciter citráque exceptionem aliquam sic intelligendum est: nam cholerici non semper æstate laborant; fit enim nonnunquam vt nati in regione calida, in eiusdem temperiei prouincia rectiùs valeant; similia enim similibus seruari plusquam tritum axioma est. verùm quòd hîc dicimus naturam dißimilibus benè affici, id intelligendum est de modo & qualitate, vt loquuntur; nam & omnes repentinæ mutationes pariunt morbos, & omnes magni excessus non vacant periculo: solentq́ue hoc Hippocratis & Celsi dictum ita limitari, vt sanitatem temperaturarum frigidarum solidiorem esse hieme dicant, apprehendi tamen facilius à morbis: alij temperaturam quidem bene se gerere simili anni constitutione, corpus verò nequaquam. Verùm vtut est, id tantùm voluit Celsus, quòd frigidæ temperaturæ æstate minùs à morbis impetantur. Sed hoc etsi quàm maximè ita esse concedamus; non tamen sequetur pueros, & qui hos sequuntur, Vere optimè valere, siquidem (vt Galenus auctor est) naturis, regionibus,*

regionibus, & ætatibus optimè temperatis, ver, (vt quod in temperie æqualitatem seruat) optimum est, quando eum quo prædita sunt habitum non permutari, sed conseruari desiderent. Ac proinde quum puerilis ætas non omnino temperata, atque omnis excessus media sit, perperàm aut saltem non satis appositè à Celso dictum, eandem ætatem verno tempore optimè se habere; præsertim quòd qui ætate adhuc florent, ἀκμάζοντες vocant, aut qui media ætate sunt, reliquis magis sint temperati, ac proinde verno tempore optimè se habituri sint. Non negauerim tamen ea veris parte qua æstatem excipit, optimè valituros pueros, reliquísque omnibus ætatibus ac temperaturis ver indifferens (vt quod omnis excessus sit medium) futurum.

Tum si qua imbecillitas, &c.

QVATVOR sunt genera morborum infantilium, seu recens natos pueros infestantium: Primum siquidem ex humiditate, alterum à cibi qualitate, tertium ab eiusdem quantitate fit, quartúmque accidentale omnino est; sub quo vmbilici inflammationes aut inflationes comprehendere licet. Quum igitur lacte ad dentitionem vsque nutricandi sint infantes, qualitates eiusdem inquirendæ sunt: nam & qualitatem & quantitatem infantilium morborum caussam diximus. Lac igitur omne triplicis est substantiæ: alia est butyrosa, alia caseosa, alia serosa; atque hæc rursum bifariam diuiditur, in eam videlicet quæ biliosa est, atque eam quæ aquea est. Quum ergo diuersis omnino qualitatibus, aut substantiis præditum sit lac, meritò diuersorum symptomatum causa erit, inter quæ ἄφθας statim annumerat, sic enim vocamus vlcuscula quæ summam oris partem occupant, idq; ob mollitiem instrumentorum, quæ neque tactum neque lactis sustinent qualitatem; siquidem quum non parum serosæ substantiæ (quam aut biliosam aut aqueam esse diximus) contineat lac muliebre, fit vt, si quidem bilis acrimoniæ particeps sit, abstergendi exulcerandiq; facultatem nō mediocrem obtineat. Vomitiones autem fiunt propter lactis, quod ingerunt, copiam. Per nocturnas verò vigilias nisi insomnia intelligamus, sensus non constabit, præsertim quando vigiliæ pueris parum sint assuetæ, vt qui maiorem temporis partem dormiant; nam & somni abundantia puerulis secundum naturam maximè adest, idq; tum ob cerebri humiditatem, tum ob multitudinem cibi quem assumunt. Galenus autem eas vigilias fieri arbitratur ob pueriles morbos; qua ratione omnibus etiam ætatibus communes essent vigiliæ. Rectiùs ergo insomnia intellexerimus: promptissimè enim idq; ex natura, somniis pueri vexantur; idq; quòd lac corruptum aut nidorosum effectum iam, euaporationibus suis cerebrum quàm ocyssimè petat. neque enim huic dissonat, quòd Hippocrates vigiliis pauores statim subiunxit.

circa vmbilicum inflammationes.

CELSVS hic Hippocratem secutus ὀμφάλου φλέγμονας, hoc est, vmbilici inflammationes dicere maluit, quàm inflationes: quanquam raro admodùm & per se infantulis vmbilici inflammatio contingat: siquidem quū pueris sanguis omnis in nutricationē cedat, nō videtur is vsq; adeò abundare, vt inflammationem pariat; præsertim quum plus quàm tritum sit, inflammationes omnes ex sanguine oriri. Inflationes autem vmbilici vt frequentes sunt, ita ex leuissima quauis aëris alteratione fiunt. Galenus vmbilicorum inflammationes non multò antè præcisorum intelligit.

Propriè etiam dentientium.

TRIPLEX vniuersim morborum genus dentientibus asscribitur: vnum ex molestia, quam prodeuntes dentes inferunt; alterum ex corruptione humorum; tertiúmque ex humore collecto in partibus durioribus, quæ antè molliores erant quàm vt talem humorem susciperent. Gingiuæ igitur vlcerationes, aut, vt Hippocrates, dentium pruritus fieri

nes fieri intelligimus, sicuti Galenus umbilici inflammationes: siquidem perforatæ gingiuæ à dentibus prodeuntibus facilè vlcerantur; idq; præcipuè, caninis dictis dentibus prodeuntibus, sunt enim hi reliquis acutiores. Sed neque solas prurigines dentes orientes pariunt, verum totum etiam corpus multis afficiunt incommodis; neruorum enim distentiones, seu (vt Hippocrates) conuulsiones, in metu sunt; eæ videlicet, quæ vnam aliquam partem tantùm occupant, quas Galenus aut ob inflammationem, aut propter crudum alimentum, aut quòd partes neruosæ nondum robustæ sunt, fieri dicit: ita enim noxium humorem de facili suscipient, & musculi in tumorem exurgent. Per febriculas, diarias intelligit; dolor enim ex gingiuarum prurigine concitatus, facilè diariam fecerit. Alui autem deiectiones fiunt non secus ac in priore ætate vomitus: nam quum illic stomachus vsque adeò imbecillis esset, vt cibum nulla ratione ferre posset, per superiora eundem regurgitabat; iam autem aliquanto robustior effectus, ad inferiora excrementa remittit, aluique profluuia parit. quod voluit Galenus, quum dixit, alui profluuia fieri, quòd cibus non bene concoquatur ac distribuatur. Quod autem subiungit Celsus, pericula hæc plenißimo cuiuis, & qui astricta sit aluo subesse; Galenus de cõuulsionibus, seu distentionibus neruorum intelligit.

At vbi ætas paulùm processit.

NVNC de morbis secundæ pueritiæ sermo est: qui quum voraciores sint, & quosuis, quantumuis solidos, cibos deglutiant, facillimè craßorum humorum coaceruant multitudinem, qui plurimorum morborum caussa existunt. Nam glandulæ, & vertebrarum inclinationes ex crasso & lento humore fiunt; per glandulas eas quas Hippocrates Tonsillas vocat, intelligens; quas Galenus tumores glandulosarum partium, inflammationesq; locorũ isthmum tenentium esse dicit, inflammationis vocabulo impropriè vsus.

Vertebrarum quæ in spina sunt, &c.

CELSVS vertebrarum quæ in spina sunt luxationes fieri dicit: quum tamẽ Hippocrates, luxationes earum quæ in occipitio sunt ad interiora posuerit. sed ita vitio transscribentis mihi factum videtur: eæ nanque quæ in occipitio sunt vertebræ, facillimè & leuißima quauis de causa afficiuntur; quæ verò in spina, non tam facilè læsionem senserint: vnde quæ in occipitio sunt, malim legere. Luxantur igitur vertebræ fractæ aut à musculis inflammationem patientibus, aut tumoribus vicino loco natis. strumæ & verrucæ, ex crasso & pituitoso sanguine fiunt, suntque vitiatæ multitudinis ad exteriora & cutem repentis germanæ paßiones.

Incipiente verò iam pube.

DVPLEX pubertati asscribit morborum genus: prius ex acrimonia humorum, cuius generis sunt febres; alterum ex multitudine sanguinis, cursus enim sanguinis ex naribus, aut à copia aut tenuitate eiusdem oritur. Longas autem febres, non simpliciter longas, sed respectu earum quæ secundæ pueritiæ accidunt, vocauit: nam Hippocrates τουτέων τὲ τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, hoc est, & horum quidem nonnulla, & diuturnæ magis febres accidunt, inquit; ita vt non sine comparatione locutus fuisse videatur.

Maximeque omnis pueritia.

OSTENDIT quomodò in pueritia diutinæ paßiones terminentur, aut quibus potißimùm temporibus periclitentur: siquidem nonnullæ paßiones in quadraginta diebus, aliæ septem mensibus, nonnullæ etiam septennio indicantur; nam quòd morbos longos intelligit, vel hinc clarum est, quòd dies quadragesimus, primus eorum est, ex quibus morbi diutini indicantur; vltimus autem illorum qui acutos ex incidentibus indicant. Quicunque verò hunc transscendunt numerum, secundum septi-

duin ſeptimanæ rationem, habent iudicium; non quidem à ſeptem diebus, ſed primùm à menſibus, deinde annis: & quidem quòd qui hoc tempus tranſcendunt, ad decimum quartum annum perueniunt, manifeſtum eſt, ut docet Galenus.

Si qua etiam genera morborum, &c.

QVOD ſi quos, inquit, contingat decimoquarto anno (tum enim magna ex parte puberes redduntur pueri) infantilibus morbis non ſolui, longum, & qui cum illis ferè ſeneſcat, ac tamquam hæreditarium morbum incurrunt: ſiquidem pubertatis tempore morbi magna ex parte ſoluuntur, quòd natura tunc ſeſe, quoad fieri poteſt, expurget, in mulieribus quidem per menſtrua; in iuuenibus per pilos. Sic Hippocrates, Quicumque, inquit, iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione locorum, & temporum, & victuum quoque liberantur, quòd videlicet humor craſſus, calore iuuenili, loco & victus ratione calidiore diſſipetur.

Adoleſcentia morbis acutis.

TRIA ſunt morborum genera quæ adoleſcentiæ aſſcribit: primum quidem ab acrimonia humorum; alterum ab incidentibus; tertium à prauis ſuccis. Per morbos igitur acutos, febres acutas intelligit, à ſanguine bilioſo ortas. Sanguinis autem ſputiones, ut arbitratur Galenus, ab accidente extraneo fiunt, videlicet aut quia vulnerantur, aut quia ſaliunt franguntur que, aut clamant vehementer, aut propter aliquam huiuſcemodi cauſam: quamquam non ineptè omnino ob plenitudinem, & ſanguinis abundantiam vaſis ruptis ſanguinus ſputiones fieri poſſe dixerimus; atque hunc eſſe Celſi & Hippocratis genuinum ſenſum. Cæterùm quòd iuuenes ferè eſſe dicit, qui ſanguinem expuunt, ex ſanguinis acrimonia hoc fieri intelligemus; niſi Celſum verbum verbo ex Hippocrate reddidiſſe dicamus, qui τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν, iuuenes vertit: ſub qua tamen dictione, idem ſenex adoleſcentiã æquè ac iuuentutẽ comprehendiſſe videtur: ſiquidem is ſegmento 5. Aphoriſm. aphoriſmo 9. Φθίσις, inquit, γίνεται μάλιϛα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαιδέκα ἐτέων μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα: quod eſt, Tabes maximè fiunt in iis ætatibus, ab anno nimirum decimo octauo vſque ad trigeſimum quintum. Quo Aphoriſmo Hippocrates tam adoleſcentiam quàm iuuentutem complexus, vtrique tabes in metu eſſe dixit: quemadmodum etiam de expuitione ſanguinis cenſendum eſt. Iuuenes enim ſanguinis acrimonia eroſis vaſis; adoleſcentes contrà, eiuſdem copia grauati, eum expuunt: quare in adoleſcentibus potiùs, ac frequentiùs, haſce ſanguinis reiectiones expectârim; vt in iuuenibus tabes, corpore videlicet exhauſto à nimia ſanguinis expuitione in adoleſcentia, & eiuſdem acrimoniâ bronchiis pulmonis corroſis. Sanguinis igitur expuitiones ſubſequuntur tabes. Verùm quòd morbos comitiales aſſcribat, admodùm mirandum videtur; præſertim quum iam antè dixerimus, multos morbos mutatione ætatis terminari: è quorum numero, ex Hippocrate, comitialem quoque retulimus. atque hoc quidem quamuis ita ſe habeat, adoleſcentes tamen (vt qui ita intemperanter viuant vt qui maximè) facilè in comitialem inciderint; quando non tantum victus ratione erronea vtantur, ſed & aliis quæ ab ipſis aguntur operibus abutantur, dum humi cubant, & ſoli imbribuſque ſe exponunt.

Poſt hanc ætatem.

QVATVOR in ſummâ hîc recitat morborum genera: Primum à cholera, excipit enim conſiſtens ætas iuuentutem; alterum ex cholera aduſta; tertium à ſucco melancholico; poſtremum à pituitoſo humore. Primùm igitur bilioſos, ſeu ex ſanguinis aduſtione, enumerat: cuiuſmodi ſunt, pleuritides, pulmonis dolores, dehinc eos qui his quàm maximè oppoſiti ſunt, qualis Lethargus eſt, Veternum Latini dicunt; eſtque marcor quidam, & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas, cum rerum omnium obliuione, originem à pituita trahens, quæ frigore nimio, ac humore cerebrum imbuit, &

in ſomnum impellit. Per inſaniam autem, & melancholiam & maniam complectitur, hoc eſt eam quæ ex fece melancholica, & cholera aduſta mentem occupante fit. Ex eàdem quoque cauſa hæmorrhoides fiunt, iecinore ſanguinem melancholicum & fæculentum ad eas reponente. Cholera autem eſt morbus acutus admodùm & anceps; eſtq; ventriculi immodica perturbatio, infrà & ſuprà per vomitum facta, acciditq; ob multam cruditatem, quæ nonnunquam è magna alimentorum prauitate; interim ex vitioſorum humorum copia oboritur.

In ſenectute ſpiritus.

PER *ſenectutem extremum ſenium Galenus intelligi vult. hæc autem quum inſigniter ſit frigida & ſicca, ſimiles procreabit morbos: ſed nec hos tantùm, verùm etiam eos qui ex pituitoſo humore fiunt: nā quum innatus calor, & virtutes naturales debiles ſint, quantumuis calidos & boni ſucci cibos aſſumant, in debitum alimentum non alterant; verùm in excrementitium quid conuertunt, qua ratione pituitoſos quoque morbos annumerat Celſus. Vnde quum cerebrum natura frigidum ſit, ſi quid humidi in eo ſit, exprimit, ac diſtillationes cum tuſſi facit; ex quibus rurſum diſtillationibus aſthmata & crebri anhelitus ortū habent, quanquam à proprio quodam humore, qui inſtrumenta reſpirationis obſtruat, fieri poſſint. Hæ igitur prædictæ affectiones (ſicuti etiam articulorum dolores) vrinæ ſtillicidia, ac difficultates, à frigiditate oriuntur. Malus autem habitus (quem καχεξίαν Græci appellant) à virtutum naturalium debilitate fit, natura iuſtum alimentum non ſortita. At alui vitia quæ enumerat, à recrementitio & pituitoſo humore generantur: ſiquidem quantumuis partes corporis in ſenibus ſicciores fiant, multitudinem tamen ſuperfluitatum pituitoſam coaceruant: atque hæ ſi aggregentur, ſenes ſomnolentos efficient; ſin minùs, vigiles: nam vigiliæ quas ſenes infeſtare dicit, à ſiccitate fiunt.*

Præter hæc graciles.

VT *nihil orationi deeſſet, poſtquam ætatibus proprios morbos dixit, temperaturas quaſdam bene vel malè ad hos vel illos morbos ſe habere oſtendit. Graciles enim, & qui ſtricto ſunt pectore, hoc eſt bilioſi, promptiſſimè in tabes ex vlcere pulmonis incident; quemadmodum etiam in diſtillationes, lateríſque dolores. Obeſi autem morbis acutis ferè periclitantur: anguſtæ enim ſunt eorum venæ ac arteriæ; atque ob id paucū omnino ſanguinem ſpiritúmque habent: adeò vt quum ætate proceſſerint, citiſſimè, atque leuiſſima quauis de cauſſa calor innatus eos deſtituat, atque ita citò faciléque ſtrangulentur. Per acutos morbos, anginam, apoplexiam, & id genus alios, qui ratione accidentium potiùs quàm materiæ, acuti dicuntur, intelligit. quod & Hippocrates innuit, quum dicit, naturâ admodùm craſſos citiùs interire, quàm graciles.*

CAPVT II.

* notis

*De * ſignis aduerſæ valetudinis futuræ.*

ANTE aduerſam autem valetudinem (vt ſuprà dixi) quædam notæ oriuntur, quarum omnium commune eſt, aliter ſe corpus habere, atque conſueuit, neque in peius tantùm, ſed etiam in melius. Ergo ſi plenior aliquis, & ſpecioſior, & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet. Quæ quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque vltrà

vltrà progredi possunt, ferè retro, quasi ruina quadam, reuoluuntur. Peius tamen signum est, vbi aliquis contra consuetudinem emacruit, & colorem decoremque amisit, quoniam in his quæ superant, est quod morbus demat: in his quæ desunt, non est quod ipsum morbum ferat. Præter hæc protinus timeri debet, si grauiora membra sunt, si crebra vlcera oriuntur, si corpus supra consuetudinem incaluit, si grauior somnus pressit, si tumultuosa somnia fuerunt, si sæpius expergiscitur aliquis, quàm assueuit, deinde iterum soporatur, si corpus dormientis circa partes aliquas contra consuetudinem insudat, maximeq. circa pectus, aut ceruices, aut crura, vel genua, vel coxas. Item si marcet animus, si loqui & moueri piget, si corpus torpet, si dolor præcordiorum est, aut totius pectoris, *aut, qui in plurimis euenit, capitis: si saliuæ plenum est os, si oculi cum dolore vertuntur, si tempora astricta sunt, si membra inhorrescunt, si spiritus grauior est, si circa frontem intentæ venæ mouentur, si frequentes oscitationes, si genua quasi fatigata sunt, totúmve corpus lassitudinem sentit. Ex quibus sæpe plura, nunquam non aliqua, febrem antecedunt. In primis tamen illud considerandum est, nunquid sæpius horum aliquid eueniat, ac ideo neque corporis vlla difficultas subsequatur. Sunt enim quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facilè quicquam in futurum præsagiri potest. Facilè itaque securus est in his aliquis, quæ sæpe sine periculo euasit. Ille solicitari debet, cui hæc noua sunt, aut qui ista nunquam sine custodia sui* tuta habuit.

*alias, aut in plurimis venis capitis.

* tutò

Enarratio.

Hoc & reliqua quæ de signis sequuntur capita, auctor noster ex Hippocratis tum prædictionibus vtrisque, tum quarto Aphorismorum desumpsit: quare si quis copiosiorem horum desideret interpretationem, ad Galenum recurrat; nobis sat erit breuiter locum loco per capita reddidisse, ac sicubi scrupulus aliquis vrgeat, eum pro ingenioli nostri modulo eruisse, & si qua typographorum incuria vitiata videbuntur, quàm poterimus maximè pristino restituisse nitori. Itaque quòd omnes in peius vel melius mutationes suspectæ sint, hîc declarat, & antè ab Hippocrate definitum est, exemplo ab athletis sumpto. Athletarum enim constitutiones bonæ quum in extremo fuerint, periculosæ; neque enim possunt in eodem permanere aut quiescere: quum verò non con-

sistant aut quiescant, iam in melius proficere haud possunt: reliquum est igitur, vt decidant in deterius. Sed de his latius Galenus. Cæterùm quum facilius sit pleno corpori aliquid adimere, quàm exhausto addere, hinc maius periculum imminere certum est.

Præter hæc protinus, &c.

QVÆ immodicas exercitationes excipit laßitudo, sanorum symptoma est; quæ verò sine his consistit, morbosum: laßitudines enim spontaneæ, vt inquit ille, prænunciant morbos. Fit autem triplex in laßitudine sensus, autore Galeno libro De symptomatum causis: Vlcerosus est, quum vlcerum sensus per corpus transcurrere videtur; id verò motis magis accidit quàm quiescentibus, nisi magna admodùm fuerit laßitudo; ac putant ita affecti perinde se pungi, ac si complures ipsis acus sint infixæ, nam à rodente humore hoc symptoma nascitur. At cùm tendi videtur corporis moles citra aliquam manifestam causam, affectus huiusmodi laßitudo tensiua, spontanea nominatur, euenitque potißimùm ob multitudinem continentes partes distendentem, adeò vt ipsam continere non poßit. Per tertium autem laßitudinis genus, quo aiunt oßium se fatigatione teneri, ne minimum quidem motum laborantes tolerare possunt, manifestusque in ipsis est caloris sensus, neque tensionis mordicationisve; quippe magna vitiatorum humorum copia per totum animalis corpus transmittitur. Prima igitur species laßitudinis, quum ex vitiatis humoribus ortum habeat atque ex plenitudine, tertiáque ex vtrisque simul mixtis; non mirum, sicui accidant aduersam valetudinem prædicere. Vlcera autem suspecta esse contingit, tum propter qualitatem, tum quantitatem humoris peccantis. Et quæ quidem de vlceribus hic scribit Celsus, ex secundo Hippocratis Aphorismorum transsumpsisse videtur, vbi dicit: Sicubi fauces malè habent, aut in corpore tubercula enascuntur, excrementa intueri conuenit: nam si biliosa fuerint, corpus simul ægrotat; si verò sanis similia euadant, liberum erit corpus nutrire. Celsus quoniam omnes quæ in peius vel melius fiant mutationes suspectas habet, excrementorum ne meminisse quidem voluit, quæ alioqui consideranda monet Hippocrates.

Si corpus supra consuetudinem, &c.

NON solùm repentinus, & præter consuetudinem eueniens calor, suspectus est; sed etiam frigus: quemadmodum reliquæ ad vnum omnes repentinæ mutationes; nam quum sanitas symmetria quædam sit, ac commoderatio calidi, frigidi, humidi & sicci, necessum erit eorundem excessum morbos párere, ac prænunciare. sic Hippocrates qua parte corporis calor aut frigus fit, ibi iam morbum esse dicit. Per dictionem autem supra consuetudinem, intellexit excellentem aliquem aut ingentem excessum.

Si grauior somnus.

PER grauem somnum, eum intellexit, quem Hippocrates laboriosum vocat: is autem quum in morbis malum sit signum, rectè si ante eosdem contingat, futuros præsagiet. Naturalis autem somnus ac moderatus, fit ex euaporatione alimenti: siquidem vapor suauis & vtilis ex nutrimento exhalans, cerebrum petit, & ab eodem refrigeratus & in humorem coactus, defluit in cerebro, & meatus sensuum & neruorum motiuorum obstruit. Quum igitur somnus naturalis propter suaues halitus cerebrum petentes fiat, accidit vt in eo sensoria placidè quiescant: intemperatus verò immoderatúsque somnus quum ex mala cerebri intemperie, ac plus satis frigida ac humida oriatur, morbosus est; signum videlicet & causa morbi. Vigiliæ contrà immoderatam siccitatem portendunt, tumultuosaque insomnia, acribus & nidorosis vaporibus cerebrum peti indicio est.

Si corpus dormientis, &c.

NON solùm futurum morbum in aliqua parte corporis sudor, vtputa pectore, ceruice, aut alia quauis parte, præsagiet: sed etiam iam adesse significabit. notius est enim Hippocratis

pocratis Aphoriſmus : Qua parte corporis ſudor, ibi morbus. Verùm auctor noſter id in præſentiarum non videtur voluiſſe ; ſed quod alibi ab eodem ſene dictum eſt, nempe quòd ſudor multus à ſomno factus abſque cauſſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificet : quodq; ſi cibum non accipienti hoc accidat ; ſcire oportet quòd euacuatione indigeat. Neque enim abs re Celſus noſter imitatus Hippocratem, corpus dormientis dixit; quippe quum naturales omnes facultates in ſomno ſua munia obeant validius, atq. adeò inutilia ab vtilibus ſeparent, nihil mirum ſtatim à ſomno quum ſanguis & ſpiritus ad exteriora corporis reuertuntur, ſimul etiam excrementa ad cutim deferri, atque per ſudorem expelli. Calor enim per ſomnum fortior factus, ad exteriora materiam per ſudores idoneam ſecum faciliùs effert. Sudor igitur ſi multus fuerit, copia humorum corpus grauari ſignificat : per ſudorē etenim tenuia excrementa quum excernantur, craſſiora in corpore manere conſentaneum eſt. Oſcitationes ac pandiculationes contentam aliquam in muſculis humiditatem vel vaporoſum ſpiritum ſignificant, quo grauati huiuſmodi motus conciliant. Inhorreſcunt autem membra prauis humoribus per cutim diſcurrentibus. Reliqua ferè quæ ſubiicit, ex his & antedictis peti poſſunt, præterquam quòd hîc quoque transſcribentium vitium eſſe videatur, qui corpus torquere *pro* torpere *poſuerint, & vti facilis lapſus fuit in literarum tranſpoſitione, ſic meliùs quadrabit lectio, ſi corporis torporem marcori animi opponamus.*

Inprimis tamen illud conſiderandum.

CONSVETVDO *Ariſtoteli Altera Natura dicta eſt : nam & Galenus ipſe in idem ferè incidere Conſuetudinem & Naturam dixit. ſic libro Sanitatis tuendæ, Conſuetudinem, aſſuetitiam acquiſititiamque naturam in corporibus gignere docet, adeò vt Hippocratis oraculo quæ longo tempore aſſueta ſint, etiamſi deteriora ſint, minùs inſuetis, quantumuis melioribus, moleſtare diceremus. Huc quoque reſpexit Galenus in ſecundum Prognoſticorum cōmentario, Conſuetum bonum, atque inſuetum malum, pronuncians. Verùm Celſus ipſam non ſolùm conſuetudinem conſiderandam monet, ſed corporum etiam quorundam proprietates : ſunt enim, vt inquit, quædam proprietates hominum, quæ quum aliis ſint maximè alienæ; illis propriæ ac familiares ſint quodam modo.*

CAPVT III.

Quæ bona in ægrotantibus ſigna ſint.

VBI verò febris aliquem occupat, ſcire licet non periclitari, ſi in latus aut dextrum, aut ſiniſtrum, vt ipſi viſum eſt, cubat, cruribus paulum reductis : qui ferè ſani quoque iacentis habitus eſt : ſi facilè conuertitur, ſi noctu dormit, ſi interdiu vigilat, ſi ex facili ſpirat, ſi non conflictatur, ſi circa vmbilicum & pubem cutis plana eſt : ſi præcordia eius ſine vllo ſenſu doloris æqualiter mollia in vtraq. parte ſunt: quòd ſi paulò tumidiora ſunt, ſed tamen digitis cedunt, & non dolent, hæc valetudo, vt ſpatium aliquod habebit, ſic tuta erit. Corpus quoque quod æqualiter molle & calidum eſt, quod-

que æqualiter totum insudat, & cuius febricula eo sudore finitur, securitatem pollicetur, quando iam ad sanitatem venit corpus. Sternutamentum etiam inter bona indicia est: & cupiditas cibi, vel à primo seruata, vel etiam post fastidium orta. Neque terrere debet ea febris, quæ eodem die finita est: ac ne ea quidem, quæ quamuis longiore tempore euanuit, tamen ante alteram accessionem ex toto quieuit, sic vt corpus integrum quod εἰλικρινὲς Græci vocant, fieret. Si quis autem incidit vomitus, mixtus esse ex bile & pituita debet, & in vrina subsidere album, læue, æquale, sic vt etiam, si quæ quasi nnbeculæ innatarint, in imum deferantur. At venter ei qui à periculo tutus est, reddit modò mollia, figurata, eodem ferè tempore, quo secunda valetudine assueuit: modò conuenientia his quæ assumuntur. Peior cita aluus est. Sed ne hæc quidem terrere protinus debet, si matutinis temporibus coacta magis est, aut si procedente tempore paulatim contrahitur, & ruffa est, neque fœditate odoris similem aluum sani hominis excedit. Ac lumbricos quoque aliquos sub fine morbi descendisse, nihil nocet. Si inflammatio in superioribus partibus dolorem tumoremque fecit, bonum signum est. Sonus ventris inde ad inferiores partes euolutus, magisque etiam si sine difficultate cum stercore excessit.

ENARRATIO.

OPTIMVS in ægrotantibus habitus is est, qui valentibus quàm simillimus est; vt pessimus & exitialis, qui quàm maximè contrario similis. febriens igitur si in latus dexterum, aut sinistrum, aut vt ipsi visum est, paulũ reductis cruribus, cubet (qui ferè benè habentium dum cubant est habitus,) non periclitatur: neque enim poterit, aut in latus, aut vt ipsi visum fuerit cubare, citra robur facultatis per musculos firmantis corpus; atque ita quoque fiet vt facilè conuertatur.

si noctu dormit.

HOC enim naturæ robur indicat, atque eam quam minimè à naturali conditione recedere, dies enim vigiliis vt nox requiei data.

si ex facili spirat.

FACILIS spiratio, inquit Hippocrates, in omnibus acutis morbis, in quibus febris copulatur, quique intra quadraginta dies indicari solent, magnum ad salutem habet momentum: significat enim neque thoracem, neque cor ac pulmones, neque septum transuersum doloris quandam habere affectionem; vti nec partes iis adiunctas, cuiusmodi sunt stomachus, lien, iecur: eæ etenim aut inflammatæ, aut alio quouis modo affectæ, dum per respirationem mouentur, dolore afficiuntur.

si circa

si circa vmbilicum, &c.

SIGNIFICAT *enim refici corpus; nam omnis extenuatio, vt alibi Hippocrates, laxat cutem, deinde intendit; refectio contrà. Rugositas igitur corporis concidentis & extenuationem patientis; extensio verò refecti signum est.*

si præcordia eius.

QVOD *videlicet omnis suspicio affecti hepatis aut lienis absit: nam si dextrum præcordium tendatur, ab hepate fluxiones fiunt; si sinistrum, ad lienem. Notus in hanc sententiam primo Prognosticon Hippocratis locus: Præcordia saluberrima sunt, quum dolore vacant, si mollia & æqualia sint dextera & sinistra parte. Quod si paulo tumidiora esse contingat, sed tamen digitis cedant, neque doleant; hæc quidem valetudo vt spacium aliquod habebit, sic tuta erit: quòd videlicet, sicut inflammationem nullam subesse denotat; sic defluxum aliquem humorum qui quantitate magis quam qualitate peccent, eò defluxisse demonstret. qui quidem humores vt omnis ferè extraneæ qualitatis exortes sunt; ita nisi distendant præcordia, dolorem aliquem concitare nequeunt, quando ad doloris procreationem requiratur tensio alicuius particulæ, aut acrimonia materiæ peccantis. Porrò humor, hic quem ad alterum præcordium defluxisse dixi, licet extraneæ alicuius qualitatis expers sit, iustum tamen ad eiusdem euacuationem spacium requirit: quare auctor noster valetudinem hanc tutam quidem esse pronunciat; sed ita, vt spatium aliquod habitura sit.*

Corpus quoque, &c.

ÆQVALITER *calidum corpus dici potest; quod citra intemperiem calidum est; id enim æqualiter, hoc est vniuersim erit calidum, quum procul mota omni caliditatis externæ suspicione, insito calore corpus totum æqualiter caleat, ac proinde morbi omnem suspicionem amoueat: antè enim dictum est, quòd qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus est; particula videlicet illa intemperie aliqua grauata. De sudoribus etiam dictum est. at quòd ij boni sint à toto corpore, si febris eisdem soluatur, non semper verum est: nam qui criticis diebus contingunt, vt securitatem semper pollicentur; ita qui diebus paribus accidunt, morbum quidem soluere videntur, sed grauius periculum à recidiua minantur; febricitantem enim nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.*

Sternutamentum etiam, &c.

STERNVTAMENTVM, *bonum signum est, in morbis præsertim capitis, vt distillatione, grauedine, & similibus: fit autem sternutatio maximis inspirationibus prægressis, & efflatione celerrimè subsequente: habet enim cerebrum has duas facultates, per quarum alteram superfluitates in anterioribus ventriculis excernit ad seipsum contractas; per alteram verò nasi alas expandit, & spiritum attrahit: quum itaque à spiritibus grauatur, tunc ipsum excernit per contractionem sui; si verò in naribus viis obturatis, impeditur excernere grauantem spiritum aut muccū, tunc violento motu ad sternutationem procedit, depellere conans ea quæ meatus obturant, vnde sternutationes in capitis affectibus non solùm bona indicia dicimus, sed eosdem sanare, quemadmodum omnes ferè affectus circa cerebrum existentes. Sic Hippocrates mulieri quæ vterinis molestatur, aut quæ difficulter parit, superuenientem sternutationem bonū esse signum dixit: quia videlicet naturam ostendit, & propriarum meminisse actionum, & quæ prius erat emortua, reuiuiscere atque excitari, quando aliquam eiicit superfluitatem.*

& cupiditas cibi.

FAMES, *vt docet Galenus, est suctionis sensus: perit verò sensus is, quum ventriculus nimio humore madens (crasso præsertim & lento) se inaniri minimè percipit; vel tum etiam, quum per vehementes affectus sopita ac ferè prosternata est illius sensifica vis, vt in vehementissimis intemperaturis*

& magnis

& magnis fluxionibus plerunque accidere ſolet. At verò ipſa ſuctio fieri deſinit, vel ob nimiam plenitudinem vaſa occupantem; vel cùm nimia ſit partium diſſolutio, partibus vtique impleri minimè indigentibus, quare in morbis vel à primo ſeruata, vel poſt faſtidium orta cibi appetentia, bonum erit: quod ab Alexandro quoque Aphrodiſæo proditum eſt libro ſecundo Problematum: dicit enim, qui febriunt, ſitire quidem ob febrilem calorem; famem verò non ſentire, quoniam multam vitioſam materiam in ſtomacho continent: Conualeſcentes autem iam famere, quòd febres latè humores conſumpſerint. Quanquam, ſi quis aphoriſticωs ſternutamentum & cibi appetentiam accipiat; per hanc quidem naturalium facultatum conſiſtentiam robúrque (ſiquidem Galeno teſte hæc tota actio quum non ſit animalis ſed naturalis, haud aliter in animalibus quàm in plantis perficitur,) vti per illam animalium facultatum vim intelligemus.

Neque terrere debet ea febris, &c.

TACITE videtur hîc intermittentes cum continuis conferre; quaſi dicat: Intermittentes febres omnes, periculo magis vacant quàm continuæ; atque inter has magis quæ ex toto ante alterum paroxyſmum quieuerunt. Atque, vt ad huius veram cognitionem deueniamus, continuarum & intermittentium diſcrimen enarrandum eſt. Interdum igitur in genere carnoſo, (hoc eſt in meatibus & venulis per totam carnem diſperſis) quum ibi ſolita corporis excrementa ob cutis aſtrictionem detinentur, putreſcunt: putreſcunt enim quia nõ diſflantur, pariuntque febrem intermittentem; nam reſoluto in prima acceßione putri humore, remanet velut focus quidam, in quo vel poſtero vel alio quouis ſequente die rurſus putreſcat humor, qui partim relictus ex priore acceßione erat, partim ex maioribus vaſis in minora confluxerat, ob cutis videlicet conſtipationem detentus; fitq; noua acceßio ſeriùs ac tardiùs pro humorum conditione. In vaſis verò aut æqualiter omnibus, aut in magnis (cuiuſmodi ſunt iecoris, ventris, pulmonis, & quæ inter alas & inguina exiſtunt) continuam febrem accendunt: vt meritò tum ratione loci affecti, tum humoris copia continuæ intermittentibus & ſæuiores & periculoſiores ſint; quod ab Hippocrate quoque proditum eſt: Febres enim quæcunque non intermittentes, inquit, tertia die fortiores fiunt, magis periculoſæ; quocunque autem modo intermiſerint, maius periculum abeſſe ſignificant. Sed hîc quoque difficultas oriri poſſet, quænam intermittentium periculo maximè vacet, eáne quæ quotidie, an quæ de quarto in quartum, an quæ de tertio in tertium acceßiones ſuas faciat? De quotidiana quidem Galenus ſtatim ſententiam profert: Longa (inquit) eſt, & periculo non vacat. eſt autem non ſolùm longa, quòd in longius tempus producatur; ſed & quòd longas habeat acceßiones, atque eas quotidianas. Vnde de hac Celſum non fuiſſe locutum, ſatis conſtat: ſiquidem tum ob antedictas cauſas periculo non vacat; tum etiam quòd habitum corporis refrigeret, ac calorem innatum extinguat, gignátque magnum recrementorum in corpore prouentum. At intermittentium breuißimam ſimul & tutißimam, tertianam dicit Galenus; quartanam longißimam quidem, ſed tutam quantum in ſe eſt; nam quamuis longißima ſit, breuiores tamen, puriores, & longiore interuallo repetitas acceßiones facit quàm quotidiana: quo fit, vt & naturæ tempus longißimum relinquatur, in quo concoctioni contumacium humorum, ac corpori alendo reſarciendíſque viribus vacet. quare ſi quis Celſum de quartanis locutum putet, per me ſanè integrum erit: quanquam de tertianis intelligere malim; eas etenim manſuetißimas rectè nominat Galenus, non quòd grauiter non infeſtent (vrgent enim & caloris vehementia, & ſiti, & id genus aliis ſymptωmatis,) ſed quia omnino vacant periculo, & minùs malignæ ſunt; & quòd ratione humoris peccantis à natura facilè euinci poßint. Quanquam ſermo ſimpliciter ſic intelligi poſſet, vt continuæ, cæteris paribus, intermittentibus periculo minùs vacent: exempli

empli causa, quotidianæ continuæ intermittentibus; continuæ tertianæ iisdem intermittentibus; quartanæq; continuæ iisdem interpolatis :-siquidem propter continuos atque se inuicem excipientes paroxysmos, non relinquitur tempus ad morbi maturationem, materiæque peccantis expulsionem, aut medicamenti propinationem; dehinc quòd accessionum ingi exacerbatione corpus atque vires ægri fatiscere atque deficere contingat. Quod de diariis febribus dicit, clarius est quàm vt expositione egeat, quando ex inguinum tumoribus febres ortæ omnes malæ sint; solæ autem diariæ inter has periculo vacent.

Si quis autem incidit vomitus.

SINCERÆ omnes deiectiones aut purgationes, malæ sunt: appello autem sinceras, quæ dumtaxat vnum aliquem, qui excernitur, humorem cæteris impermixtum habent. quare rectè laudauit Celsus vomitum, si quis incidat, qui ex bile & pituita mixtus sit: nam qui purè biliosus est, caloris copiam; pituitosus, frigoris maximam intemperiem denotat.

& in vrina subsidere album, &c.

QVALITATIS aut quantitatis vrinæ non meminit, satis ratus contentorum mentionem fecisse. Vrinæ igitur quæ absque contentis omnino visuntur, magnum defectum concoctionis demonstrant. Sunt autem contenta, superfluitates quædam tertiæ concoctionis. quòd si igitur hæc minus inspiciantur, ostendunt concoctionem illam deficere; siquidem vbi fit concoctio, etiam superfluitatis alicuius sequestratio obitur. Virtutem igitur sanam in tertia concoctione, contenta mediocriter alba, læuia, & æqualia, & quæ in vnum deferantur, hoc est quæ cohæreant, demonstrant. Ratione enim cognitum est, vt ait Galenus, sanguinem ad album colorem verti, quum de colore suo mutatur legibus naturæ alteratus atque transuersus. atque huius quoque rei fidem faciunt, tum lac ipsum, tum semen; quæ de sanguine puriore in album transmutantur colorem. Verùm, vt securitatem omnino polliceatur hypostasis, non requiritur intensa admodùm albedo (eiusmodi enim imperfectam adhuc concoctionem, copiamq; crudi ac pituitosi humoris indicat: vocaturq. humorale sedimentum:) sed necesse est, vt subalba sit; vt læuis, vt æqualis, vt sibi bene cohærens, ceu in pyramidem aßurgat, eamque semel atq. iterum ita apparuisse non suffecerit, quum reliquo morbi decursu crudum incoctúmque ferè apparuerit lotium, crudum quendam humorem, hypostaßi non dißimilem, in se continens: sed vt toto morbi tempore præsertim à statu tale conspiciatur. quod voluit Hippocrates per eam particulam quam adiecit: per omne tempus, dum morbus iudicetur. tum enim securitatem pollicetur, morbumque sine periculo esse, atque integrè exoluendum, ita vt non sit prætereà repetiturus. Nubecularum aut eneorematum eadem est ratio. sunt enim hæc quoque vt de sedimento dictum est, superfluitates tertiæ concoctionis. si ergo nubecula quæ in vrina circumfertur, candida sit atque in vnum deferatur, bona quidem est; sed minorem concoctionis elaborationem quàm hypostasis alba, significat. Omisit sedimen subrubrum & læue in vrina subrubra; quod etiam salutare, sed diuturniorem morbum portendit Hippocrati: idq; fortè quòd quæ perfectam morbi solutionem atque concoctionem indicarent, Aphoristica breuitate contentus, satis dicta putaret.

At venter ei qui à periculo tutus est, &c.

QVEMADMODVM facultatis quæ in iecinore & venis est indicia ex vrina sumuntur; ita facultatis quæ in ventre, ex iis quæ quotidie deiiciuntur. Facit autem optimæ deiectionis dignotionem, à qualitate & tempore quo eædem excernuntur, & ab assumptorũ conuenientia. Dictum est autem, omnem habitum qui à sanorum natura quàm minimè variat, salubrem esse. Venter igitur ægroti si suo fungatur munere,

ac talia reddat, qualia sanus reddere solet, periculo vacat. huiusmodi autem sunt, non dura sed mollia, non tamen quæ extremè mollia sint, sed quæ constantia permaneant, debitoque tempore excernantur; & quorum copia ex ratione ingesti cibi sit; & in summa, quæ neque grauiter oleant, neque adsciritium quid habeant. Cita autem aluus peior est, quòd è iecore atque liene fluxionem fieri ad ventrem denotet.

Ac lumbricos quoque, &c.

LVMBRICI *in febribus & citra febres, tum multitudine, tum magnitudine, tum colore, tum temporibus differentes sunt: circa initia enim morborum generati, substantiam suam ex subiacente corruptione accipiunt; circa vigorem, ex morbi malitia; sicuti circa declinationem, ex permutatione omnium in melius: qui sanè citiùs separantur: Natura enim ipsos reliquorum excrementorum instar foras propellit: atque id voluisse Celsus videtur. Verùm quum tres vniuersim sint lumbricorum differentiæ, an de vna aliqua tantùm, an de omnibus in genere dixerit, considerandum est. Omnes autem quotquot sunt ex cruda, crassa, pituitosáque materia originem habent, quæq; putredini quàm maximè sit obnoxia: vnde & pueros, & eos qui voraces natura sunt, contingit iisdem abundare. Lumbricus igitur qui latus appellatur, in febribus raro conspicuus est; in diuturnis longísque morbis, frequentiùs apparet. Est autem lumbricus latus (si ita dicere liceat,) permutatio adnatæ pelliculæ interioris, intestinorum membranæ in corpus quoddam viuum quod morsus infert, quod sæpè totum redditur incredibili longitudine; adeo vt interdum intestini totius longitudinem æquet, à quibusdam fasciæ (ob id quòd his similes sint) tæniæque vocantur; frequentiùs tamen pars ipsius quàm totum excernitur. Verùm auctor noster non videtur de istis verba fecisse; quanquam bonum quoque sit hos excreuisse. At qui teretes dicuntur lumbrici, vt aliis omnibus sunt frequentiores; ita formam omnibus conspicuam habent: consistuntq; magna ex parte in gracilibus intestinis, atque superiorem ventriculum subeunt: & ideò per os frequenter reiiciuntur; quemadmodum nonnullis per nares etiam reddere contingit. Peculiare vitium infantibus admodùm est, maximéque si febricula inuadat: ac de iis Celsum (sicut & Hippocratem) pronunciatum reliquisse verisimile est; quòd videlicet lumbrici teretes, eunte in indicationem morbo si descenderint, idoneum bonúmque sit: satius est enim eos cum reliquis recrementis per anum expurgari quàm per vomitum reiici.*

Si inflammatio in superioribus partibus.

OMNES *tumores ex æquo quibus dolor feruórque adest, Inflammationes Latini vocant, Græci φλέγμονας. Verùm quum sanguis probus ac crassitie mediocris in particulam aliquam vniuersim confluxerit, ac propter copiam compactus hæserit, inflammationes propriè nominatæ nascentur; de quibus sub morbi finem apparentibus Celsus locutus videtur. Atqui cur eas in superioribus, quàm inferioribus magis probarit, nondum satis assequor: nisi per superiores partes, extrema aut superiora ipsius inflammationis intelligere iubeat.*

Sonus ventris, &c.

SI *flatus, inquit Hippocrates, sine sonitu, crepitúque excernatur, optimus est; melius verò est quoties erumpit cum sonitu, quàm si condatur ac reuoluatur: sed is qui cum sonitu fit, aut prorsus copiam flatuosi spiritus, aut angustias orificiorum indicat. at verò quoties spiritus copia non admodùm fuerit, & item orificia per quæ excernitur laxiora, tantisper sine sonitu in talibus flatus excernatur oportet. Vnde non tam bonum quàm malum signum Hippocrati ventris sonus videtur: nam optimum flatum, si sine crepitu sonitúque excernatur, dixit; cum tamen qui cum sonitu emittitur, non simpliciter*

citer bonum, sed meliorem eo quem pudore circumstantium intrò recondimus atque reuoluimus: nisi fortè hinc bonum signum dicamus, quòd à superioribus ad inferiores partes deuoluatur, atque adeò robur virtutum naturalium indicet.

CAPVT IIII.

Mala signa ægrotantium.

CONTRA, grauis morbi periculum est, vbi supinus æger iacet, porrectis manibus & cruribus, vbi residere vult, in ipso acuti morbi impetu, præcipueque pulmonibus laborantibus. Vbi nocturna vigilia premitur, etiam si interdiu somnus accedit. Ex quo tamen peior est, qui inter quartam horam & noctem, quàm qui matutino tempore ad quartam. Pessimum tamen est, si somnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim ferè sine continuo dolore esse non potest. Æquè verò signum malum est, etiam somno vltra debitum vrgeri, peiusque quo magis se sopor interdiu, noctuque continuat. Mali etiam morbi testimonium est, vehementer & crebrò spirare, à sexto die cœpisse inhorrescere, pus expuere, vix excreare, dolorem habere continuum, difficulter ferre morbum, iactare brachia & crura, sine voluntate lacrymare, habere humorem glutinosum dentibus inhærentem, cutem circa vmbilicum & pubem macram, præcordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta: magisque si hæc dextra parte, quàm sinistra sunt: periculosissimum tamen est, si venæ quoque ibi vehementer agitantur. Mali etiam morbi signum est, nimis celeriter emacrescere, caput & pedes, manusque calidas habere, ventre & lateribus frigentibus, aut frigidas extremas partes acuto morbo vrgente, aut post sudorem inhorrescere, aut post vomitum singultum esse, vel rubere oculos, aut post cupiditatem cibi, póstve longas febres hunc fastidire, aut multum sudare, maximeque frigido sudore: aut habere sudores non per totum corpus æquales, quique febrem non finiant, & eas febres quæ quotidie tempore eodem reuertantur, quæue semper pares accessiones habeant, neque tertio quoque die leuentur, quæúe continuent,* vel per accessiones increscant, * vt

increſcant, per diſceſſiones tantùm molliantur, nec vnquam integrum corpus dimittant. Peſſimum eſt, ſi ne leuatur quidem febris, ſed æquè concitata continuat. Periculoſum eſt etiam poſt arquatum morbum febrem oriri, vtique ſi præcordia dextra parte dura manſerunt, ac dolentibus his læua. Nulla acuta febris leuiter terrere eos debet: neque vnquam in acuta febre, vt à ſomno non eſt terribilis neruorum diſtentio. Timere etiam ex ſomno, mali morbi eſt. Itemque in prima febre protinus mentem eſſe turbatam, membrúmve aliquod eſſe reſolutum. Ex quo caſu quamuis vita redditur, tamen id ferè membrum debilitatur. Vomitus etiam periculoſus eſt ſinceræ pituitæ, vel bilis, peiorque, ſi viridis, aut niger eſt. At mala vrina eſt, in qua ſubſidunt ſubrubra, aut liuida: deterior, in qua quaſi fila quædam tenuia, atque alba: peſſima ex his, ſi tanquam ex furfuribus factas nubeculas repræſentat: diluta quoque atque alba vitioſa eſt, ſed in phreneticis maximè. Aluus autem mala eſt ex toto ſuppreſſa. Periculoſa etiam quæ inter febres fluens, conquieſcere hominem in cubili non patitur: vtique ſi quod deſcendit eſt perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumans. Præter hæc periculum oſtendit id quod excernitur, ſi eſt exiguum, glutinoſum, læue, album, idemque ſubpallidum, vel ſi eſt aut liuidum, aut bilioſum, aut cruentum, aut peioris odoris, quàm ex conſuetudine. Malum eſt etiam, quod poſt longas febres ſincerum eſt.

ENARRATIO.

HIC (vt in aliis omnibus) lectorem admonitum oportet, ne quid temerè pronunciet, niſi primùm probè perſpectum habeat, ſit'ne conſuetus ita cubare aut facere. Ante omnia autem mirari hîc ſubuenit, cur Celſus ſupinam cubationem inter mala ſigna & ea quæ periculum minentur, nominârit, quum Hippocrates non omnino malum aut bonum, ſed minùs bonum tantùm, reſpectu videlicet eius quæ in alterutrum latus fit cubationis, pronunciarit: dicit enim: Supinum cubare manibus & cruribus extentis, minùs bonum. ita vt talis iacentis habitus extremè bonis aut malis ſignis annumerandus non ſit, ſed neutris; vt quæ nec ad ſanitatem vim habeant inſignem, nec ad mortem; ſed aut integrè media ſint, aut parùm ad alterutrum tendentia. Rectiùs ergo Celſus minùs bonam appellaſſet quàm periculoſam. quanquam ſi quis Celſo patrocinari velit, ſupinum decubitum malum dicere poſſet, quòd ferè reſolutionem quampiam præ ſe ferre videatur.

dolorem habere continuum.

PRIORA *hæc magnitudinem morbi indicant; brachiorum autem & crurum iactationes, inquietationem (vt ait* Hippocrates) *significant: conflictantur enim quouis iacentis habitu, ita vt alium ex alio frequenter immutent. Non spontaneæ autem lachrymæ, citra exceptionem non omnino malæ sunt: siquidem quæ à caussis externis, vt si festuca aut aliud quippiam simile in oculum ceciderit; aut quæ oculi palpebrarum asperitate contingunt, mali omnino nihil præsagiunt. quæ autem in febribus aut aliis morbis citra manifestam aliquam caussam voluntariæ oboriuntur lachrymæ, malæ sunt; præsertim si ob imbecillitatem facultatis retentricis acciderint: quod hinc fieri cognoscemus, si reliqua etiam signa perniciosa sint; nam alioqui sanguinis ex naribus profluuium potiùs præsagirent, vt sexto* Epidemion *docet* Hippocrates: *dicit enim, Quibus in febribus lachrymæ, atque iis præsertim acutis & ardentibus, præter voluntatem emanarint, his sanguinis ex naribus profluuium expectandum: idq; si reliqua se non malè habuerint; in quibus verò malè se habent, his non sanguinis eruptionem, sed mortem potiùs portendit.*

habere humorem glutinosum, &c.

Hippocrates *tum Aphorismorum quarto, tum sub finem quarti Epidemion, in febribus huiusmodi lentores circa dentes, augmentum aut fortitudinem febrium significare docet; quòd videlicet (vt auctor est* Galenus) *lentores huiusmodi citra caloris multitudinem pituitosam humiditatem exiccantem nasci non possint.* Philotheus *tamen censet eos fieri propter humores frigidos in ventriculo contentos, à quibus vapores sursum & ad dentes delati concrescunt. Non tamen semper magnitudinem morbi circa dentes lentores huiusmodi significabunt; sed in febribus tantùm, vt docet* Hippocrates: *nam citra febres etiam nonnumquam nascuntur, propter lactis, aut alicuius cibi qui dentibus adhæret, vsum, nihil mali (præsertim vnde periculum immineret) significantes.*

cutem circa vmbilicum.

QVEMADMODVM *præcordia saluberrima sunt, quæ dolore vacant, mollíque & æqualia sunt dextra & sinistra parte; ita si aliqua parte temperiem excesserint, insalubria sunt. Quare si præcordia inflammantur, aut alioqui tumida, aut intenta sunt, rectè malum præsagire docet, vt quæ à naturali temperie recedant atque declinent. Intenduntur autem, vt docet* Galenus, *sine inflammatione propriè vocata, aut propter vehementem siccitatem, non solùm illa parte, sed etiam in septo transuerso, costis, membranis, aut etiam propter inflammationem in ipsis membranis musculorum costas succingentium consistentem. Considerandum autem docet* Celsus, *in vtra parte inæqualiter sint affecta: si enim in dextera parte sit, maius imminebit periculum propter visceris subiecti, nempe iecinoris, nobilitatem. Quòd si & venæ ipsæ in præcordiis vehementer agitentur, periculosum & id est: perturbationem enim (vt ait* Hippocrates) *aut delirium significat. Cutis autem circa vmbilicum & pubem macra, humiditatis naturalis defectum denotat.*

Mali etiam morbi signum.

REPENTINAS *omnes mutationes antè ex* Hippocrate *malas diximus. Non mirum igitur, si ex morbis corpus celeriter contabescens & macie correptum, mali & magni morbi signum sit: siquidem quum naturalis macies calidam & siccam temperiem significet, ea etiam quæ in morbis celeriter euenit, magnum intemperiei excessum, aut alioqui virium imbecillitatem demonstrabit. Notus est in hanc sententiam* Hippocratis *Aphorismus: Eorum qui non omnino leniter febricitant, perstare, aut nihil comminui, aut magis quàm ratio expostulat extenuari corpus, malum: alterum enim morbi diuturnitatem; alterum virium imbecillitatem*

significat, quæ magna ex parte cutis raritatem & humoris tenuitatem consequatur.

Caput & pedes manúsque calidas, &c.

OPTIMVM *omnino est, si corpus omne æquè calidum molléque est: id enim optimam corporis indicat affectionem. At si pedibus manibúsque & capite calentibus, venter imus & thorax frigeat, malum omnino & exitiale signum: nam (vt secundo Prorrheticon Hippocrates) summæ siue extremæ corporis partes, si celeriter in vtranque conditionem, hoc est calidum vel frigidum, permutentur, malum. Hæc autem permutatio contingit in malignis admodum morbis (Galeno teste) horæ vnius spacio: efficitur autem, quum propriam non habuerint caliditatem, atque à febrili calefiant; qui à corporis medio incipiens, flammæq; similis, totum corpus depascens, confertim ad artus seu extrema, relictis interioribus, rapitur; atque ea calefacit, interioribus frigentibus.*

aut frigidas extremas.

EXTREMAS *partes vocat, caput, pedes, manus, aures. Acuti autem morbi quot qualésque genere sint, iam antè dictum est: sed de quibus pronunciatum reliquit Celsus, considerandum est: nam & Hippocrates frigiditatem extremarum partium (sicuti hic quoque Celsus) in morbis acutis malum dixit: alio etiam loco clarius non nihil: Si, inquit, in febribus non intermittentibus, partes exteriores frigidæ; interiores verò vrantur & sitim habeant, lethale. Vbi non sine adiectione in omnibus acutis, sed febribus non intermittentibus tantùm lethale; idq; non in quibusuis continuis, sed in ardentibus perniciosissimis tantùm & lipyriis: sunt enim hæ ex internarum partium viscerúmve inflammationibus. Malum igitur est signum, quòd inflammationem viscera occupantem adeò adurentem, & vehementem significet, vt calore suo non secus ac cucurbitula quædam, è toto corpore sanguinem trahat; vnde interna, hoc est, ea quæ intra thoracem & ventrem continentur, vri; exteriora algere contingit.*

aut post sudorem inhorrescere.

HVIVS *rationem iam reddidimus, vbi rigores qui sexto die fiunt, malos definiuimus: nam, vt rectè docet Hippocrates secundo Epidemion, signa iudicatoria non iudicantia, nonnulla mortem, aliqua verò recidiuam portendunt: in quorum albo horror sudorem subsequens ponendus est; siquidem materiam ante crisin nondum probè expurgatam significat.*

aut post vomitum singultum esse.

SEPTIMI *segmenti Aphorismos aliquot ordine recenset: inter quos hic quoque vnus est; nam illic à vomitu singultum & oculorum ruborem malum definiuit: vtrunque enim magnum, cerebri aut ventriculi inflammationem significat; quamquam per se citráque ruborem oculorum, singultus vomitum subsequens malus censendus sit: nam & conuulsiones ex inanitione, medicinæ ille parens antiquissimus, lethales declarauit. Singultus autem quum non secus ac conuulsio, ex repletione & inanitione fiat; non temerè is qui vomitum sequitur, malus erit. Quare si quis Celsum sequutus, singultum à vomitu, aut ruborem oculorum malum dixerit, à vero nihil aberrabit: quanquam si quis ex Hippocrate locum hunc restituere velit, pro disiunctiua copulatiuam ponens; per me quidem integrum erit: ita enim sententia de sola inflammatione intelligetur; siquidem rubri redduntur oculi dum materiam excipiunt: vnde de ea potissimùm inflammatione intelligendum monet Galenus quæ cerebrum obsedit.*

aut post cupiditatem cibi, &c.

CIBI *fastidium, concoctricis facultatis imbecillitatem significat: atq. hæc quum imbecilla sit, nutriri corpus non potest, sed indies magis magísque declinat, atque imbe-*

cillius redditur: quo fit, vt viribus destituti ægri, morbi insultum & longitudinem perferre nequeant. Sunt autem in hanc sententiam Hippocratis varij Aphorismi, difficultates intestinorum pro exemplo reliquorum morborum ponentis: In diuturnis enim intestinorum difficultatibus, inquit, cibi fastidia malum portendunt; atque si cum febre, peiora. & alio item loco: In diuturno morbo cibi fastidium & sinceræ deiectiones, malæ. & sectione secunda Aphorismorum: Magna ex parte, inquit, omnes qui malè se habent, initiò cibum capientes, nec quicquam proficientes, in fine rursus non appetent, nec cibum capient: qui verò principiò vehementer à cibo abhorrent, posteà autem probè appetunt, & capiunt cibum, hi meliùs degunt. Rectè ergo post cibi cupiditatem, aut post febres longas, fastidium per se malum dixit: nam, vt docet Galenus, in iis qui à talibus morbis sunt euasuri, contrarius affectus, hoc est ciborum appetentia, requiritur.

aut multum sudare, maximeque, &c.

ANTE quâ parte corporis sudor sit, ibi morbum esse dictum est; nunc autem multùm sudare malum in morbis signum: neque id perpetuò; eos etenim sudores bonos dicit, qui febrem finiant: quales sunt qui tertio die, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vigesimo, vigesimo septimo, & trigesimo quarto fiunt; hi etenim sudores, vt ait Hippocrates, morbos indicant. Et rursus bonus sudor est (vt in prædictionibus docet,) qui ex toto manat corpore, facítque vt æger faciliùs ferat morbum: si verò nihil tale efficiat, inutilis est, atque malus; eóque deterior, quo fuerit copiosior; atque hoc rursum peior, si sudor qui prodit, frigidus sit; is siquidem craßitiem materiæ, & quæ non facilè discuti poßit, aut calore vinci, præ se fert, atque adeò longitudinem morbi præsagit. calidi contrà sudores, vt vult Galenus, materiam calidam tenuémque, & quæ facilè discuti poßit, portendunt: atque hac ratione Hippocratem frigidos sudores, cum acuta quidem febre mortem; cum mitiore verò, morbi longitudinem significare dixisse in Aphorismis. Et in primo quoque Prædictionum: Peßimus, inquit, sudor est, si frigidus egrediatur, aut circa caput tantummodò, vultum, ceruicem: hic enim cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiore, morbi longitudinem significat: nam in acuta quidem febre, indicat ex nimia caloris febrilis adustione, caloris innati extinctionem, vnde sudor frigidus non solùm vnicam caussam sibi vendicare, (nempe materiæ craßitiem) videtur; sed & aliam quandam accidentariam à calore febrili ortam: necessum est enim humoribus qui in vasis sunt putrefactis, calore innato solida corpora gubernante iam extincto aut extinctioni proximo, quæ ex iis euacuantur excrementa (vt sunt sudores) frigida esse.

& eas febres, quæ quotidie.

HOC non tam perniciem, quàm morbi longitudinem (vt bene monet Galenus, & Philotheus indicat;) nam apud Hippocratem, vnde auctor noster hæc transtulit, dictio δύσκολτον, non difficile malúmque indicium significat, sed idem quod δύσλυτον sonat, hoc est quod difficulter atque tardè soluatur; morbi longitudinem, materiæque peccantis lentorem ac tenacitatem hac dictione intelligens: siquidem si non frigida, saltem crassa erit materia, quæ eadem hora paroxysmos concitabit. quanquam non dubitem Galenum dicere, id eò fieri, quòd materia febrem faciens, fixa & stabilita quodammodò in loco sit: nam fixa & firmata, vt docet, magnam vim demolientem deposcunt longo tempore, & per fortiora, & per plura facta auxilia; verùm si ita intellexerimus, de continuis tantùm locutus videbitur: nam quum in intermittentibus humor extra vasa pellatur, non poterit propriè in vno fixus loco vocari: vnde si Galeno subscribamus, nec Celsus, nec Hippocrates de iis locutus sit; quum quibuscunque acceßiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem

si eadem eras occupauerit, indicium habere difficile dicit.

neque tertio quoque die leuentur.

NON *videtur locus hic absque transscribentium vitio legi; siquidem cohærentia disiunxit:* Hippocrates *enim,* Quæcumq. *febres non intermittentes tertio quoque die validiores reddunt, periculosæ existunt; quoquo autem modo intermiserint, periculum abesse, significant: ita vt ex iam citato Aphorismo in hunc modũ locus sit restituendus.* neque tertio quoque die leuentur, atque continuent. *Nam alioqui, vt rectè docet Galenus, non absque ratione eas quæ in quietem febre vacantem desinunt, esse absque periculo inquit* Hippocrates; *vt quæ non ex inflammatione aliqua, aut maligna humorum putredine originem habeant. Igitur quales sint hæ febres, quæ & continuent simul & tertio quoque die accessiones suas exacerbent, considerandum est: id nanque omnibus peculiare non est, semitertianis certè frequens admodùm (est enim ea, teste Galeno* De *febrium differentia secundo, ex numero continuarum;) nam quum ex tertiana intermittente, & quotidiana componatur, vtriusq. accessiones vt imitetur consequens est: vnde & tertio quoque die accessiones exacerbari contingit, licet nunquam ad integritatem aut infebricitationem (vt dicunt) perueniunt. quod clarissimè ostendit* Hippocrates *primo Morborum vulgarium libro:* Febres, *inquit, horridæ, continuæ, acutæ omnino, non intermittentes: forma autem erat semitertiana, vno die leuiores, altero grauius inuadentes; & in summa acutiores euadentes.* Non *mirum igitur, si has (quum continuè affligant, atque infebricitationẽ non admittant, ac tertio quoque die exacerbentur) periculosas dixerit: tantum enim temporis, aut quietis naturæ non conceditur, vt collapsas vires restituere possit: quibus accedit, quòd, vt monet Galenus, non solùm stomachum & neruosam eius partem attingant, sed etiam lethargos & catochas inferant.*

vel per accessiones increscant.

HOC *sanè longitudinem tantùm morbi significat, si in intermittentibus contingat: quemadmodum si in continuis, mortem; nam, vt ait Galenus, tanto longior est futurus morbus quanto eius accessio maior fuerit, quàm tertianæ exquisitæ.*

per discessiones tantùm molliantur.

HOC *quoque morbi longitudinem omnino denotare videtur: siquidem humoribus qui morbum faciebant nondum probè purgatis, contingit nonnunquam leuari, atque decessiones moliri morbum; sed quum superfluitates aliquæ adhuc reliquæ sint, laborem conciliant, neque vnquam corpus integrum relinquunt, atque adeo morbi longitudinem, aut abscessus futuros in parte dolorifica præsagiunt.* Notus *est in hæc verba* Hippocratis *Aphorismus:* Quibus *resurgentibus ex morbis pars aliqua doluerit, illic abscessus fiunt.*

Pessimum est, si, &c.

ANTE *continuas quæ tertio quoque die ingrauescunt, periculosas dixit; nunc quæ non leuantur, sed æquè concitatæ permanent, pessimas vocat. huiusmodi autem sunt exquisitè ardentes; hæ etenim quum omnia alia seruent tertianæ exquisitæ indicia, eo solo differunt, quòd neque cum rigore inuadunt, neque ad infebricitationem desinunt, vt auctor est Galenus secundo Crisium. At quòd pessimæ periculosissimæq; sint, vel hinc satis liquet, quòd propter paroxysmorum sæuitiam, non suppetat remediis tempus; & quod aut citò interimant, aut non rarò in febres becticas, aut marasmodes migrent: quemadmodum insinuat Galenus* 10. *meth. Therap.*

Periculosum est etiam.

ARQVATVM *nominat, quem alij Morbum regium, aut Auriginem;* Græci *ἴκτερον (à similitudine ad animalculum quod ἴκτις, id est, viuerra vel mustela syluestris appellatur,*

latur, quæ auricolores oculos habet) dicunt. Est autem duplex: aut enim à iecore fit, vbi per totum corpus flaua bilis diffunditur; aut à liene, vbi vniuersim per venas dispersa bile atra corporis miscella, atro quodam colore imbuitur. Quòd si igitur post febres orietur aurigo quum non semper periculosa sit, (nam quæ septimo, nono, vndecimo & decimoquarto superuenerit, Hippocrate teste, bona est, magna etenim ex parte morbum soluit) quomodò periculosam à bona, nulla habita dierum ratione, distinguere poßimus (nam & Hippocrates arquatum qui ante septimum diem contingit, malum dixit) edocet; atque id ex alterius hypochondrij dolore aut duritie: nam si præcordia dextera parte dura fuerint, febre nimirum acuta præcedente, ac doluerint, hepatis inflammationem significabunt, nam alioqui etiam de eiusdem visceris obstructione, aut scirrhoso tumore sententiam proferre liceret: hi etenim affectus vt periculo omnino non vacant, ita etiam minùs mali sunt, & remediis (si rectè adhibeantur) facilè cedunt: adeò vt Plinius, & maledicus ille Auerrhois, Hippocratem criminari ausi fuerint, quòd arquatum qui in febribus ante septimum diem accidit, malum (atque id cum maxima ratione) dixit; quum omnia signa indicatoria, imperfectè ac sine signis indicantia, iam plus satis dictum sit mala esse. Quòd autem de inflammationibus locum hunc putem intelligendum, facit Celso propria quædam atque vsitata phrasis; qui doloris, aut tumoris vocabulo non rarò φλεγμονὴν Græcis dictam intelligit; atque ideò subiungit: ac dolentibus his læua; *volens dolere simul, & dura esse, dextrique hypochondrij dolorem, duritiei læui & dexteri præcordij communem: ita vt tum demum à febre periculosus sit arquatus, si liene aut obstructo, aut in scirrhum obdurato, etiã inflammatione vexetur hepar. Nam alioqui qui ex sola lienis inflammatione contingit arquatus, nõ vsque adeò periculosus est: quanquam si cui hîc mendum subesse videatur, per me sanè integrum est; facilis enim lapsus fuit pro disiunctiua copulatiuam ponere coniunctionem.*

Nulla acuta febris leuiter terrere.

ACVTI *enim morbi præterquam quòd celeriter iudicant, magnitudinẽ etiam morbi adiunctam habent, & in omnibus ferè acutis sunt febres continuæ coniunctæ; præter eos tamen qui ex obstructione crassorum & lentorum humorum contingunt; quales anginæ, & ij quos apoplecticos vocamus, sunt. Ceterùm sicuti illi paroxysmorum iugi impetu, atque vehementia, & morbi magnitudine nos meritò exterrent; ita hi dum tenacibus viscosisq; humoribus meatus infarciunt atque obstruunt, periculum suffocationis inferunt.*

neque vnquam in acuta febre, &c.

CONVVLSIONES *in acuta febre etiamsi somnum non subsequantur, semper malæ sunt; siquidem satius est febrem conuulsioni superuenire, quàm febri conuulsionem, quòd videlicet magnam inanitionem neruosarum partium ac siccitatem significet: atque ideò alibi in acutis febribus* Hippocrates *conuulsiones, & circa viscera fortes dolores, malum dixit. verùm si ex somnis in febribus conuulsiones oriri contingat, periculosum quidem & id est; sed non æquè: nam copiam humoris pituitosi ac lenti infarcientis cerebri ventriculos, significat.*

Timere etiam ex somno.

IN *febribus ex somnis timores malum, inquit* Hippocrates*: indicat enim ingentem melancholicorum humorum copiam, caput per somnum grauatum ac repletum. Videtur autẽ Celsus paulò liberaliùs quàm Hippocrates, omnes pauores qui somnos in morbis sequuntur, malos dixisse: nam is Aphorismo iam citato eos tantùm malos dixit, qui febres, (atque eas non quasuis, sed acutas tantùm) concomitantur: suntque hi periculosiores quàm ij qui in aliis morbis accidunt; quanquam quales quales ij tandem sint, qui à somno in morbis fiunt pauores, periculo non vacant: siquidem, vt iam dictum est, in quo*

morbo somnus laborem facit, malum. nam si is qui leuare ac lenire morbum deberet; corpus aggrauat; malum mehercules signum censendum est.

Itemq. in prima febre, &c.

CONTRARIVM *huic est quod Hippocrates dicit, In quouis morbo ratione ipsam constare atque valere, bonum est: & vbi somnus delirium sedat, bonum; id enim significat calorem natiuum morbificas causas vicisse, atque adeo vires esse validas. Contrà si in morbis mentem aut somno turbari, aut delirare contingat, id aut humorum prauitatem aut fluxiones ad cerebrum multiplicari, aut febres intendi, aut dolores excitari, aut crescere inflammationes, aut vires alioqui deficere indicat. Verùm id in febribus potißimùm periculosum est; atque ijs imprimis, quas ardentes vocant, quòd materiam furiosam admodùm denotet. Nam, sicut Galenus primo De morbis vulgaribus docet, ardentes febres oriuntur, vbi in ventris aut iecinoris, aut pulmonis venis bilis efferuescat. hæc igitur siquando ad solidas corporis particulas perueniat, atque eas permeet, rigores concitabit; sin in cerebrum eiúsque membranas sit impacta, phrenitides inducet: verùm priusquàm inhærescat perfluens venas in iis sitas, non phrenitidas, cæterùm quæ in vigoribus sunt febrium, deliria efficit, ac proinde bilis quæ primò ardentis febris causa fuerat, ad cerebrum delata, phrenitidis aut delirij causa erit: vnde non immeritò inter peßima numeratur signa, atque protinus in principio febris; nam sicut Hippocrates in Prædictionibus auctor est, in febrium principiis si delirium accesserit, periturum hominē significat: nam præterquam quòd difficilem in statu fore indicationem minetur, materiam quoque admodùm virulentam denotat. atque sic Hippocrates libro Epidemion plerosque febribus ardentibus laborantes, atque à phrenitide correptos, mortuos scribit.*

membrumúe aliquod esse resolutum.

DE *paraplegiis & hemiplexiis loqui Celsum certum est: & quòd eæ in febribus omnibus malæ sint, iam antè dictum est, & auctoritate Hippocratis satis liquet, qui in principiis febrium siderationes mortales dixit. Accidunt autem paraplegiæ propriè dictæ, si altera corporis parte craßis, lentis frigidísque humoribus neruos per quos motus voluntarij obeuntur, infarcientibus, obstructio orta fuerit: fitque interdum vt non totum latus, sed vnam tantùm aliquam particulam occupet. Sic Hippocrates attonito cuidā crus euasisse memoriæ prodidit. Verùm quemadmodum ita affecti vitam non rarò recipiunt (siquidem origo mali ad animalium facultatum principium nondum peruenit, spinali tantùm medulla affecta) sic non citra iacturam membri quod resolutum fuit, vitam deinceps transigunt.*

Vomitus etiam periculosus est, &c.

POSSVMVS *huc varias ex Hippocratis Aphorismis, Prædictionibus, Prorrheticísque sententias in medium proferre: nam 2. Prorrheticon, Vomitiones, inquit, syncera atque implacidæ, malæ: & Prædictionū 2. Vomitio vtilißima, si pituita ac bile quàm maximè permista est, si non multa, si non crassa est; syncerior enim deterior est: Si verò vomitio fuerit porracea, aut humida & nigra, quicunque ex his fuerit color, malus censendus est: liuida si malè olet, citißimam habet abolitionem. Synceras autem vomitiones vocamus, quæ dumtaxat vnum qui excernitur humorem aliis impermixtum habent; hæ igitur quum magnum aliquem excessum, intemperiemque significent, exitiales meritò dicuntur. Nam qui biliosus syncerus vomitus excernitur, caloris atque adeò bilis copiam; qui pituitosus, frigus denotat. Viridem autem colorem vocat eum, qui prasinus aut porraceus dicitur. gignitur siquidem in corpore, quemadmodùm crocea bilis, per naturam habentibus; ita altera præter naturam à porri similitudine porracea dicta, constatque vt hæc sæpenumerò in ventriculo gignatur, propter quorundam esculentorū cruditatem; vt sunt olera, brassica, beta,*

ſica, beta, porrum, cæpe; ac ſi hinc quidem huiuſmodi vomitus conſequi contingat, non vſque adeò inter pernicioſos cenſendi ſunt, quum potiùs robur virtutis expulſiuæ ſignificent. Verùm ſi eueniat talibus nequaquam ingeſtis, ratione ægrotationis tales humores in venis gigni, ac decumbere in ventrem ſuperiorem, pernicioſum omnino ſignum; ſiquidem ſummum calorem ſignificat, qui bilem quodammodo aſſet. Nigri verò vomitus non ſolùm mali, ſed planè lethales ſunt. quare ſi quando tales contingant, à medicamentis abſtinendum ſuadet Hippocrates: *dicit enim,* Nigra *vomentes, cibos faſtidientes, deliros, in pube parùm dolentes, quibus oculus ferox clauſúſque, purgare non oportet: pernicioſum enim eſt. In cuius ſententiæ commento* Galenus *vel nigram vomitionem ſufficere auctor eſt, quòd inter pernicioſiſſima cenſeatur ſigna; etiamſi aliis non admiſceatur: ex aduſtione enim innati caloris extinctionem denotat.*

At mala vrina eſt.

CORPORIS *omnia excrementa, quæ* τὰ ἀπιόντα, *hoc eſt abeuntia, vocat ſexto* Epidemion *ſenex ille medicinæ parens antiquiſſimus; vnde nimirum cœperint, aut vbi ceſſârint, quatenus diſſiparint, colores quoque eorundem, caliditatem, ſalſuginem, tenuitatem, dulcedinem, craſſitudinem, æqualitérque, an inæqualiter ſeſe habeant, cognoſcenda monet, ſub excrementis ſudores, vrinas, egeſtiones vomitionéſque comprehendens; de vomitu, ſputo, ſudore hactenus, nunc de vrinis pauca quidem, ſi verba numeres; multa ſi ſenſum ſpectes, dicturus. Sed ea,* Galeno *teſte, non ſolùm ſi naturalia inſtrumenta malè affecta ſint, inſpiciendæ; ſed in omnibus etiam thoracis, ventris, pulmonis, animaliúmque inſtrumentorum affectibus. Nam ſi bonæ appareant, multùm valent ad ſalutem; vt ſi malæ, amplificant quoque ægri periculum. Vocat autem eam vrinam malam, in qua ſubſidunt ſubrubra, quam alibi* Hippocrates *non vt omnino malam vituperauit, ſed vt ſalubrem commendauit, diuturnitatémque morbi portendere tantùm dixit.* Si *vrina, dicit, fuerit ſubrubra, ac ſedimentum ſubrubrum ac leue, diuturnior quidem hic morbus quàm primus, ſed admodùm ſalutaris eſt. quo fit vt inter neutra ſeu mediocria ſigna potiùs annumerandum ſit ſedimen ſubrubrum, quàm malum dicendum: niſi hîc quoque mendum ſubeſſe ſuſpicemur, ac pro* ſubrubris, rubra *legamus: ea enim paſſim apud* Hippocratem *in* Prorrheticis *ſuſpecta ſunt; atque adeò aberrationem mentis, aut delirium renúmque inflammationem portendere dicit.* Liuida *autem tam vrina, quàm contenta, vt poſt ſubrubra ponuntur; ita etiam peiora ſunt: nam ab exceſſu frigiditatis, extinctionem ſeu conſumptionem facultatis viuificæ ſignificant.*

deterior in qua quaſi fila quædam tenuia.

SIVE *per fila capillos cum vrina excretos (ſunt enim tenuibus albiſque filis ſimilia) ſiue aranearum telis ſimile quid innatans intelligamus; parum refert: ſed ſi hoc modo acceperimus, legendum erit:* deterior in qua quaſi fila quædam tenuia atque alba deſuper natant. *tunc enim* Hippocratis 32. *Aphoriſmum libri* Secundi Prædictionum *imitatus videbitur.* Si *pingue deſuper natans, aranearum ſpeciem referat, damnandum eſt; indicat enim conſumptionem: etſi de capillis qui vnà cum vrina redduntur, intelligere malim; idq́ue quòd non temerè quicquam immutandum putemus, atque quòd (*Galeno De locis affectis *auctore) indicent exulcerationem renum, atque adeò materiam craſſam & lentam renum cauitatibus infartam, calore præternaturali exuſtam: nam &* Hippocrates *ipſe, huiuſcemodi filamenta à renibus excerni, auctor eſt.*

Peſſima ex his eſt, ſi tanquam.

HOC *quoque facit vt præcedentem ſententiam de paſſione in qua tanquam capilli quidam albi (capillitium vocant) excernuntur, intelligamus: nam alioqui hæ in qua*

furfureæ subsidentiæ subsidunt, nihilo minùs periculosæ essent quam eæ, quæ aranearum telis simile quid innatans habent, quòd, vt diximus, tabem quodammodò aut colliquationem corporis significent. Hæ autem in quibus furfureæ, (hoc est speciem farinæ craßioris referentes) subsidentiæ appârent, quemadmodum imbecillioribus ægrotantibus, viribúsque destitutis perniciosæ omnino sunt atque citò interimentes; ita viribus robustis, morbi dumtaxat diuturnitatem significant: sic Hippocrates libro Epidemion tertio, de eo qui in Dealcis horto iacebat, ita scriptum reliquit: Vrinæ tenues, variæ, habentes sublimamenta aut nubeculas instar farinæ craßioris &c: quadragesimo autem die indicatus est. Cæterùm per hypostases furfureas non solùm eas quæ furfuri similes sunt, breuitati studens, intellexit; sed eas quoque quas orobeas ab orobi similitudine, aut lamineas, aut similaceas vocant; differunt enim hæ omnes secundum maius & minus tantùm. Quòd si igitur in vrina crassa, citraque febrem prodeant, Hippocrate teste, scabiem vesicæ significant (crassam autem vrinam hîc vocamus, quæ aliqua ex parte concocta sit & mediocris consistentiæ:) verùm si eas excerni contingat in febri cum vrina tenui, hoc est cruda, colliquationem totius corporis atque citam mortem, non constantibus viribus, præsagiunt. Excernuntur autem eiusmodi quòd febris in habitum totius corporis transmigrârit, quódque calore extraneo solidæ partes corporis depascantur.

diluta quoque atque alba vitiosa.

DILVTAM Hippocrates pellucidam; Plinius à crystalli similitudine, crystallinam vocat; alij aqueam dicunt. At quòd hæc semper mala sit, satis constat: nam virtutis concoctricis atque expultricis imbecillitatem craßitiemq́; ac cruditatem materiæ peccantis significat: vnde in quartanis non raò tenues, hoc est dilutas atque albas, vrinas excerni videmus, humore melancholico sua craßitie meatus vrinarios obstruente. In ardentibus febribus vt longè aliam originem habet, ita maius periculum portendit: siquidem quum καῦσος ex bile originem trahat, consequens est vasa, atque adeò totum corpus bilioso humore affici, vnde & vrinas tingi & igneas in causo conspici ferè vsu venit: quòd si minùs id fiat, indicium est bilem leuitate sua relictis vasis cerebrum petere; ac proinde, nisi iam adsit, omnino imminere phrenitidem; quemadmodum, si inuaserit, mortis subesse periculum. neque enim sperandum est, naturam cerebri incolumem seruatum iri, vt quæ à bili grauiter lacessatur, crucietur, eiúsque acrimonia mordeatur. Non immeritò igitur Celsus sequutus Hippocratem, vrinas tenues in phreniticis exitiales dixit, atque perniciosas; nam omnino interimunt, nisi statim subsequatur tincta; ea enim (Actuario teste) patientem liberat alioqui periclitantem.

Aluus etiam mala est, &c.

I D enim siccam intemperiem, aut iecinoris, aut meseræi, aut ventris, vel ieiuni vel intestinorum, vel lienis (teste Galeno De ratione victus in morbis acutis) significat: quanquam ideò quoq. intercepta aluus mala sit, quòd retenta excrementa putrescunt, vt vnde acres atque putres vapores superiora petentes, ventriculum nonnunquam subuertunt, capitis grauedinem inuehunt, cordisque palpitationem inducunt. atque in summa omnes quotquot sunt capitis affectiones astricta aluus auget, & deteriores reddit, quantumcunque non sit signum affectionis cerebri. Sic Hippocrates, Capite dolentes, cum catoche delirantes, intercepta aluo, ferè in opisthotonum incidere, auctor est.

Periculosa etiam quæ inter febres.

PERLIQVIDAM deiectionē aut aluum, vocat eam quam Hippocrates aquosam: hāc autem malam esse, 2. Prædictionum docet: Si, inquit, admodùm aquosa deiiciatur, aut candida aut admodùm crocea, aut spumans deiiciatur; hæc omnia mala: siquidem aquosæ deiectiones cruditatem significant; concoctio enim (vt docet Galenus libro secundo De ratione

tione vict. in morbis acutis) omnia cogit atque incraſſat: quo fit vt corpulenta eſſe debeat deiectio, quæ morbo eunte in indicationem redditur. Albæ autem ſeu candidæ deiectiones fient, non defluente ex hepate in ventrem bile; aut propter aſtrictionem canalis eius qui bilem ad ventrem defert, ſicuti vſu venire videmus iis qui regio morbo laborant: aut propter vehementem ardorem, qui in ſuperioribus partibus iecinoris exiſtens ſanguinem vnà cum bile ſurſum rapit; atque ideò in Prorrheticis Hippocrates *albas deiectiones, non ſecus ac vrinas pellucidas, in phreniticis malas eſſe dixit: & alibi, in acutis blioſis, albicantes ſpumanteſque deiectiones reprobauit, atque in his hepar laborare docuit. At ea deiectio quæ ſemper fluit, neque quietis tempus vllum admittit, mala eſt; nam (vt ait* Hippocrates*) deiectio madens ex vſu eſt, ſi nec crebrò neque paulatim excernatur; frequens enim deſidendi labor inſomnium facit: at ſi vniuerſim, & ſæpe deiiciatur, periculum deiectionis animæ imminet, ſpiritibus vnà cum deiectione exolutis. Et libro* De ratione *victus acutorum: Quum aliquid in febribus quinta die terrificum fuerit, vel venter repentè liquida deiecerit, & animæ defectus præhenderit, vel vocis priuatio, vel conuellatur æger, vel ſingultiat, ex his angi, grauitérque affici conſueuit, ſudoréſque circa tum muſtacem, tum faciem, tum ceruicem ab occipitio eſſe conſueuerunt: qui autem hæc patiuntur, ſpirituoſi paulo pòſt moriuntur. Spumoſa quoque deiectio mala eſt; quòd aut caloris copiam indicet, aut ſpiritum flatuoſum humori permixtum eſſe, qui ſolutu quoque difficilis ſit: atque hinc* Hippocratem *deiectiones in ſpumoſas ſynceráſque deſinentes exacerbare ſolitas, dixiſſe.*

Præter hæc periculum, &c.

HÆC *quæ ſubiungit ſigna, exitioſa omnino ſunt, ac mortem iam pro foribus portendunt: nam, vt* Hippocrates*, exitioſior eſt deiectio ſi nigra, aut opima, aut fœtida aut liuida eſt. Nigra enim deiectio ab atra bile ſyncera tingitur, mortemque (eodem ſene teſte) indicat: verùm quàm variæ ſint nigræ deiectionis ſpecies,* Galeno De atra bile *auctore, eò ſunt perículoſiores, quo qualitates magis intendi contigerit; aliæ ſiquidem ad nigram bilem proximè accedunt; aliæ neque erodunt in deiectionibus, neque odorem fœtidum præ ſe ferunt: multæ etiam in medio inter hæc ordine conſtituuntur. At glutinoſa deiectio (quam opimam* Hippocrates *vocat) deiicitur, quoties pinguedo ab ignito calore abſumitur. Graueolens conſummatæ putredinis nota eſt. Meræ autem & ſynceræ & bilioſæ deiectiones, graues ſecum ferunt offenſas: nam præcordiorum excitant ardorem, inquietationemque membrorum, & iactationem brachiorum faciunt, ſedemque exulcerant.*

Malum eſt etiam, quod &c.

SYNCERAS *deiectiones eas vocari dixi, quæ vnum aliquem reliquis impermixtum humorem in ſe continent: & quòd hæ ſemper malæ ſint, non citra additionem intelligendum eſt; ſiquidem fieri poteſt, vt cocta paulatim affectione in qua talia excernebantur, conquieſcat æger, atque adeò bonam criſim conſequatur: quo fit vt poſt longas febres ſynceras deiectiones* Cornelius *noſter vituperet, quòd copiam vnius alicuius humoris peccantis (quæ morbi longitudine proſtratis ægri viribus euinci atque ſuperari nequeat) ſignificent: ſic antè quoque in morbo longo faſtidium cibi & meracas deiectiones ex* Hippocrate *malas diximus.*

CAPVT V.

De ſignis longæ valetudinis.

POST hæc indicia, notum eſt longum morbum fieri. Sic enim neceſſe eſt, niſi occidit. Neque vlla alia ſpes in malis magnis eſt, quàm vt impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præſtet. Protinus tamen ſigna quædam ſunt, ex quibus colligere poſſumus morbum, & ſi non interemerit, longius tamen tempus habiturum. Vbi frigidus ſudor inter febres non acutas circa caput tantùm, & ceruices oritur: aut vbi febre non quieſcente corpus inſudat: aut vbi corpus modò frigidum, modò calidum eſt, & color alius ex alio fit: aut vbi quod inter febres aliqua parte abſceſſit, ad ſanitatem non peruenit: aut vbi æger pro ſpatio parum emacreſcit. Item ſi vrina modò liquida & pura eſt, modò habet quædam ſubſidentia, ſi læuia, atque alba, rubráve ſunt, quæ in ea ſubſidunt, aut ſi quaſdam quaſi maculas repræſentat, aut ſi bullulas excitat. Vrina.

ENARRATIO.

PRÆCEDENTE *capite quæ eſſent mala in ægrotantibus ſigna, docuit: ſed horum quædam magnitudinem morbi, aliáque criſim imperfectam; atque iterum nonnulla materiæ peccantis malignitatem; vti etiam multa cum virium robore eiuſdem craßitiem atque lentorem, atque adeò morbum longum, ſed qui tandem ſoluatur, portendere diximus. At qualia tandem ea ſigna ſint, quæ longam valetudinem, hoc eſt morbum longum (nam in vtroque ſignificato valetudinis nomen accipi ſatis notum eſt) indicent, iam explicare nititur, vniuſcuiuſque ſigni vim perdiſcendā monens: nam vnum aliquando ſignum forte atque fidum, plura ſigna non fida ac debilia vincit. Sic perniciosa præter rationem, hoc eſt ſine ſignis criticis leuantia, mortem tamen ſignificare dixit* Hippocrates: *& rurſum non formidanda mala quæ præter rationem eueniunt:* Neque *enim ſtatim terrere debet, ſi quis aute indicationem die, grauiora accidentia patiatur; id ſiquidem ferè perpetuum eſt, vt criſes præcedens nox grauis ſit:* Nam *quibus criſis fit, inquit* Hippocrates, *iis nox grauis ante acceßionem; quæ verò ſubſequitur, magna ex parte lenior. ſiquidem quum criſis fit ſubita ad ſanitatē, vel mortem permutatio,* Galeno De *criſibus auctore, atq. ea fiat cum ſubitis quibuſdam excretionibus, aut effatu dignis abſceßibus, non immeritò ſymptomatum concurſus atque vehementia, longitudo, ac exacerbatio acceßionis, præcedentem criſim noctem grauem efficiunt: quod voluiſſe videtur* Cornelius *noſter, quum dicit:* Sic enim neceſſe eſt, niſi occidat: *tanquam incertam omnino & infidam pronuncians acutorum morborum indicationem, qui*

nem, qui non perfectè iudicantur: hi enim si non interimunt, ferè in longum protrahuntur ac recidunt. notus est enim Hippocratis Aphorismus: Quæ relinquuntur in morbis à crisi, recidiuas (seu reuersiones, vt sequente libro* auctor noster vocat) facere consueuerunt: idq; ideò, quòd tum vel ipsa materia ad expulsionem fuit minùs idonea, vel ipsa natura imbecilla admodum per morbum effecta, vniuersos humores noxios expellere non potuit.

Neque vlla alia spes.

ACVTI morbi non ideò tantùm periculosi sunt, quòd vehementes sint; sed quòd paroxysmorum se inuicem excipientium iugi assultu, exhibendorum remediorum occasionem nullam præbeant: adeò rectè ab Hippocrate dictum est, Occasio præceps. Quòd si igitur in magnis morbis (quales sunt ij quos acutos vocari diximus, non ob citam in peius vel melius mutationem, sed potiùs ob morbi magnitudinem, atque paroxysmorum insultus vehementiam) statim, hoc est, in principio atque vnà cum morbis signa quædam infida atque imperfecta appareant, nisi interimant, indicationem protractum iri, longitudinémque morbi præsagient: ac proinde proposito metu, spem tamen vitæ aliquam superesse, quum curationi temporis nonnihil concedatur.

Vbi frigidus sudor inter feb.

SVDOR, inquit Hippocrates, pessimus est, si frigidus egreditur, ac circa caput tantummodò, vultum ac ceruicem: hoc enim cum acuta quidem febre mortem; cum mitiore verò, morbi longitudinem significat. Et, Frigidi sudores in acuta quidem febre facti mortem; cum mitiore autem, morbi longitudinem significant. Frigidos autem sudores appellamus, eos qui ad tactum quorumuis tales sentiantur, quíque à corpore tales emanant, non ab accidente aliquo extraneo frigefacti. verùm vnde generentur, & quòd morbi longitudinem significent, iam antè dictum est.

aut vbi febre non quiescente.

SVDOR multus, inquit in Prorrheticis Hippocrates, si cum febribus acutis fiat, inutilis. & in Aphorismis: Febricitanti si sudor sæpe accidit, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, humiditatémque multam denotat; quæ vt dissoluatur, atque à natura euincatur, longius tempus requirit, vnde si multum quoque sudare contingat, non solùm longitudinem morbi, sed mortis quoque periculum portendit; exolutis ægri viribus multo sudore.

aut vbi corpus modò frigidum.

VBI vniuerso corpore, inquit Hippocrates, mutationes fiunt, & modò corpus frigescit, modò calesit, aut color alius ex alio fit, morbi longitudinem significat: hæ siquidem caloris atque frigoris vicißitudines, variarum in corpore dispositionum notæ sunt; quas sanè esse diuturniores, quàm quæ vnius fiunt modi satis constat, quum natura non poßit breui tempore varias dispositiones conficere: quomodo autem hæ alterationes calidi in frigidum fiant, perpendendum est; siquidem quantumcunque varij atque diuersi humores (exempli gratiâ, bilis & pituita) eo loco sint, atque sibi inuicem iuncti, non statim varias se mutuo excipientes dispositiones, atque subitas calidi in frigidum, frigidíque in calidum mutationes, sed confusas potiùs, & quæ mixtum quid ex vtrísque habeant, concitabunt. Sin autem diuersos varióśque humores separatim in corpore contineri contingat, tum demum singuli pro qualitate proprios exerent effectus; idq; potißimùm si ab interioribus, hoc est, à venis ad exteriora ferantur: siquidem huiusmodi alterationes faciliùs concitabit materia agitata atque mota, quàm quieta. Cæterùm quod subiicit: & color alius ex alio fit; id iam dictis non omnino dissimile est: nam variorum in corpore humorum dominium significat; humores enim superabundantes ex colore debemus conie-

ctare,

ctare, niſi in profundum receſſerint; color enim ſimilis effloreſcit humoribus, ſi non regurgitauerint.

aut vbi quod inter febres.

NON *ſolùm ſi quod abſceßit, ad ſanitatem non peruenit, morbi longitudinem denotat; ſed etiam ſi à febribus abſceſſus oriantur: Nam, vt* Hippocrates, *quibus febres longæ, iis tubercula, vel labores in articulis fiunt: ſiquidem quum in febribus adhuc vigeant vires, atque robuſtæ ſint (ſi quidem hæ à multitudine, vel craßitie, vel frigiditate humorum fiant, neque probè à naturâ materia concoqui aut dißipari poßit) contingit non raro in eiuſmodi à principalioribus membris, ad articulos atque ignobiliores particulas ſuperfluitates decumbere, & tubercula ſeu abſceſſus oriri. Quando autem huiuſmodi abſceſſus in febribus expectare debeamus, audiamus* Hippocratem 4. *De ratione victus acutorum loquentem. Conſueuerunt, inquit, febres hæ protrahi, in quibus inter initia vrinæ tenues; atque abſceſſus habere, ſi aurium ceruiciſque infernæ partes frigidæ fuerint; quòd ſi frigidæ non fuerint, profectò mutationes habent. Quum igitur ex his iam ſatis conſtet, eas febres quæ in abſceßus terminantur, longas eſſe; conſequens quoque erit eas in longum tempus protrahi, ſi ortis abſceßibus morbus non ſoluatur. nam &* Hippocrates *in febribus abſceſſus qui ad primas indicationes non ſoluunt, morbi longitudinem ſignificare dixit. Abſceſſus autem hoc loco vocamus, quoties nulla præcedente phlegmone, humor aliquis in parte quapiam colligitur; Græci* ἀποςήματα *vocant.*

aut vbi æger pro ſpacio, &c.

HVNC *locum quia præcedente capite ſatis expoſuimus, verbum non ampliùs vnum.*

Item ſi vrina modò liquida.

LIQVIDAM *vocat eam vrinam, quam dilutam, aut aqueam dicunt. & quòd hæc morbi longitudinem præſagiat, ſatis notum eſt: quum ob humorum cruditatem talis excernatur. Puram autem appellat, quæ ſyncera eſt: qualis erit, ſi intensè rubra, aut tenuis, aut alba tenuíſque ſit; vtraque enim hæc, quum cruditatis ſigna portendat, morbum quoque longum definiet,* Hippocrate *multis locis teſte. At quid per maculas intelligat, dubium admodùm eſt: ego ſanè aut de nigris nebulis quæ in vrina non raro conſpiciuntur, morbum ſolutu difficilem (vt quæ ex humore melancholico fiant) ſignificantibus, intellexerim: aut de iis vrinis, in quibus ſedimina quædam craßioris farinæ ſimilia conſpiciuntur; ea etenim (vt vult* Hippocrates) *morbi diuturnitatem ſignificant: aut potiùs de pingui in vrina deſuper natante, aranearum ſpeciem referente: didicimus enim ex* Hippocrate *id damnandum; quando indicet conſumptionem, ſi diu perſeueret, morbique longitudinem, ac vitalis facultatis debilitatem, ſi parumper tantùm fluat: id nanque Celſum noſtrum voluiſſe, omnino coniiciendum eſt; quando* Galenus *pingue id in lotio ſupernatans aßimilet iis, quæ pinguioribus iuſculis refrigeraſcentibus innatent;* Actuarius *punctis quibuſdã velut ex oleo iniectis: quæ vtraque ſi in vrinæ ſuperficie conſpiciantur, maculas repræſentabunt. Læuia autem atque alba ſubſidentia, vocat tenuia, quæ nullam corpulentiam præ ſe ferant, ſpumæq́; quodammodo ſimilia ſint; generantur enim hæc à ſpiritu flatuoſo permixto tenacius ſemicocto humorum excremento. Rubra verò hypoſtaſes ſi læues quoque & æquales ſint, vt diuturnum morbum, ita ſalutarem omnino præſagiunt. monendus interim lector eſt, pro ſubrubris non ſatis rectè rubras hypoſtaſes legi: rationem habes præcedente capite, vbi vtramque hypoſtaſin expendimus.*

aut ſi bullulas excitat.

QVIBVS *in vrinis, inquit* Hippocrates, *ſuperſtant bullæ; iis morbum renum, & longum fore ſignificant: fiunt autem huiuſmodi bullæ, vt vult* Galenus, *ab humiditate quæ à ſpiritu flatuoſo circumextenditur: vnde ſi in vrina conſpici bullas contingat, ſpi-*

ritum

ritum flatuosum in causa esse constat; qui quum sit frigidus, ac solutu contumax, morbum longum præsagiet. Quòd si quis autem de iis quæ de vrinis retulimus, exactius indicium requirat, secundum Actuarij De indiciis vrinarum consulat.

CAPVT VI.

De indiciis mortis.

SED inter hæc quidem proposito metu spes tamen superest. Ad vltima verò iam ventum esse testantur, nares acutæ, collapsa tempora, oculi concaui, frigidæ languidæque aures, & imis partibus leniter versæ, cutis circa frontem dura & intenta, color aut niger, aut perpallidus, multoque magis si ita hæc sunt, vt neque vigilia præcesserit, neque ventris resolutio, neque inedia. Ex quibus causis interdum hæc species oritur, sed vno die finitur. Itaque diutius durans mortis index est. Si verò in morbo vetere iam triduo talis est, in propinquo mors est: magisque si præter hæc oculi quoque lumen refugiunt, & illacrymant, quæque in ijs alba esse debent, rubescunt, atque in ijsdem venulæ pallent, pituitaque in ijs innatans nouissimè angulis inhærescit, alterque ex his minor est, hique aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt: perque somnum palpebræ non committuntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet: neque id fluens aluus expressit: eædemque palpebræ pallent, & idem pallor labra & nares decolorat. Eademque labra & nares oculique & palpebræ & supercilia, aliquáve ex his peruertuntur, isque propter imbecillitatem iam non audit, aut nõ videt: eadem mors denuntiatur, vbi æger supinus cubat, eique genua contracta sunt. Vbi deorsum ad pedes subinde delabitur. Vbi brachia & crura nudat, & inæquabiliter dispergit, neque his calor subest. Vbi hiat, vbi assiduè dormit: vbi is qui mentis suæ non est, neque id facere sanus solet, dentibus stridet. Vbi vlcus quod aut antè, aut in ipso morbo natum est, aridum, & aut pallidum, aut liuidum factum est. Illa quoque mortis indicia sunt, vngues, digitique pallidi, frigidus spiritus, aut si manibus qui in* febre & acuto morbo vel insania, pulmonisve

Habes de his indiciis Hippocratẽ ipsũ in primo Prognosticôn, vnde hæc auctor desumpsit, vt alia multa in hoc secundo libro.

*febre acuto mor.

nísve dolore, vel capitis, in veſte floccos legit, fimbriásve diducit, vel in adiuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpit. Dolores etiam circa coxas & inferiores partes orti, ſi ad viſcera tranſierunt, ſubitóque deſierunt, mortem ſubeſſe teſtantur, magisque, ſi alia quoque ſigna acceſſerunt. Neque is ſeruari poteſt, qui ſine vllo* tremore febricitans, ſubitò ſtrangulatur, aut deuorare ſaliuam ſuam non poteſt. Cuíve in eodem febris corporisque habitu ceruix conuertitur, ſic vt deuorare æquè nihil poſſit. Aut cui ſimul & continua febris, & vltima corporis infirmitas eſt: aut cui febre non quieſcente, exterior pars friget, interior ſic calet, vt etiam ſitim faciat: aut qui febre æquè non quieſcente ſimul & delirio, & ſpirandi difficultate vexatur: aut qui epoto veratro exceptus diſtentione neruorum eſt: aut qui ebrius obmutuit. Is enim febre, adiecta neruorum diſtentione conſumitur, niſi aut febris* acceſſit, aut eo tempore, quo ebrietas ſolui debet, loqui cœpit. Mulier quoque grauida, acuto morbo facilè conſumitur: & is cui ſomnus dolorem auget, & cui protinus in recenti morbo bilis atra vel infra, vel ſupra ſe oſtendit, cuíve alterutrum modò ſe prompſit, cùm iam longo morbo corpus eius eſſet extenuatum & affectum. ſputum etiam bilioſum & purulentum, ſiue ſeparatim iſta, ſiue mixta proueniunt, interitus periculum oſtendunt. Ac ſi circa ſeptimum diem tale eſſe cœpit, proximum eſt, vt is circa quartumdecimum diem decedat, niſi alia ſigna meliora, peioráve acceſſerint: quæ quo leuiora, grauioráve ſubſecuta ſunt, eò vel ſeriorem mortem, vel maturiorem denuntiant. Sudor quoque frigidus in acuta febre peſtiferus eſt, atque in omni morbo vomitus, qui varius, & multorum colorum eſt, præcipuéque ſi malus in hoc odor eſt. Ac ſanguinem quoque in febre vomuiſſe, peſtiferum eſt. Vrina verò rubra, & tenuis* in magna cruditate eſſe conſueuit, & ſæpe antequam ſpatio matureſcat, hominem rapit. Itaque ſi talis diutius permanet, periculum mortis oſtendit. Peſſima tamen eſt, præcipuéque mortifera, nigra, craſſa, mali odoris. Atque in viris quidem & mulieribus talis deterrima eſt. In pueris verò quæ tenuis & diluta eſt. Aluus quoque

* *aliĳ* tumore, *aliĳ* timore

* abſceſſit,

* in magna cruditate, *ſubaudiendum eſt* morbi. *Sic in Prognoſt. Hippocra. lib. 2. Vrina quoad ruffa tenuiſq. apparuerit, crudum morbum ſignificat.*

quoque varia pestifera est, quæ strigmentum, sanguinem, bilem viridem, aliquid modò diuersis temporibus, modò simul, & in mistura quadam, discreta tamen repræsentat. Sed hæc quidem potest paulo diutiùs trahere. In præcipiti verò iam esse denunciat quæ liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis est, vtique si magna fœditas odoris accessit. Illud interrogari me posse ab aliquo scio: Si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti à medicis conualescant, quosdamque fama prodiderit in ipsis funeribus reuixisse? quinetiam vir iure magni nominis Democritus, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit, quibus medici credidissent: adeò illud non reliquit, vt certa aliqua signa futuræ mortis essent. Aduersus quos ne illud quidem dicam, quòd in vicino sæpe quædam notæ positæ, non bonos, sed imperitos medicos decipiunt. quod Asclepiades funeri obuius intellexit, eum viuere, qui efferebatur, ne protinus crimen artis esset, si quod professoris sit. Illa tamen moderatius subijciam: Coniecturalem artem esse medicinam, rationemque coniecturæ talem esse, vt cùm sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat nos. Si quid itaque vix in millesimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cùm per innumerabiles homines respondeat. Idque non in his tantùm, quæ pestifera sunt, dico: sed in his quoque quæ salutaria. Siquidem etiam spes interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus securus primò fuit. Quæque medendi caussa reperta sunt, nonnunquam in peius aliquid conuertunt. Neque id euitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum potest. Sed est tamen medicinæ fides, quæ multo sæpius, perque multo plures ægros prodest. Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas esse, & salutis & mortis.

Medicinæ certitudo.

ENARRATIO.

NECESSE est, inquit Galenus, cuiusque signi naturam præcognoscere, vt ex vi vniuscuiusque, præcognitionem faciamus: nam & Hippocrates disciplinam tradidit, secundum vires eorum, nomina indens; alia bonis signis annumerans, alia rursum malis: perniciosa etiam & grauia signa dixit; vt etiam grauiora, grauis-

sima; & minùs grauia, & magis grauia; atque non rarò, prauum, prauius, prauissimum, & mortiferum: quod Celsus noster imitatus, primùm instantis morbi indicia, deinde quæ bona in morbis essent signa, scribens: atque his statim subiungit quæ difficilem morbum significarent: mox ea quæ magnum longúmque portendunt subiiciens. iam postremò pestifera, hoc est quæ imminentem iam mortem indicent, enumerat; ita vt cùm de omnibus in genere morborum signis sermonem absoluerit, gradatim ad ea quæ in quouis morbo sigillatim bona maláve signa sint progrediatur, hîc sanè, si non superior, saltem per omnia Hippocrati similis.

Ad vltima verò iam ventum esse, &c.

QVÆ diximus ferè omnia signa spem aliquam præ se ferunt; sed quæ iam enarrabimus, exiguam admodùm, aut nullam futuræ salutis relinquunt, nisi sese ex insperato deus aliquis propitius auxiliarem offerat. Talia autem sunt, nares acutæ, collapsa tempora, aliáque deinceps testimonia, quæ ex Hippocrate coniungit; primùm quidem rationem faciei habens: Nam (vt Hippocrates sexto Epidemion) si in magnis morbis facies bona sit, signum bonum; in paruis autem contraria bonæ significans malum: & libro Prædictionum primo (vnde hæc auctor noster desumpsit) idem senex ita scriptum reliquit: Considerare conuenit per morbos acutos in hunc modum: Primùm vultum ægroti, sitne similis bene valentium, potissimùm sui; ita enim optimus erit: si verò contrarius quàm maximè simili sit, exitiosissimus est: Nares compressæ, oculi caui, astricta tempora, aures frigidæ contractæq;, & fibræ earum versæ, & item cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius corporis viridis, aut niger. Si igitur talis inter initia fuerit vultus, necdum scrutari de aliis signis possibile sit; interrogare oportet, num vigilauerit homo, an aluus soluta admodùm fuerit, an fame affectus: & si quid horum comprobet, minori cum periculo est. indicantur verò talia per diem & noctem, si ob has causas talis fuerit vultus. Si verò nullum horum dixerit, neque prædicto tempore destiterit, signum esse exitiosum admodùm censendum est. Si verò in morbo vetere, iam triduò talis vultus fuerit, de iis interrogare oportet, quibus anteà monui: alia quoque signa esse consideranda quæ in toto corpore, atque etiam oculis existant. Hactenus Hippocrates prolixè multisque verbis, præter consuetudinem alioqui, declarans, quod Celsus noster breuiter & dilucidè expressit, dum inquit: multoque magis, si hæc ita sunt, vt neque vigilia præcesserit, neque ventris resolutio, neque inedia. siquidem ita affecti etsi non omnino periculo vacent; nequaquam tamen iam instantem mortem præsagient: nam vt perniciosum omnino dicamus, requiritur vt inter initia acutorum morborum, aut alioqui post longos morbos, biduum aut triduum continuò citra aliquam exteriorem causam, talis se exhibeat facies: quam sanè à sæuorum accidentium concursu Hippocraticam nominare solent, quòd indubitatam omnino mortem præsagiat: significat enim principis alicuius partis affectæ ob insignem quampiam intemperiem, facultatem imbecillam. Alioqui si in morbis acutis post principium appareret, acrem febris calorem portenderet: vnde qui exuperant in corpore tenues humores, per insensiles meatus expurgari contingit, ac corpus extenuari viribúsque destitui. Igitur hæ, quas in præsentiarum recenset, faciei constitutiones, facultates principes affectas (atque eam potissimùm quæ animalis dicitur) denotant: Nares siquidem acutæ (vt rectè docet Galenus) in iis appârent, qui aut longiore morbo extenuantur, aut præ dolore cōflictantur, aut quouis modo exoluuntur, aut animo alioqui deficiunt. Cutis autem circa frontem dura, hoc est sicca (est nanque à sicco inseparabilis duricies, siquidem Galenus libro De temperamentis, id quod siccum est durum prorsus esse testatur) immodico calore febrili omnem humorem exhaustum significat. Atque non solùm si circa frontem cutis sit arida & intenta, mortis

imminentis

imminentis erit ſignum; ſed etiam ſi vniuerſim per totum corpus circumtendatur cutis. notus ſiquidem eſt quintæ ſectionis Hippocratis Aphoriſmus: Quibus cutis obtenditur arida & ſicca, ſine ſudore moriuntur; quibus verò rara & laxa, cum ſudore intereunt. Et ſexto morborum vulgarium idem ſenex in eadem verba huiuſmodi protulit ſententiam: Quibus, inquit, cutes circumtenduntur, aridæ & duræ, ſine ſudore moriuntur. Verùm hîc tantùm meminit cutis Celſus, quæ circa frontem intenta eſſet, vel quòd minimum carnis ſubiectum habeat, ac proinde in ipſis morborum principiis ab excellente aliqua intemperie conſumpto humore, facilè indureſcat intendaturque; vel quòd ſingula tantùm quæ in vultu pernicioſa ſint, voluerit recenſere. Eadem ferè ratio eſt, cur tempora collabantur: hæc enim quum reliquum caput carne careat, ſola reliqui capitis muſculos habent; quos, quum parui admodùm ſint, febrilis calor facilè conſumpſerit. Oculi concaui eandem ferè originem ſortiuntur. Coloris autem in nigrum mutatio peßima eſt: ea enim contingit ſanguine refrigerato, ac proinde calore naturali aut extincto, aut extinctioni proximo. Subiecit autem ſtatim poſt nigrum, pallidum, quòd is minùs vitioſus ſit; ſignificat enim imperfectam adhuc extinctionem, aut conſumptionem viuifici caloris. Vocat autem pallidum, quem veteres Græci χλωρὸν. ſiquidem (vt rectè monet Galenus tum primo, tum ſecundo Prædictionum) veteres ita nonnunquam viridem, nonnunquam etiam pallidum colorem nominare ſolebant; adeò vt τὸ χλωρὸν, καὶ τ'ὠχρὸν non rarò confunderent. Sic Hippocrates ſexto Epidemion ὑποχλωρομέλανας καὶ ἐρυθροχλώρους, hoc eſt eos quibus flaua ſeu pallida bilis permixta eſt cum atra, eoſque qui pallidè rubent, vocauit: & ὑποχλώρους ſuppallidos, aut vt Celſus perpallidos, quaſi λευκοχλώρους dixit. Ceterùm quòd in morbo veteri huiuſmodi facies in propinquo iam eſſe mortem indicet, ſatis clarum eſt: ſignificat enim quicquid eſt caloris innati, morbi tum vehementia, tum longitudine exhauſtum eſſe.

Magiſque ſi præter hæc oculi.

MVLTA hîc ordine ex primo Prædictionum libro auctor noſter tranſtulit. verùm ea quæ de oculis nunc in medium profert, ſummè conſideranda monet: ſiquidem ſummus ille medicus, Si oculus, inquit, tuus peruerſus eſt, reliquum etiam corpus nequam erit: tanquam ex oculis non ſolùm temperiem, mores, cōſtitutionemq́; totius corporis, verùm etiam vires atque imbecillitatem coniicere poßimus. quod Epidemion libro Hippocrates apertè edocet: Nam oculi, inquit, vt robur habuerint, ſic quoque corpus; color etiam in peius aut melius mutatur: iuſtum eſt enim, vt quemadmodum ſe habuerit nutrimentum, ita & exteriora. Nam quum oculi, cæteris paribus, membris reliquis plus animalis ſpiritus contineant, neruo optico magnam concauitatem, in qua maxima eius copia contineri poßit, ſortito id demonſtrante: conſequens quoque erit, viſoria facultate affecta, aut alioqui debilitata, reliqua quoque membra animali ſpiritu deſtitui atque debilitari. Itaque quòd qui lucem effugiant oculi, pernicioſi admodùm ſint, docet in Prædictionibus Hippocrates: Si oculi, ait, lucem effugiant, aut nolentes illachryment, aut peruertantur, aut alter altero fiat minor; aut candidum rubrum habeant; aut liuidas, aut nigras venulas; aut pituita appareat circa obtutum; aut ſublimes tumidiue oculi vel caui admodùm fuerint: vel totius color enariet vultus: hæc omnia mala eſſe, atque exitioſa admodùm, cenſendum eſt. Et libro Epidemion: Lachrymæ, inquit, in acutis morbis malè habentibus vltrò manantes, bonum; non vltrò verò, malum. Atque eandem ſententiam eiſdem ferè verbis Aphoriſmorū quarto, tum Epidemion ſectione quarta repetit; ac alibi quoque: Quibus in febribus acutis, ardentibus præſertim, præter voluntatem lachrymæ manarint, his ſanguinis ex naribus profluuium expectandum eſt, idq́; ſi reliqua ſe malè non habuerint: in quibus verò malè ſe habent, his non ſanguinis miſſionem, ſed mortem potiùs portendit. Porrò

illachrymãt in acutis oculi, propter imbecillitatem retentricis facultatis, luménque refugiunt, atque auersantur, propter debilitatem visoriæ facultatis ex se ipsa affectæ. Color etiam in peius, hoc est in rubrum mutatur, id quod album esse debebat, sanguine cerebrum, eiusque membranas replente: quo fit vt aut qualitate aut quantitate molestus, venulas, atque adeò album oculorum rubidum reddat. Pallent autem venulæ (ita enim rursus τὸ χλωρὸν *vertit) aut liuent, extinctis spiritibus animalibus. At quæ in angulis pituita inhærescit, accidit propter imbecillitatem naturalis facultatis regentis oculum. Et si iam alterum quoque oculum maiorem esse contingat, eandem facultatem extinctam prorsus & emortuam esse præsagit: sed hæc obiter. si quis interim ampliorem enarrationem desideret, Galenum ex professo fusissimè hæc tractantem consulat.*

perque somnũ palpebræ non committuntur, &c.

HIPPOCRATES *in Prædictionibus, Considerare etiam oportet, inquit, suspectiones oculorum per somnum: si quid enim candidæ partis subapparet commissis palpebris, nec alui fluor, aut medicamentum in caussa est, nec ita dormire assueuit; vitiosum indicium exitialéque omnino est: nam caloris innati facultatúmque animalium & vitalium extinctionem indicat. Pallorem autem palpebrarum iam antè dictum est propter frigus accidere. Adiecit autem hîc ex Hippocrate Celsus:* neque id fluens aluus expressit; *vt hæc signa citra vllam exteriorem causam ita apparentia indicemus: nam alioqui, propter immodicas euacuationes, vires exolui non rarò contingit.*

Eademque labra & nares.

SI *peruertatur, inquit in Prædictionibus Hippocrates, aut liuida palpebra est, aut labrum, aut nasus cum aliquo alio signo, mortem propè esse censendum est. & quarto Aphorismorum: In febre non intermittente, si labrum vel palpebra, vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat iam debili existente corpore; quicquid horum euenerit, mors proxima est. Et primo quoque Prorrheticon: In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibusque aquosæ bilis multisque oculorum peruersio, malum signum, tum aliàs, tum si catochi fiant. Et alio quoque loco: Hebetatus oculus, vitiatusque si fuerit ac concretus, immobilisque, ac tenebricosus, malum. Quum igitur partes prædictæ peruertuntur ac distorquentur, tensionem quandam conuulsoriam, aut musculorum resolutionem esse oportet, Galeno teste; quorum hæc quidem imbecillitatem, illa duros tumores ac siccitates immodicasque frigiditates significat. Quod si ergo ex siccitate oriatur, sicuti in acutis morbis febribúsque ardentibus (de quibus hactenus locutus auctor noster videtur) non rarò contingit; exitiale omnino est: nam ea quæ inanitionem sequitur conuulsio, lethalis est. atqui si ex frigiditate fiat, calore innato extincto, vires resumi nequeunt; vnde perniciosum quoque esse constat.*

Vbi æger supinus cubat.

SVPINVM *decubitum per se non omnino malum definit Galenus, mediúmque quodammodo ponit inter salubres & perniciosos; neutrísque (nisi alia quoque mala signa adsint) annumerat. Quòd si igitur sic cubantem, genua quoque contrahere contingat; tensionem quandam cõuulsoriam significat, quæ exhausto humido radicali à calore febrili facta. quanquam si quis ad mentis alienationem, Galenum sequutus, eiuscemodi decubitum referre velit; per me integrum est: atque tum idem quod Hippocrates in Prædictionibus, dixerit, Si crura supini cubantis admodùm reducta districtáque sint, exitiosum.*

Vbi deorsum ad pedes.

HIPPOCRATES *in Prædictionibus, Si verò procliuior est ac deorsum labitur, subinde ad pedes maiore cum periculo est; significat enim extinctionem regentis corpus facultatis,*

cultatis, deliris, catochis, phreniticis mentéque laborantibus frequens admodum.

Vbi brachia & crura.

HIPPOCRATES in Prædictionibus huius quoque causam subiicit: Nam si nudos, inquit, habeat pedes, nec admodum calidos; ac manus, collum, ac crura dispergat inæqualiter, malum est: significat enim inquietationem. conflictantur namque quouis iacentis habitu, aliúmque ex alio mutant. Adiecit autem particulam, neque his calor subest; vt morbum denotaret: nam præcedente quoque capite, acuto morbo vrgente, extremas corporis particulas frigidas, malas definiuimus: significant enim calore febrili principes partes depasci; vnde etiam fiat, vt natura ceu œstro quodam percita, statim priorem habitum ad alium transmutet: nam alioqui, nisi clausulam hanc addidisset, inter periculorum indicia prognosticon hoc tantùm annumerandum esset, quum malitiam humoris tantùm significet.

Vbi hiat.

HIPPOCRATES in Prognosticis: Si verò hiante dormiat ore, exitiosum omnino est: id enim imbecillitatem facultatum animalium denotat; nam à debilitate claudentium os musculorum oritur.

vbi assiduè dormit.

QVOD vltra modum somno vrgeri malum sit, diximus: at quòd in morbis acutis lethale sit magna ex parte, audies: quotquot enim sunt quorum in Epidemiis Hippocrates somno detentorum meminit, ad vnum omnes interierunt. Nam hic affectus ferè fit ob vires imbecillas, atque adeò ferè emortuas, vt apertas genas seruare non possint.

vbi is qui mentis suæ non est, &c.

HIPPOCRATES primo Prædictionum: Si quis strideat dentibus, non consuetus à pueritia id efficere; insania significatur, ac mors: sed in vtrisque futurum prædicere periculum, est necesse. Si verò mente commotus id efficiat, admodùm exitiosum iam est. Et in Prorrheticis: Dentium stridor quibus non est sanitatis tempore assuetus, suffocatio quoq. in his valdè mala est. Celsus noster quoniam hoc capite instantis mortis signa enumerare tantùm statuit, delirij in stridore dentium nullam facit mentionem, id tantùm contentus dixisse, quòd in deliris mortem iam imminentem indicet; ostendit enim communem neruorum originem affectam, siquidem musculis masticatoriis & temporalibus conuulsis fit stridor dentium.

Vbi vlcus quod aut antè, &c.

QVEMADMODVM antè generatim colorem totius corporis inspiciendum monuit, vt ex eo peccantem coniiceremus humorem; ita nunc idem in vlceribus ex Hippocrate obseruandum monet; siquidem is primo Prædictionum, Vlcus, inquit, si antè extitit, vel existat, in morbo considerandum est: si enim moriturus æger est, ante mortem, aut liuidum, & siccum, aut pallidum & siccum erit; siccum autem, vt docet Galenus, euadet, quoties nutriens facultas debilis est; cui si biliosus humor vlceris causa efficiens accedat, pallidum quoque erit; quemadmodum si bilis atra, liuidum.

Illa quoque mortis indicia.

NON immeritò mortis instantis indicium erit, si summæ corporis particulæ pallidæ sint, calore innato (siquidem huius interitum mortem appellamus) iam quasi exhausto: nam si huius pars aliqua supersit adhuc, ad principes partes, potissimúmque ad cor vitæ principiũ recurrit: quo fit, vt quum extremæ particulæ eo destituantur, sanguine quoque qui innati huius caloris domicilium est, careant; vnde fieri videmus, vt vngues inprimis (sunt enim hi inter reliquas corporis particulas maximè exangues) atque post hos digiti quoque, atque ita deinceps reliquæ in extremis corporis constitutæ particulæ, palleant.

Frigidus ſpiritus.

SPIRITVS, inquit Hippocrates in Epidemiis, irrumpentes, intrantes, & exeuntes conſiderandi ſunt: nam, ſicuti in Prædictionibus dicit, Si frigidus de naſo, atque ore exſpiretur, admodùm exitioſus eſt. quod, vt vult Galenus libro De difficultate reſpirationis, perfrigerari reſpiratoriis organis palam pernicioſum eſt; cum iſthic cor ſitum ſit, quod principium, & fontem caloris innati eſſe ſcimus. Per ſpiritum autem, hîc vniuerſam ſpirationem intelligimus.

aut ſi manibus quis in feb.

HIPPOCRATES primo Prædictionum: De geſticulatione manuum ita agendum eſt: qui in febre acuta, aut delirio, aut peripneumonia, aut capitis dolore, manus ſubinde ad os fert, aut fruſtrà venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte vellit pilos, aut de pariete ſtipulas carpit, id omne malum exitialéque eſt; indicat namque cerebrum noxiis admodùm humoribus moleſtari: vnde contingit ſpiritum viſorium ob atras vaporum fuligines offuſcari, atque inibi viſa pro natura humoris conſiſtere; ita vt nonnunquam quædam muſcæ ob oculos volitare; non rarò pili quidam aut flocci oculis noſtris ſeſe offerre videantur. Contraxit autem auctor quædam ab Hippocrate fuſiùs dicta; alia rurſum paulò latiùs enarrauit: ſiquidem vbi Hippocrates in febre tantùm acuta dixit, Cornelius etiam quemuis alium acutum morbum adiecit, ratus fortè hîc Hippocratem, vt in aliis multis, acutam febrem pro exemplo poſuiſſe reliquorum acutorum morborum.

Dolores etiam circa coxas.

HOC & ſequente capite coxarum dolores pro lumborum doloribus tranſtulit ex Hippocrate: videturq; tranſcribentium vitio mutila quodammodo eſſe lectio, vbi dicit: magiſque, ſi alia quoque ſigna acceſſerunt: nam quemadmodum ſigni nomen neutrum omnino eſt, & indifferens, ita bonis æquè ac malis accommodari poteſt. Quare, vt omnem ſcrupulum amoueamus, hunc in modum reſtituendum locum putarim: magiſque ſi alia quoque mala ſigna acceſſerunt. nam Hippocrates ſecundo Prædictionum dicit: Dolores qui cum febre affligant circa lumbos, & inferas ſedes ſi præcordia attigerint, inferas relinquentes ſedes, exitiales admodùm ſunt. Itaque conſideranda alia ſigna: nam ſi quod horum prauum extiterit, æger deſperandus eſt: ſi verò remeante in ſeptum tranſuerſum morbo, alia ſigna non praua extiterint; talem fore purulentum, expectandum eſt. Exitiale igitur ſignum eſt, ſi aliis quoque peruerſis ſignis adiungatur: quòd ſignificet contra conſuetudinem naturæ materiam (idq; ob prauitatem) ab ignobilioribus ad principaliora rapi. Reliquit autem huius exemplum quoddam notandum in Prorrheticis Hippocrates, vbi quandam ſyndromen malorum ſymptωματων enumerat: Ex lumborum, inquit, dolore ad os ventriculi recurſiones febriles cum horrore, aquoſa & multa reuomentes, mente aberrantes, voce priuati, nigra vomentes moriuntur: & ſexto Epidemion lumbis dolentibus recurſus ad latus, & tuberculum quod ſepes vocatur, malum.

Neque is ſeruari poteſt qui ſine vllo tremore.

QVOTQVOT hactenus Celſi exemplaria videre contigit, ferè diſcrepant, neque genuinum auctoris ſenſum exprimunt: alia nanque ſine vllo timore; alia rurſum ſine vllo tremore legunt: idque (vt mihi quidem videtur) non citra mendi ſuſpicionem; ſiquidem Hippocrates quarto Aphoriſmorum: ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι, πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιστῇ θανάσιμον: hoc eſt, Si febricitanti, nullo exiſtente in faucibus tumore, ſtrangulatio ſubitò accedat, omnino lethale eſt: id ſiquidem Celſum noſtrum voluiſſe credendum prorſus eſt. quo fit vt hunc in modum priſtino nitori reſtituendum putemus: neque is ſeruari poteſt qui ſine vllo tumore circa fauces conſpicuo, febrici-

febricitans, subitò strangulatur, aut deuorare saliuam suam non potest.

Ita enim de anginâ quæ ex gutturis inflammatione oritur, intelligetur; ex qua plerumque ægros strangulari videmus: nam quum angusti admodum & præclusi quodammodo sint meatus per quos spiritus ducitur, fit vt si qui anginosi animo linquant, statim intereant: quod Hippocrates in Prognosticis quoque declarat: Angina, inquit, grauissima est, ac celerrimè interimit, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquod efficit; plurimum verò doloris infert, ac spirationis difficultatem: hæc enim eodem die & secundo, & tertio, & quarto strangulat.

Cuíve in eodem febris.

HÆC *quoque sententia efflagitat, vt eo quo diximus modo legamus: nam Hippocrates in Aphorismis, Si à febre habito, inquit, collum peruertitur, & vix potest deuorare sine vllo tumore conspicuo, lethale est. Et alibi, Collum peruerti non posse & deglutire non posse, lethale est. significat enim, vt auctor est Galenus, magnum excessum febrilis caloris; qui exhausto humido innato excedentem siccitatem pariat; vnde collum peruerti contingit, & deglutiendi difficultas accidit.*

Aut cui simul & continua febris.

ALLVDIT *ad Hippocratis Aphorismum quartæ sectionis, vbi inquit, Si rigor incidit febre non deficiente, ægro iam debili, lethale. Neque mirum est destituto iam ferè viribus ægro acutum superuenientem morbum lethalem esse: nam quantumcunque robustos inuadunt, non omnino certa habent indicia salutis aut mortis, idque aut quod iugi inuasionum assultu, aut magnitudine alioqui morbi, materiæque peccantis malignitate vires quantumuis firmas prosternant, ac præcipites agant.*

aut cui febre non quiescente.

ANTE *ex Hippocrate retulimus in non intermittentibus febribus si exteriores partes frigidæ fuerint, interiores verò vrantur, & sitim faciant, lethale esse; ac proinde eas febres esse einsmodi, quæ aut ex internarũ partium, viscerúmve inflammatione oriuntur, quales lipyrias, aut quæ ex pulmonis, ventriculi, aut iecoris, hoc est partium quæ inter thoracem & ventrem sitæ sunt, erysipelate nascuntur, ardentes perniciosissimas vocant. Sed & alio quoque loco vituperat Hippocrates mutationes celeres in vtranque conditionem summarum partium, si sitis quoque his accedat. Id enim robur caloris præternaturalis, imbecillitatemque natiui significat.*

aut qui febre æquè non quiescente.

DIFFICILEM *spirationem vocat, quæ magna sit, multóque internallo exspiratur: hæc autem, Hippocrate in Prædictionibus auctore, delirium significat. Si igitur, febre non quiescente, magna & rara spiratio fiat, atque adsit delirium, exitiosum omnino signum: significat enim cerebrum & instrumenta respirationis, hoc est musculos pectorales læsos esse: atque adeò conuelli à nimia siccitate; vnde raros quoque spiritus reddi consequens est.*

Aut qui epoto veratro.

DIXIT *aliàs Hippocrates elleborum album sanas carnes habentibus perniciosum: facit nanque conuulsiones. & rursum, Conuulsionem quæ ex elleboro fiat, lethalem esse. quod quum duabus potissimùm de causis fiat conuulsio, hoc est ab inanitione & repletione neruosorum corporum, hæc quidem vt purgatione eius quod redundat curatur; ita illa (quando facilius sit demere quàm addere) difficilè admittit curationem, feréque lethalis est; qualis quæ epoto veratro accidit est: ea nanque oritur ob immodicam quam elleborus efficit vacuatione; attractrice enim sua facultate, quæ in neruis est, ad se attrahit humiditatem, eorúmque substantiam vehementiùs exiccat; vnde sic ortæ conuulsiones rectè lethales dicuntur: quemadmodum alibi quoque Hippocrates, ex superflua purgatione*

gatione conuulsiones, aut singultus superuenientes lethales dixit.

aut qui ebrius obmutuit.

HIC rursum ab Hippocratis sententia auctor noster euariat: unde dubium nemini esse puto in iis, quæ hactenus typis excusa extant, exemplaribus locũ hunc corruptè mendoseque legi. siquidem præterquam quòd Hippocratis sententiam non satis explicuerit, dissonantia etiam, neque satis cohærentia dixisse videtur, nam τὸ adiecta febre, à sciolo quodam suppositum videtur; siquidem statim subiungit: nisi aut febris accessit (cuius videlicet calore vapores dissoluantur) aut eo tempore quo ebrietas solui debet, loqui cœpit. Sic quintæ sectionis Aphorismo quinto Hippocrates: Si quispiam ebrius de repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet. Et libro secundo De morbis: Si quis ex ebrietate voce priuetur & sanè febris ipsum corripiat, sanus fit; si verò non corripuerit, tertia die moritur. Obmutescunt autem ebrij ob vinum immodicè sumptum cerebri ventriculos replens; vnde & conuelluntur quoque. Nam quemadmodum Galenus libro De temperamentis auctor est, vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci possit, tantum abest vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat; quippe apoplexiæ, cari, conuulsiones & tetani immodicum vini potum concomitantur: quare si ebrius quis obmutescat ac conuellatur, nisi qualitate vini calida humores cerebri ventriculos infarcientes dissoluantur, hoc est nisi eo tempore quo crapula solui debet, loqui cœperit, aut ni febris alioqui superueniens calore suo eosdem discutiat, periculum est ne distentione correptus moriatur; idq; suffocata animali facultate. Paulus Ægineta ad catochos nescio quàm appositè hunc Aphorismum libro tertio transfert: Qui ex ebrietate, inquit, vitium hoc contraxerint, crapula dissoluta humidiore cibo tractandi sunt, qualis est ptisanæ cremor: præterea caput inunctionibus congruis inungetur, per æstatem quidem frigidis; per hiemem egelidis: si nequaquã crapula soluatur, neque ad sobrietatem reditus est, tanquam deploratæ valetudinis hominem vitare oportet.

Mulier quoque grauida, &c.

QVVM duæ sint indicationes in victu grauidarum, acuto morbo laborantium, altera videlicet quæ à fœtu sumitur; altera quæ à morbo; illa quidem pleniorem victum præscribit, quo febris incrementum ac vires accipit, atque ægrotans occiditur: hæc contrà, cuius summa habenda est ratio, nisi matrem vnà cum fœtu perimere mens sit, summè tenuem victum desiderat; vnde inedia consumpto infantulo aborsus ac vitæ periculum imminet. Rectè igitur ex Hippocrate dixit, mulierem grauidam acuto aliquo morbo corripi, lethale esse. Quòd autem somnus in declinatione morbi, præsertim dolorem faciens, lethalis sit, iam antè dictum est.

& cui protinus in recenti morbo.

IAM sæpiùs dictum est, quòd perniciosa imperfectè indicantia mala sint: sub quorum albo sunt, si cruda (qualia ferè in morborũ principiis sese exhibent) non tam motu naturæ, quàm malicie materiæ peccantis excerni contingat. quod voluit Hippocrates, dum dicit: Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis infrà vel suprà exierit, lethale est: nam si per inferiora sese exerat, periculum est ne dysenteriam efficiat, ac acrimonia sua intestina corrodat; vnde mortem subsequi certum est, quando eæ quæ ab atra bile fiunt dysenteriæ Hippocrati lethales dicantur. At si sursum feratur, idem quoque in ventriculo quod in intestinis, efficiet, cerebrumque ac gulam petet.

cuive alterutrum modò se prompsit.

OBSCVRE admodum quartæ Sectionis Aphorismum 23. dum breuitati studet, Cel-

ſus reddidiſſe videtur : Quibuſcunque morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis nigra bilis, ſiue vti ſanguis niger, exierit; poſtridie moriuntur. Nam *acutorum morborum ne meminit quidem. quod fortè ſuſpicaretur longos ferè eſſe morbos qui aut à cholera aduſta aut à ſucco melancholico fierent.* Nam *qui à ſanguine aut bile oriuntur, breues admodùm ſunt, qui ex pituita, in longius tempus protrahuntur; vti etiam illi qui ex melancholia, in longiſſimum.* Quare Celſus *bilis atræ reiectiones, longo morbo extenuato corpore, lethales dixit : eſt enim in talibus, vt vult Galenus, natura admodùm imbecillis; adeò vt non poſſit concoquere, neque diſcernere, neq. excernere quæ ita praua exiſtunt. Sub bile autem atra, melancholiam ex cholera aduſta, & ſuccum melancholicum (qui eſt qualis ſanguis niger) complectitur: nam* τὸ alterutrum *ad* τὸ infrà vel ſuprà ſe oſtendit; *meo quidem indicio, referendum eſt.*

Sputum etiam bilioſum & purulent.

HIPPOCRATES *ſecundo* Prædictionum, *Quæcunque, inquit, ſuppurantur dum ſcreatio bilioſa eſt, exitioſa admodùm ſunt, ſiue viciſſim bilis ac pus, ſiue ſimul excernantur, potiſſimùm verò quoties ſuppuratio excerni ab eiuſmodi ſcreatione ſeptimo die ægrotationis incepit. ſcreantem verò talia, mori decimoquarto die, ſperandum eſt; niſi bonum aliquod illi acciderit. indicatur enim, vt inquit* Galenus, *humor ferociſſimus, qui naturæ ad concoctionem paratæ nõ cedat. quòd ſi igitur expuitiones tales ſeptimo die fieri contingat; ferè decimoquarto intereunt: nam critica ſigna quæ critico die contingunt, niſi morbum leuent, atque vnà adſint alia pernicioſa ſigna, mortem ferè præſagiunt : quo fit vt ſi ſeptimo die huiuſmodi appareant, decimoquarto interimant; eſt enim ſeptimus decimiquarti index.*

Sudor quoque frigidus.

QVID *ſit frigidus ſudor, aut vnde oriatur, antè dictum eſt; & quòd is lethalis ſit in febribus morbiſque acutis, antè quoque ex* Hippocrate *declaratum eſt : nam peſſimum ſudorem is dixit ſi frigidus egrediatur, & circa caput, tantummodò vultum & ceruicem : hic enim cum acuta febre, mortem; cum mitiori, morbi longitudinem ſignificat.*

atque in omni morbo vomitus, &c.

SI *idem homo, inquit* Hippocrates, *omnes vomat colores, exitiale admodùm eſt. Vomitio liuida ſi grauè olet, ocyſſimam habet abolitionem; omniſque ſupputris ac fœtidus odor in omni vomitione malus eſt.* Et *in* Prorrheticis : *Vomitus cum varietate mali tum aliàs, tum ſi mutuò ſeſe conſequantur. varietas etenim multas in corpore variáſque affectiones difficiles ſignificat : quæ ſi graue quoque oleat, eô deterior eſt, quòd his putredinem quoque adiunctam denotet.*

Ac ſanguinem quoque in febre.

HIPPOCRATES *tum quarta, tum ſeptima Aphoriſmorum ſectione, non peſtiferum, ſed malum tantùm dixit : nam illic inquit, Sanguis qualiſcunq. ſurſum elatus, malum; ſi verò deorſum, bonum: hic verò, Quicunque euomuerint ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare eſt; ſi verò cum febre, malum eſt : is ſiquidem ſanguinis vomitus qui cum febre fit, inflammationem in iis partibus vnde vomitus defertur, ſignificat; quæ tantum abeſt vt minuatur aut ſibi ſimilis maneat, quum calore febrili augeatur, ac foueatur, interioraque ſenſim depaſcat; vnde mortem quoque conſequi ratio poſtulat.*

Vrina verò rubra ac tenuis.

TENVEM *rubrámque vrinam non ſimpliciter pernicioſam dixit; ſed quæ temporis ſpatio (quum cruda ſit, atque in morbi cruditate excernatur, atque adeò longitudinem temporis morámque ad concoctionem efflagitet;) hominem conſumat : præruber enim*

color tenuísque substantia, cruditatem materiæ denotant: nam, ut Hippocrates, *Dum urina ruffa fuerit ac tenuis, crudam significat ægrotationem: ubi morbus diutinus fuerit, urina verò talis excernitur, periculum est ne æger durare possit quoad morbus concoquatur.*

Pessima tamen est, præcipueque, &c.

EXITIOSIOR *(inquit* Hippocrates*) est urina, si aquosa fœtida, nigra crassaque est. Quæ consistentia sit aquosa, colore alba, nullam omnino mentionem fecit Celsus, vel quòd malam antè præsertímque in phreniticis dixisset, vel quòd eam sub urina ruffa ac tenui comprehensam voluit, quando alba tenuis quàm ruffa tenui coniuncta maiorem cruditatem denotet. Graueolet autem urina propter putredinem, quæ à calido extraneo agente in humidum fit: Crassa verò redditur, tum ob humoris abundantiam, tum ob naturæ cum eisdem pugnam. Nigra propter extinctionem caloris viuifici; à frigore quidem, ut volunt, si liuidus color præcedat; à calore, si viridis.*

Atque in viris quidem & mulieribus.

IN *mulieribus & viris, inquit in Prognosticis* Hippocrates, *urina nigra; in pueris aquosa, deterrima est. Nam quum pueri multam habeant naturalem humiditatem, calorémque natiuum plurimum, ac multum edant, (sunt etenim voraces natura) consequens est eos secundum naturam lotium reddere paruum à subaureo croceóque declinans, substantia crassum, hoc est consistens, atque cum multa hypostasi: cui quum maximè contrarium sit dilutum ac tenue, rectè inter perniciosa recensuit. Nigra autem urina, sicuti Galenus docet, in omni etiam ætate pessima est.*

Aluus quoque varia pestifera, &c.

HIC *iterum transscribentium lapsus fuit: siquidem τὸ* viride, *quod ad* aliquid *referri debebat, bili asscripserunt, non intelligentes omnes pericholas deiectiones periculo non vacare. Nam, ut* Hippocrates *de ratione victus acutorum, Deiectiones omnes puræ, biliosæ, graues habent offensas, neque enim hypochondriorum extinguunt ardorem, sed excitant, inquietationemque, & membrorum iactationem faciunt, intestina enim sedemque exulcerant. Et in Prædictionibus: Exitiosior, inquit, est deiectio si liuida aut nigra, aut opima est; si verò versicolor, diuturnior quidem, sed nihilominus exitialis: hæc strigmenta habebit, ac biliosa erit; cruenta, porracea nigraque, quæ nonnunquam simul interdum interpositis vicibus excernuntur: Quas omnes qualitates, si τὸ* viride *ad* aliquid *referamus, sub bile biliosa atraque excrementa comprehendentes, clarè explicuerit Celsus: de quibus quoniam satis iam antè dictum est, ad alia progrediemur. Nam quæ ad finem usque capitis sequuntur, quoniam ad semeioticen parùm conducunt, & per se ipsa clara satis sunt, volentes præterimus: satis enim supérque à doctissimo viro Ioanne Manardo suis in Artem paruam commentariis demonstratum est sitne scientia, an coniecturalis tantùm ars medicina: de quo qui plura desiderat, aut Manardi doctissimos commentarios, aut Aponensis Conciliationes legat. At quòd acutorum morborum non sunt omnino certæ prænunciationes salutis aut mortis, quando cum celeri indicatione magnitudinem quoque morbi adiunctam habeant, antè quoque diximus.*

CAPVT VII.

De notis, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit.

SED cùm proposuerim signa quæ in omni aduersa valetudine communia esse consueuerunt,* ea quoque transibo, vt quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit notas, indicem. Quædam autem sunt, quæ ante febres, quædam quæ inter eas, quid aut intus sit, aut venturum sit, ostendunt. Ante febres, si caput graue est, aut ex somno oculi caligant, aut frequentia sternutamenta sunt, circa caput aliquis pituitæ impetus timeri potest. Si sanguis aut calor abundat, proximum est, vt aliqua parte profluuium sanguinis fiat. Si sine caussa quis emacrescit, ne in malum habitum corpus eius recidat, metus est. Si præcordia dolent, aut inflammatio grauis est, aut non toto die concocta fertur vrina, cruditatem esse manifestum est. Quibus diu color sine morbo regio malus est, hi vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. Qui diu habent faciem pallidam, & tumidam, aut capite, aut visceribus, aut aluo laborant. Si in continua febre puero venter nihil reddit, mutaturque ei color, nec somnus accedit, ploratque is assiduè, metuenda neruorum distentio est. Frequens autem destillatio in corpore tenui longoque, tabem timendam esse testatur. Vbi pluribus diebus non descendit aluus, docet aut subitam deiectionem, aut febriculam instare. Vbi pedes turgent, longæ deiectiones sunt. Vbi dolor in imo ventre & in coxis est, aqua intercutem instat. Sed hoc morbi genus ab ilibus oriri solet. Idem propositum periculum est his, quibus voluntas desidendi est, venter nihil reddit, nisi & ægrè & durum, tumor in pedibus est, idemque modò dextra, modò sinistra parte ventris inuicem oritur atque finitur: sed à iocinore id malum proficisci videtur. Eiusdem morbi nota est, vbi circa vmbilicum intestina torquentur (στρόφον Græci nominant)

* ad ea

coxæque dolores manent, eaque neque tempore, neque remedijs soluuntur. Dolor autem articulorum, prout in pedibus, manibúsve, aut alia qualibet parte sic est, vt eo loco nerui contrahantur, aut si id membrum ex leui caussa fatigatum æquè frigido calidoque offenditur, ποδάγραν χειράγραν ve, vel eius articuli in quo id sentitur, morbum futurum esse denuntiat. Quibus in pueritia sanguis ex naribus fluxit, dein fluere desijt, hi vel capitis doloribus conflictentur necesse est, vel in articulis aliquas exulcerationes graues habeant, vel aliquo morbo etiam debilitentur. Quibus fœminis menstrua non proueniunt, necesse est capitis acerbissimi dolores sint, vel quælibet alia pars morbo infestetur. Eademque his pericula sunt, quibus articulorum vitia, dolores, tumoresque sine podagra similibusque morbis oriuntur & desinunt. Vtique si sæpe tempora ijsdem dolent, noctuque corpora insudant, frons prurit, lippitudinis metus est. Si mulier à partu vehementes dolores habet, neque alia præterea signa mala sunt, circa vigesimum diem, aut sanguis per nares erumpet, aut in inferioribus partibus aliquid abscedet. Quicunque etiam dolorem ingentem circa tempora & frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet, magisque si iuuenis erit, per sanguinis profusionem, si senior, per suppurationem. Febris autem quæ subitò sine ratione, sine bonis signis finita est, ferè reuertitur. Cui fauces sanguine & interdiu & noctu replentur, sic vt neque capitis dolores, neque præcordiorum, neque tussis, neque vomitus, neque febricula præcesserit, huius aut in naribus, aut in faucibus vlcus reperietur. Si mulieri ex inguine febricula orta est, neque caussa apparet, vlcus in vulua est. Vrina autem crassa, ex qua quod desidet album est, significat circa articulos, aut circa viscera dolorem, metumque morbi esse. Eadem viridis aut viscerum dolorem tumoremque cum aliquo periculo subesse, aut certè corpus integrum non esse testatur. At si sanguis aut pus in vrina est, vel vesica, vel renes exulcerati sunt. Si hæc crassa carunculas quasdam exiguas quasi capillos habet, aut si bullat, aut malè olet, & interdum quasi arenam, interdum quasi sanguinem

Vrina.

trahit,

trahit, dolent autem coxæ, quæque inter has, ſuperque pubem ſunt, & accedunt frequentes ructus, interdum vomitus bilioſus, extremæque partes frigeſcunt, vrinæ crebra cupiditas, ſed magna difficultas eſt, & quod inde excretum eſt aquæ ſimile, vel rufum, vel pallidum eſt, paulum tamen in eo leuamenti eſt, aluus verò cum multo ſpiritu redditur, vtique in renibus vitium eſt. Aut ſi paulatim deſtillat, vel ſi ſanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta ſunt, idque ipſum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent, in eadem veſica vitium eſt. Calculoſi verò *Calculoſi.* his indicijs cognoſcuntur: Difficulter vrina redditur, paulatimque, interdum etiam ſine voluntate deſtillat. Eadem arenoſa eſt, nonnunquam aut ſanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur. Eamq. quidam promptius recti, quidam reſupinati; maximeque hi qui grandes calculos habent, quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo, dolorem leuant. Grauitatis quoque cuiuſdam in ea parte ſenſus eſt, atque ea curſu omnique motu augentur. Quidam etiam cùm torquentur, pedes inter ſe ſubinde mutatis vicibus implicant. Fœminæ verò oras naturalium ſuorum manibus admotis ſcabere crebrò coguntur. Nonnunquam ſi digitum admouerunt vbi veſicæ ceruicem is vrget, calculum ſentiunt. At qui ſpumantem ſanguinem excreant, his in pulmone vitium eſt. Mulieri grauidæ ſine modo fuſa aluus elidere partum poteſt. Eidem ſi lac ex mammis profluit, imbecillum eſt quod intus gerit. Duræ mammæ ſanum illud eſſe teſtantur. Frequens ſingultus, & præter conſuetudinem continuus, iecur inflammatum eſſe ſignificat. Si tumores ſuper vlcera ſubitò eſſe deſierunt, idque à tergo incidit, vel diſtentio neruorum vel rigor timeri poteſt. At ſi à priore parte id euenit, vel lateris acutus dolor, vel inſania expectanda eſt. Interdum etiam huiuſmodi caſum, quæ tutiſſima inter hæc eſt, profuſio alui ſequitur. Si ora venarum, ſanguinem ſolita fundere, ſubitò ſuppreſſa ſunt, aut aqua inter cutem, aut tabes ſequitur. Eadem tabes ſubit, ſi in lateris dolore orta ſuppuratio, intra quadraginta dies purgari non

gari non potuit. At si longa tristitia cum longo timore & vigilia est, atræ bilis morbus subest. Quibus sæpe ex naribus fluit sanguis, his aut lien tumet, aut capitis dolores sunt, quos sequitur, aut quædam ante oculos tanquam imagines obuersentur. At quibus magni lienes sunt, his gingiuæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit. Quorum si nihil euenit, necesse est in cruribus mala vlcera, & ex his nigræ cicatrices fiant. Quibus caussa doloris, neque sensus eius est, his mens labat. Si in ventrem sanguis confluxit, ibi in pus vertitur. Si à coxis, & ab inferioribus partibus dolor in pectus transit, neque vllum signum malum accessit, suppurationis eo loco periculum est. Quibus sine febre aliqua ex parte dolor, aut prurigo cum rubore, aut calore est, ibi aliquid suppurat. Vrina quoque quæ in homine sano parum liquida est, circa aures futuram aliquam suppurationem esse denuntiat. Hæc verò cùm sine febre quoque vel latentium, vel futurarum rerum notas habeant, multo certiora sunt, vbi febris accessit, atque etiam aliorum morborum tum signa nascuntur. Ergo protinus insania timenda est, vbi expeditior alicuius, quàm sani fuit, sermo est: subitaque loquacitas orta est, & hæc ipsa solito audacior: aut vbi raro quis & vehementer spirat, venasque concitatas habet, præcordijs duris & tumentibus. Oculorum quoque frequens motus, & in capitis dolore offusæ oculis tenebræ, vel nullo dolore substante somnus ereptus, continuataque nocte & die vigilia, vel prostratum contra consuetudinem corpus in ventrem, sic, vt ipsius alui dolor id non coëgerit: item robusto adhuc corpore insolitus dentium stridor, insaniæ signa sunt. Si quid etiam abscessit, & antequam suppuraret, manente adhuc corpore insolita febre subsedit, periculum affert primùm furoris, deinde interitus. Auris quoque dolor acutus, cum febre continua, vehementique, sæpe mentem turbat, & ex eo casu iuniores interdum intra septimum diem moriuntur, seniores tardiùs: quoniam neque æquè magnas febres experiuntur, neque æquè insaniunt: ita sustinent, dum is affectus intus versatur. Suffusæ quoque sanguine mulieris mammæ, furorem ven-

Vrina.

rem venturum esse testantur. Quibus autem longæ febres sunt, his abscessus aliqui, aut articulorum dolores erunt. Quorum faucibus in febre eliditur spiritus, instat his neruorum distentio. Si angina subitò finita est, in pulmonem id malum transit, idque sæpe intra septimum diem occidit. Quod nisi incidat, sequitur, vt aliqua parte suppuret. Deinde post alui longam resolutionem, tormina: Post hæc intestinorum læuitas oritur. Post nimias destillationes, tabes. Post lateris dolores, vitia pulmonum: post hæc, insania. Post magnos feruores corporis, neruorum rigor aut distentio. Vbi caput vulneratum est, delirium. Vbi vigilia torsit, neruorum distentio. Vbi vehementer venæ supra vlcera mouentur, sanguinis profluuium erit. Suppuratio verò pluribus morbis excitatur. Nam si longæ febres sine dolore, sine manifesta causa remanent, in aliquam partem id malum incumbit, in iunioribus tantùm: in senioribus ex eiusmodi morbo quartana ferè nascitur. Eadem suppuratio fit, si præcordia dura dolentia ante vigesimum diem hominem non sustulerunt, neque sanguis ex naribus fluxit, maximeque in adolescentibus: vtique si inter principia aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerunt, sed cùm in inferioribus partibus aliquid abscedit. At si præcordia tumorem mollem habent, neque habere intra sexaginta dies desinunt, hæretque per omne id tempus febris, tum in superioribus partibus fit abscessus: ac, si inter ipsa* vlcera non fluit, circa aures erumpit. Cumque omnis longus tumor ad suppurationem fere spectet,* magis eò tendit is, qui in præcordijs, quàm is, qui infrà est. Si lassitudinis etiam sensus in febre est, vel in maxillis, vel in articulis, aliquid abscedit. Interdum quoque vrina tenuis & cruda, sic diu fertur, vt alia salutaria signa sint, exque eo casu, plerunq. infra transuersum septum (quod διάφραγμα Græci vocant) fit abscessus. Dolor autem pulmonis, si neque per sputa, neque per cucurbitulas, neque per sanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus est, vomicas aliquas* interdum excitat, aut circa vigesimum diem, aut circa* quadragesimum, nonnunquam etiam circa sexagesimum.

* viscera, al. initia

* Alias, magis se tendit.

* intus exci.

* xxx,

mum. Numerabimus autem ab eo die, quo primùm febricitauit aliquis, aut inhorruit, aut grauitatem eius partis ſenſit. Sed hæ vomicæ modò à pulmone, modò à contraria parte naſcuntur. Quod ſuppurat ab ea parte, quam afficit, dolorem, inflammationemque concitat, ipſum calidius eſt: & ſi in partem ſuam aliquis decubuit, onerare eam ex pondere aliquo videtur. Omnis etiam ſuppuratio, quæ nondum oculis patet, ſic deprehendi poteſt: Si febris non dimittit, eaque interdiu leuior eſt, noctu increſcit, multus ſudor oritur, cupiditas tuſſiendi eſt, & pæne nihil in tuſſi excreatur, oculi caui ſunt, malæ rubent, venæ ſub lingua inalbeſcunt, in manibus fiunt adunci vngues, digiti, maximeque ſummi* pallent, in pedibus tumores ſunt, ſpiritus difficiliùs trahitur, cibi faſtidium eſt, puſtulæ toto corpore oriuntur. Quod ſi protinus initio dolor, & tuſſis fuit, & ſpiritus difficultas, vomica vel ante, vel circa vigeſimum diem erumpet. Si ſeriùs iſta cœperint, neceſſe eſt quidem increſcant, ſed quò minùs citò affecerint, eò tardiùs ſoluentur. Solent etiam in graui morbo pedes cum digitis vnguibusque nigreſcere. Quòd ſi non eſt mors conſecuta, & reliquum corpus inualuit, pedes tamen decidunt.

* calent,

ENARRATIO.

POSTQVAM inſtantis morbi ſigna, atque adeò eo vrgente, quæ vel ſpem, vel metum ſignificarent, explicauit; iam ad aliud genus ſignorũ progreditur: ex quibus qualis tandẽ morbus ſit futurus, liceat coniecturare; proximo ab hoc capite dicturus quæ cognito iam vitio, ſpem aut metum polliceantur.

Ante febres ſi caput graue eſt, &c.

NON eam capitis grauedinem aut oculorum caliginem intelligit, quæ in febribus præcedente indicationem die; ſed quæ ante paroxyſmorum exacerbationes in ipſo morbi principio fiat; tum enim huiuſmodi accidentia impetum aliquem pituitæ deferri ad caput ſignificabunt. Grauatur nanque caput propter multitudinem pituitæ, vnde contingat quoque tranſitum vaporum, & humorum obturari: his accedit dolor ac tenſio quædam panniculorum cerebri; quo fit vt violento motu natura ad ſternutationem procedat, depellere tentans ea quæ meatus obturant. De caligatione antè dictum eſt.

Si ſanguis aut calor abundat.

ANTEA vbi frigidi & calidi incommoda enarrauimus, inter reliqua quæ calorem ſubſequuntur, ſanguinis profluuia poſuimus. Abundante autem ſanguine, eadem quoque conſequutura ratio efflagitat, vaſorum oris apertis dum nimia copia grauantur, atque diſtenduntur. Porrò ſanguinem

redundare

redundare dicimus, si (quod ad ætates attinet) adulescens sit, tempúsque vernum, ac anni constitutio calida & humida, his quoque si adsit tensio vasorum omnium in oculis, atque manifesta pulsatio in temporibus, faciei & corporis reliqui color rubicundus, roseus, ac floridus ac splendens ex rubro atque albo mixtus.

Si sine causa quis emacrescit.

NVTRITIO est perfecta assimilatio, vel vacuati repletio: fitque quoties is qui nutrit cibus corpori quod alit assimilatur. Cæterùm quando id quod probè nutriri debet, (ut libro De symptomatibus vult Galenus) oporteat ad se trahere peculiare propriumque alimentum, deinde retinere ipsum quousque alteratum sibi assimilet, ac deinde excernere id quod redundat excrementum, necesse est, quum duplex sit excrementi genus (aut enim qualitate aut quantitate peccat) eam omnino partem quæ non alitur, aut in uno eorum quæ dicta sunt, peccare, aut in pluribus: sic ἀνασάρκα, quæ & ὑποσάρκα, σαρκίτης ἢ λευκοφλεγματίας dicitur, hydropis species, ubi tota corporis miscella in tumorem quempiam ceu spongia attollitur, accidere solet: sic ἀτροφίαν, ita enim vocant Græci quando corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus summa macies oboritur: sic malus corporis habitus (καχεξίαν dicunt) quoties alimenta corrumpuntur, accidit: quod ferè fit, ut sequente libro auctor noster edocet, quoties longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem non accipiunt: nam, ut Hippocrates Aphorismorum secundo, non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes; corrumpitur enim adueniens alimentum (Galeno in Commento eiusdem loci teste) corpori malos humores habenti, ita quòd ipsius quidem quantitas augetur, qualitas verò seruatur: Fit autem hoc potissimum quando ventriculus vitiosis quibusdam humoribus plenus fuerit.

Si præcordia dolent, &c.

QVANQVAM sub doloris vocabulo non raro inflammationem intelligat, hîc tamen distinxit præcordia dolentia ab inflammatione vexatis, quæ φλεγμαίνοντα vocat Hippocrates; quòd videlicet hæc ferè à calida materia originem suam habeant, atque calidi morbi sint, cuiusmodi herpetes sunt, erysipelates & carbunculi: illa autem, sicuti varios doloris sensus inferunt, sic varias quoque causas sortiuntur; nam si in alterutro latere obstructio sit, doloris sensus varios concitabit pro materiæ peccantis differentia. Siquidem si à vaporosis crassisque flatibus alterutrum hypochondrion, hepar dico aut lienem, contingat obstrui, non grauitatis solùm in altero præcordio sensus, sed & tensionis oborietur. At si à crassis, lentis, ac viscosis humoribus talis obstructio accidat, tum quoque pro humorum differentia cum dolore, grauitatis, eiusque aut obtusæ aut vehementis, sensum inferet; idque aut cum febre, aut sine febre. Per grauem autem inflammationem eam intellexit, quæ grauem doloris sensum inferret: cuiusmodi in principiis exhibent ferè quotquot sunt inflammationes. Cæterùm quod de vrina cruda subiicit, facit ut potiùs de dextero præcordio dolente aut inflammato, quàm sinistro locum hunc intelligam, idque gibba iocineris parte affecta: Nam quum gibbam iecoris diureticis rectiùs, quàm catharticis obstructione liberaueris, consequens quoque est, ut eadem patiente, concoctionis aut cruditatis indicium ex lotio faciamus. Quanquam ad vtriusq. visceris obstructiones rectè hæc possint accommodari: nam Hippocrates τὰ ἀπιόντα, hoc est excrementa omnia in morbis considerandа monet: & Galenus, in thoracis, pectoris & reliquarum corporis partium morbis lotium contemplandum asserit.

Quibus diu color sine morbo regio.

COLOR in corporibus similis efflorescit humoribus: sic ubi flauæ bilis per vniuersum corpus effusio contingit, auriginis certissima

tissima nota est: atque si ea non apparente color malus sit, exempli causa mixtus ex albo & liuido, aut plumbeus idem appareat, liuidusue in summa cute emicet, crudos succos subesse argumento est: vnde aut dolores capitis vrgent, aut rerum fœdarum appetitu, atque à natura abhorrentium, quales lapides, terra & carbones sunt, tenentur: quemadmodum mulieres quoque quadragesimo à conceptu die pro varietate vitiosi humoris peccantis, varia ac peregrina edulia appetunt: nonnullæ enim salsa, quædam acida, aliæ terram, aliquæ rursum testas, aut extinctos carbones esitant; quem affectum picam aut cittam vocare cõsueuerunt. Cæterùm quæ de malo colore hîc scribit Celsus, transsumsit ex secundo Prorrheticon Hippocratis, vbi sic habet: Quibus colores dum iuuenes sunt, ad multum tempus praui sunt, & continenter, nõ tamen regij morbi modo; hi siue viri sint, siue fœminæ, caput dolent, ac lapides ac terram comedunt, & hæmorrhoïdes habent. Pallidi verò cum virore colores, qui diuturni sunt, & morbus regius vehemens non est, alia quidem eadem facere solent: verùm pro lapidum ac terræ carbonumque esu, præcordiis hi magis quàm superiores conflictantur.

Qui diu habent faciem pallidam.

HIC, *vt in præcedente paragrapho, multa ex Hippocrate succîdit Celsus: siquidem illîc tantùm doloris capitis, aut quòd terram edant, meminit; & quòd hæmorrhoïdes habeant, silentio præteriit: hîc autem singula disiungit, eáque quæ coniunctim inuadere Hippocrates dicit, Cornelius noster sigillatim tantùm metuenda dicit; siquidem iam citato loco inquit Hippocrates, Quicunque verò multo tempore pallidi apparuerint, & facies in tumorem eleuatas habent, eos dolere caput sciendum est, aut circa viscera dolorem aliquem habere, aut in sede malum aliquod in seipsis. Ex his autem apparentibus plerisque non vnum aliquod horum malorum appâret, sed plerumque multa, aut etiam omnia.*

Si in continua febre puero, &c.

PER *pueritiam eam quæ vsque ad septimum annum protrahitur intelligemus: nam, vt Hippocrates tertio Prædictionum, Pueris accidit conuulsio, si febris acuta fuerit, nec aluus deiiciat; ac vigilent, paueant, lugeant, colorem mutent, & croceum aut liuidum aut rubeum trahant. Hæc igitur nuperrimè editis pueris promptiùs accidunt ad septimum vsque annum: Adultiores verò pueri viríque non in febre prehenduntur conuulsione, nisi aliquod indicium extitit validissimum ac deterrimum, qualia per delirium accidunt. Neque enim mirum est, Galeno teste, leuissima quauis de causa neruorum distentione corripi pueros, quum vna eademque sit omnibus victus ratio, nempe lac: quod, quum sicuti non raró sua qualitate, vt si iusto crassius sit, ita etiam frequenter sua quantitate, vt si copiosius quàm natura flagitat sumpserint (sunt enim natura voraces pueri adeò vt etiam intempestiuè exhibitum cibum non respuant) molestum sit, febrem concitârit, atque adcò neruoso genere quod hac ætate imbecillissimum est, affecto conuulsiones excitat: cuius quidem futuræ seu causæ sunt, si paueant, vigilent, illachryment, atque aluus nihil reddat, signum verò ad has causas, si color præter naturam euariat, indicans humorum prauitatem, ex quibus conuelli soleant.*

Frequens autem destillatio.

SEQVENTE *libro auctor noster tres tabis species ponit, φθίσιν videlicet, ἀτροφίαν, & καχεξίαν: sed posteriores duæ impropriè tantùm & per accidens, tabis nomen sortitæ sunt, quòd in iis videlicet, non secus atque in phthisi, ex pulmonis vlcere corpus contabescat. Porrò tabes, quæ & phthisis dicitur, ferè oritur, quoties à capite in pulmonem, tenuis, acris, atque erodens humor distillat, qui sensim dum meatuum angustia per sputum expelli non potest, pulmones exulcerat; vnde & leues quædam febriculæ inuadunt, quæ etiam quum quieuerint, tamen pòst repetunt.*

petunt. Si igitur in tenui longóque corpore distillatio frequens sit, periculum tabis imminet: nam, vt ait Hippocrates, Qui à phthisi probè liberari volet, vt quàm minimè tenuis sit oportet, pectúsque quadratum ac hirtum habeat, & os ipsius paruum sit, & robustè carnosum. Nam qui oblongo atque eodem angusto strictóque sunt pectore, non tam facilè pulmones dilatare possunt, noxiósque qui illapsi sunt humores expellere.

Vbi pluribus diebus non.

NAM si aluus plena multum quod affligit habeat, periculum est, ne ex ipso morbus aliquis fiat, si alicubi se firmet id quod affligit, aut ad latus, aut ad viscus, aut alicubi aliquã partem concalefaciat, quo quam primùm simul humorem illum turbet. Vnde si febrem, aut visceris alicuius inflammationem subterfugerint sic affecti, ex intestinorum cum flauæ bilis folliculo compreßione, contingit fundi bilem, intestinísque bilis acrimonia iritatis fluxum subsequi.

Vbi pedes turgent.

SI quid hîc rursum mihi condonetur, lectionem nonnihil immutauero, interposita vnica dictione, videlicet: Vbi pedes turgent, vbi longæ deiectiones sunt, vbi dolor in imo ventre & coxis est, aqua inter cutem instat. ita enim cum Hippocrate secundo Prædictionum concordabit: vbi sic scribit: Aqua inter cutem omnis si ex morbo acuto existat, mala est; non enim sedat febrem, sed dolorem admodum infert ac mortem, fereque incipit ex parte inani ac lumbis iecoréque. Si quibus ergo ex parte inani existit, pedes intumescunt, & alui diutinus fluor fit, neque exoluens dolorem, qui ex inani parte afficit ac lumbis, neque molliens ventrem. Nam quòd pedes tumescant, omni hydropi commune est; & quòd dolor imum ventrem infestet, in causa est inflammatio, ieiunum lactésq; infestans: quibus quum venæ debiles sint, vt bene monet Galenus, per quas iecur ad se alimentum trahit, fit vt nequaquam visceri subseruiant ad diductionem, neque maneat in ieiuno tenuioribusque intestinis alimentum. Et si ab eo grauentur, vtpote debiliores, id omne statim pellant deorsum, vnde alui fluor longæq; deiectiones molestæ sunt. Oritur autem hic morbus ex ilibus, siue ἐκ τῶν κενεώνων, verùm per consensum coaffecto hepate: neque enim (sicuti arbitrabatur Erasistratus, vt secundo De naturalibus facultatibus admonet Galenus) ob solum hepatis scirrhum fit hydrops; sed vel ex diuturnis hæmorrhoïdibus suppreßis, vel immodica earundem profusione, vel ex menstruæ purgationis cessatione omnimoda, ac eiusdem superflua vacuatione ad extremam frigiditatem hepatis temperiem ducentibus oriri solet: quemadmodum etiam hic auctor noster ex Hippocrate ab ilibus originem sumere dicit: Est tamen prima & continens hydropis causa, vbi sanguificationis officium intercidit; etenim, vt auctor est Galenus, sicuti in ventriculo concoquuntur esculenta, pari ratione in iecore & venis, præcoctum in ventriculo alimentum. Quinetiam vt in ventriculo interdum minùs intercidit concoctionis officium, interdum magis, ita in iecore: nonnunquam enim iecur afficitur ex sua vi, sicuti etiam ventriculus per consensum aliarum partium, quibuscum societatem habet, propter communes neruos, venas, ac alia receptacula; vnde fit vt quum intestinis, lieni, ventriculoq; ex magnis venis copuletur, facilimè iis læsis coafficiatur.

Idem propositum periculum est.

QVANQVAM non nisi iecore affecto oriri poßit hydrops, quædam tamen discrimina ponit, primarióne an per consensum laboret. Est autem, vt diximus, aqua intercus, vitiata hepatis functio, quũ gignendo sanguini parùm valet; quo fit vt in alienam quandam substantiam mutato succo, alendo corpori vsui esse non poßit: atque sic eodem reiecto in vastum tumorem vniuersam corporis miscellam attollit: ac primum quidem ignobiliores seu imbecilliores particulas, vtputa pedes, occupat; deinde ventrem & viscera in magnam altitudinem attollit.

tollit. Sed his quibus à iecore aqua intercus incipit, vt docet Hippocrates, tußire quidem cupiditas est; verùm nihil excreant commentatione dignum: pedesque intumescunt, ac venter non deiicit, nisi dura, ac pro necesitate: atque etiam circa ventrem tumores fiunt, qui modò in dextra, modò in sinistra parte desinunt, consistuntque. Quam quidem sententiam ad verbum expreßisset Celsus, nisi pro tussiendi cupiditate, desidendi voluntatem substituisset: quod certè an rectè fecerit, iudicent alij; ego cum Hippocrate & Galeno tussiendi cupiditatem legere malim: nam hepate affecto solet ferè oriri exigua quædam tußis, aluusque supprimi, nisi intestina inflammatione vexentur. Tumores autem qui in alterutra ventris parte inuicem oriantur, & finiantur, Galenus referre videtur ad foueas quas digiti impreßione efficimus: nam si tumores hosce digito comprimas, cedunt quidem, ac tanquam foueam quandam referunt: sed statim ad pristinam redeunt conditionem: vnde inuicem quoque oriri & finiri putat, vel quòd dum nondum absoluta, atque in fieri sit hydrops, tumores hi quidem incipientes consistant; sæpenumerò etiam finiantur, ita vt integrè desiisse videantur, mox tamen reuertantur; atque ita variis vicißitudinibus hominem tandem consumant.

Eiusdem morbi nota est.

HIPPOCRATES Aphorismorũ sectione quarta: Quibus, inquit, torsiones, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento neque aliter soluitur, in aquam intercutem siccam finitur: neque enim omnis in genere aquæ intercutis futuræ præsagium afferent torsiones circa vmbilicum, quæ medicamenta respuunt; sed eius tantùm quam siccam Hippocrates vocat, hoc est quæ à sono ad tympani similitudinem tympanites dicitur; hæc etenim aquoso humore aqualiculum totámque corporis compagem non distendit, sed flatuoso quodam spiritu, in altum attollit. vnde veterum quidam, sicuti Demetrius Erophili sectator, vanum atque intellectu carens esse sine vllo humore superfluo laborantem hydropem vocare, dixerunt: quò alludens quodammodo Galenus, atque Hippocratem secutus, impropriè vocari hydropem tympanitem arguit: nam sicuti nullus aquam siccam esse, & sine collatione alterius propriè loquendo dicere audeat; ita si proprietatem sermonis spectes, nemo rectè hydropem aut aquam intercutem, Tympanitem (vtputa quæ sicca sit & omnis ferè aquosi humoris expers) dixerit. Si tamen corporis eadem spectes, non absurdè respectu aliarum, ascites videlicet, & anasarcæ, siccam (vt quæ flatulento spiritu non secus atque aliæ in altam molem corpus sublevat) aquam intercutem vocaris: adde quòd non omnis humoris expers sit, solet enim flatibus humiditas quædam accedere. Cæterùm torsiones hæ circa vmbilicum quæ remediis non leuantur, ob flatuosum spiritum qui exitum non habeant, fiunt: atque hic quidem circa initia tenuis est, vt omnes per se inflationes esse solent, sensim autem inspissatur, ac velut nubilus redditur: vnde, sicut dixi, cum flatu nebulosus quidam humor commiscetur, & magna oritur circumtensio, (flatuoso videlicet humore intra peritoneum dictam pelliculam & intestina collecto) tumórque ad femora vsque & coxas protenditur.

Dolor autem articulorum.

SI quis ischiæ, podagræ, chiragræ, gonagræ definitionem animo perpendat, quam sit planus hic locus facilè percipiet, siquidem quum fluxione humorum neruosæ partes, ad quas materia peccans delabitur, attollantur; consequens est, vt eo quoque loci nerui contrahantur, ac rursum, quum non semper ex eadem pendeant causa podagra, & chiragra, sed variam sortiantur originem, in genere tamen potiorem causam humorum multitudinem sortitæ sint, fit vt hi non solùm quantitate, sed & qualitate peccent, hoc est aut frigidi sint, aut calidi; vnde & calido frigidóque leuißimè offenduntur; calido quidem vbi caliditas, frigido vbi frigiditas in causa est.

Quibus in pueritia sanguis.

QVAM *sit sagax industriaque natura, vel hinc coniicere licet, quòd sponte sua superabundantem humorem pellat, atque expurget; idq; varijs modis: nam si sanguis abundet, eundem redundantem per nares citra noxam aliquam euacuat; sin is magis melancholicus sit ac fæculentior, per hæmorrhoïdes dictas venas eundem reiicit: fœminæ etiam statis temporibus per menses expurgantur. Capiti quòd fontem pituitæ quidam rectè dixerunt, colatoria quædam adiecit, per quæ si humore pituitoso grauetur, excrementa expurget, atque hinc non rarò videmus, fluxiones à capite in nares, in oculos, aures, faucesque fieri. Ac postremò quoniam interdum vsu venit vniuersum corpus molestari serosis quibusdam humoribus extra vasa pulsis, ne quid spontaneæ expurgationi deesset, toti corpori poros addidit, per quos exudaret, atque excuteret (tanquam per incerniculum) quicquid serosi illius humoris reliquum esset: ac proinde quum eiusmodi expurgationibus subleuetur homo, rationi consonum est cessantibus eisdem, ex meatuum obstructione naturam grauari, ac varios morbos in metu esse. Sic suppreßis mensibus, sicuti paulo pòst dicetur, non vnum morborum genus in periculo erit, aliisque, quas sponte sua naturam moliri dixi, interceptis purgationibus, aliter in periculo esse corpus, prout quæuis purgatio esse solet. Atque ita quum sanguis is qui in pueritia fluere solebat, sanguineam admodùm temperiem denotet, par erat fluorem illum non supprimi ante quadragesimum annum, citra ingens aliquod periculum: Iuuentus enim, (Hippocrate in Prædictionibus auctore) sanguinis fluori opportunißima est, tum propter sanguinis copiam, tum propter facultatem robustam atque calorem exuperantem. Si igitur in pueritia solitus fluere sanguis ante iuuentutem sistatur, fluereque desinat, ex sanguine morbos imminere periculum est, quales sunt capitis dolores, graues in articulis ortæ exulcerationes; sanguine videlicet illuc, tanquam ad imbecilliores seu ignobiliores particulas, prorumpente.*

Quibus fœminis menstrua, &c.

MATRICE *affecta propter affinitatem facile coafficitur stomachus: huic rursum caput. quo fit vt obstructis vasorum oris per quæ sanguis menstruus expurgari solebat, sursum regurgitentur humores, atque ventriculum petant, caputque acerbißimis doloribus grauent, ac siderationis periculum portendant. Necessum igitur est, vt suppreßis mensibus caput affligatur, aut quæuis alia pars morbo infestetur. Sic* Hippocrates *Aphorismorum sectione quinta Aphorismo 57. deficientibus menstruis ex vtero fieri morbos auctor est: quòd, vt inquit in commento* Galenus, *compreßis, ac obstructis venis per quas ad vterum sanguis menstruus ferri consueuerat, necesse sit, aut vterum inflammatione infestari, aut cancro, aut duro tumore, aut erysipelate, cui sensim totum compatiatur corpus.*

Eademque his pericula sunt.

AN *articulorum dolores, tumoresque qui sine podagra, & similibus morbis oriuntur desinuntq;, capitis dolorem portendant, vehementer dubito: at quòd iisdem desinentibus, neque per suppurationem, neque alio quouis modo resolutis, necessarium sit aliò materiam recurrere, atque inibi morbum facere, notum cuiuis arbitror: quare cuiusuis potiùs visceris quàm capitis dolores hîc expectabimus.*

Vtique si sæpè tempora.

PAVLO *antè dictum est, Qua parte corporis dolor, ibi morbus: quòd, vt docet* Hippocrates, *ab his quæ naturam mutant, atque corrumpunt, dolor excitatur.* Plato *in* Timæo *pathos præter naturam violenter & affatim incidens dolorem conciliare auctor est, atque huius communem esse causam; ac proinde quum circa tempora potißimùm ac frontem dolores inuaserint, consequens est materiam peccantem caput obsidere: cuius argumentum quoque exhibent nocturnæ exudationes, ac fron-*

æ frontis pruritus; is etenim, ſicuti in ſcabie quoque fieri videmus, à vitioſis ſalſíſque humoribus oritur, atque eam potiſsimùm partem affligit, in quam materia peccans decubuit; cuiuſmodi hîc nobis cerebri anterior pars ob oculos ponitur: quæ dum ſeſe expurgare nititur, ad oculos vtpote viciniores, & imbecilliores quicquid eſt nocui tranſmittit: vnde lippitudines, ex ingenti dolore, ſanguinis affluxu factæ oriuntur.

Si mulier à partu vehementes, &c.

NESCIO *an hunc locum ex tertio Prædictionum paululum cenſeam immutandum, ita vt pro* ſi mulier à partu, *legamus* ſimiliter caput: *ſic enim de verbo ad verbum ſententiam* Hippocratis *reddiderit; is enim loco iam citato ita habet: Capitis dolor vehemens, & continuus cum febre, ſi quod ex indiciis extiterit vitioſis, lethalis admodùm eſt; ſi verò ſine talibus indiciis fatigans dolor, vigeſimum tranſeat diem, & febris detineat, expectare oportet ſanguinis è naribus eruptionem, aut alium abſceſſum ad inferiores ſedes: ſed quoad dolor fuerit recens, expectare oportet ſanguinis ex naribus eruptionem, aut ſuppurationem ſi dolor alioqui circa tempora, aut circa frontem affligat. hactenus ille. quanquam non neganerim priorem quoque lectionem conſtare poſſe: nam quū dolores quæ grauidas à partu moleſtant, à ſanguine magna ex parte originem ducant, conſentaneum eſt vt iidem, præſertim ſi circa tempora dolores ſint, per ſanguinis è naribus fluorem (nullis aliis exiſtentibus lethalibus ſignis) indicentur, aut alioqui puris per eadem loca, ac aures eruptionibus, aut etiam per abſceſſum ad infernas partes. Expectandæ tamen magis erunt ſanguinis eruptiones è naribus, ſi iuuenes ſint, & circa tempora frontémque ingentibus doloribus excrucientur. neque enim mirum eſt à partu ſuppreßis* λοχίοις, *variis fuliginibus ac vaporibus peti caput; quibus ſanguinis è naribus fluore (quanquam id rarum ſit accidens) confeſtim leuabitur.*

Febris autem quæ ſubitò, &c.

VBI *de febribus quæ in abſceſſus terminantur loqueremur, omnino intactam relinquimus hanc ſententiam: repetiturq́; variis locis ab* Hippocrate: *nam Aphoriſmorum ſecundo, Quæ relinquuntur in morbis poſt indicationem, recidiuam facere conſueuerunt. itemq́; planiùs paulo ſexto* Epidemion: *Quæ relinquuntur, inquit, poſt indicationē, recidiuam faciunt. Primùm itaque lienis tumor ſit, niſi in articulos decumbat, aut ſanguis ex naribus erumpat, vel dextri præcordij diſtenſio, niſi vrina copioſa effluxerit; hæc enim vtrorunque eſt interceptio, vt recidiuæ meritò fiant. Abſceſſus igitur eorum non factos fieri oportet; factos autem declinare. Eos verò qui tales, quales eſſe decet, & quæ oportet proripuerint, excipere conuenit: quicunque autem non ſatis exierint, eos iuuare; qui verò prorſus inutiliter prodeunt, hos auertere, maximè eos qui adhuc futuri ſunt, conſultum eſt: ſi verò non, ſaltem eos qui paulo antè cœperunt: hucuſque* Hippocrates *nos apertè docens quæ imperfectam indicationem (de qua hîc* Celſus *loquitur) ſubſequi ſoleant, lienis tumorem inter alia ſtatim ſubſequuturum affirmans; niſi, aut deorſum tendentibus humoribus abſceſſus inibi faciant, aut maiore calore ſurſum ſubleuati, ſanguinis eruptiones ex ſiniſtra nare faciant.*

Cui fauces ſanguine.

HIPPOCRATES *non vſque adeò manifeſtè vlcus, aut in naribus, aut in faucibus ſubeſſe dicit: ſed videndum, an vlcus, aut hirudo in dictis locis appareat: nam, Quòd ſi cuiquam, inquit, fauces implentur ſanguine, ſæpe ſingulis diebus, ac noctibus, cui neque caput antea doluit, & qui neque tußim habuit, neque febre correptus fuit, neque dolorem habuit, nec pectoris nec dorſi, huius conſiderandæ ſunt fauces, & nares, an vlcus aliquod habere compareat in hoc loco, an hirudinem. Manifeſtum nanque eſt ſanguinem huiuſmodi, ſi non ex vna aliqua*

prædictarum

prædictarum causarum oriatur, ex apertione venæ alicuius, aut in faucibus, aut in naribus fieri: quare vlceris in eisdem locis metum subesse auctor noster dicit, hirudinum mentionem nullam faciens; vel quòd indignum putaret, id quod cuinis etiam manifestum est, asscribere (amens enim omnino sit, qui haustam hirudinem faucibus naribúsque inhærentem exugentemque continuò sanguinem non sentiat) vel quòd putaret continua ingíque tractione ac vellicatione tußiculam aliquam suborituram.

Si mulieri ex inguine febricula.

HIPPOCRATES Prædictionum aut Prorrheticon secundo, vbi fœcunditatis sterilitatísque signa enarrat, inter alia quæ conceptionem remorantur, vlcus in vtero factum enumerat. Dicit autem, Quibus vlcus factum fuerit in vtero, siue ex partu, siue ex tuberculo, siue ex alia quadam caussa, his febres ac inguinum tumores succedere necesse est, & dolores in his locis: si verò & puerperij purgamenta fuerint simul intercepta, hæc mala si fuerint omnia, meraciora sunt, & diuturniora, & ad hæc præcordiorum & capitis dolores. Vlcere autem facto & sanato, locum hunc leniorem & duriorem fieri necesse est, & minùs concipere posse. Celsus quoniam de notis tantùm, quas in singulis morborum generibus habere possumus, hic disserit, reliquorum quæ Hippocrates commemorat oblitus, febriculæ ex inguine ortæ nulla manifesta apparente causa, vlcerísque in vulua tantùm mentionem facit.

Vrina autem crassa.

QVONIAM præcedentibus capitibus, multa de vrinis quæ huc referri possunt, dicta sunt; paucis tantùm perstringemus quæ hic proponuntur. Vrina igitur, vt secundo Prorrheticon Hippocrates, crassa albam subsidentiam habens, aut circa articulos dolorem aliquem, aut tumorem significat, indicium enim est humoris craßi in corpore abundantis: qui si in articulos decumbat, dolorem tumoremq; conciliabit; si circa viscera, hoc est pulmonem, hepar, lienem, hypochondria, intestina (ea enim solet Celsus viscera appellare) maiora ac tumentia reddentur, vt docet Hippocrates: Nam quibus, vt inquit, circa articulos dolores fiunt, & tumores, & sedantur non podagrico modo; in his comperies viscera magna & subsidentiam albam. Alio tamen loco idem senex, multam albam vrinam & crassam abscessum alioqui futurum ad articulos soluturam dicit. nam quarto Aphorismorum, Quibus, inquit, speratur abscessum futurum ad articulos, vrina multa, crassa & alba facta, qualis in laboriosis febribus quibusdam incipit fieri, liberat: si verò ex naribus fluxerit sanguis, breui admodùm solutio fit. quod famulo Amphigenis sexto Epidemion accidisse memorat Hippocrates.

Eadem viridis aut viscerum dolorem, &c.

NON iniuria vrina viridis viscerum dolorem cum periculo corpúsq. non integrum esse testatur: fit enim talis à commistione pinguis colliquati, quod in oleaceum colorem mutatum est, à circumueniente febre aut calore extraneo.

At si sanguis.

SANGVIS aut pus in vrina, non semper indicium erit exulceratorum renum aut vesicæ, sed nonnunquam etiam (vt secundo Prædiction. monet Hippocrates) nihil mali significat; idq; potißimum, quum citra dolorem aliquem manifestum & febrem excernitur. Nonnunquam etiam contingit pus per lotium excerni dirupto abscessu in aliquo aliorum locorum; quare Galenus dicit considerandum (Aphoris. 73. sectionis quartæ) an multis diebus, ac mensibus pus aut sanguis, vel vtraque simul in vrina mingantur: tunc enim exulcerationem renum aut vesicæ omni dubio semoto significabunt. Exulcerantur enim facilè renes aliíque vrinarij meatus à lapidis asperedine: atque ita intelligendum voluit Hippocrates Aphorismum, si sanguinem aut pus mingat, aut renum,

num, aut vesicæ exulcerationem significat. Nam alioqui (vt rectè monet Galenus, aut quicunq. auctor est libri De dignotione passionum quæ in renibus sunt) quum vrina excernitur cruenta, signum erit commune; quòd videlicet, aut apertio vasorum sit, aut ruptio, aut erosio, aut imbecillitas, aut dilatatio, aut aliud quicquam, quia ruptionem exquisiti, & confertim egesti sanguinis vacuatio sequitur.

Si hæc crassa.

SENTENTIAM hanc paulo antè, vbi de capillitio ageremus, explicauimus. Galenus autem de locis affectis libro sexto capite tertio, Efficacissima, inquit, exulceratorum renum coniectura est, si cum vrinâ exiguæ quædam carunculæ excernantur, vtpote quas renum essentiæ partes, easq; ob vehementem vlceris erosionem auulsas esse constet. Sic quoque Hippocrates quarto Aphorismorum, vnde totam hanc periodon desumpsit: Quibus in vrina crassa existente, carunculæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeunt, iis à renibus excernitur.

aut si bullat.

BVLLÆ à frigido flatuosóq; spiritu fiunt: ac proinde quum frigidi omnes morbi longi sint, longitudinem quoq. morbi præsagient, vt rectè monet Hippocrates sectione septima Aphorismorum: Quibus in vrinis superstant bullæ, iis morbum renum, & longum fore significat.

aut malè olet.

HINC satis constat, quanto studio nisus fuerit Celsus non satis cohærentia, ex Hippocrate connectere: siquidem graueolentiam in vrina renibus nequaquam acceptam fert Hippocrates, sed vesicæ potiùs; idq; quum vesica sit vrinæ receptaculum, fit vt quæ in ea putrescant, grauiorem fœtorem præ se ferant, quanquam non negem in renum exulceratione, putidam nonnunquam excerni vrinam: verùm quum rarius id sit, atque ex vesica confertim, magísque graueolens pus emittatur, vesicæ potius asscribendam putanimus putidam vrinam; idq; Hippocratis quarto Aphorismorum auctoritate: Si sanguinem & pus & squammulas mingat, grauísque odor fuerit, vesica significat exulcerationem.

& interdum quasi arenam.

HÆC potiùs ex sexto Epidemion quàm Aphorismis transsumpsisse videtur: siquidem illic inquit, In renem dolor grauis, quando cibo replentur, pituitámque vomunt: quum verò dolores superabundauerint, æruginosa, & leuiores fiunt, soluuntur quum cibo vacuantur, arenulæ ruffæ subsident, cruentum mingunt, stupor eius femoris quod è directo est. in Aphorismis autem vesicæ potius arenulas asscribit: quod Philotheus ideò Hippocratem fecisse suspicatur, quòd potiùs in ea propter capacitatem quàm in renibus, generentur. Auctor tamen libri De dignotione affectuum, qui in renibus consistunt, signum proprium, & incommutabile esse dicit, quòd sine medio affectum (nempe lapidem in renibus) ostendit, si arenæ in calice subsidant; tum enim exactè cognosci, quòd lapis in renibus subsit. Est tamen discrimen aliquod arenularum, quæ à renibus excernuntur, ab iis quæ à vesica; siquidem si quæ à renibus excernantur arenosæ subsidentiæ, rubicundiores ferè sunt; quæ à vesica, albiores. De sanguinolento lotio iam antè dictum est.

dolent autem coxæ, quæque, &c.

HOC quoque ex iam citato Hippocratis loco desumpsit, stuporem cruris quod è directo est, in coxarum dolorem conuertens. Est autem ea ratio, quòd venæ & arteriæ à vena dicta caua, & magna arteria deferantur ad renes; quæ rursum ab iis per femora ad crura coxásque diducuntur: quo fit vt affectis renibus non solùm crura, coxæ, femoráque, sed & interfemineum totum per consensum coafficiatur.

& accedunt frequentes.

HIC rursum Cornelius noster nusquam sibi dissimilis, ex Hippocrate pro pituitæ vomitu,

vomitu, ructus frequentes; & pro æruginosa vomitione, biliosam substituit: quanquam mirum minimè sit ante æruginosorum biliosorumve vomitionem frequentes esse ructus, acrimonià bilis vellicato stomachi orificio. Per *biliosas autem vomitiones non eas intelligit quæ syncera atque ex mera bile sint, sed quæ æruginis aut porri præ se similitudinem ferant: tales enim frequenter per superiora reiiciuntur, quum in ventriculo potissimùm generentur, tum ob inediam, tum ob vigilias corrupto cibo; siquidem & Galenus ipse tum alibi, tum libro De atra bile, porraceam æruginosam, & vitelli speciem referentem bilem vocare solitus est.*

extremæque partes frigescunt.

AN *id proprium signum sit affectorum renum, alius indicet; ego certè, cuiuis etiam visceri affecto ac dolenti commune putârim, doloris videlicet vehementia calore innato ad interiora, atque adeò partem dolorificam, relictis extremis partibus, repente: renum tamen inflammationi, quàm aliis quibusuis eiusdem visceris affectibus, familiarius.*

vrinæ crebra cupiditas.

ID *sanè calculi in renibus indubitatissimum signum est: nam arenulæ quamuis ad excretionem vellicant, obstruunt tamen meatus vrinarios: unde & vrinam quoque circa obturationis principium, paucam, & aquosam excerni contingit; pòst verò, perfecta iam obstructione, omnino supprimitur: quod in principiis quoque accidere frequenter, auctor est* Trallianus.

aluus verò cum multo spiritu.

NON *citra difficultatem exoneratur aluus, lapide aut in renibus, aut in vesica contento, quod ex distentione vritidum & vesicæ anus comprimatur: atque hinc quoque antè diximus ex* Hippocrate, *augeri quidem dolores quoties cibo implentur, solùique quum eodem vacuantur; per cibum, vt docet* Galenus, *ciborum excrementum in intestinis contentum intelligens.*

Aut si paulatim destillat.

LOCVS *hic paulùlum immutandus videtur, ita vt in hunc modum legatur:* At si paulatim destillat, & si sanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent, in eisdem aut vesica vitium est. *Nam* Hippocrates *Aphorismorum quarta sectione, Aphorismo octuagesimo; & septima, Aphorismo* 39. *Si quis, inquit, sanguinem mingat & grumos, & vrinæ stillicidium habeat, dolórque ad imum ventrem, pectinem, & interfemineum incidat, ea quæ circa vesicam sunt, laborant. Neque enim, Galeno auctore, ita intelligendus est hic Aphorismus (sicut* Celsus *fecisse videtur) vt soli vesicæ congruere dicamus hos casus; sed potiùs communes esse omnibus quæ vesicæ seruiunt instrumentis, vesicæ, renibus vrinariisque meatibus: quod sanè* Hippocrates *per hæc verba,* τὰ περὶ τὴν κύστιν, *hoc est* ea quæ circa vesicam sunt, *voluit: nam sectione quinta Aphorismorum, non solùm renibus aut vesica affecta, vrinæ stillicidium accidere dicit, sed etiam recto intestino aut vtero inflammationem patientibus, idq; facultate retentrice vesicæ imbecilliore reddita, tum ex tumore aliquo, tum ex intemperie prædictarum partium.*

Calculosi verò his indiciis, &c.

IAM *antè, vbi de renum affectibus disseruimus, singula ferè expendimus: nam de vrinæ stillicidio, idq; nonnunquam præter voluntatē, de arenosis subsidentiis, de cruento quoque lotio antè dictum est: illud tantùm subiungendum est, quòd arenosa quæ subsidunt non sunt semper vnius ac eiusdem coloris: alia namque ruffa, alia flaua, alia rubra, aut nigra, aut alba sunt; idque tum ob caliditatem remißiorem aut intensiorem, tum etiam ob materiæ diuersitatem.*

nonnunquam aut sanguis aut cruentum.

DICTVM antè est, non omnino proprium signum esse calculo laborantium renum, sanguinis mictum; est enim commune signum (vt ex auctore libri De dignotione affectuum qui in renibus consistunt, retuli) vasorum videlicet apertionis, ruptionis, erosionis, vel dilatationis, vel imbecillitatis, vel alterius cuiusque: Apertionis quidem, si paulatim feratur, & sanguis qui emanat cruentam vrinam efficiat: imbecillitatis autem vasorum, si quocunque tempore & momento sanguis egeratur: dilatationis verò, si vnà cum sanguine aliæ quoque crassitudines excernantur. Aquosus autem si promanet sanguis, manifestò certòque indicabit lapidem in renibus consistere. Porrò in lithiasi excernitur sanguis aut pus, propter renum, aut vasorum exulcerationem à lapidis erosione. Varios autem hos meiendi habitus, quos hîc describit Celsus, ex Coacis Hippocratis prænotionibus mutuatus est.

Grauitatis quoque cuiusdam in ea parte.

EX stupore cruris quòd à rene secundum lumbum porrigitur, (inquit auctor libri De affect. renum) cognoscere poteris quis ren laboret: nam si dextrum crus stupor occupabit, dexter ren ægrotat; si læuum, sinister. Est verò stupor sentiendi & mouendi in aliqua parte difficultas, quæ in crure fit, quia vena quæ ad inferiora demissa est, triplici ramo diuiditur: quorum vnus cum arteriis ad testiculos & vasa seminalia vadit; alius renes ingreditur; tertius ad crura porrigitur. Quum igitur in renibus lapis generatur, vna tum afficitur vena quæ ad crura descendit; sunt enim ambæ ab vna sobole caua vena quam inferis partibus natura distribuit. Igitur vena quæ ad crura porrigitur, repletur: qua turgente stringuntur neruus & musculus; quum stringitur neruus, animalem spiritum ad crus non transmittit; vnde sensu crus priuatur, & prouenit stupor. Hactenus ille: cuius integram periodon hîc ascriptam volui, quòd ad loci explanationem plurimum facere putarem. Nam Celsus suo more grauitatis cuiusdam in ea parte sensum, pro stupore cruris quod è directo est, dixit.

Fœminæ verò oras naturalium, &c.

ID fœmineo sexui, non secus quàm virili, vsui venit, quòd dum lapis subest, creatur quædam veluti titillatio, naturáque ad eius quod molestat expulsionem stimulatur; spiritus statim occurrunt: quibus irrumpentibus in fistulosam pudendorũ partem, ipsam immaniter contendunt: atque hinc antè, nonnullos dum colem extendunt, doloris leuamen aliquod sentire, auctor est Celsus. Mulieres autem viris faciliùs lapidem vesicæ ceruicem vrgentem digito sentiunt, propter breuitatem & amplitudinem colli vesicæ.

At qui spumantem sanguinem.

HIPPOCRATES Aphorismorum sectione quinta, Quicunque spumantem sanguinem excreant, his de pulmone fit eductio: est enim, sicut Galenus docet, sanguis qui à pulmone educitur, spumans & visceri similis: nam & spumante quodam humore pulmo nutritur, qui carne eiusdem continetur, vt Commento 39. sectionis quintæ Aphorismorum idem testatur. Cæterùm Celsus noster τὸ ἀναπτύουσι, non expuunt, aut respuunt, verùm excreant vertit; vt indicaret omnem eductionem quæ ex pulmone fit, vel cum leuicula tussi, vel cum screatione fieri.

Mulieri grauidæ sine modo.

NON solùm alui fluxus, sed & omnes immodicæ vacuationes abortum facient. sic Hippocrates Aphorismorum sectione quinta, Mulier, inquit, vtero gerens, sanguine misso ex vena abortit; & magis si fœtus maior. & paulo post, Mulieri vtero gerenti si aluus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat.

tiat. Necesse est autem si sine modo fusa sit aluus, hoc est in vehementibus alui profluuiis, abortus metum subesse, quòd cibus, aliáque corporis alimenta, ad iecur reliquáque nutricationi inseruientia instrumenta non distribuantur; vnde consequens est ex alimenti defectu atque penuria, virium quoque imbecillitatem consequi: quarum in grauidis, si vsquã alibi, summa habenda est ratio. Cæterùm quod ad textum attinet, pro elidere partum potest, solet *legere malim.*

Eidem si lac ex mammis.

NON *modò si lac ex mammis fluat, sed & si eædem præter cõsuetudinem flaccescant in grauidis, atque attenuentur, fœtus imbecillitatem atque adeò abortus periculum minantur. Nam, vt Hippocrates, Mulieri vtero gerenti si mammæ graciles repentè fiant, abortit: & si mulieri vtero gerenti altera mamma fiat gracilis geminos habenti, alterum abortit: & si quidem dextera mamma gracilis fiat, marem; si sinistra, fœminam; idq; quòd ob alimenti penuriam fœtus imbecillior reddatur, atque nonnunquam perimatur. Quæ autem de fluore lactis ex mammis dicit, Galenus clarissimè explicat de vsu partium libro decimoquarto. Nam contrariis, inquit, affectibus, necessarium est comprehendi mammas; repleri quidem lacte ante tempus in fœtus imbecillitate: ita enim Hippocrates dicebat, Mulieri grauidæ, ex mammis lac multum fluens, fœtum imbecillum denotat: cum ad mammas superfluo vniuerso ascendente quod in venis reliquit fœtus, non potens præ imbecillitate, quantum ei ad commoderatam nutritionem erat satis, trahere.*

Duræ mammæ.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione quinta, Aphorismo 52. Mulieri grauidæ si lac ex mammis plurimum effluat, imbecillum esse fœtum significat; si verò solidæ mammæ fuerint, saniorem fœtum esse significant, vbi Celsus* ἀντὶ τῶν στερεῶν μαστῶν *nescio quàm propriè* σκληρούς, *hoc est duras substituit: nam* στερεοὺς μαστοὺς, *hoc est solidas mammas, Galenus mediæ quodammodo consistentiæ inter renitentes propter nimiam repletionem; & molles ac laxas propter defectum sanguinis ponit;* σκληροὺς *autem (quanquam fœtus robur denotent) nunquam citra mali alicuius suspicionem desinere: siquidem quum ob multitudinem sanguinis irrumpentis durescant, reponit rursum natura ad quasdam partes materiam inutilem: vnde grauidas, dolores aut mammarum, aut oculorum, aut coxarum aut genuum infestare solent, auctore Hippocrate.*

Frequens singultus.

HIPPOCRATES *Aphor. sect. quinta Aphor. 58. Recto intestino aut vtero inflammationem patientibus, renibúsque purulentis, vrinæ stillicidium accidit: si verò iecur inflammatione laborat, singultus succedet. Accidit autem singultus hepate inflammationem patiente, propter ventriculi consensum (est enim hepar ventriculo connexum) & neruorum communicationem, non quidem semper, sed quando ad maximam attollitur inflammationem: atque ideò alio loco Hippocrates, ex hepatis inflammatione singultum malum pronunciauit.*

Si tumores super vlcera.

QVIBVS *tumores, inquit Hippocrates Aphorismorum sect. quinta Apho. 65. in vlceribus apparent; ij rarò conuelluntur, neque insaniunt: si verò repentè euanescunt, iis quidem quibus à tergo vlcera fuerint, conuulsiones & distentiones accidunt; quibus verò ex anterioribus partibus vlcera fuerint, maniæ aut lateris dolor acutus, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubri fuerint tumores. Celsus hic pro dysenteria alui profusionem, quæ antedictis accidentibus tutior sit, substituit, veritus fortè tormina dicere, vel quòd hæc non citra falsi suspicionem tutiora reliquis dici posse putaret; vel quòd Hippocratem aliud dysenteriæ genus (vt rectè etiam monet Galenus) subintellexisse putaret. Siquidem quum tres vniuersim sint dysenteriæ differentiæ, non eam quæ pro-*

priè ſic dicitur (quam auctor noſter cum Plinio tormina vocare ſolet) ſed quæ ſanguinea vocatur intellexit; regurgitante videlicet ſanguine per venas ex rubicundis illis tumoribus ad inteſtina, atque eo abſque aliqua exulceratione, tanquam per criſin vacuato (ſolent namque in morbis acutis vehementißimi etiam caſus criſes operari) ſic difficultatem inteſtinorum à furore, bonum eſſe dicit : & alio loco lienoſis dyſenteriam ſuperuenientem morbi ſolutionem polliceri auctor eſt Hippocrates. Rectè igitur Celſus reliquis tutius ſymptœma profluuium alui dixit. Cæterùm neruorum diſtentiones (ita enim σπασμοὺς ſeu conuulſiones conuertere maluit) & rigores , ſeu τέτανοι poſterioribus vlceratis, atque euaneſcentibus tumoribus potius accidunt, quòd poſtica pars neruoſa magis ſit; materia videlicet ad principalem aliquam neruoſarum partium lata. Si autem in anteriori parte id euenerit, lateris dolores acuti , hoc eſt , vera pleuritis (quæ nihil aliud eſt , quàm membranæ coſtas ſuccingentis inflammatio) & inſania accident : eſt namque anterior pars tum arterioſa, tum venoſa; vnde & inflammationibus oportunißima eſt, ſi ſanguis ad principales aliquas partes repat: lateris quidem, ſi ad thoracem ; panniculorum cerebri , ſi ad caput. Quòd autem dicit ſubitò eſſe deſierunt , hoc eſt , ſine manifeſta aliqua cauſa, vt indicet humorum ad alias corporis partes dilationem : ſolent enim nonnunquam ſenſim , & paulatim euaneſcere tumores , nihil alioqui mali ominantes ; idq; aut medicamento quod diſcutiendi reſoluendique poteſtate præditum ſit , reſolutis humoribus noxiis ; aut alio quouis modo , vt ſanguinis excretione.

Si ora venarum , ſanguinem ſolita, &c.

HIPPOCRATES Aphoriſ. ſect. ſexta Apho. 12. Diuturnas ſananti hæmorrhoides, periculum eſt aquam intercutem aut tabem ſuccedere, niſi vna ſeruatur: tabem quidem, copia vitioſorum humorum à iecore ad pulmones propulſorum; aquam autem intercutem, ſanguinis generatione fruſtrata, hepate obſtructo , ac calore innato ſuffocato atque extincto ob multitudinem humorum craſſorum ac feculentorum retentorum, qui alioqui per hæmorrhoides (ora venarum vocat Celſus) expurgari ſolebant. Aëtius tetrab. 4. Sermo. 2. cap. 5. paulo aliter hunc Aphoriſmum intellexiſſe videtur : neque enim requirit, vt poſt longas hæmorrhoides vna reſeruetur aperta , ſed vt conueniente victus ratione , & opportuna mißione ſanguinis poſt omnino ſuppreſſas hæmorrhoïdes regatur patiens. Dicit autem, Conuenit igitur recta diæta , ac venæ ſectione præmiſſa hæmorrhoïdum extirpationem moliri, & nullam penitus relinquere; quemadmodum quibuſdam viſum eſt : poßibile eſt enim, incolumes euadere, optimumque finem curationis aſſequi poſt hæmorrhoïdum extirpationem , eos qui opportuno tempore venæ ſectione, & conueniente diæta ſemper vtuntur, quemadmodum Hippocrati placet : inquit enim , Hæmorrhoidas inueteratas ſananti, ſi non adſeruetur, periculum eſt tabem aut hydropem ſuccedere. Non enim, velut quidam opinantur, Si non vna fuerit adſeruata hæmorrhoïs ad ſanguinis excretionem; ſed dixit, Si non adſeruetur, hoc eſt, Si non conueniente vtatur diæta. Quòd autem ſic velit Hippocrates , ipſa Aphoriſmi oſtendit diſtinctio : ait enim, Hæmorrhoidas inueteratas ſananti : eſt autem ſanatio liberatio perfecta, & curatio legitima. quare, iuxta Hippocratem, non oportet aliquam hæmorrhoïdem relinquere , ſed omnes exſcindere , & poſt perfectam ipſarum curationem, per conuenientem, velut dictum eſt, diætam, ad naturalem ſtatum corpus reducere, incideréque cubiti venam tempore opportuno, quo videlicet coaceruatus in corpore ſanguis euacuetur. hæc Aëtius. Cæterùm interpretatúſne rectè fuerit, an ad ſuam ſententiam magis torſerit Hippocratem , indicent alij; ego ſanè ad ſubterfugiendum aquæ intercutis & tabis periculum, vnam hæmorrhoïdem reſeruare cum conueniente diæta malim, vt feculentus ille ſanguis natura duce expurgetur: neque enim fruſtrà Hippocrates

ἂν μὴ μία διαφυλαχθῇ, hoc eſt, niſi vna adſeruetur, dicit.

Eadem tabes ſubit, ſi in lateris, &c.

QVICVNQVE, inquit Hippocrates, morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non purgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur: & qui iam à pleuritide ſuppurantur, ſi intra quadraginta dies à quo fit ruptio per ſuperiora purgantur, leuantur: ſi verò non, in tabem abeunt. & in Coacis Prænotionibus: Quibus in pulmone tubercula fiunt, pus educunt ad dies quadraginta poſt ruptionem: hos verò tranſgredientes, plerumque tabidi fiunt, purulenta videlicet materia in pulmones delata, atque eoſdem exedente & exulcerante.

At ſi longa triſtitia.

HIPPOCRATES Aphoriſmorum ſectione ſexta, Si metus & mœſtitia longo tempore perdurauerint, melancholiam ſignificant. neque enim mirandum eſt, vt monet Galenus libro De ſympt. cauſ. quinto, quòd atra bilis rationalis animæ arcem occupans, timorem, triſtitiam & mortis expectationem inducat, quum videamus in rebus externis, nihil magis quàm tenebras nos exterrefacere. Si igitur quicquam ſimile tenebris rationali parti animæ circumfundatur, hominem ſemper timere neceſſe eſt, vtpote qui ſemper timoris cauſam circumfert: quod enim extrinſecus nobis accidit, quum ambiens nos aër vaſtiſsimis tenebris fuerit obſcuratus, id melancholicis ab intimo corpore erumpere videtur, occupante cerebrum, vel ſucco melancholico, vel atra bile: qua ratione Celſus noſter vigilias quoque adieciſſe videtur.

Quibus ſæpe ex naribus ſanguis.

HIPPOCRATES ſecundò Prædict. Quicunque dum neque febricitant neque decolores ſunt, ſæpe & verticem & tempora dolent, ſi non alium manifeſtum habuerint abſceſſum in facie, aut grauiter loquantur, aut dentes doleant, his ſanguinem erupturum per nares expectandum eſt: quibus verò ex naribus ſanguis fluit, hi etſi alioqui ſani eſſe videantur, hos autem, vel ſplenem in tumorem eleuatum habere comperies, vel caput dolere; & ſplendicans quiddam ipſis ob oculos verſatur. Pleriſque verò horum ſimul & caput & ſplen hoc modo ſeſe habent. Gingiuæ vitiatæ, & ora graueolentia his ſunt, quibus ſplenes magni. Quicunque verò habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graueolentia; horum tibiæ vlcera praua habent, & cicatrices nigras. hucuſque Hippocrates. Sed hîc non è quauis nare fluor ſanguinis aut dolorem capitis manifeſtabit, aut lienis alioqui tumorem: ſed ſi è ſiniſtra tantùm nare is fluat, lienis affecti nota erit; vt ſi è dextera, hepatis. Quare vnicè conſiderandum monet Galenus, ex vtra nare is fluat, ad loci adfecti cognitionem. Capitis autem dolores, vel ex vtrauis nare fluens ſanguis indicabit, idq; aut propter plenitudinem oſculis vaſorum oneratis, aut propter eorundem imbecillitatem, aut acrem aliquam qualitatem eadem corrodentem: vnde & quædam imagines ob oculos verſantur, fuliginoſis nimirum vaporibus à ſplene ad cerebrum per venas & arterias latis. Magnos autem lienes vocat non ſcirrhoſos, aut ex intemperie humida frigidaque cum laxitate tumentes, (conſueuit nanque ſplen ſi humida admodùm intemperie detineatur, adeò excreſcere vt hepar & ventrem pertingat) ſed ex ſanguinis melancholici, qui ad eius nutricationem diſtribuitur copia, in tumorem citra duriciem, ſeu ſenſibilem aliquam magnitudinem diſtentos: ſubſtantia nanque ſplenis laxa eſt & rara promptiſsimáque ad ſuſcipiendum craſſum humorem; etenim, vt de vſu partium quarto Galenus, fecem, ac velut limum ſanguinis ex hepate ad ſe trahit, hoc modo ſanguinem repurgans: ex qua fece confecta & attenuata per magnas in ipſo arterias & venas, ſeipſum nutrit. Quòd ſi copia eundem diſtendi contingat, non rarò per nares ſanguis effunditur: quòd ſi minus

id ſucce-

id succedat, impuriore illa fece sanguinis (nam subtiliori melancholici humoris portione nutriri dictum est) ad os & gingiuas per communes venas regurgitante, gingiuæ aut malæ sunt, aut os grauiter olet: ac si ne id quidem contingat, tum tibiarum vlcera maligna, cicatrices nigras, melancholici humoris vestigia relinquentia, expectanda sunt: de quibus latiùs in commentariolo nostro De magnis Hippocratis lienibus, vbi ex professo locum hunc exposui.

Quibus causa doloris.

HIPPOCRATES Aphorismorum sectione secunda Aphor. 6. Quicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat. Celsus non simpliciter dolentes, vt Hippocrates πονέοντες, sed quibus causa doloris est, inquit, intelligens magnam aliquam offensam: atque id Hippocratem quoque intellexisse auctor est Galenus in libro de Hippocratis & Platonis placitis: Nam dolentes, inquit, Hippocrates hic nominat eos, qui aliqua in parte ita offensi sunt vehementer, vt nisi delirio premerentur, dolerent.

Si in ventrem sanguis.

HIPPOCRATES Aphoris. sect. sexta, Apho. 20. si in ventrem præter naturam sanguis effunditur, necesse est suppurari. Celsus Hippocratem sequutus, ventrem omnem cauitatem appellauit; vt rectè tum in commento huius Aphorismi, tum Aphorismo 13. sectionis primæ Galenus. & rursum τὸ ἐμπυηθῆναι religiosè admodùm (id est præter consuetudinem) in pus vertitur transtulit; neque omnino malè: quanquam clariùs paulò dixisset, si corrumpitur scripsisset: nam sanguis qui extra vasa lapsus est, non solùm suppuratur, sed & in aliam quamuis præter naturam qualitatem corrumpitur: ita namque τὸ ἐμπυηθῆναι Hippocrates (si Galeno commento 17. sectionis secundæ Aphorismorum credimus) vsurpat.

Si à coxis & inf.

HIC Celsus mala signa omittens, quid dolores circa lumbos seu coxas incipientes, ac ad septum transuersum, seu superiores partes desinentes portendant, declarat. Nam si mala adsint signa, omnino periculo non vacant: siquidem, vt Prædictionum primo Hippocrates, Quibus circa lumbos tenues dolores diuturni, ad præcordium se reuoluentes, & ciborum fastidium inducentes vnà cum febre, his ad caput dolor intentus progressus repente conuulsorio modo occîdit. Et in Coacis prædictionibus: Quibus in febribus dolores circa lumbos & infernas partes fientes, septum transuersum contingunt, infernas partes relinquentes, perniciosi sunt, tum aliàs, tum si aliud quoddam signum prauum accedat: si verò alia signa non fuerint praua, suppuratum fore timor est.

Quibus sine febre aliqua ex.

QVOD dum conficitur pus in aliqua parte, dolores intenduntur, auctor est Hippocrates: nam, Dum pus conficitur, inquit, dolores accidunt magis, quàm in iam confecto. fit autem dolor extenta simul ac calefacta præter naturam inflammata particula: prurigo autem cum rubore, aut calore, ex quadam quasi ebullitione sanguinis atri ac biliosi fit.

Vrina quoque quæ in homine sano parum.

QVAM vocet liquidam vrinam, antè dictum est: excernitur autem talis in diuturnis morbis (nam id quoque per parùm sanum intellexisse videtur Celsus) ob imbecillitatem virium atque materiæ peccantis tum crassitiem, tum multitudinem: quam quum natura expellere nititur, absolutam crisin absoluere non potens (vt quæ morbi longitudine prostrata sit) à principalioribus partibus ad aures, articulos, aut alias quasuis ignobiliores detrudit; atque ibi abscessus facit: ad aures quidem, si supra septum transuersum dolores, ac materia contenta fuerit; ad articulos autem, si infra septum: nam, vt Hippocrates in Coacis prænotionibus, Vrina cruda multo manens tempore, aliis signis

gnis salutaribus, abscessum, & dolorem significat, & magis in partibus sub septo transuerso: si verò dolores in lumbis oberrarint, ad coxam & in febre, & sine febre.

Ergo protinus insania.

OMNIS præter consuetudinem subita feroxque mutatio mentem læsam indicat: adeò rectè ab Hippocrate dictum est: Præter morem aliquid facere, velut præponere sibi aliquid, aut expectare sibi aliquid priùs non consuetum, aut è contrario, malum est, & mentis alienationi proximum. Rectè ergo insaniæ metum subesse dicit, vbi expeditiùs solito quis loquitur, garrulúsque subitò fit; expeditum sermonem vocans eum, qui ab Hippocrate dicitur κλαγγώδης, huiusmodi enim vox vbique mala est: nam interdum vesaniam, interdum etiam cum vehementi furore mortem portendit, vt Hermozygi vxori idem senex contigisse meminit.

& hæc ipsa solito audacior.

EX composito modestóque homine ferox responsio, mala est, inquit Hippocrates: & quibus vox acuta est, intrò præcordia tracta sunt: Siquidem, vt commento eiusdem sententiæ auctor est Galenus, cui propria natura composita est, is non solùm quum incompositus desipit, perniciosam habere affectionem demonstrat; verùm quoque & cum ferocitate respondens propè ad phrenitidem accessit.

aut vbi rarò quis & vehem.

IN Coacis Prænotionibus, magnus spiritus, & per multum tempus, delirium, aut conuulsionem significat. in Præsagiis autem, Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis supra septum transuersum indicium est. Magna respiratio & ex longis interuallis, delirij indicium est. fit enim (vt in Commentariis De dyspnœa auctor est Galenus) spiritus rarus & magnus, propter offensionem mentis, quasi obliuiscente actionem ægro, vt nesciat quando cohibere eam, aut quando auspicari debeat.

venásque concitatas habet.

ADDVBITO vehementer recténe hactenus hic locus lectus fuerit; neque enim semper venæ concitatæ præcordiis duris, & tumentibus insaniam portendunt, nisi & crebrò oculi moueantur. quare frequentes oculorum motus citra disiunctionem, cum duris præcordiis, venisque tumentibus coniungendos putârim; atque sic legendum: vbi rarò quis & vehementer spirat, venásque concitatas habet, præcordiis duris & tumentibus, oculorum quoque frequens motus adest. Nam Hippocrates libro Præsagiorum, talium oculos conspiciendos dicit: dicit enim: Si verò pulsus in præcordiis insit, perturbationem aut delirium significat: verùm oculos talium conspicari oportet; si enim crebrò obtutus mouetur, expectanda insania est. Et in Coacis Prænotionibus, Pulsus in præcordio cum tumultu, mentem eripi, & magis si oculi mouentur.

& in capitis dolore offusæ.

IN capitis dolore offunduntur oculis tenebræ, tum ob bilis acrimoniam exiccatis humoribus; tum ob eiusdem fuliginosos vapores redditis tanquam puluerulentis oculis. quod sanè non solùm insaniam portendere, sed & pessimum esse signum auctor est Hippocrates: Nam ex vomitu graui (inquit in Prædictionibus) fastidiosóque, vox clangosa oculique concretum puluisculum habentes, vesaniam ostendũt: & paulo pòst, Hebetatus oculus, vitiatusque & concretus, immobilisque & tenebricosus si fuerit, malum.

vel nullo dolore substante.

PESSIMVM, inquit in Præsagiis Hippocrates, si neque interdiu, neque noctu dormiat: quòd, vt docet Galenus, qui ex labore aut dolore contenduntur, ij neque interdiu, neque noctu dormiunt; atque ij etiam qui delirare incipiunt: nam id quoque insomnium committit ob temperamenti in cerebro siccitatem. quare necessum est, vt erep-

pius somnus, nullo substante dolore, vesaniam portendat.

continuataque nocte ac die.

RECTE *continuatas vigilias dixit: siquidem non omnis statim vigilia insaniam portendet; sed ea tantùm quæ dies aliquot & noctes ita continuârit; idq; tum, quòd cerebri temperies siccior reddatur, tum sanguis ipse seipso biliosior efficiatur. adeò rectè in Aphorismis ab Hippocrate dictum est, In vigilia conuulsio, vel desipientia. & in Prædictionibus, Quibus aluus liquida, laßitudo, capitis dolor, sitis, vigiliæ, obscuritas & impotentia fuerit, hi vt mente moueantur spes est.*

vel prostratum præter consuetudinem.

TALIS *enim cubantium habitus absurdus omnino & à ratione alienus est: vnde nisi dolor aliquis ventrem infestet, (eligunt nanque ægri talem decubitus figuram ad doloris leuamen) periculum est errare mentem, ac phrenitin & delirium imminere: sicut rectè in Præsagiis Hippocrates: Si quis cubet in ventrem, nequaquam solitus ita dormire quo tempore sanus fuit, malo est; delirium enim aut dolor circa ventris sedes significatur.*

item robusto adhuc corpore insol.

HIPPOCRATES *in Coacis Prænotionibus, Dentes collidere ac stridere, quibus non familiare id est à pueris, furiosum ac lethale est; si verò delirans hoc faciat, penitùs lethale. Et in Præsagiis: Si quis strideat dentibus, non consuetus à pueritia ita efficere, insania significatur ac mors; sed in vtrisque futurum prædicere periculum necesse est: si verò mente commotus ita efficiat, admodùm exitiosum id est: strident enim dentes musculis masticatoriis & temporalibus conuulsorio modo affectis; vnde & principem animæ sedem affici necesse est.*

Si quid etiam abscessit, & antequam.

LOCVS *hic propter malè posita commata, &* τὸ insolita, *suspensos admodùm diu nos tenuit: ita vt quid vellet, aut vnde tandem desumpsisset, planè ignoraremus: nisi tandem in mentem venisset, aliis planè verbis paulo antè eandem sententiam repetitam: dicit enim,* Si tumores super vlcera subitò esse desierunt, idque à tergo incidit; vel distentio neruorum, vel rigor timeri potest. At si à priore parte id eueniat, vel lateris acutus dolor, vel insania expectanda est. *Quare locum hunc paululum mutatis distinctionibus, ita legendum censuero:* Si quid etiam abscessit, & antequam suppuraret, manente adhuc corpore in solita febre, subsedit, periculum affert primùm furoris, deinde interitus. *Sic enim Hippocratis in Præsagiis sententiam planè expresserit, vbi sic habet: Si abscessus deletur, ac rursus repetit, nequaquam secreta screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est; periculum enim delirij mortisque imminet.*

Auris quoque dolor acutus.

CONSVEVERVNT *antiqui aurium dolorem nominare, auctore Galeno, quoties in profundo ex auditorio meatu doloris sensus affligat; tantisper enim ipse afficitur auditorius nominatus meatus, non ex longo internallo cerebro copulatus: vnde factum est, vt Celsus noster sequutus Hippocratem non simpliciter quemuis aurium dolorem, sed eum tantùm qui acutus, & cum febre vehementi sit (qualis magna ex parte ardens est, quæ tum ob alias causas, tum ob cerebri inflammationem fit) delirium portendere dixit; sicuti etiam paßim Hippocrates: nam in Prædictionibus, Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, prouenerítque in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant. & in Præsagiis: Aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi,*

menti, difficilis eſt: periculum enim delirij abolitioniſque imminet. Quia igitur fallax hoc argumentum eſt, citò etiam animaduertere omnia alia teſtimonia à primo die neceſſe eſt. Natu iuniores ſeptimo die, aut citiùs intereunt; natu verò maiores, multo tardiùs: febris enim ac delirium in eis infeſtant, & aures in eis antè ſuppurantur.

Suffuſæ quoque ſanguine.

GALENVS *vnum ex iis quæ raro accidunt, in commento Aphor. quarti, ſectionis quintæ (Quibuſcunque mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat) ac ſeſe nunquam vidiſſe affirmat; & ſi quando contingat fieri ob ſanguinem tum biliosum, tum feruentē, quem quum mammillæ per adenes in lac tranſmutare non poſſint, diffunditur per venas in caput ac vniuerſum corpus, vnde & furoris cauſam præ ſe fert.*

Quibus autem longæ.

CAVSAM *huius reddit Galenus Aphoriſmorum quarto, quòd propter multitudinem vel craſſitiem, aut frigiditatem humorum efficientium febres, in longum tempus morbi extendantur, quum longum tempus exigant ad concoctionem: par igitur eſſe, & tubercula fieri, & ad articulos ſuperfluitatem decumbere.*

Quorum faucibus in febre.

IN *febribus, inquit* Hippocrates, *ſpiratio ſubſiſtens, aut offendens allidenſue, malo eſt; Conuulſionem enim ſignificat; Spirationem ſubſiſtentem, vel allidentem vocans, quæ in medio ſui interrupta ſubſiſtit: ſignificat autem imminere conuulſionem, quòd oriatur muſculis & neruis thoracem mouentibus calore febrili plus iuſto exiccatis.*

Si angina ſubitò finita eſt.

ANGINA *ob materiæ craſſitiem, & frigiditatem ſubitò reſolui non poteſt. quare neceſſum eſt, ſi ſubitò malum finiatur, in pulmonem vitium decumbere: ac tum quidem intra ſeptimum diem ægrum ſuffocari nonnunquam vſu venit; quod ſi minus contingat, ad ſuppurationem veniat conſequens eſt. Tranſſumptus eſt locus hic ex decimo Aphoriſmo ſectionis quintæ.*

Deinde poſt alui longam.

PER *alui longam reſolutionem, διαῤῥόιαν Græcis dictam intelligere videtur: ſiquidem (vt in ſeptimo Aphoriſmorum* Hippocrates) *à diarrhœa dyſenteria, hoc eſt tormina, ſuperueniunt. & paulo antè, A ſyncera deiectione difficultas inteſtinorum malum. Subſequuntur autem tormina longam alui reſolutionem abraſis inteſtinis humorum acrimonia.*

Poſt hæc inteſtinorum læuitas.

A dyſenteria ſeu difficultate inteſtinorum læuitas inteſtinorum ſeu lienteria ſuccedit; læſis ſiquidem inteſtinis (vt ſexto Aphoriſmorum Galenus) *à tranſitu vitioſorum humorum, & vis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur.*

Poſt nimias deſtillationes tabes.

SI *deſtillationes quæ à capite in pulmonem fluunt, acres atque erodentes ſint, pulmonem (niſi per ſputum excreentur) exulcerant: qui quum in perpetuo motu ſit, & non niſi per tuſſim expurgari poſſit, difficilem aut nullam admodùm admittit curationem; ſed ſenſim extenuato corpore mors ſubſequitur. quod ex Hippocrate* Celſus *noſter voluit.*

Poſt lateris dolores.

HIPPOCRATES *Aphoriſmorum ſeptimo: A morbo laterali inflammatio pulmonis, & à pulmonis inflammatione phrenitis malum. diximus autem iam antè horum cauſam.*

Poſt magnos feruores capitis.

CONVVLSIO *& diſtentio, vt monet Hippocrates, aut à repletione fit, aut ab inanitione:*

auitione: & ea quidem quæ à repletione, curabilis; quæ verò inanitionem sequitur (qualis potissimùm est quæ post magnos feruores corporis, exiccatis neruis fieri consueuit) lethalis magna ex parte est. quare clariùs quàm Celsus noster, in Aphorismis Hippocrates locutus est, Ab æstibus fortibus conuulsio & distentio, malum est.

Vbi caput vulneratum.

NISI quis synecdochicωs hîc continens pro contento accipiat, nescio quàm appositè Celsus noster in suam sententiam Hippocratis Aphorismum transtulerit: siquidem is non simpliciter in capitis ictu obstupescentiā, aut desipientiam sequi docet; sed si ex capitis ictu alterutrum superueniat, malum esse. Neque enim quoduis capitis vulnus desipientiam pariet; sed quod cranio præfracto ad cerebrum vsque pertingat. quo fit vt rectiùs Hippocrates, ex capitis vulnere malum, quàm Cornelius noster ex capitis vulnere delirium subsequi dixerit.

Vbi vigilia torsit.

HIPPOCRATES septimo Aphorismorum, In vigilia conuulsio, vel desipientia. Huius si quis ampliorem enarrationem desideret, antedicta consulat.

Vbi vehementer venæ, &c.

MOTVM venarum super vlcera, pulsum vocat: nam ita quoque septimo Aphorismorum Hippocrates, A vehementi in vlceribus pulsu copiosam sanguinis eruptionem futuram præsagit. siquidem pulsus is vehemens, non in quibusuis vlceribus, sed iis tantùm quibus phlegmone accedit, excitatur.

Suppuratio verò pluribus morb.

LACONICωs admodùm, atque abruptè multa Hippocratis verba complectitur; & si sensum spectes, nihil ab eo dissonat, nisi quòd dum breuis esse laborat, obscurus fiat: Siquidem Hippocrates Præsagiorum libro primo, Si qua febris, inquit, prorogatur saluè affecto homine, nec dolore detinente, nec ob inflammationem, aut ob aliquam causam euidentem, expectari oportet abscessum cum tumore, aut dolore, qui in articulos maximéque inferiores decumbat. Talis abscessus magis ac minore tempore euenit natu minoribus tricesimum annum agentibus. Considerandus statim abscessus est, vtrum vicesimum diem detinens febris transscendat. Natu verò maioribus per febres longiores, minùs accidunt. Oportet autem expectari abscessum per febrem continuam, in quartanam verò discessuram, quoties intermittat, prehendatque errabilem modum, atque ita agendo autumno propinquet. Quemadmodum in minoribus natu tricesimum agentibus annum, abscessus consistunt: ita quartanæ potiùs annum agentibus quadragesimum, aut etiam senioribus accidunt. Hæc Hippocrates. Videndum hîc est cur in febribus longis abscessum periculū potiùs quàm in aliis subesse dixerit. & ratio in promptu est, quòd quum à materiæ crassitie, & frigiditate protrahantur, necesse est humores, quum lentore suo non facilè subsequantur, ad ignobiliores partes propelli, si natura robustior sit, vt in iunioribus ferè accidit: quare in iis quoque potiùs fieri abscessus dixit: nam alioqui si vires imbecilliores sint, sicut in senibus esse solent, in corpore vasisque dum excernuntur, relinquuntur: quo fit vt dum tempus longum flagitent, in senioribus in quartanas abscedant.

Eadem suppuratio fit, si.

LOCVS hic quum paulo obscurior sit, ac neque citra mendi suspicionem legi videatur, primùm Hippocratis verba vnde hæc mutuò sumpsit auctor noster, transscribemus; deinde singula quàm possumus breuissimè expendemus. Dicit autem in Præsagiis, Tumor in præcordiis durus ac dolens, pessimus est si in omnibus fatiget; si verò altera parte infestet, sinistra minori cum periculo est. Talis verò tumor ab initio breui mortem fore significat: si verò tricesimum transscendat diem & febris detineat, & tumor non desistat, in suppurationem verti contingit.

tingit. Accidit his in prima circuitione ſanguinis è naribus fluor, atque admodùm iuuat. Sed requirendum eſt num doluerint caput, an hebetudines ſubeant oculorum: ſi quid enim horum fuerit, eò tendit. Sanguinis fluorem in iunioribus potiùs quintum & triceſimum annum agentibus expectare oportet: ſi verò mollior tumor eſt, nec dolet, & preßus digitis cedit, diuturniorem efficit indicationem, ac minori cum periculo eſt: ſi verò prætereat ſexageſimum diem, & febris detinet, nec deſiſtit tumor; fore ſuppurationem hoc in loco, & reliquo ventre, ſignificat. Hucuſque Hippocrates, nullam ſuperiorum, aut inferiorum partium mentionem faciens; niſi quòd in molliore tumore, & qui ſexageſimum tranſeat diem, in loco œdematoſo, & reliquo ventre ſuppurationem expectandam dicit: in altero verò, nempe duro, cui capitis quoque dolor, & hebetudo oculorum accedant, eò tendere, quaſi dicat ad eas partes decumbere humores, ac inibi, niſi ſanguinis è naribus fluor fiat, abſceſſus facere. quod & Celſus voluiſſe videtur, dum dixit: ac, ſi inter ipſa vlcera non fluit, circa aures erumpit: vlcera, ni quid me fallat, (quamquam non ſatis propriè) locum tumidum appellans. quare parua dictionum metatheſi ita reſtituendum cenſuero hîc Celſum noſtrum: vt Hippocratem (vnde ſumpſiſſe oſtendi) referat: Eadem ſuppuratio fit, ſi præcordia dura, dolentia, ante viceſimum diem hominem non ſuſtulerunt, neque ſanguis ex naribus fluxit, maximeque in adoleſcentibus: vtique ſi inter principia aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerint, ſed tum in ſuperioribus partibus fit abſceſſus: ac ſi inter ipſa vlcera non fit, circa aures erumpit. Aut ſi præcordia dura tumorē mollem habent, neque habere intra ſexaginta dies deſinunt, hæretq. omne id tempus febris, ſed tum in inferioribus partibus aliquid abſcedit. Non negauerim tamen in Coacis Prænotionibus Hippocratem abſceſſus in ſupernis partibus timendos dicere, ſi præcordia molliora, & ſine dolore perſiſtant; in infernis autem, ſi circa eadem inflammatio fatiget. verùm ſi ſic Celſum noſtrum accipiamus, quorſum quæ de auribus dicit, referemus?

Cumque omnis longus tumor.

RATIONEM huius reddit Galenus, quòd præcordia ventre calidiora ſint: quo fit vt quanto remotior à præcordiis locus fuerit, tanto difficiliùs ſuppuretur: quemadmodum de tumoribus quoque qui ſubter vmbilicum ſunt, videre licet. hi etenim rarò in pus conuertuntur. Sunt autem qui loco τοῦ magis eò tendit, τὸ is magis ſe tendat, legendum exiſtiment.

Si laſſitudinis etiam ſenſus.

IN febribus in quibus laßitudinis ſenſus eſt, in articulis & maxillis (inquit quarto Aphoriſmorum Hippocrates) præcipuè abſceßus fiunt: & quibuſcunque reſurgentibus ex morbis, ſi quid laborauerit, illic abſceßus fiunt. Accidit enim, vt nonnumquam humores morbum facientes, quum non ſatis fuerint expurgati, ſed ſuperfluitates quaſdam reliquerint, eas ad ignobiliores particulas, quales ſunt articuli, detrudunt. quo fit vt quum latiora ipſorum ſpacia promptè ſe habeant ad eas, & neque poßint ad alias corporis partes excrementa propellere, abſceſſum inibi faciant.

Interdum quoque vrina cruda.

SENTENTIÆ huius paßim meminit Hippocrates: nam in Coacis Prænotionibus, Vrina, inquit, cruda multo tempore manens, aliis ſignis ſalutaribus, abſceßum & dolorem ſignificat: & magis in partibus ſub ſepto tranſuerſo: ſi verò dolores in lumbis oberrârint ad coxam, & in febre & ſine febre. Et in Præſagiis: Qui tenuem crudamque diutius vrinam mingunt, ſi cætera vt in conualituris indicia fuerint; in iis abſceßum ad inferas præcordiorum ſedes expectare

pectare oportet: neceſſe eſt enim, vt aut recidiuet morbus (quod ferè fit, ſi alia etiam ſigna, vrina exiſtente cruda, non ſecundum rationem ſe habeant) aut in abſceſſum terminetur. Dixit autem Celſus Hippocratem ſequutus, non ſimpliciter crudam; ſed quæ tenuis quoque ſit: nam alibi (vt antè quoque demonſtratum eſt) idem ſenex vrinam craſſam, quibus ſperabatur ad articulos abſceſſum futurum, liberare dicit.

Dolor autem pulmonis.

QVICVNQVE, inquit in Præſagiis Hippocrates, dolor in pulmonis morbo coſtarumque vitiis affligit, non deſinens neque ſcreationis purgatione, neque ventris ſubductione, neque venæ inciſione, ac medicamento, ac victus ratione, in ſuppurationem verti ſciendum eſt. Celſus hic pro purgatione, cucurbitulas ſubſtituit: quod an ſtudio fecerit, veritus medicamentorum purgantium qualitatem, an transſcribentium vitio factum ſit, admodùm dubito. Nam non ſecus atque aliquis catharticōn intemperiem calidam hîc damnet; ita alius inflammationi vehementiori; & à materia bilioſiore ortæ, non temerè cucurbitulas (præſertim eas quæ cum copioſiore flamma affiguntur, propter exiccationis periculum) admiſerit. ſed de iis in ſubſequentibus latiùs. Notandum interim hîc eſt nonnullos loco τοῦ vomicas aliquas interdum excitat legere intùs excitat: ita vt empyema aut ſimilem aliquam vomicam ſubintelligere videantur.

aut circa viceſimum diem, &c.

HIPPOCRATES in Præſagiis: Aliæ ſuppurationes ferè rumpuntur in viceſimo die, & triceſimo & quadrageſimo, & ad ſexageſimum deueniunt. Conſiderare oportet ſuppurationes fore, colligentes initium à die quo primùm homo febricitauit, quóve rigor eum prehendit: & ſi dixerit pro dolore ſibi ineſſe pondus in loco in quo dolor afficiebatur; hæc enim accidunt inter initia ſuppurationis. Ex hoc igitur tempore, expectare puris fore eruptionem prædictis temporibus oportet. Hæc ille. Rumpuntur autem aliæ tardiùs, aliæ ocyùs, tum propter loci ſitum, tum propter ætates, tum propter humorum qualitates: vt ſi calidi frigidi, humidi aut ſicci ſint, craſſi, lenti, rari, ac fluxiles. Hîc etiam monendus lector eſt, inter ſe variare exemplaria: alia namque Hippocratem ſequentia, ante quadrageſimum, triceſimum ponunt.

Quod ſuppurat.

SI ſuppuratio, inquit Hippocrates in Præſagiis, in alterutro latere tantummodò fuerit, vertere atque ediſcere conuenit in his, vtrum in altero habeat latere dolorem, & vtrùm quàm alterum calidius ſit; atque eo in alterum cubante latus, requirere oportet num aliquod deſuper onus illi pendere videatur: ſi enim id fuerit, ſuppuratio in altero latere fatigat. Galenus rationem huius in commento abundè reddit.

Omnis etiam ſuppuratio quæ, &c.

VIDES quàm multa ordine quodam hoc & ſequenti capite auctor noſter ex Præſagiorum libro tranſtulerit; adeò vt totum ferè illum in duo hæc capita redegiſſe videatur: ſiquidem præcedenti ſententiæ ſtatim ſubiungitur: Omnes agnoſci purulentos his indiciis conuenit. Principiò ſi febris non dimittit, ſed interdiu tenuior, noctu vehementior eſt: ſi copia ſudoris elicitur, ac tuſſiendi cupiditas eſt, neque quicquam tamen dignum commentatione expuunt: ſi oculi caui redduntur; maxillæ verò ruborem contrahunt, & vngues manuum curuantur, digiti verò, potiſſimùm ſummi, caleſcunt; atque in pedibus tumores exiſtunt: neque cibum appetūt, ac puſtulæ circa corpus erumpunt. In Coacis quoque Prænotionibus iiſdem ferè verbis eandem ſententiam repetit: Qui ſuppurati, inquit, fiunt, maximéque ex pleuritide ac peripneumonia, eos calores comitantur; interdiu tenues; noctu vehementiores: & nihil memoratu dignum expuunt: ac circa collum, & clauiculam ſudant: & oculi caui fiunt; maxillæ verò rubent. Digiti

ſummi

summi deteriùs calescunt, ac asperantur, vngues curuantur, ac perfrigerantur, & circa pedes tumores habent, & circa corpus pustulas; & abstinent à cibis. In libro tamen De locis in homine, pedes ea parte magis intumescere dicit, qua pus continetur: nam paulo antè dictum est, in alterutra tantùm parte suppurari. Celsus noster hic per omnia Hippocratem reddidit; nisi quòd spiritum difficilem (quem paulo pòst Hippocrates signum breui futuræ suppurationis dicit) venasque albescentes sub lingua, adiecerit: quod sanè cur fecerit, nondum satis assequor; nam quum genæ rubeant propter intemperiem calidam pulmonis, ac continuam tussim, consequens quoque est, eàdem ratione, & venas sub lingua naturalem seruare calorem. Nisi fortè quis albescere venas ideò dicat, quòd depastis spiritibus & humoribus, calor febrilis solidas particulas exedat, atque depascatur: quod hecticis (de quibus, vt docet Galenus, hoc loco loquitur Hippocrates) familiare admodùm est.

Quòd si protinus initio dolor.

SVBIVNGIT *ea quæ deinceps de suppuratis in Præsagiis reliquit Hippocrates; dicit autem: Quæcunque ergo suppuratio citiùs ac tardiùs rumpitur, talibus cognoscatur signis oportet. Si dolor inter initia extitit, & item difficultas spirandi, necnon tussedo, atque etiam screatio perseueret, vicesimo die, aut etiam antea expectari eruptionem oportet. si verò continentior fuerit dolor, & alia omnia in his fuerint ex ratione, posteà expectari oportet eruptionem. sed scire necesse est, & dolorem & spirandi difficultatem, & screationem antequam pus excernatur. Celsus hic iterum difficultatis spiritus meminit; idq; non temerè: necesse est enim ante suppurationem, siue eruptionem puris, præcedere spirandi difficultatem, siue ea trecesimo, siue quadragesimo, aut etiam antè fiat: vt rectè, tum loco citato, tum in Coacis Prænotionibus monuit Hippocrates.*

Solent etiam in graui morbo, &c.

ET *hoc quoque ex Præsagiis transumpsit: nam illic scriptum reliquit Hippocrates: Si corpus adeò graue est vt vngues quoque & digiti liuidi sint, expectanda mors continuò est. Si digiti ac pedes omnino nigrescunt, minus pestiferi sunt quàm si liueant. Sed alia signa consideranda sunt: si enim facilè ferre malum appareat, & aliquod aliud fuerit salubre signum, morbum verti significat ad abscessum; ita vt æger sit conualiturus; corporis verò nigredo casura. Indicat namque extinctam iam aut extinctioni proximam, facultatem vitalem.*

CAPVT VIII.

Quæ notæ in quoque morbi genere, vel spem, vel pericula ostendant.

SEQVITVR, vt in quoque morbi genere proprias notas explicem, quæ vel spem, vel periculum ostendant. Ex vesica dolente, si purulenta vrina processit, inque ea læue & album subsedit, metum detrahit. In pulmonis morbo, si sputo ipse leuatur dolor, quamuis id purulentum est, tamen æger facilè spirat, facilè excreat, morbum ipsum non difficulter fert, potest ei secunda valetudo contingere. Neque inter *Vrina.*

initia

initia terreri conuenit, si protinus sputum mistum est ruffo quodam & sanguine, dummodo statim* edatur. Laterum dolores suppuratione facta, deinde intra quadragesimum diem purgata, finiuntur. Si in iocinore vomica est, & ex ea fertur pus purum & album, salus ei facilis. Id enim malum in tunica est. Ex suppurationibus verò, hæ tolerabiles sunt quæ in exteriorem partem feruntur & acuuntur. Et ex his quæ intus procedunt, hæ leuiores, quæ contra se cutem non afficiunt, eamque & sine dolore esse, & eiusdem coloris, cuius reliquæ partes sunt, sinunt esse. Pus quoque quacunque parte erumpit, si est læue, album, & vnius coloris, sine vllo metu est, & quo effuso, febris protinus conquieuit, desieruntque vrgere cibi fastidium, & potionis desiderium: si quando etiam suppuratio descendit in crura, sputumq́. eiusdem factum pro ruffo purulentum est, periculi minus est. At in tabe eius qui saluus futurus est, sputum esse debet album, æquale totum, eiusdemque coloris, sine pituita, eique etiam simile esse oportet, si quid in nares à capite destillat. Longè optimum est febrem omnino non esse: secundum, est tantulum esse, vt neque cibum impediat, neque crebram sitim faciat. Aluus in hac valetudine ea tuta est, quæ quotidie coacta, eaque conuenientia his, quæ assumuntur, reddit. Corpus id, quod minimè tenue, maximeque lati pectoris atque setosi est, cuiusque cartilago exigua, & carnosa est. Super tabem si mulieri quoque suppressa menstrua fuerunt, & circa pectus atque scapulas dolor mansit, subitoque sanguis erupit, leuari morbus solet. Nam & tussis minuitur, & sitis atque febriculæ desinunt. Sed iisdem ferè, nisi redit sanguis, vomica erumpit, quæ quo cruentior, eo melior est. Aqua autem inter cutem minimè terribilis est, quæ nullo antecedente morbo cœpit, deinde quæ longo morbo superuenit. Vtique si firma viscera sunt, si spiritus facilis, si nullus dolor, si sine calore corpus est, æqualiterque in extremis partibus macrum est, si venter mollis, si nulla tussis, nulla sitis, si lingua ne per somnum quidem inarescit, si cibi cupiditas est, si venter medicamentis mouetur, si per se excernit mollia, & figurata,

*sedetur. al. reddatur.

Sputi indicatio.

Alui indicatio.

figurata, si extenuatur, si vrina & vini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis mutatur: si corpus sine lassitudine est, & * morbum facilè sustinet. Siquidem in quo omnia hæc sunt, is ex toto tutus est: in quo plura ex his sunt, is in bona spe est. Articulorum verò vitia, vt podagræ, chiragræque, si iuuenes tentarunt, neque callum induxerunt, solui possunt, maximeque torminibus leniuntur, & ex quocunque modo venter fluit. Item morbus comitialis ante pubertatem ortus, non ægrè finitur, & in quo ab vna parte corporis venientis accessionis sensus incipit, optimum est à manibus pedibúsve initium fieri, deinde à lateribus, pessimum inter hæc à capite. Atque in his quoque ea maximè prosunt, quæ per deiectiones excernuntur. Ipsa autem deiectio sine vlla noxa est, quæ sine febre est, si celeriter desinit, si contracto ventre nullus motus eius sentitur, si extremam aluum spiritus sequitur. Acria tormina quidem periculosa non sunt, si sanguis & strigmenta descendunt, dum febris cæteræque accessiones huius morbi* absint, adeò vt etiam grauida mulier non solùm reseruari possit, sed etiam partum reseruare. Prodestq. in hoc morbo, si iam ætate aliquis processit. Contrà intestinorum læuitas faciliùs à teneris ætatibus depellitur, vtique si* fieri vrina & ali cibo corpus incipit. Eadem ætas prodest & in coxæ dolore, & humerorum, & in omni resolutione neruorum. Ex quibus coxa si sine torpore est, si leuiter friget, quamuis magnos dolores habet, tamen & facilè & maturè sanatur, resolutumque membrum, si nihilominus aliter fieri sanum potest, oris resolutio etiam, aluo cita finitur. Omnisque deiectio lippienti prodest. At varix ortus, vel per ora venarum subita profusio sanguinis, vel tormina, insaniam tollunt. Humerorum dolores, qui ad scapulas vel manus tendunt, vomitu atræ bilis soluuntur. Et quisquis dolor deorsum tendit, sanabilior est. Singultus sternutamento finitur. Longas deiectiones supprimit vomitus. Mulier sanguinem vomens profusis menstruis liberatur. Quæ menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo vacat. Quæ locis laborat, aut difficulter partum edit,

*motum

Deiectio sine vlla noxa.

* adsint.

* ferri

ſternutamento leuatur. Aeſtiua quartana fere breuis eſt. Cui calor & tremor eſt, ſaluti delirium eſt. Lienoſis bona tormina ſunt. Denique ipſa febris (quod maximè mirum videri poteſt) ſæpe præſidio eſt. Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit, & in iocinoris dolore ſuccurrit, & neruorum diſtentionem rigoremque (ſi poſtea cœpit) ex toto tollit, & ex difficultate vrinæ morbũ tenuioris inteſtini ortum, ſi vrinam per calorem mouet, leuat. At dolores capitis, quibus oculorum caligo, & rubor cum quadam frontis prurigine accedunt, ſanguinis profuſione vel fortuita, vel etiam petita ſummouentur. Si capitis ac frontis dolores ex vento, vel frigore, aut æſtu ſunt, grauedine & ſternutamentis finiuntur. Febrem autem ardentem (quam
καύσωνα Græci * καυσώδη vocant) ſubitus horror exoluit. Si in febre aures obtuſæ ſunt, ſi ſanguis è naribus fluxit, aut venter reſolutus eſt, illud malum deſinit ex toto. Nihil plus aduerſus ſurditatem, quàm bilioſa aluus poteſt. Quibus in fiſtula
*apices vrinæ vti minuti * abſceſſus (quos φύματα Græci vocant) eſſe cœperunt, ijs vbi pus ea parte profluxit, ſanitas redditur. Ex quibus cùm pleraque per ſe proueniant, ſcire licet inter ea quoque*, quæ ars adhibet, naturam plurimum poſſe. Contrà, ſi caput febre continenti dolet, neque quicquam reddit, malum atque mortiferum eſt: maximeque id periculum eſt pueris à ſeptimo anno ad quartumdecimum. In pulmonis morbo ſi ſputum primis diebus non fuit, deinde à ſeptimo die cœpit, & vltra ſeptimum manſit, periculoſum eſt. Quantoque magis miſtos, neque inter ſe diductos colores habet, tanto deterius. Et tamen nihil peius eſt, quàm ſincerum id edi, ſiue ruffum eſt, ſiue cruentum, ſiue album, ſiue glutinoſum, ſiue pallidum, ſiue ſpumans: nigrum tamen peſſimum eſt. In eodem morbo periculoſa ſunt tuſſis, deſtillatio, etiam (quod aliàs ſalutare habetur) ſternutamentum. Periculoſiſſimumque eſt, ſi hæc ſecuta ſubita deiectio eſt. Ferè verò quæ in pulmonis, eadem in lateris doloribus, & mitiora ſigna, & aſperiora eſſe conſueuerunt. Ex iocinore ſi pus cruentum exit, mortiferum eſt. At ex ſuppurationibus hæ peſ-

hæ pessimæ sunt quæ intus tendunt, sic vt exteriorem quoque cutem decolorent. Ex his deinde, quæ in exteriorem partem prorumpunt, quæ maximæ, quæque planissimæ sunt. Quòd si nè rupta quidem vomica, vel pure extrinsecus emisso febris quieuit, aut quamuis quieuerit, tamen repetit: Item si sitis est, si cibi fastidium, si venter liquidus, si pus est liuidum & pallidum, si nihil æger excreat nisi pituitam spumantem, periculum certum est. Atque ex his quidem suppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, ferè senes moriuntur: ex cæteris iuniores. At in tabe sputum mixtum purulentum, febris assidua, quæ & cibi tempora eripit, & siti affligit, in corpore tenui periculum subesse testatur. Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, vbi capilli fluunt, vbi vrina quædam araneis similia subsidentia ostendit, atque in his odor fœdus est, maximeque vbi post hæc orta deiectio est, protinus moritur. Vtique si tempus autumni est, quo ferè, qui cætera parte anni traxerunt, resoluuntur. Item pus exspuisse in hoc morbo, deinde ex toto spuere desisse, mortiferum est. Solent etiam in adolescentibus ex eo morbo vomicæ, fistulæque oriri, quæ non facilè sanescunt, nisi si multa signa bonæ valetudinis subsecuta sunt. Ex reliquis verò minimè facilè sanantur virgines, aut hæ mulieres, quibus super tabem menstrua suppressa sunt. Cui verò sano subitus dolor capitis ortus est, dein somnus oppressit, sic vt stertat, neque expergiscatur, intra septimum diem pereundum est: magis si eum aluus cita non antecesserit. Si palpebræ dormientis non coëunt, si album oculorum apparet. Quos tamen ita mors sequitur, si id malum non est febre discussum. At aqua inter cutem, si ex acuto morbo cœpit, ad sanitatem raò perducitur, vtique si contraria his quæ suprà posita sunt subsequuntur, æquè in ea quoque tussis spem tollit. Item si sanguis sursum, deorsumque erupit, & aqua medium corpus impleuit. Quibusdam etiam in hoc morbo tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt. Hi quidem tutiores sunt, quàm qui suprà comprehensi sunt, si attenduntur, sed ferè fiducia secundæ valetudinis opprimuntur. Illud

Vrina

iure aliquis mirabitur, quomodo quædam ſimul & affligant noſtra corpora, & parte aliqua tueantur. Nam ſiue aqua inter cutem quem impleuit, ſiue in magno abſceſſu multum puris coijt, ſimul id omne effudiſſe æquè mortiferum eſt, ac ſi quis ſani corporis vulnere factus exanguis eſt. Articuli verò qui ſic dolent, vt ſuper eos ex callo quædam tubercula innata ſint, nunquam liberantur: quæque eorum vitia vel in ſenectute cœperunt, vel in ſenectutem ab adoleſcentia peruenerunt, vt aliquando leniri poſſunt, ſic nunquam ex toto finiuntur. Morbus quoque comitialis poſt annum quintum & vigeſimum ortus ægrè curatur: multoque ægriùs is, qui poſt quadrageſimum annum cœpit: adeò vt in ea ætate aliquid in natura ſpei, vix quicquam in medicina ſit. In eodem morbo ſi ſimul totum corpus afficitur, neque antè in partibus aliquis venientis mali ſenſus eſt, ſed homo ex improuiſo concidit, cuiuſcunque is ætatis eſt, vix ſaneſcit. Si verò aut mens læſa eſt, aut neruorum facta reſolutio, medicinæ locus non eſt. Deiectionibus quoque ſi febris acceſſit, ſi inflammatio iocinoris, aut præcordiorum, aut ventris, ſi immodica ſitis, ſi longius tempus, ſi aluus varia, ſi cum dolore eſt, etiam mortis periculum ſubeſt, maximeque ſi inter hæc tormina vetera eſſe cœperunt. Iſque morbus maximè pueros abſumit vſque ad annum decimum. Cæteræ ætates faciliùs ſuſtinent. Mulier quoque grauida eiuſmodi caſu rapi poteſt, atque etiam ſi ipſa conualuit, partum tamen perdit. Quinetiam tormina ab atra bile orſa mortifera ſunt, aut ſi ſub his extenuato iam corpore ſubitò nigra aluus profluxit, aut inteſtinorum læuitas. Periculoſior eſt, ſi frequens deiectio eſt, ſi venter omnibus horis & cum ſomno, & ſine hoc profluit. Si ſimiliter noctu & interdiu. ſi quod excernitur aut crudum eſt, aut nigrum, & præter id etiam læue, & mali odoris ſit: ſi ſitis vrget, ſi poſt potionem vrina non redditur, quod euenit, quia tunc liquor omnis non in veſicam, ſed in inteſtina deſcendit, ſi os exulceratur, ſi rubet facies, & quaſi maculis quibuſdam colorum omnium diſtinguitur, ſi venter eſt quaſi fermentatus, pinguis atque rugoſus, ſi & cibi cupiditas non

eſt.

eſt. Inter quæ cùm euidens mors ſit, multo euidentior eſt, ſi iam longum quoque id vitium eſt, maximeque ſi etiam in corpore ſenili eſt: ſi verò in tenuiore inteſtino morbus eſt, vomitus, ſingultus, neruorum diſtentio, delirium, mala ſunt. At in morbo arquato durum fieri iecur pernicioſiſſimum eſt. Quos lienis malè habet, ſi tormina prehenderunt, deinde inuerſa ſunt, vel in aquam inter cutem, vel in inteſtinorum læuitatem, vix vlla medicina periculo ſubtrahit. Morbus inteſtini tenuioris, niſi reſolutus eſt, inter ſeptimum diem occidit. Mulier ex partu, ſi, cum febre, vehementibus etiam & aſſiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis eſt. Si dolor atque inflammatio eſt in his partibus, quibus viſcera continentur, frequenter ſpirare ſignum malum eſt. Si ſine cauſa longus dolor capitis eſt, & in ceruices ac ſcapulas tranſit, rurſusque in caput reuertitur, aut à capite ad ceruices ſcapulasque peruenit, pernicioſus eſt, niſi vomicam aliquam excitauit, ſic vt pus extuſſiretur, aut niſi ſanguis ex aliqua parte prorupit, aut niſi in capite multa prurigo, totóve corpore puſtulæ ortæ ſunt. Aequè magnum malum eſt, vbi torpor atque prurigo peruagantur, modò per totum caput, modò in parte, aut ſenſus alicuius ibi quaſi frigoris eſt, eaque ad ſummam quoque linguam perueniunt. Et cùm in iiſdem abſceſſibus auxilium ſit, eò difficilior ſanitas eſt, quò minùs ſæpe ſub his malis illi ſubſequuntur. In coxæ verò doloribus ſi vehemens torpor eſt, frigeſcitque crus & coxa, aluusque niſi coacta non reddit, idque quod excernitur mucoſum eſt, iamq. ætas eius hominis quadrageſimum annum exceſſit, is morbus erit longiſſimus, minimeq. annuus, neque finiri poterit, niſi aut vere aut autumno. Difficilis æquè curatio eſt in eadem ætate, vbi humerorum dolor, vel ad manus peruenit, vel ad ſcapulas tendit, torporemq. & dolorem creat, neque bilis vomitu leuatur. Quacunque verò parte corporis membrum aliquod reſolutum eſt, ſi neque mouetur, & emacreſcit, in priſtinum habitum non reuertitur, eoque minus, quo vetuſtius id vitium eſt, & quo magis in corpore ſenili eſt. Omnique reſolutioni neruorum ad medicinam

dicinam non idonea tempora ſunt, hyems, & autumnus: aliquid ſperari poteſt vere & æſtate. Isque morbus mediocris vix ſanatur, vehemens ſanari non poteſt. Omnis etiam dolor minus medicinæ* patet, qui ſurſum procedit. Mulieri grauidæ, ſi ſubitò mammæ* emacruerunt, abortus periculum eſt. Quæ neque peperit, neque grauida eſt, ſi lac habet, à menſtruis defecta eſt. Quartana æſtiua breuis, autumnalis ferè longa eſt, maximeque quæ cœpit hyeme appropinquante. Si ſanguis profluxit, deinde ſecuta eſt dementia cum diſtentione neruorum, periculum mortis eſt. Itemque ſi medicamentis purgatum, & adhuc inanem, neruorum diſtentio oppreſſit, aut ſi in magno dolore extremæ partes frigent. Neque is ad vitam redit, qui ex ſuſpendio, ſpumante ore, detractus eſt. Aluus nigra, ſanguini atro ſimilis, repentina, ſiue cum febre, ſiue etiam ſine hac, pernicioſa eſt.

* paret,
* emarcuerunt,

ENARRATIO.

NIMIS quàm breuis hîc eſt Celſus noſter: nã quæ ſpem promittũt, præter capitis huius inſtitutũ tantùm enunciat; quæq́; periculum portendunt, volens omiſiſſe videtur. quod ſanè ei condonandum foret, ſi eandem hîc quam in ſequentibus methodum ac dicendi rationem ſeruaſſet: in illis enim ſtudio quodam conualeſcentiæ ſigna tantùm enarrat; deinde longo internallo, ordine ſingula quæ ſecuritatem adimant explicauit. Itaque quæ hîc de veſica dolente aſſcripſit, ſumpſiſſe videtur ex libro Præſagiorum Hippocratis: vbi is ſic ſcriptum reliquit: Si veſica dura eſt, ac dolore vexatur, difficilis omnis ac exitialis eſt; exitioſiſſima verò quæcumque cum continua febre affligit: qui enim ex ipſa veſica affligit dolor, interimere hominem poteſt; & aluus in talibus nil niſi durum, & pro neceſſitate excernit. Si verò mingitur vrina purulenta, candidum ac leue obtinens ſedimentum, ſolutio accidit ægrotationis: Si verò neque concedat vrina, neque veſica molleſcat, ac febris continua fiat, primis circuitionibus morbi aboleri eum qui dolore afficitur, expectandum eſt. Hæc formula potiſſimùm attingit pueros à ſeptimo ad quartumdecimũ annum. Hactenus Hippocrates. Celſus neque ætatis (cuius poſtmodùm non ſemel mentionem facit) neque duriciei cum dolore, neque febris meminit: idq́; ea fortaſſis ratione ductus, quòd quum quemcumque veſicæ dolorem ad hominis internecionem ſufficere Hippocrates dixerit; is explicandum tantùm putet, quæ metum detrahant: qualis certè eſt vrina purulenta, in qua læue & album ſubſedit; indicans nimirum inflammationem nonnihil remiſiſſe, ac ad maturationem tendere: quando in vrina & ſedimento ipſo, concoctionis quoque indicia appareant.

In pulmonis morbo.

IN omnibus purgationibus tam ſpontaneis quàm arte factis ſummè intentus eſſe debet naturæ miniſter medicus, ſi leniter ferantur, atque citra difficultatem ægri fiant; ita enim conferunt. Quod & Hippocrates, initio Aphoriſmorum, inculcatum voluit, de vomitibus & aliis ſpontè factis euacuationibus, & paſſim aliis locis, de reliquis quæ na-

tura duce fiunt excrementorum reiectionibus in eandem ſententiam pronunciata reliquit. quod conſiderans auctor noſter, in pulmonis morbo facilitatem ſpiritus atque excreationis, & ex eadem conſequutum lenamen aliquod, ad ſalutem ſatis eſſe dicit; idq; auctoritate Hippocratis, qui non vno loco in Præſagiis in hanc rem ſententias reliquit: Siquidem omnis, inquit, ſcreatio, mala eſt, quæ non ſedat dolorem; quæ verò ſedat dolorem, melior eſt. Et paulo antè: Spirationis facilitatem exiſtimari oportet, perquam magnam vim habere ad ſalutem in omni morbo acuto, qui cum febre infeſtet, & quadrageſimo die indicetur. Et rurſum: Screatio in omni dolore qui affligit circa pulmonem & coſtas, citò prompteque ſcreetur neceſſe eſt, permixta enim appareat flaua bilis admodùm ſcreatione oportet. Neque enim facilis poteſt eſſe ſpiritus, vbi cor, thorax, aut ſeptum tranſuerſum dolore aliquo afficiantur: & iterum ſputum quod citò promptéque excreatur, non poteſt non citra omnem doloris ſuſpicionem excerni; adeò vt dolorem minuat, & metum omnem eximat.

Neque inter initia terreri conuenit.

HIS quæ iam antè ex Hippocrate retulimus, non omnino diſſonat quod hîc ſubiungit; ſiquidem is citam ſcreationem vocat, quæ ſtatim in morborum initiis obitur, vt rectè monet Galenus. Quò reſpiciens Celſus noſter, non ſolùm inter initia, ſed & dummodò protinus & ſtatim edatur, dixit, appellauitque mixtum quoddam ex ruffo & ſanguine, quod idem ſenex flauum cum modico ſanguine (hoc eſt ſcreationem quæ ex ſanguine & flaua bile mixtis conſtet) vocauit. Dicit autem in Præſagiis Hippocrates: Screatio flaua non multo permixta ſanguine, in pulmonis morbo, ſi inter initia excernitur, ſalutaris admodùm eſt; ſi ſeptimo die pigriuſve, minus ſecura eſt.

Laterum dolores ſuppuratione facta, &c.

LATERALEM morbum vocat quem Græci πλευρῖτιν. hic autem acutus quum ſit, decimoquarto die indicari ſolet. quod ſi minus accidat, in ſuppurationem vertitur: ac rurſum ſi qui ex morbo laterali ſuppurantur, vt quinto Aphoriſmorum Hippocrates, ſi in quadraginta diebus purgantur à qua fit ruptio, liberantur: ſi verò non, ad tabem tranſeunt: niſi enim per ſputum purulenta materia exſcreetur, ſenſim pulmonem ipſum coafficiet, atque exedet: ſiquidem pulmo quum rarus, & laxus ſit, facillimè à putridis noxiiſque humoribus exulceratur atque eroditur; vnde tabem conſequi neceſſum eſt.

Si in iecore vomica eſt.

QVI iecore ſuppurato, vt ſeptimo Aphoriſmorum Hippocrates, vruntur, aut ſecantur, ſi quidem pus purum effluxerit veluti amurca eſt, intereunt: ſignificat enim hoc alteratricem facultatem imbecillem eſſe, & corruptionem vſque ad iecoris ſubſtantiam perueniſſe. Purum autem albúmque pus, vt rectè monet Philotheus, alteratricis virtutis robur indicat, & inflammationem extra iecur (nempe eius membranam quam peritonæum vocant) perueniſſe.

Ex ſuppurationibus verò.

SVPPVRATIO, inquit in Præſagiis Hippocrates, ita conſideranda eſt: quæ enim foras vertitur, optima eſt, ſi parua eſt, maximéque egreditur, & in ſublime aſſurgit: ſi verò magna eſt & lata, minimeq; in mucronem ſiue gibbum ſubducitur, peſſima eſt. Conſentaneũ eſt, vt docet Galenus, quòd quũ natura ſtudeat interdum purulentam materiam, per idoneos quoſdã meatus ceu aquæductus expellere; ſuppurationem eam & leniorem & indulgentiorem eſſe, quæ foràs non intrò tendit, atque ex his ipſis quæ non ampliorem ſedem prehendant in latitudinem extenta, ſed in gibbi formulam acuatur, atque in ſublime feratur: id enim robur foràs expellentis facultatis indicat.

Et ex his quæ intus procedunt, hæ leuiores.

QVAMVIS hæc ſententia ab Hippocrate

erate his verbis ſtatim ſubiungatur, Quæ verò intrò rumpatur, optima eſt, ſi cum exteriore ſede nihil communicat, ſed contacta eſt, nec dolet, & omnis exterior locus vnicolor apparet. Tamen fuerunt quæ hactenus me ſuſpenſum habuerint; ita vt diuinandum hîc potiùs mihi fuerit, quàm certi aliquid pronunciandũ, cũ quid per τὸ contra ſe cutem non afficiant, niſi Oedipus quiſpiam rectè non coniecerit: Nam quantumuis hîc mendum ſubeſſe ſuſpicemur, tamen quid pro ſubſtitutis reſtituendum ſit, nondum ſatis aſſequimur: quare vt amicam aliquam interpretationem comminiſceremur erat neceſſe: Ita vt id Celſum voluiſſe dicamus per ſuppurationem quæ contra ſe cutim non afficit, quod Hippotrates per eam quæ cum exteriori ſede nihil commune habet: ita videlicet vt exteriora, & interiora contraria dicamus. atque ita ſi intellexerimus, ſententiam paulo planiorem, quàm Hippocrates, reliquerit. Neque enim ſuppuratio ea optima eſt, quæ cum exteriore ſede nihil cõmunicat: ſed quum bona ſit, deterior tamẽ eſt, quàm quæ foras rumpitur. quare appoſitè admodùm leniores huiuſmodi ſuppurationes vocârit Celſus.

Pus quoque quacunque parte erumpit.

HIPPOCRATES in Præſagiis, Pus optimum eſt ſi candidum, æquale læneque, & quamminimè fœtidum eſt: maximè contrarium huic, deterrimum eſt. Et paulo poſt: Ex purulentis ij potiſsimùm ſuperſunt, quos febris eodem dimiſerit die, ac cibum citiùs appetunt. nam quum pus omne ex ſanguine qui ſeminalem habeat tranſmutationem, ortum habeat; optimum erit quod ſemini prolifico quàm ſimillimum erit, hoc eſt, quod læue, album & æquale & quamminimè graueolens ſit, & quo emiſſo febres deſinant; conſumpta videlicet materia & ignea caliditate, quæ ſanguini ebullienti (vnde pus generari diximus) inerat.

ſi quando etiam ſuppuratio.

HIPPOCRATES in Præſagiis: Abſceſſus ſi in cruribus erumpit in pulmonia vehementi, ac periculoſa omnis vtilis eſt: optimus verò ſi per ſcreationis mutationem iam exiſtat, & ſcreatio pro flaua, purulenta exiſtat, ac foras excernatur; ita ſecuriſsimè ſupererit homo, ac ita abſceſſus ocyßimè citra dolorem deſiſtet. At ſi ſcreatio non rectè excernatur, nec vrina videatur habere bonum ſedimentum, periculum clauditatis in articulo, vel multum negocij imminet. Atque id quidem mirum minimè cuiquam videri debet, quum idem ſenex Epidemion ſecundo inter bonos abſceſſus ſecuriſsimos dicat, ſi deorſum & quàm longiſsimè ab ægrotatione abſiſtant; atque id potiſsimùm ſi cum concoctionis ſignis ſtatim erumpunt: Concoctio enim celerem indicationem, & ſecuram ſanitatem promittit: quod Cornelius noſter voluit dum dicit, ſputumque eiuſdem factum pro ruffo purulentum.

At in tabe eius qui ſaluus, &c.

HIPPOCRATES ſecundo Prædictionum: De tabeſcentibus, quod ad ſputum, ac tuſsim attinet, eadem dico quæ de pectore ſuppuratis ſcripſi. Oportet enim eum qui probè liberari volet, facilè ſputum per tuſsim deiicere, & id eſſe album & æquale, & eiuſdem coloris, & ab inflammatione alienum. Quod verò à capite defluit, ad nares conuerti, febrem autem non inuadere, vt, ne à canis prohibeatur, neque ſitiat, venter autem egerat quotidie, & id quod egerit ſit durum, copia pro ingeſtorum ciborum ratione. Hominem verò, quamminimè tenuem eſſe oportet, quadrangulum & hirſutum, & os ipſius paruum ſit, robuſtè carnoſum: quicunque enim hæc omnia habuerit, ſuperſtes erit. Celſus omnia hæc fideliſsimè reddidit, niſi quòd inflãmationis non meminerit, quòd eam ſub febre comprehendiſſe ſatis putârit, & quòd de defluxu qui à capite in ſubiectas partes fit, non ſatis pronunciatum reliquerit; ſiquidem Hippocrates neceſſe eſſe dicit, vt ſi quid à capite defluat, per nares id expurgetur: nam alioqui ſi in fauces aut pulmonem decumberet, non citra ſummum periculum id fieret.

id fieret: quod Celsus noster non videtur animadvertisse, dum si quid à capite destillat, album æqualeque ut sit, opus esse dicit; quasi dicat distillationes, non solùm quæ à capite in nares, sed etiam quæ in fauces fiunt, tabidos liberare, dummodo similes sint bonæ per sputum excreationi. quare hîc quoque legere malim eique etiam simile esse oportet siquid à capite destillat, idque in nares fluat.

Super tabem si mulieri quoque supp.

Hic dum breuitati nimiæ studet, obscurus admodùm est, neque satis Hippocratis sententiam reddidit: siquidem is paulo post iam citatum locum, in hunc modum scripsit: Cæterùm ex aliis minus superstites manent, & virgines & mulieres quibus ex suppreßis mensibus tabes oborta est. Si verò aliqua virgo, aut mulier euasura est, & aliorum signorum bonorum multa accedere oportet, & menses splendidè ac purè apparere, aut nulla spes est. Qui verò ex sanguinis eruptione pectore suppurati fiunt, & viri & mulieres & virgines non minùs euadunt, verùm signis omnibus tum suppuratorum, tum tabescentium collectis, & superstitem futurum, & periturum prædicere oportet. Maximè verò euadunt ex sanguinis eruptione hi quibus dolores sunt atrabilarij, & in dorso, & in pectore, & qui post eruptionem minùs dolent: nam & tusses non valdè insuper accedunt, & febres pleræque perseuerant sitim facilè ferentes. At reuersiones eruptionis sanguinis maximè fiunt his, si non abscessus succedunt. optimi sunt abscessus sanguinolentißimi. Celsus dum vltima primis connectit, tabem quæ ex menstruorum defectu, cum ea quæ ex sanguinis eruptione fit, ac muliebrem cum virili affectu confundit; idq; quàm rectè, penes alios iudicium esto.

Aqua autem inter cutem.

Hippocrates secundo Prædictionum, Eum qui ab hydrope, siue aqua inter cutem correptus est, & superstes esse volet, bonis visceribus esse oportet; ita vt natura sese exerat, simulque facilè concoquat, & bene spiret, sitque sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum. Melius est autem vt tumores potiùs habeat in extremis partibus: Optimum verò est neutrum horum habere; nam molles ac graciles esse conuenit extremas partes, itemque ventrem ad contactum mollem. Tußim verò non adesse oportet, neque sitim neque linguam resiccari, tum reliquo tempore, tum post somnum, quando hæc valdè fieri solent. At cibos libenter accipere oportet, & vbi multum satis comedit, non affligi. Aluum verò ad medicamenta quidem celerem habere, reliquo autem tempore egerere recrementum molle efformatum. Vtinam autem apparere conuenit, pro studiorum ratione & vinorum mutatione transeuntem. Laborem verò ferre oportet facilè, & laßitudinis exortem esse: ac optimum quidem est, hominem per omnia ita dispositum esse. & sic securißimè sanus quidem fieri poterit; si minùs, plurima ex his habeat, nam spes erit vt superstes euadat. Quæ quum Celsus breuiter & dilucidè reddiderit, non est quòd diutiùs immoremur. Nam quod dicit lenißimam eam esse aquam intercutem quæ nulli præsertim acuto morbo subit, ex subsequentibus clarū euadet.

Articulorum verò vitia.

De podagricis, inquit in Prædictionibus Hippocrates, hæc dico: Quicunque aut senes sunt, aut circa articulos callos tofaceos concretos habent, aut ærumnosè viuunt, aut siccam aluum habent, hi omnes sani fieri non poßunt humana arte, quantum ego noui. Sanant quidem hos optimè dysenteriæ, si succeßerint; sed & aliæ eliquationes valdè prosunt, si ad inferiores locos repunt. Qui verò iuuenis est, & circa articulos tofaceos callos concretos nondum habet, & accuratè viuit, & laboris amans est, & aluum bonam habet studiorum ratione, hic sanè medicum intelligentiam habentem nactus, sanus fieri poterit. Celsus neque victus rationis, neque exercitij laborisue, quæ tum ad discutiendos

discutiendos hosce callos, tum præcauendos non paruum momenti habent, ne meminit quidem; sed torminibus aut alio quouis ventris fluxu articulorum dolores leniri dixit, materia videlicet peccante ad alium locum delata: quanquam podagricis tormina fluxáue aluus frustrà superuenerit, si improba victus ratione immoderatoque exercitio vtatur æger.

Item morbus comitialis.

MORBVS comitialis qui ante pubertatem ortus est, facilis solutu est; idque variis modis: nam, vt sectione secunda Aphorismorum ait Hippocrates, Pueros qui comitiali morbo laborant, mutationes potißimùm ætatis, victus, & locorum liberant. & primo Morborum vulgarium: Puerorum morbi comitiales vnà cum pubertate mutationes habent. & aliàs: Siquidem quū sacer morbus à frigida lentáque potißimùm caussa originem trahat, mirum minimè videri debeat, si quum huiusmodi materiæ fons sit victus intemperantia, huius mutatione ad meliorem statum redacta, sensim materiam resolui, atque à morbo liberari: quod etiam accidit mutationibus ætatis puerilis in iuuentutem, quæ calida & sicca est; & locorum frigidorum in siccos.

& in quo ab vna parte corporis.

QVANQVAM in sacro morbo affectus locus sit cerebrum eiusdemque ventriculi, contingit tamen interdum primariò; sæpenumerò etiam per consensum ipsa affici: sicuti puero cuidam, libro De locis affectis, accidisse meminit Galenus: qui quum ceu lenẽ quandam auram à genu sensim superiora petentem sentiret, tandem in comitialem incidit: Non paruum igitur discrimen est primariòne ac per se, an per accidens afficiatur cerebrum; nam quanto nobilius est membrum à quo mali origo serpit, tanto etiam maius periculum conuehere solet. Quod ex Hippocrate hic ostensum voluit Celsus: siquidem is libro Prædictionum, Comitiales, inquit, morbi si à capite initium capere videntur, aut à latere, aut à manu, aut à pede, faciliùs curantur: verùm differunt etiam hæc morbi genera. Qui enim à capite initium sumunt, ex his grauißimi sunt: deinde qui à latere: qui autem à manibus & pedibus, maximè sanari possunt. Cæterùm curam aggredi oportet medicum, qui medendi modum nouit, si homines fuerint iuuenes & laboris amantes, nisi mens mali aliquid habuerit, aut quis stupore aliquo attonito sideratus fuerit: nam hæ atrabilariæ mentis amotiones non sunt conducibiles. Alij verò qui ad infernas partes conuertuntur abscessus, boni sunt; longè verò optimi hi sunt qui sanguinolentißimi. Celsus pro abscesßibus non omnino malè deiectiones substituit: æquè enim materia peccans à loco affecto per purgationem educitur, ac per abscesßus.

Ipsa autem deiectio.

HIPPOCRATES secundo Prædictionum, Alui profluuia quæ sine febre sunt, & breui tempore durant, & mitia existunt: aut enim eluta sedabuntur, aut sponte. Prædicere autem oportet excretionem subitò erumpentem desituram esse, quum tangenti ventrem manu nullus motus occurrerit, & in fine egestionis flatus penetrârit.

Acria tormina quidem periculosa.

SECVNDO Prædictionum Hippocrates: At quæ dysenteriæ commodæ sunt, hæc mala non inducunt; verùm sanguine & ramentis egestis desierunt septimo die, aut decimoquarto, aut vigesimo, aut quadragesimo, aut intra hæc tempora. Huiusmodi enim egestiones etiam eos qui priùs sunt in corporibus morbi sanant; antiquiores quidem diutiore tempore, recentiores autem in paucis diebus remouere possunt. Nam & quæ ventrem gestant, & ipsæ etiam euadunt superstites, ad partum, & ex partu, & fœtus conseruant, sanguine & ramentis egestis. etiam per multos menses, nisi dolor ipsis affuerit, aut aliud quoddam malum signum. Hactenus Hippocrates, senilis ætatis (quam summè in hoc morbo prodesse auctor noster docet)

docet) nullam faciens mentionem: quod tamen non citra rationem feciſſe videtur; ſiquidem ſi (vt paulo antè inquit idem ſenex) ex dyſenteria maximè moriuntur pueri quinquennes, & ſeniores adhuc decennes, reliquæque ætates minùs, non parum momenti attulerit in dyſenteria ad ſanitatis recuperationem ſenilis ætas.

Contrà inteſtinorum læuitas.

LIENTERIA *ſeu inteſtinorum læuitas grauißimus morbus eſt ſenioribus, vt ſecundo Prædictionum inquit Hippocrates. vehemens etiam viris: reliquis autem ætatibus minùs. Quiſquis autem neque in ætatibus his eſt, quas malè tractari ab hoc morbo dixi, & paucißima ex ſignis habet quæ mala ſcripſi, hic ſecurißimè depoſitus eſt. Indiget autem euacuatione hic morbus, donec vrina pro ratione eius quod acceptum eſt procedat, & corpus ab ingeſtis cibis augmentum capiat, & à malis coloribus liberatum fuerit. Celſus neque euacuationis neque mutationis coloris ad meliorem ſtatum vllam facit mentionem, quòd perfectam nutricationem corporis, etiam color bonus ſubſequi ſoleat; ſicuti imperfectam deprauatus, quemadmodum in atrophis videre licet. Pueris autem non vſque adeò ſuſpecta eſt inteſtinorum læuitas, quanquam ob nimiam voracitatem frequentiùs in eam incidere ſoleant, quòd videlicet calore innato plurimùm vigeant, qui euacuata materia peccante facilè ad priſtinum habitum naturam reduxerit. Dyſenteria contrà eiſdem pernicioſa eſt, quòd ob caloris copiam, & humoris redundantiam, non ſolùm leuamen aliquod non conſequantur, ſed multo maius periculum hinc immineat.*

Eadem ætas prodeſt, &c.

COXENDICVM *morbus à quadrageſimo anno vſque ad ſexageſimum maximè affligit: atque de eo ita conſiderationem facere oportet, inquit Hippocrates: Nam iuuenibus non minus quidem doloris inducit, quàm ſenibus coxendicum morbus; verùm breuior eſt: nam quadrageſimo die liberantur; ſed neque torpores vehementes accedunt, neque perfrigerationes crurum ac lumborum. Quibus autem hic morbus eſt quidem in lumbis ac cruribus, non autem affligit adeò vt decumbat, conſiderare oportet an alicubi ſint collectiones in coxa, & interrogare an ad inguen dolor progrediatur; ſi enim ambo hæc habet, diuturnior ſit morbus. Interrogandum etiam eſt, an in femore torpores inſint, & ad poplitem progrediantur: & hoc ſi confiteantur, rurſum interrogandum an & per tibiam ad ſummum pedem procedant. Quicunque enim pleraque horum confeßi fuerint, his dicendum eſt quòd crura ipſis aliquando calida, aliquando frigida ſint. Quòd ſi morbus hic lumbos relinquens, aliquibus ad infernas partes vertatur, eos confidentes eſſe iube. Celſus præterquam quòd omnia exactè ſatis reddidit, non citra rationem neruorum reſolutiones adiecit: nam quum affectus hic conſletur à multis craßis iiſque viſcidis humoribus, neruos per quos motus voluntarij obeuntur obturantibus, calore iuuenili iidem optimè diſcutientur.*

reſolutumque membrum.

QVOD *alui deiectione reſoluta omnia membra qualia tandem ſint, ſi medicas alioqui admittant manus, iuuentur, ex antedictis ſatis manifeſtum eſt. Nam quum ex multitudine humorum fiat reſolutio, ſubueniet ſtatim eorundem purgatio, aut ſponte proueniens, aut medicamento purgante irritata: quod voluiſſe videtur Hippocrates dum ait: At verò in facie diſtorſiones, ſi nulli alij corporis parti communicent, citò ſedantur, aut ſua ſpontè, aut ad neceßitatem coactæ: Coactas vocans eas, quæ aut natura duce aut arte expurgatis humoribus peccantibus in iuſtam debitámque formam rediguntur. Quò & alluſiſſe Celſum veriſimile eſt: illi ſiquidem nouum haudquaquam eſt, dum ſub vmbra Hippocratis deliteſcit, ſua ſtudioſiùs inſerere.*

Omniſque deiectio lippienti prodeſt.

LIPPIENTEM *alui profluuio corripi bonum eſt*

num eſt, vt ſexto Aphoriſmorum Hippocrates; quòd videlicet bilioſis humoribus ſanguini mixtis, qui ferè inflammationis oculorum cauſa eſt, ad inferiora delabitur, ac per aluum expurgatur.

Aut varix ortus.

HIPPOCRATES *ſectione ſexta Aphoriſmorum, Aphoriſmo* XI. *Melancholicis & renum malis affectis, hæmorrhoïdes ſuccedentes bonum ſunt. &* XXI. *eiuſdem ſectionis: Inſanientibus ſi varices, aut hæmorrhoïdes ſuperuenerint, melancholiæ ſolutio ſit: Inſanientes vocans illos, vt docet Galenus, quos Græci propriè* μελαγχολικοὺς *vocant; non illos qui ex bile in furorem rapiuntur. Ac quòd in his hæmorrhoides æquè ac varices ſolutionem morbi polliceantur (ſunt enim varices quum in femoribus & crutibus, ex humore melancholico venæ latiores ſunt) perſpicuum cuiuis eſt; quum per has humor peccans & purgetur, & in aliam partem decumbat. Atque hac etiam ratione inſanientibus ſuperuenientia tormina auctor noſter prodeſſe dicit: de quibus etiam ſeptimo Aphoriſmorum ita ſcriptum reliquit Hippocrates, A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem vel mentis alienatio, bonum.*

Humerorum dolores qui ad ſcapulas.

HIPPOCRATES *in Prædictionibus, Dolores in humeris fientes, qui quidem ad manus deſcendunt, torporem ac dolores inducunt; his abſceſſus non ſuccedunt, verùm nigram bilem vomentes ſanantur; qui verò iſthic in humeris manent, aut etiam ad dorſum progrediuntur, eos puris aut atræ bilis vomitu effugiunt. Verùm de his ita conſiderationem facere oportet; ſi quidem enim facilè ſpirauerint, ac graciles fuerint, atram bilem ipſos vomituros ſpes eſt: ſi verò difficiliùs ſpirauerint, & in faciem ipſis color incurrit qui priùs non erat, ſiue rubicundus, ſiue niger, eos magis pus ſpuituros eſſe ſperandum eſt. Ad hæc verò etiam conſiderandum eſt, an in pedibus tumores ſint: nam & hoc ſignum in his conſentit. Atque hic morbus viris vehementiſſimus eſſe ſolet à quadrageſimo anno ad ſexageſimum. Celſus neque expuitionis puris, neque aliorum ſignorum quæ conſideranda monet Hippocrates, mentionem vllam facit; idq; fortaßis ideò, quòd quum illi anteà ſermo fuiſſet de iis quæ atræ bilis expurgatione ſoluuntur, de illis etiam quæ eiuſdem vomitu curantur, dicendum putaret: quanquam melius fuiſſet (vt Hippocrates fecit) ſingulas ad amuſſim notas explicuiſſe; nam dum ſubiungit:* Et quiſquis dolor deorſum tendit, ſanabilior eſt, *id ex abrupto quodammodo feciſſe videtur: ſiquidem quum iam anteà frequentiùs id ab eo inculcatum ſit, fruſtrà hîc (vbi, ſi vſquam alibi, nimiſquam breuitati ſtuduit) eandem cantilenam, cuculi in morem, ſæpiùs cecinerit. Quare dum de iis qui ſurſum tendunt doloribus loquitur, referendum ad antedicta arbitror; ita vt humerorum dolores qui ad ſcapulas vel manus tendunt, ſanabiliores ſint ſi deorſum vergant.*

Singultus ſternutamento finitur.

SINGVLTVS, *ſicuti etiam conuulſio, ex inanitione æquè fit ac repletione; & qui ex inanitione fit, aut incurabilis eſt, aut curatu admodùm difficilis: qui autem à repletione fit, ſternutamento potiſsimùm ſoluitur; nam ſternutando non ſolùm cerebrum, ſed & ventriculus ob neruos qui à cerebro ad ſtomachum deriuantur, vehementer concutitur: quo fit vt violento hoc motu agitati humores peccantes euacuentur. auctor eſt huius ſententiæ Aphoriſmorum ſectione ſexta Hippocrates: Singultienti ſi ſuperueniant ſternutamenta, tollunt ſingultum.*

Longas deiectiones ſupprimit vomitus.

LONGAS *deiectiones vocat eas quas Græci* διαῤῥοίας*: atque quòd his ſponte ſuperueniens vomitus ſalutaris ſit, atque ab alui profluuio liberet, auctor eſt Hippocrates ſectionis ſextæ Aphoriſmorũ Aphoriſmo* XV.

idq; non

idq; non tantùm quòd materiam peccantem aliò reuellat; sed etiam quòd indicet naturam sibi constare, atque ad sese iam redire, atque adeò retentricem intestinorum virtutem quæ hactenus debilis fuerat, roborari.

Mulier sanguinem vomens.

MVLIERI sanguinem vomenti (inquit XXXII. Aphorismorũ sectionis quintæ Hippocrates) si menstrua eruperint, mali solutio fit; idq; auersione ad contraria loca facta: quare paßim monet Galenus, vt naturam ducem sequentes, mulieres hac paßione laborantes, misso ex vena sanguine curemus. vide librum De sang. mißione.

Quæ menstruis non purgatur.

NATVRA ita constitutum est mulieribus, vt statis temporibus singulis mensibus sanguine quodam impuro ac quodammodo fæculento purgentur: quod si quando minus fiat quàm pro consuetudine solebat, variis affectibus ob impuri sanguinis fuliginem, principem animæ sedem atque adeò vniuersum corpus lædi contingit: quare quum natura de poßibilibus, vt ait Philosophus, id quod melius est operetur, ac per debitos & à natura constitutos meatus abundantem illum sanguinem expurgare non poßit, per alia maximè conuenientia loca, id efficere conatur. atque huic quidem negocio opportunißimè se habent nares; post has hæmorrhoides: nonnunquam etiam quoties neutrum horum satis succedit, impuro illo sanguine, per vomitum sese exonerat: & quod magis mireris: Nouimus Furnis municipio Flandriæ Occiduæ, anno 1548. mulierem: cui quum forte fortuna elisus dens esset, mensésque subitò præter consuetudinem supprimerentur, illinc tanquam ex gurgite quodam multis repetitis vicibus, (atque id eo potißimum tempore, quo menstrua purgatione exonerari solebat) sanguis copiosißimus effluxit. cui quum primis diebus nequiquam operam nostram impenderemus, iudicauimus, vt postmodum euentus docuit, huiusmodi fluxum purgationem criticam esse, atque quàm minimè irritandum: quare quum consideraremus, quem esset habiturus finem sanguinis hic fluor, percepimus singulis mensibus repetere; idq; certis non solùm diebus, sed & horis, finirique pro menstruæ purgationis ratione. Atque hoc quidem quoniam quàm maximè à natura alienum esse (nisi ipse præsens animaduertissem & vidissem) putaui, asseribendũ ratus sum; idq; potißimum quòd locus iste hoc quoque efflagitare videbatur: nam & Galenus in Commento Aphorismi XXXIII. sectionis quintæ, Hippocratem quanquam dicat sanguinis è naribus fluorem bonum deficientibus menstruis (sicuti etiam hoc loco auctor noster) non tamen negare quin aliæ quæ natura fiunt duce purgationes, aut reiectiones prosint.

Quæ locis laborat.

LOCOS non vocat eas quas secundas Latini, Græci χορίον appellant (quanquam & iis à partu retentis, non inconueniens sit sternutatio) sed vterum: nam, vt Plinius libro XI. cap. XXXVII. Feminis, inquit, eadem omnia, prætérque vesicæ iunctus viriculus; vnde dictus vterus: quod alio nomine Locos appellant, hoc in reliquis animalibus vuluam. Atque ita quidem Hippocratem retulerit Celsus, qui sectione quinta Aphorismorum Aphorismo XXXV. ita scripsit: Mulieri quæ vterinis molestatur aut difficulter parit, sternutatio bonum: Per locos laborantes vterinam affectionem intelligens, vt docet Galenus eam quã strangulationem ab vtero nominant. Indicat autem sternutamentum virium robur: & quemadmodum paulo antè diximus, quæ fixius corpori adhærebãt, vehementiore cõcußione excernuntur.

Æstiua quartana ferè breuis est.

ÆSTIVÆ quartanæ, vt secundo Aphorismorum Hippocrates, magna ex parte breues sunt; autumnales verò longæ, maximè quæ hiemem attingunt, quòd videlicet, vt auctor est Galenus, æstate fere breues morbi accidant, calore nimirum ambientis aeris redundantes

dundantes humores per vniuersum corpus diffundente, ac meatibus corporis (quos πόρυς Græci nominant) patefactis, quàm ocyssimè discutiente. Autumnales verò longiores sunt, quòd æstatis calore vires imbecilliores sint factæ, neque ad expellendos humores noxios satis habiles, tum quòd humores in vniuersum corpus non ferantur, tum quòd ob autumnalis aëris inæqualitatem, ac ad frigus procliuitatem, pori obstrui incipiant. Hieme verò longissimæ sunt quartanæ, tum ob meatuum constipationem, tum ob humorum cruditatem.

Cui calor & tremor est, saluti delirium est.

QVAM sit hæc sententia vero consona, ego dubito: siquidem etsi Hippocrates Aphoris. sect. sexta Aphor. XXVI. Ὀκόσοισι ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει, hoc est, Quibus in ardentibus febribus tremores fiunt, iis delirium succedit, aut delirio soluuntur: non dixit tamen senex ille, delirium illis saluti esse; sed ex ardenti febri subsequi delirium: quod certè vt non minus periculi, quàm ardens febris secum affert, ita non possit quisquam rectè dicere, delirium ardenti febri superueniens saluti esse. Neque enim mirum est Celsum hîc lapsum esse, quum τὸ λύειν, amplam illi occasionem præbuerit: siquidem quum Hippocrates hac dictione non rarò omnimodam morbi solutionem intelligere soleat, nonnunquam etiam (vt rectè Galenus monet) morbi in aliam affectionem transmutationem, vt hoc quoque loco fecit: Celsus maiorem rationem habens humoris noxij qui ab vna parte in aliam feratur, quàm partis affectæ, quando delirio corripiuntur homines, τὸ λύειν, tanquam saluiferum interpretatus est; quum potiùs Hippocrates tremores seu τρόμους signum quodammodo instantis delirij posuerit, materia videlicet peccante quæ in febribus ardentibus intra vasa continetur, ad neruos translata: quo fit vt quum neruosum genus affectum sit, leuissima quaque de causa, neruorum principium (quod omnes vno ore cerebrum esse fatentur) coafficiatur; idq; potissimùm, quòd sua leuitate vel subtilitate bilis facillimè superiora petat, vnde & in ardentibus febribus, si tremores superueniant, deliria comitari consueuerunt.

Lienosis bona tormina sunt.

GENERALIVS nonnihil quàm Hippocrates Celsus de torminibus quæ superueniunt lienosis, pronunciatum reliquit: siquidem ille dysenteriam longam lienosis superuenientem suspectam adeò habuit, vt & mortis periculum portendere crederet. Dicit enim Aphorismorum sectione sexta Aphoris. XLIII. Quicunque lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, iis longa difficultate intestinorum facta, aut aqua inter cutem, aut intestinorum læuitas succedit, & moriuntur: quòd videlicet naturalia omnia munia ob hepatis imbecillitatem pessum eant: breuem verò dysenteriam adeò commendauit, vt morbi suspicionem omnem auferre diceret, expurgato nimirum humore lienem grauante. inquit autem tum in Aphorismis, tum in Coacis prænotionibus Hippocrates, Dysenteria non longa spleneticis vtilis est, longa verò mala.

Denique ipsa febris (quod maximè mirum, &c.

FEBRIS, sicuti corpori plurima incommoda affert, ita nonnulla etiam habet commoda: nam calore suo nonnunquam crassos ac lentos humores incîdit; quemadmodum iam antè de sideratione ex Hippocrate retuli, & in præsentiarum quoque auctor noster dicit. atque hac ratione præcordiorum dolores si sine inflammatione sunt, lenit: nam, vt sexto Aphorismorum Hippocrates, quibus dolor circa præcordia fit absque inflammatione, febris superueniens soluit. Cæterum hypochondriaci huiusmodi dolores, qui febre succedente sanantur, genere triplices sunt, vt in Commento docet Galenus: aut enim ab obstructione, aut à spiritu flatulento, aut frigida aliqua inæquali intemperie fiunt. Eôdem referre potes, quæ de iecinoris dolore Celsus asscribit.

& neruorum distentionem.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione quarta, Quicunque conuulsione, aut distentione affligitur, si febris succedit, morbum soluit: & sectione secunda, Melius est conuulsioni febrem succedere, quàm febri conuulsionem. Conuulsioni etenim superuenientes febres, superfluam dissoluunt humiditatem, frigiditatémque, quæ vtræque medicis sunt remediorum intentiones.*

& ex difficultate vrinæ.

QVEM *Græci* eileon *vocant, Celsus tenuioris intestini morbum periphrasticῶs nominat: verùm hic præter morem clarus admodùm est; nam præterquam quòd Hippocratis sententiam planißimè reddidit, rationem quoque eiusdem quàm potest breuissimè explicat, dum dicit,* si vrinam per calorem mouet. *nã* Hippocrates *febrem quidem leuare dicit; at qua ratione id faciat, subiicuit: dicit enim, Quibus à stillicidio vrinæ* eileos *superuenerit, intra septimum diem moriuntur, nisi febre succedente vrina satis effluat. Galenus certè quum neque ratio, neque experientia eorum quæ in hoc Aphorismo scribit* Hippocrates *indicet, veritatem ingenuè fatetur se ignorare; præsertim quum febris* eileo *seu volulo intestinis inflammationem patientibus nullo modo prodesse poßit. Quare* Leonarthus Fuchsius *intelligendum Aphorismum arbitratur ita, vt si* eileos *vrinæ stillicidio non succedat, tum demum superueniente febrem morbum soluere: quod certè nec Celsus, nec Græca Hippocratis lectio voluisse videtur, quæ ita habet:* Ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγινομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ. *quo fit, vt putem* Hippocratem *&* Celsum *existimasse aliquem esse volulum, qui non ab inflammatione, sed à materia frigida originem trahat, atque huic (confert enim febris morbis qui vel ex frigiditate fiunt aut sola, aut cum humoribus crudis, & pituitosis mixta, atque iis qui à spiritibus flatuosis fiunt) rectè mederi dixerint.*

At dolores capitis.

HIPPOCRATES *in Prædictionibus: Primùm quidem ex capitis doloribus aliqui sunt leues; aliqui multo grauiores: vtrosque verò hoc modo considerare oportet. Quicunque hebetem visum habent, & rubor quidem ipsis fit in oculis, & pruritus frontem vexat, his sanguis sua sponte manans opitulatur: atque hic modus necessariò simplex; neque id mirum est, quum & oculorum caligo, & rubor cum quadam frontis prurigine, sanguinis abundantis certa admodùm signa sint.*

Si capitis ac frontis dolores.

IAM *recitatæ sententiæ statim subiungit* Hippocrates, *Quibus verò dolores circa caput & frontem ex magnis ventis fiunt, & ex frigoribus, quum vehementer calefacti fuerint, eos grauedines quidem, quam maximè perfectè liberant. Prosunt autem & sternutationes, & mucci in naribus fientes, magis quidem sua sponte, si minùs coactæ. Celsus nescio quàm rectè à frigore & æstu indifferẽter grauedine aut sternutatione capitis dolores sanari dicit;* Hippocrates *ex frigoribus tantùm, quum vehementer calefacti fuerint: quare* τὸ aut æstu *in* τὸ ab æstu *commutârim, quasi dicat* post æstum: *ac sic rectè constabit sententia, & cuiuis satis obuia erit. necessum est enim pituitosis humoribus expurgatis, dolores quoque minui.*

Febrem autem ardentem.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione quarta, A febre ardente habito rigore superueniente, solutio. quem Aphorismum libro* De indicationibus *secundo ita interpretatur Galenus. In ardentibus, inquit, febribus singulæ accesßiones ad integritatem non perueniunt, quoniam qui earum est causa humor, haud expurgatur, sed vnà cum sanguine in venis continetur. verùm quando in iis bilis vehementius agitatur ac veluti*

efferuescit,

efferuescit, quúmque à natura impellitur, tum rigor superueniet, & soluitur febris.

Si in febre aures obtusæ sunt.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione quarta* Apho. LX. *Quibus in febribus aures obsurduerunt, iis sanguis è naribus profluens, aut aluus turbata morbum soluit. & eâdem sectione* Aphorismo XXVIII. *Quibus biliosæ deiectiones sunt, iis surditate superueniente desinunt; & quibus surditas præcedit, iis deiectionibus fluentibus finitur.* Nam *quum aurium dolor, à biliosa materia fiat, rationi consonum est, ea expurgata surditates quoque finiri.* Cæterùm *studio quodam biliosæ deiectionis, & ventris resoluti mentionem fecisse videtur* Celsus; *idq; vt doceret non solùm diarrhœa, sed & torminibus, & aliis quibusuis ventris biliosis deiectionibus surditates compesci : nam vt in indicationibus ait* Hippocrates : *Quibus in febribus aures surdescunt, ij necessariò febre non discussa delirant : quod quidem delirium sanguis è naribus fluens soluit, vel si venter solutus biliosa dimittat, vel si difficultas intestinorum superuenerit, vel coxendicum, vel genuum dolor.*

Quibus in fistula vrinæ.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione quarta : Quibus in vrinaria fistula tuberculum oritur, iis suppuratione facta, aut eruptione, mali solutio fit. Fit autem solutio, aut (vt* Celsus *loquitur)* sanitas redditur, *sedato dolore, & vrina profluēte: solent enim huiusmodi tubercula, vt rectè monent* Galenus *&* Philotheus, *dolores excitare, & vrinam propter tumorem supprimere; vnde consequens est solutionem fieri post vrinæ eruptionem.* Alij abscessus *loco* apices *hîc legere malunt.*

Contrà, si caput febre continenti dolet.

DIGREDITVR *iam ad aliud signorum genus, id videlicet, quod in quouis morbo periculum instans præsagiat, ac statim inter initia, indissolubilem quendam ceu Gordium nodum nobis reliquit; adeò vt dum interpretationi studeremus, ac locum loco reddere conaremur, quid tandem in medium proferremus, hæsitabundi substiterimus: nam quantumuis ea quæ de dolore capitis citra vllam excretionem variis locis Hippocratis applicari queant, ea tamen quæ de ætatibus adiungit, iisdem nulla ratione accommodari possunt.* Nam quod Hippocrates *in indicationibus dicat,* Puris *per nares, aut aures eruptione capitis dolores solui, mirum non est: quum idem eosdem ex bile in initio statim fieri dixerit, ac quòd capite dolentes periculo non vacant, nisi aliquo modo expurgentur, tum alibi, tum libro quem* De *morbis inscripsit manifestum fecit: quod vt clarius fiat, vnum aut alterum exemplum subiungemus.* Dicit *autem : Si venæ circa cerebrum sanguinem euomuerint, ac cerebrum calefecerint, febris emergit fortis, & dolor ad tempora, & sinciput, & posteriorem capitis partem, & aures tinniunt, & flatu implentur, & nihil audit, & anxius est, & seipsum præ dolore iactat : hic sexta aut quinta die moritur. Quum sic habuerit, caput ipsius calefacito; si enim per aures aut nares aqua eruperit, mortem effugit.* Et *paulo antè de alio morbo :* Dolor, *inquit, caput corripit, & si paululum moueatur, bilem euomet; quandoque etiam difficulter vrinam emittit, & desipit; quandoque septima die moritur, & nona quoque & vndecima septimam transgressus, si non eruperit per nares, aut aures; si verò eruperit, euadit : fluit autem aqua subbiliosa; deinde temporis progressu putrefacta, pus fit.* Quod Celsum *nostrum omnino voluisse crederemus, nisi ætatis puerilis meminisset, quod nusquam* Hippocratem *fecisse comperimus : quare aut mendum hîc subesse suspicamur, aut* Celsum *pueris huiusmodi periculum ascripsisse, quod per victus incontinentiam, in biliosos potissimùm morbos incidant : quales sunt, & febres continentes, & capitis dolores. qui nisi bilis purgatione soluantur, lethales admodùm sunt, & quàm ocyssimè interiment.*

In pulmonis morbo.

DICTVM *antè est, screationem quæ citò inter initia sit, atque leuiter fertur, bonam esse; malámque quæ ei contraria sit, hoc est quæ post principia, puta post septimum diem fiet, & quæ cum difficultate excernatur, qualis ea quoque est quæ tußim mouet.*

Quantoque magis mixtos.

HIC *varietatem excreationis vituperat, ac deteriorem dicit quo magis mixtos colores, neque inter se diuisos præ se ferat, quòd videlicet talis non solùm materiæ malitiam, sed & cum varietate multitudinem quandam denotet, ad cuius concoctionem & excretionem vix vires suffecerint, quum omnes ex æquo humores peccent.*

Et tamen nihil peius est.

HIC *aliud longè inferre videtur, quàm iam antè pronunciauit: quum, si quis rem penitiùs inspiciat, hæc cum antedictis maximè conueniant: nam quamuis exscreationes eò peiores iam antè dixerit, quo magis mixtos colores, neque inter se diductos aut separatos habeant, non sequitur tamen Celsum iam cõtrarium astruere, quum omnium peßimas sinceras dicit: nam quæ mixtæ sunt, neque vnum aliquem præ se ferunt colorem, quantumcunque varietatem humorum peccantium denotent, non tamen vnius alicuius humoris in summo excessum, quod sinceræ faciunt, portendent. Appellantur enim sinceræ tum deiectiones, tum exscreationes, Galeno teste, quæ vnum aliquem dumtaxat, qui excernitur, humorem cæteris impermixtum habent: ac quòd hæ malæ sint, paßim docet* Hippocrates; *nam deiectiones, inquit, in sinceras spumosasque desinentes, exacerbant. & in* Prædictionibus: *Screatio flaua si sincera est, cum periculo est: nam quiuis alius humor præter sanguinem, si sincerus fuerit, prauam indicat affectionem, quæ à flammido calore obtineat generationem.*

Siue ruffum est, siue cruentum.

QVONIAM *hæc periodus ex Hippocrate, vt totus ferè hic Celsi liber, transsumpta est; senis Coi verba, vt hactenus feci, asscribam: verùm quoniam ne sic quidem satis clara reddetur sententia, breuiter ex Galeno enarrationem subiiciam. Inquit autem in* Prædictionibus Hippocrates: *Si quis longè post principium doloris expuerit quod flauum est, aut fuluum, aut quod multam tußim inducat, & non valdè permixtum est, deterius est: nam & flauum meracum periculosum est; & album, & viscosum, & rotundum inutile est: malum est & quod viride valdè est: itémque pallidum & spumosum. Si verò ita fuerit meracum, vt etiam nigrum appareat, hoc etiam deterius est quàm illa. Malum etiam est si nihil repurgetur, neque emittat pulmo, sed plenus ferueat in gutture. Grauedines & sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis, & antecessisse & succedere malum est. at in aliis morbis lethalißimis sternutationes prosunt. Omnia sputa sunt mala quæ dolorem non sedant; peßima verò sunt nigra. Hactenus* Hippocrates: *quem auctor noster dum reddere studet, nonnulla inuertit, ac alia quodammodo suo more confundit: nam pro non admodùm permixtis excreationibus, valdè permixtas reddidit; idq; qua ratione, iam antè dictum est: quanquam si quis hic mendum subesse putet, ac τὸ* magis mixtos, *in τὸ* minùs mixtos, *Hippocratem secutus, conuertere malit, per me integrum est. Sed neque contentus hoc loco ab* Hippocrate *desciuisse Celsus, album, ruffum, glutinosum, pallidumque sputum sine vllo discrimine eodem habuit loco; quum* Hippocrates *in his maximum discrimen statuerit: siquidem vt sanguineæ ac pituitosæ affectiones modestißimè se habent, ac ægrotationes quæ ab atra aut pallida fiunt bile difficiliores; ita (quod ad periculum attinet,) meritò primas obtinuerint atrabilariæ, ac biliosæ, quales nigra sunt ac flaua: post has pituitosæ, in quo albo glutinosæ ac candidæ sunt.*

At quod ad horum colorum causas attinet, vt in Commento docet Galenus, flauus redditur vbi serosus ipse humor assatur, quo permixto croceus ipse apparet: rubiginosus verò vbi vehementer assatur: niger verò, aut quoties ipse vehementer assatur (quæ sanè deterrima & quammaximè derodens atra bilis est) aut vbi crassus sanguis similiter exiccatur, aut vbi calor naturalis extinguitur, ac refrigerationis periculum imminet; vnde non immeritò pessimas omnium nigras excreationes vocat. Spumantes autem excreationes, quanquam per se inutiles sint, vti pituitosæ omnes exputiones, si tamen tantummodò parùm spumârint, inter exitiosas omnino non veniunt numerandæ: siquidem quum fiant ex aëria & glutinosa substantia pariter mixtis, facilè resoluentur, nisi & pituita crassior fuerit, & nebulosam turbulentamque materiam continuerit, vnde spumam quæ & vehemens sit, & quæ difficulter resoluatur longùmque tempus duret, consequi ratio est. Sternutamentum verò quum aliis morbis salutare sit, hic malum ominatur, quòd & distillationes magna ex parte subsequatur, quæ malis humoribus pulmonem repleat, & quòd quum eo vehementer concutiatur thorax, pulmonem vitiet atque ad distillationes suscipiendas habiliorem reddat.

Periculosissimumque est, si hæc, &c.

NON omne alui profluuium pleuritidi ac peripneumoniæ succedens malum dicendum est. Est namque quum in mediocri pulmonia, aut morbo laterali aluus turbata bono sit, idq; si materia peccans expurgetur, & concoctionis aliqua signa appareant. In vehementi tamen pleuritide, aut peripneumonia superueniens diarrhœa est lethalis admodùm, atque exitialis, vt docet Hippocrates Aphorismorũ sectione sexta Aphor. XVII. quòd significet membris spiritalibus læsis naturalia coaffici, neque naturam functiones suas obire posse. Quare verisimile quoque est Celsum nostrum non de quauis pulmonia, sed vehementi tantùm locutum: nam & ea quoque quæ hucusque retulimus, magnitudinem morbi indicabant.

Ex iocinore si pus cruentum.

SENTENTIA hæc paulo antè, capitis huius videlicet § quinto, explicata est, desumptaque ex sectionis septimæ Aphor. VII.

At ex suppurationibus.

HVC accommodare potes quæ § sexto & septimo huius capitis retulimus.

Atque ex his quidem suppurationibus.

DE vtrisque ætatibus scriptum reliquit Hippocrates: nam in Prædictionibus, Qui purulenti, inquit, ex pulmonia sunt, si maiores natu fuerint, citiùs intereunt; per alias verò suppurationes minores natu potiùs moriuntur: nam ad sanationem peripneumoniæ, opus est viribus robustis ad excreationem, quæ in ætate declinantibus etiam declinant; in iunioribus autem adhuc validæ sunt. Aliæ autem suppurationes iunioribus potissimùm suspectæ sunt, quòd quum magna ex parte calidi ac biliosi sint natura, ad febres ac deliria oportuniùs sese habeant: ac de iis quidem in iisdem Prænotionibus ita scriptum reliquit Hippocrates: Aurium dolor acutus cum febre continua ac vehementi difficilis est; periculum enim delirij, abolitionisque imminet. quia igitur fallax hic locus est, citò etiam animaduertere omnia alia indicia à primo die necesse est, natu minores septimo die, aut citiùs, ab hoc morbo interimentur; natu verò maiores multo tardiùs.

At in tabe sputum mixtum.

QVÆ suppurantur, inquit in Prædictionibus Hippocrates, dum screatio biliosa est, exitiosa admodùm sunt, siue vicissim bilis ac pus, siue simul excernantur: quod Celsum per sputum mixtum ac purulentum voluisse verisimile est. Quæ subiungit de febre, siti, tenuique corporis constitutione si contraria

omnia ad tabidorum sanationem facere diximus, hæc plurimùm obesse necessarium est.

Si quis etiam in eo morbo.

VIDES quanta breuitate multas in vnum Hippocratis sententias cogat: nam sectionis quintæ Aphorismum vndecimum & duodecimum, & secundi libri Prognosticῶν Aphorismum XXXV. complectitur: siquidem hîc ita scriptum reliquit Hippocrates: Pingue telis aranearum simile in vrinæ superficie natans, damnandum est; indicat enim consumptionem. In Aphorismis autem: Qui tabe molestantur, si sputum quod extußiunt, graueolet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale est: &, quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, iis alui superueniente profluuio moriuntur. Et XIIII. eiusdem sectionis: A tabe habito profluuium alui superueniens lethale est. Hæc enim omnia maximam naturæ imbecillitatem denotant. Nam capillorum defluuium, citra maximum alimenti defectum aut humorum corruptionem fieri non potest; alui autem profluuium virium imbecillitatem comitari solet.

Vtique si tempus autumni est.

QVANQVAM autumnus exquisitè inæqualis dicatur, non possumus tamen negare, quin ad frigidum & siccum tendat. Quare quum æstatis præcedentis calore, corpus nostrum rarum ac perspiratu facile redditum sit, ab autumni tum inæqualitate, tum frigiditate, tum etiam siccitate, exhaustum exuccumque tabidorum corpus, leuißima de causa afficitur: quo fit vt non solùm autumnum in Epidemiis tabidis malum dixerit Hippocrates; sed & ver, quando ficus folia cornicis pedibus similia habet, hoc est ipso veris principio, quando videlicet hiemem aliqua ex parte refert, & quando minimè constans ac temperatum est.

Item pus expuisse in hoc morbo.

HIPPOCRATES sectione septima, Aphorismo XVI. A puris sputo tabes & fluor: quum verò sputum retinetur, moriuntur; quia videlicet significat facultatem expultricem imbecillam adeò esse, vt pulmonem per screationem ampliùs liberare non poßit: vnde periculum est interceptionis spiritus, & suffocationis.

Solent etiam in adulescentibus.

HIPPOCRATES secundo Prædictionum: Quicunque verò pectore suppurati facti fuerint, dum iuuenes sunt, ex humorum illapsu aut fistula, aut alio quopiam huiusmodi, aut ab abscessus recursu, hi non euadunt nisi multa bona signa ipsis accesserunt: pereunt autem homines hi ad autumnum. Sed & ex aliis morbis longis plerique ad hoc tempus maximè moriuntur. Cæterùm ex aliis minimè superstites manent, & virgines, & mulieres, quibus ex suppreßis mensibus tabes orta est. Si verò aliqua virgo aut mulier euasura est, & aliorum signorum bona multa accedere oportet, & menses splendidè ac purè apparere, aut nulla spes est. Quæ virginibus tam Celsus quàm Hippocrates asscribunt, antè dixi. verùm Celsus hîc, vt antè quoque, super tabem menstrua supprimi dicere maluit, quàm cum Hippocrate, à suppreßis mensibus tabem oriri; idq; quòd præsentißimum remedium censuerit mulieribus, aut virginibus tabe laborantibus, puram splendidamque mensium purgationem.

Cui verò sano subitus dolor capitis.

HIPPOCRATES sectionis sextæ Aphorismis LI. & LII. Si quibus bene valentibus dolores capitis repentè accidunt, statimque obmutescunt & stertunt, intra septem dies pereunt, nisi febris apprehendat. Considerare verò oportet oculorum per somnum suspectiones: si quid enim candidæ partis commißis palpebris appâret, neque ex alui profluuio, neque ex purgantis medicamenti potione istud contingat, prauum est signum, & admodum exitiale. Quos Aphorismos,

metathesi quadam verborum usus auctor coniunxisse videtur. Est autem illi sermo de apoplexia, quam (ut antè iam dictum est) vehemens febris igneo suo calore dissoluere poterit, crassis nimirum & pituitosis humoribus extenuatis.

At aqua inter cutem si ex acuto morbo.

HIPPOCRATES *in Prognosticis, Aqua inter cutem omnis, si ex acuto morbo existit, mala est: non enim sedat febrem, sed dolorem admodùm infert, ac mortem, feréque incipit ex parte inani, ac lumbis iecoréque.*

æquè in ea quoque tussis spem tollit.

AQVA *inter cutem laborantibus, inquit* Hippocrates *sectione sexta* Aphor. XXXIII. *Si tussis supervenerit, malum est: nam significat aquosum humorem ita adauctum, ut iam asperam etiam arteriam occupet, atque adeo suffocationis periculum immineat. Nam & quum tussiendi cupiditas sit (ut in Præsagiis* Hippocrates*) nihil excreant commentatione dignum, destituti videlicet facultatibus naturalibus, quum earum origo iecur affectum sit.*

Item si sanguis sursum deorsuméque.

HIPPOCRATES *secundo Prædictionum, Cui verò multum sanguinis sursum ac deorsum eruperit, & febris insuper accesserit, eum multa aqua repletum iri timor est: atque hic hydrops brevissimi temporis est, ut ex quo paucissimi evadunt. verùm de hoc alteri priùs significare oportet. At quibus magni tumores facti emarcescunt, ac rursus attolluntur, hi magis convalescunt, quàm illi qui ex sanguinis eruptione implentur: verùm fallunt hi hydropes ipsos ægrotos, faciuntq; ut ipsi à medicis discedant, atque pereant. Cæterùm quæ à sanguinis illa eruptione oritur hydrops, ut impeditam sanguificationem ab universi corporis refrigeratione ac caloris innati omnimoda extinctione significat; ita etiam maximum periculum indicat.*

Illud iure aliquis mirabitur.

QVI *suppurati (inquit* Hippocrates *sexta Aphorismorũ sectione* XXVII. *Aphorismo) aut aqua inter cutem correpti uruntur, si pus aut aqua confertim effluxerit, omnino intereunt: idq; quòd copiosa hæc puris aut aquæ evacuatio spiritus vitales exsolvat, atque deliquium animi inducat: sicuti fieri videmus, ut ait* Celsus, *in iis qui quum sani sint, ex vulnere exangues fiunt.*

Articuli verò qui sic dolent.

SECVNDO *Prædictionum* Hippocrates: *Quicunque, aut senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnosè vivunt, aut siccam alvum habent, hi omnes sani fieri non possunt humana arte, quantum ego novi. Sanant quidem hos optimè dysenteriæ, si successerint.* Celsus *leniri quidem, cæterùm ex toto solui non posse dicit, neque ullam ærumnosæ vitæ aut siccæ alvi mentionem facit; quòd, ut habet ille, soluere nodosam nescit medicina podagram: quanquam ad tophaceos illos callos in iunioribus remedia satis multa, eáque efficacia, tum veteres tum recentiores excogitârint.*

Morbus quoque comitialis.

HIPPOCRATES *secundo Prædictionum: Ex his porrò qui à sacro morbo corripiuntur, difficillimè quidem liberantur hi quibus à puero contingit morbus, & simul ad virilem ætatem pervenit; deinde hi quibus corpore in vigore ætatis constituto factus est, & fuerit à vigintiquinque annis ad quadragesimum quintum. Post hos autem quibus factus fuerit morbus, nullam significationem præbens, ex qua corporis parte initium sumat. At quibus ex capite initium capere videtur, aut à latere, aut à manu, aut à pede, faciliùs curantur. Poteris huc accommodare*

commodare quæ iam antè de conualituris epilepticis diximus, vbi horum ferè omnium rationem reddidimus.

Si verò aut mens læsa est.

ELEGANTI periphrasi fortem sideratio-nem (apoplexian Græci vocant) expresserit, si τὸ aut in & commutaris: in ea enim & mens læditur, & quum animalis facultas ventriculis cerebri obstructis intercipiatur, neruorum resolutio sequitur; ita vt non rarò auctor noster, per neruorum resolutionem, simplicem, atque paruam apoplexiam intelligat. Atque quòd huiusmodi sideratio perniciosa sit, neque curationem admittat, docet Hippocrates XLII. Aphorismo sectionis secundæ: Apoplexiam soluere fortem impossibile &c: verùm quoniam in sequentibus eundem Aphorismum repetit, ne ταυτολογίας accusandus veniat Celsus, paulo aliter hic locus interpretandus videtur, ita vt mentis alienationem, ac neruorum resolutionem in omni morbo malam dicamus. sic eiusdem sectionis Aphorismo XXXIII. In quouis morbo, inquit Hippocrates, mente constare, & benè se habere ad illa quæ offeruntur, bonum; contrà verò se habere, malum: quòd videlicet significet cerebrum ipsiusque membranas affectas.

Deiectionibus quoque si febris accessit.

HIPPOCRATES secundo Prædictionum: Dysenteriæ si quidem cum febre inuaserint, aut variis alui egestionibus, aut cum hepatis inflammatione, aut præcordij aut ventris, aut quæ dolorosa fuerint, aut cibos intercipiunt, sitímque inducunt, hæ omnes malæ sunt, & quæ sanè plurima horum malorum habuerint, citissimè peribit; cui verò paucissima talium fuerint, huic plurimæ spes sunt. Moriuntur autem ex hoc morbo maximè pueri, qui quinquennes; & seniores adhuc decennes: reliquæ ætates minus. Repetitur hæc sententia, tum epidemion VI. partic. VIII. Aphoris. I. tum Aphorismorum sectione VI. Aphoris. III. in hunc modum: In diuturnis intestinorum difficultatibus cibi fastidia malum portendunt, & si cum febre accidant, peiora. Neque enim singula hæc enumerata mala exitium statim portendent, nisi longas dysenterias comitentur; nam alioqui nisi multa concurrant, spei aliquid reliquum erit. Quod autem de varia aluo dicit, hoc est de variis alui egestionibus, etiamsi Aphorismorum sectione secunda Hippocrates in alui profluuiis excrementorum mutationes iuuare dicat, nisi ad mala fiat mutatio: non tamen temerè id fecisse videtur; præsertim quum verisimile sit, in tanta prauorum signorum syndrome, excrementorum etiam mutationes ad malum fieri: atque sic quidem quàm maximè periculum augebunt, quòd nimirum varietatẽ materiæ peccantis denotent. Nam (vt quarto Aphorismorum Hippocrates) Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, spontè venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius; cum medicamento verò, melius; & quanto colores plures non praui.

Mulier quoque grauida.

HIPPOCRATES paulo post in Prædictionibus iam iam citatum locum: Quæ, inquit, & vterum gestant, etiam superstites magis euadunt ad partum, & ex partu, & fœtus conseruant, sanguine & ramentis egestis, etiam per multos menses, nisi dolor ipsis affuerit, aut aliud quoddam malum signum, ex his quæ in dysenteriis fieri scripsi, accesserit. Si verò aliquod illorum apparuerit, & fœtui perniciem significat, & prægnanti periculum, si non post fœtus effugium, & secundæ exolutionem ipsa dysenteria eàdem die, aut post modicum tempus desinat.

Quinetiam tormina ab atra.

DYSENTERIÆ si ab atra bile incœperint, inquit Hippocrates Aphorismorũ IIII. Aphor. XXIIII. lethalis est, quòd, vt docet Galenus, à cancro vlcerato quàm minimum differat: sinceræ autem nigræ deiectiones

non solùm in extenuatis corporibus à torminibus periculosa sunt, sed in omnibus ex æquo morbis, quòd atræ bilis dominium portendunt.

aut intestinorum læuitas.

QVAMVIS hæc possint etiam de torminibus accipi, sicut quotquot hodie typis excusa exemplaria extantia, indicare videntur, ita vt si lienteria dysenteriis succedat (dictum est enim abrasis intestinis longis, ab intestinorum difficultate, eorundem læuitates superuenire) vt boni secum nihil affert, ita si simplex sit, non omnino exitiosa est, & non nisi aliis malis signis concurrentibus mortem præ foribus ostendit; cuius generis sunt quæ hic enumerat Celsus. Tamen quoniam Hippocrates secundo Prædictionum (vnde hæc desumpsisse Celsum certum est) læuitatis intestinorum, quæ & diutina fuerit, & continua, & huiusmodi praua accidentia coniuncta habet, meminit: læuitates intestinorum à torminibus separatim intelligere visum fuit, vt τὸ aut, in at, mutatis distinctionibus conuertatur, expuncto nimirum colo ante τὸ periculosior. Dicit autem in Prædictionibus Hippocrates, Læuitates porro intestinorum lienteriæque Græcis nominatæ, quæ quidē sunt continuæ, & diuturnæ, & per omnem horam, & cū strepitibus, & sine strepitibus exturbantur, & similiter noctu & interdiu incumbentes, & egestione subeunte aut valdè cruda, aut nigra & leui & graueolente, hæ omnes malæ sunt; nam & sitim inducunt, & potum non ad vesicam promouent, vt per vrinam eiiciatur; & os exulcerant, & ruborem eleuatum in facie efficiunt, & maculas solares varios colores habentes: simul autem & ventres emollitos & sordidos, & rugosos reddunt. Ex talibus autem homines impotentes fiunt ad cibum capiendum, ad deambulandum, ad faciendum alia quæ facere debent: estq; morbus hic grauissimus senioribus; vehemens etiam viris; reliquis autem ætatibus multo minor. hucusq; Hippocrates. Neque mirum est concurrentibus huiusmodi signis lethalem esse lienteriam, quum ab exulceratione summas partes occupante oriri certum sit; quando & sitim inducant, & ruborem in facie eleuatum efficiant: &c. siquidem malè affectus ventriculus non solum non rectè naturalia obit munia, verùm etiam nonnunquam maximè contraria operatur; sic ab infernis particulis interdum aliquid ad sese allicit, vnde contingit faciem varicoloribus tingi maculis, vt abundè de symptomatum causis Galenus.

si verò in tenuiore intestino.

MORBVM tenuioris intestini vocat eum quem ειleon, chordapson, aut volulum vocare solemus: est autem lethalis, ac (vt paulo pòst infert Celsus) fere septimo die interimit. Cæterùm qui volulo afficiuntur, nihil per inferiora excernunt, estq; hoc proprium & inseparabile huic paßioni (vt docet Galenus) vt nihil ad inferiora descendat. Sed neque vomitus semper & necessariò ειleum concomitatur, sed tum demum quando is exitialis est, & si quando vehementiùs distorquentur, stercus ipsis ad superiora fertur, atque singultiunt: quidam etiam desipiunt conuelluntur que, neruorum principio compatiente stomachi affectui. quare rectè ex Hippocratis Aphorismorum septimo, Ab ειleo vomitum, singultum, desipientiam, neruorumq; distentionem malum esse dixit Celsus.

At in morbo arquato.

HIPPOCRATES sexto Aphorismorum Aphorismo XLII. Morbo regio correptis iecur durum effici malum est: significat enim iecinoris duricies, vel inflammationem in ipso esse vel durum tumorem, quorum vtrumque malum est & lethale.

Quos lienes malè habent.

HIPPOCRATES Aphorismorum sectione sexta, Aphorismo XLIIII. quicunque lienosi à difficultate intestinorum corripiuntur, iis longa difficultate intestinorum facta, aut aqua inter cutem, aut læuitas intestinorum subit, & moriuntur. Celsus per omnia Hippocratem reddidit, nisi quòd longitudinis

gitudinis torminum non meminerit, satis mali lienosis afferre suspicatus, si tormina, vel in aquam intercutem, vel lienteriam conuertantur: neque enim in lienteriam commutabuntur, nisi abrasis prius intestinis; neque in aquam intercutem, nisi abolita temperie innati caloris, compatientibus simul hepate, liene, venosóque in vniuersum genere cum intestinis.

Morbus intestini tenuioris.

QVANQVAM acutus admodùm, ac ferè lethalis sit intestini tenuioris morbus quem eleon vocari diximus; non tamen intra septimum diem semper occidit: est enim quum à pituita frigida, quam vitream Praxagoras appellat, generetur; atque hæc quidem in longum producitur tempus. Quare an rectè hic dixerit, videant alij: ego certè Celsum puto voluisse XLIIII. Aphorismum sectionis sextæ explicare, præsertim quum iam duos ordine Aphorismos recensuerit: verùm quando ab hoc quàm maximè variet, nescio aut quomodo cum Hippocrate componi possit, aut quomodo id quod de suo in medium protulit, explicandum sit; potißimùm quum ea quæ scribit non cohæreant satis: nam quod dicit nisi resolutus est, videtur velle innuere potiorem elei causam esse frigiditatem quæ calore aut alio quouis modo resoluatur: quum, vt ait Galenus libro De naturalibus facultatibus, inflammationes magis pariant volsuli: qui quantumuis mali sunt, non tamen semper intra septimum interimunt: est tamen vbi præsens secum afferant periculum; videlicet quoties ex vrinæ stillicidio oriuntur. Nam, vt in Aphorismis Hippocrates, Quibuscunque ex vrinæ stillicidio volsulus accedit, ij intra septem dies pereunt, si nō febre orta, satis vrinæ profluxerit.

Mulier ex partu si cum febre.

QVANQVAM ex suo deprompserit hæc promptuario Celsus, non tamen citra omnem rationem dicta sunt: nam quum mulieres à partu non probè purgatæ in febres aut capitis dolores acutißimos incidant, materia sursum repente; non iniuria mortis periculum incurrent: idq; imprimis, quum & partus doloribus exagitatæ viribus imbecillioribus sint, & continuis capitis doloribus & febribus vehementibus detineantur.

Si dolor atque inflammatio est.

HIPPOCRATES in Prognosticis, crebram spirationem, dolorem aut inflammationem quæ supra præcordia fatiget, significare dicit: hîc autem malum signum dicit Celsus, si thorace inflammato, aut dolente, crebrior atque idem repetitus spiritus reddatur: cuius rationem iam antè reddidimus; quare rectè huc accommodaueris, quæ de spiritu raro in medium protulimus.

Si sine causa longus dolor capitis.

HIPPOCRATES in Prædictionibus: Quibus autem dolores sine manifestis caußis fiunt, & diuturni, & in toto capite, sintq; ipsi & graciles, & debiles; his prædicendum est, morbum longè grauiorem priore esse. si verò etiam ad collum, & ad dorsum descendat caput relinquens, ac rursum ad caput recurrat, adhuc grauior fit: verùm omnium horum grauißimus est, si ex capite ad collum, ac dorsum tendat. Vtilitates autem his ex absceßibus fore expectandum est, aut vbi pus per tußim reiecerint, aut hæmorrhoides habent, aut pustulas in corporibus enatas; confert etiam caput furfures habens. Torpores & puncturæ pruriginosæ, velut ab vrtica, quibus per caput discurrunt, aliquando per totum, aliquando per aliquam partem, sæpe verò & frigiditas aliqua ab ipsis sentiri putatur velut per caput discurrere; hos etiam interrogare oportet, an etiam ad summam linguam punctura illa procedat: si enim hoc fecerit, perfectus morbus fit, & qui difficilius submoueri poßit; verùm absque hoc facilis est. Modi verò vtilitatum consequendarum ex absceßibus contingent veluti antè scriptum est: sed tamen abscessus in his minùs succedunt, quàm in illis. Quoscunque verò vnà cum doloribus

vertigines

vertigines corripiunt, malum ægri exolubile ac furiosum existit; senibus autem maximè hic modus fit. Quæ omnia Celsus accuratissimè reddidit; nisi quòd pro capitis furfuribus, pruriginem nescio quàm appositè transtulerit, & quod abscessus purisque reiectationes, quæ Hippocrates seiungit, confuderit; ad hæc quòd hæmorrhoïdum non meminerit, & quòd vertigines cum dolore, exitiale omnino malum, præterierit.

In coxæ verò doloribus.

HIPPOCRATES *secundo Prædictionum: De coxendicum morbo sic considerationem facere oportet. Quibuscunque senioribus torpores vehementissimi fuerint, perfrigerationes tum lumborum, tum crurum, & qui pudendum arrigere non possunt, & quibus aluus non egerit nisi ad necessitatem coacta, & prodit ipsis multus stercoraceus muccus, his maximè diuturnus morbus erit; prædicendumque est annum vt minimùm duraturum morbum esse ab eo tempore quo incepit, & opem ad ver & æstatem expectandam esse. Celsus hic iterum arrectionis pudendi mentionem nullam facit, cuius certè inter reliqua meminisse debebat, quòd videlicet morbi magnitudinem, si quod aliud, portendat; significat enim vesicam, atque adeò spermatica vasa, reliquáque genitalibus inseruientia ex nimio dolore molestiam aliquam transsumpsisse. Præterea Cornelius noster vere ac autumno morbum solui dicit; Hippocrates vere ac æstate, resolutis nimirum humoribus frigidis qui dolorem conciliabant æstatis calore: quare, nisi quid obstet, pro* τῷ autumno, τὸ æstate *legere malim; quum certum sit affectionem hanc non solùm non autumno finiri, sed tum potissimùm accessiones suas facere, atque exacerbare.*

Difficilis æquè curatio est.

DIXIMVS *antè ex secundo Prædictionum, dolores humerorum si ad manus perueniant, solui vomitu puris, aut atræ bilis: nunc autem ex hoc infert Celsus, exitiosos esse huiuscemodi morbos, nisi puris aut bilis atræ vomitu leuentur.*

Quacunque verò parte corporis.

HIPPOCRATES *in secundo Prædictionum, Quibus vnà cum hoc quòd mouere non possunt, morbosa corporis pars extenuatur, hi in sanitatem restitui non possunt: quibus autem colliquationes non accesserint, hi euadent. Colliquatum enim aut emacrescens membrum nutricatione planè destituitur.*

Omnique resolutioni neruorum.

NON *solùm resolutioni, sed & omnibus aliis morbis autumnus malus est (vt alibi testatur Hippocrates) sua inæqualitate: hiems etiam sua frigiditate & humiditate paralysi, aut siderationi admodùm infesta est; æstas contrà calore suo aut siccitate eandem resoluit. Reliqua iam antè diximus. Nam notus alioqui per se satis est Hippocratis Aphorismus: Soluere morbum quem apoplexiam vocant, fortem, impossibile; debilem verò, non facile.*

Mulieri grauidæ.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione quinta Aphor.* XXXVI, & XXXVII. *Mulieri vtero gerenti si mammæ repentè graciles fiant geminos habenti, alterum abortit: & si quidem mamma dextera gracilis fiat, marem; si verò sinistra, fœminam: quòd videlicet gracilescentes mammæ ostendant fœtui alimentum deficere. Nam quum communes quædam venæ sint mammis & vteris, fit vt quando in venis parum contineatur sanguinis, gracilescant vbera, vnde inedia perimi fœtum contingit.*

Quæ neque peperit.

HIPPOCRATES *quinto Aphorismorum Aphorismo* XXXIX. *Si mulier quæ neque peperit, neque grauida est, lac habet; huic menstrua defecerunt: nam quum, vt dixi, communes venæ sint mammis & vtero, contingit puriorem menstrui sanguinis portionem,*

tionem, quem alioqui natura duce per matricem expurgari conueniebat, ad mammillas regurgitare, atque inibi in lac conuerti.

Quartana æſtiua breuis.

HVC accommodare potes quæ ex Aphoriſmis hoc capite in hanc ſententiam protulimus.

Si ſanguis profluxit.

HIPPOCRATES ſeptimo Aphoriſmorum Aphoriſmo IX. A profluuio ſanguinis deſipientia ac conuulſio malum; &, à vehementi ſanguinis profluuio conuulſio, malum: oritur enim conuulſio huiuſmodi ab inanitione; quare & lethalis eſt. Delirium autem à ſiccitate membranarum cerebri fit.

Itemque ſi medicamentis purgatum.

EIVSDEM planè argumenti cum iam dicta eſt hæc ſententia, repetiturque ab Hippocrate multis locis: nam Aphoriſmorum quinto, Aphoriſmo quarto, ex ſuperflua purgatione conuulſio aut ſingultus ſuperueniēs, malum eſt. & primo eiuſdem ſectionis: Conuulſio ab helleboro lethalis eſt. & rurſum ſectione ſeptima Aphoriſmo XXV. A purgantis medicamenti potione conuulſio lethalis eſt.

aut ſi in magno dolore.

HIPPOCRATES ſeptimo Aphoriſmorum Aphor. 26. in vehementi ventris dolore frigiditas partium extremarum, malum ſignificat. Celſus hîc ventris non meminit, vel quòd putaret in omni ventris dolore, malam eſſe extremarum partium frigiditatem, vel quòd magna ex parte inflammationem interiorum partium denotet. Sic alibi quoque in acutis morbis extremarum partium frigiditatem vituperat.

Neque is ad vitam redit.

HIPPOCRATES Aphoriſmorum ſecundo, Aphoriſ. XLIII. Qui ſtrangulati ac diſſoluti nondum mortui, non referuntur quibus ſpuma circa os fuerit. quòd videlicet ſpuma hæc violentiam pulmonis ac ſpiritalium partium denotet.

Aluus nigra ſanguini atro ſimilis.

HIPPOCRATES Aphor. ſectione quarta Aphor. XXI. Deiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, ſponte venientes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, peßimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius. Celſus varicolores deiectiones hîc omiſit, quòd antè eorum meminerit. Reliqua ex antecedentibus clara ſunt; multa nanque hoc capite, tanquam per tranſennam, tranſcurrimus, quòd iam antè aliqua ex parte enarrata eſſent.

CAPVT IX.

De morborum curationibus.

COGNITIS indicijs, quæ nos vel ſpe conſolentur, vel metu terreant, ad curationes morborum tranſeundum eſt. Ex his quædam communes ſunt, quædam propriæ. Communes, quæ pluribus morbis opitulantur. Propriæ, quæ ſingulis. Antè de communibus dicam. Ex quibus tamen quædam non ægros ſolùm, ſed ſanos quoque ſuſtinent: quædam in aduerſa tantùm valetudine adhibentur. Omne verò au-

xilium corporis, aut demit aliquam materiam, aut adijcit, aut euocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simúlque aut durat, aut mollit. Quædam non vno modo tantùm, sed etiam duobus inter se non contrarijs adiuuant. Demitur materia, sanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, vomitu, frictione, gestatione, omnique exercitatione corporis, abstinentia, sudore. De quibus protinus dicam.

ENARRATIO.

SECVNDVS hic Celsi liber in duas potißimùm partes diuiditur: In priori enim de communibus signis, salubribus videlicet, & insalubribus edisserit: in posteriori communia auxilia enarrat; & quoniam varia sunt auxiliorum genera, in varia etiam capita distinguitur. Est enim quum pharmacorum aut medicamentorum propinatione corpus subleuemus, morbosque propulsemus, φαρμακευτικὴν vocant: & rursum manuali actione, (χειρουργικὴν appellant) ægrotis prosumus, dum quod redundat rescindimus, adurimus, aut alio quouis modo auferimus. Frequenter etiam victus rationem idoneam præscribendo (διαιτητικὴν nominant) corpori pleno aut demimus aliquid, cibi abstinentiam iniungendo, aut attenuantem victus rationem præscribendo; aut idem exhaustum iam exuccúmque sensim reficimus ac vegetamus. Celsus tria hæc auxiliorum genera sub duobus complectitur, dum omne auxilium corpori aut demere, aut addere aliquid dicit. Nam sanguinis mißio, cucurbitulæ, hirudines, purgationes, sudores, inedia corpori demunt: victus collapsum corpus ferè restaurat, reparatque. frictio nec addentibus nec dementibus rectè annumerari potest: nam si vehemens sit, corpus durat; si lenis, mollit; si multa, minuit; si modica, implet. sic de balneo, exercitio vnctionibusque iudicandum est: quare media inter dementia & implentia censenda sunt: quod Celsus quoque fecisse videtur, dum inter auferentia, & addentia tamquam medio quodam loco posuit.

Omne verò auxilium.

MEDICINA, inquit Hippocrates, est additio & subtractio; additio quidem deficientis, ablatio superantis in hominum corporibus. Deficiunt autem redundantq́ue quædam in qualitate, quædam in quantitate, ut auctor est Galenus XII. Methodi. In quantitate, quoties sanguis immodicè est auctus, aut rursus minor redditus: in qualitate, quum vel calidus vel frigidus, vel craßus vel tenuis plus iusto, minúsve est effectus. Quum igitur additio & subtractio medicinam constituat, rectè auctor noster omne auxilium corpori aut demere, aut addere, aliquid docet: quum quoscunque morbos creat euacuatio, curet refectio; & vice versa quæ ex repletione fiunt, curentur inanitione. videtur tamen Celsus, medicinæ partes omnes paulo exactiùs perpendisse, quum omnes particulatim medicamentorum differentias ac energias quodammodo recenset. Dicit enim præter ea quæ addant aut demant, alia reprimere, alia contrà foras euocare, alia rursus refrigerare, atque alia calefacere, simúlque aut durare aut mollire, quasi sub his omnium tam simplicium quàm compositorum morborum, tum causas, tum curationes comprehenderit. Neque enim solam inanitionem aut repletionem cōtentus est morborum causam dixisse, nisi calorem ac frigus immodicum, meatuum aut laxitatem aut constrictionem, densitatem ve, molliciem aut duriciem corporis addiderit. Et quoniam non rarò impliciti sunt affectus, addit esse

nonnulla auxilia quæ non vno modo tantùm, sed etiam duobus inter se non contrariis adiuuent: quemadmodum cucurbitulas, sudores, & omnia reuulsoria medicamenta foras simul euocare, & aliquid materiæ peccantis demere dicimus; balnea & calefacere simul & foras euocare. frictio autem sibi ipsi contraria, vt suo loco dicetur, operatur: nam durat, mollit, demit, atque addit.

CAPVT X.

De sanguinis detractione per venas.

SANGVINEM incisa vena mitti, nouum non est: sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, nouum est. Item mitti iunioribus, & fœminis vterum non gerentibus, vetus est. In pueris verò idem experiri, & in senioribus, & in grauidis quoque mulieribus, vetus non est: siquidem antiqui, primam vltimamque ætatem sustinere non posse hoc auxilij genus iudicabant, persuaserantque sibi mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque * potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mulier, quæ grauida non est, parum valet, malè sanguis emittitur. Emoritur enim vis, si quæ his supererat, & hoc modo erepta est. Ac firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò curantur. Maximè tamen in his medicus imperitus falli potest, quia ferè minus roboris illis ætatibus subest. Mulierique prægnanti post curationem quoque viribus opus est, non tantùm ad se, sed etiam ad partum sustinendum. Non quicquid aut intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus faciendum est, cũ præcipua in hoc ars sit, quæ non annos numeret, neque conceptionem solam videat, sed vires æstimet, & ex eo colligat, possit necne superesse, quod vel puerum, vel senem, vel in vna muliere duo corpora simul sustineat. Interest enim inter valens corpus & obesum, inter tenue & infirmum. Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Faciliùs itaque illi detractionem eiusmodi sustinent,

* potius

nent, celeriusque ea, si nimium est pinguis, aliquis affligitur. Ideoque vis corporis meliùs ex venis, quàm ex ipsa specie æstimatur. Neque enim solùm hæc consideranda sunt, sed etiam morbi genus, quod sit. Vtrum superans, an deficiens materia læserit. Corruptum corpus sit, an integrum. Nam si materia vel deest, vel integra est, istud alienum est. At si vel copia sui malè habet, vel corrupta est, nullo modo melius succurritur. Ergo vehemens febris, vbi rubet corpus, plenæque venæ tument, sanguinis detractionem requirit. Item viscerum morbi, neruorumque resolutio, & rigor, & distentio, quicquid denique fauces difficultate spiritus strangulat, quicquid subitò supprimit vocem, quisquis intolerabilis dolor est, & quacunque de causa, ruptum aliquid intus atque collisum est. Item malus corporis habitus, omnesque acuti morbi, qui modò (vt suprà dixi) non infirmitate, sed onere nocent. Fieri tamen potest, vt morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur. Sed si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adiutus, in hoc statu boni medici est ostendere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique quantus in hac ipsa re sit metus. Et tum demum si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitari in eiusmodi re non oportet. Satius est enim, anceps auxilium experiri, quàm nullum. Idque maximè fieri debet, vbi nerui resoluti sunt. Vbi subitò aliquis obmutuit. Vbi angina strangulatur. Vbi prioris febris accessio penè confecit, paremque subsequi verisimile est, neque eandem videntur sustinere ægri vires posse. Cùm sit autem minimè crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est. Neque enim semper concoctionem res expectat. Ergo si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit, quamuis paulo antè sumpsit cibum, tamen protinus ei demenda materia est, ne, si subsederit, corpus affligat. Idemque etiam in alijs casibus repentinis, qui strangulabunt, dictum erit. At si morbi ratio patiatur, tum demum nulla

eruditatis *suspectione remanente id fiet. Ideoque ei rei videtur aptissimus aduersæ valetudinis dies secundus aut tertius. Sed vt aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est, sic nunquam vtile post diem quartum est, cùm iam spatio ipso materia *& exhausta est, *& corpus corrumpit, vt detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum. Quòd si vehemens febris vrget, in ipso impetu eius sanguinem mittere, hominem iugulare est. Expectanda ergo remissio est, si non decrescit, sed crescere desijt, neque speratur remissio, tunc quoque quamuis peior, sola tamen occasio non omittenda est. Fere etiam ista medicina vbi necessaria est, in biduum diuidenda est. Satius est enim primùm leuare ægrum, deinde perpurgare, quàm simul omni vi effusa fortasse præcipitare. Quod si in cura quoque aquæ, quæ inter cutem est, *ita respondet, quanto magis necesse est in sanguine respondeat? Mitti verò is debet, si totius corporis caussa fit, ex brachio: si partis alicuius, ex ea ipsa parte, aut certè quàm proxima, quia non vbique mitti potest, sed in temporibus, in brachijs, iuxta talos. Neque ignoro quosdam dicere, quàm longissimè sanguinem inde, vbi lædit, esse mittendum: sic enim auerti materiæ cursum: at illo modo in id ipsum quod grauat, euocari. Sed idipsum falsum est. Proximum enim locum primo *exhaurit. Ex vlterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur, vbi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem. Videtur tamen vsus ipse docuisse, si caput factum est, ex brachio potius sanguinem mittendum esse. Si quod in humero vitium est, ex altero brachio: credo, quia si quid parum cesserit, opportuniores hæ partes iniuriæ sunt, quàm quæ iam malè habent. Auertitur quoque interdum sanguis, vbi alia parte prorumpens, alia emittitur. Desinit enim fluere quà volumus, inde obiectis quæ prohibeant, alio dato itinere. Mittere autem sanguinem cùm sit expeditissimum, vsum habenti, *tum ignaro difficillimum est. Iuncta enim est vena arterijs, his nerui. Ita si neruum scalpellus attigit, sequitur neruorum distentio, *ea quæ hominem crudeliter consumit.

* suspicione
* vel
* vel
* ista
*exaruit.
* tamen
* eaque

At arteria incisa neque coit neque sanescit, interdum etiam vt sanguis vehementer erumpat, efficit. Ipsius quoque venæ, si fortè præcisa est, capita comprimuntur, neque sanguinem emittunt. At si timidè scalpellus demittitur, summam cutem lacerat, neque venam incîdit. Nonnunquam etiam ea latet, neque facilè reperitur. Ita multæ res id difficile inscio faciunt, quod perito facillimum est. Incidenda ad medium vena est, ex qua cùm sanguis erumpit, colorem eius, habitumque oportet attendere. Nam si is crassus & niger est, vitiosus est. Ideoque vtiliter effunditur. Si rubet, & pellucet, integer est. Eaq; missio sanguinis adeò non prodest, vt etiam noceat, protinusque is supprimendus est. Sed id euenire non potest sub eo medico, qui scit ex quali corpore sanguis mittendus sit. Illud magis fieri solet, vt æquè niger assiduè ac primo die profluat. Quod quamuis ita est, tamen si iam satis fluxit, supprimendus est. Semperque antè finis faciendus est, quàm anima deficiat. Deligandumque brachium super imposito expresso ex aqua frigida penicillo, * & postero die aduerso medio digito vena ferienda, vt recens coitus eius resoluatur, iterumque sanguinem fundat. Siue autem primo, siue secundo die sanguis, qui crassus & niger initio fluxerat, & rubere & pellucere cœpit, satis materiæ detractum est, atque quod superest, sincerum est. Ideoque protinus brachium deligandum, habendumque ita est, donec valens cicatricula sit, quæ celerrimè in vena confirmatur.

* *aliàs*: & postero die auerso medio digito, non autem scalpello, vena ferienda.

ENARRATIO.

QVVM sanguine non solùm animalis partes alantur, sed & natiuus calor in eodem quasi delitescens consistat, ac mansionem, vt sic dicam, faciat, quemadmodum testatur Galenus; non immerito ἀιμόφοβος ille Erasistratus eiusque sequaces, à venæ sectione vsque adeò abhorrebant, quòd suspicarentur natiuum calorem difflari vnà imminuique. verùm quum non rarò contingat, vt sanguis aut qualitate, aut quantitate peccans intemperiem suam cordi communicet, statim is in initio incisa vena euacuandus est. Mitti igitur sanguinem incisa vena nouum non est, sed nullum pænè esse morbum in quo non mittatur, nouum est. Nam Galenus libro Quos purgare & quibus id medicamentis oporteat, sanguinis missione eos tantùm morbos curari auctor est, qui ab humorum copia (πληθωρικοὺς vocant) creantur; reliquos qui ab eorundem corruptione fiunt, purgatione indigere. Atque ea etiã ratione, si præueniantur, articulorum

lorum tophaceam duriciem, morbum comitialem, apoplexiam & id genus alios prohibuisse, qui certis alioqui statisque temporibus solebant inuadere, atque hoc iam hominibus ipsa experientia compertum esse, non in se ipsis tantùm, sed & iumentis, alio testatur loco Galenus: siquidem ante æstatis initium circa vltimam veris partem, & sibi & illis sanguinem detrahunt, quoniam ad memoriam reuocant quibus capiantur morbis, quando repentè calor æstiuus superuenerit, hic enim ampliùs sanguinem extendit, atque diffundit, & quodammodo efferuere facit. Sic Galenus libro De sanguinis mißione, Si reliquorum, inquit, morborum alicui obnoxium esse perspectum habuerimus, verbi gratiâ, aut peripneumoniæ, aut pleuritidi, aut anginæ, committendum non est vt expectemus dum euidens plenitudinis aliquod symptωma appareat, sed auertere sanguinis mißione præstat. Atque hæc hactenus de morborum præcautione. Verùm sicuti hîc momenti non parum affert sanguinis mißio; ita quoque si iam inuaserint, sola venæ apertione leuantur: Sic synochos ad animi deliquium misso sanguine non raró curatas memoriæ proditum est, & indies vsu venire videmus: sic omnes quotquot sunt morbi qui ex sanguine, hoc est plenitudine vel ad vires, vel ad vasorum humores continentium capacitatem, inflammatione, erysipelate originem habent: sic quoque qui alio quouis modo acuti dicuntur, vt synanche, sideratio, sanguinis mißione, si quo alio, iuuantur. Est præterea vbi non tam purgandi quàm reuellendi gratiâ venam tundimus; vt etiam nonnunquam vtrorumque rationem habemus: quemadmodum in hæmorrhoidus & mensibus suppreßis fieri conspicimus.

In pueris verò idem experiri.

PVERI quantumuis vitali facultate valeant, sanguinis mißionem non sustinent, quòd eorundem substantia, tum ob humiditatem, tum ob temperamenti caliditatem ocyssimè discutiatur. Senes autem euacuationem quæ per venæ sectionem fit, nullo modo admittunt, propter virium imbecillitatem. atque hoc est quod Galenus dicit, Senum ætatem sub hypothesi quæ à viribus sumitur comprehendi posse, quum nullis qui in ea ætate constituti sunt, robur adsit; pueris autem vires adesse libro Sanitatis tuendæ idem apertè declarat, quum infantes functionibus naturalibus, puta auctione, concoctione, distributione, cæteris planè ætatibus præstare dicit. Quo fortè argumento motus Arabs ille Abenzoar, aut morbi alioqui vehementia impulsus, puero septennali venam incîdit, quum tamen Galenus paßim sub virium robore pueros nulla ratione comprehendi asserat; nisi quis Galenum de pleniore, veteribusque consueta purgatione locutum dicat; moderatam enim quæ tum viribus, tum plenitudini aut par aut inferior sit, & senes & pueri facilè ferent. Sic etiam Rhazes in ætate decrepita, quæ graui & vrgente pleuritide vel peripneumonia vrgeretur, sanguinem emisit.

persuaserantque sibi mulierem grauidam.

CORPVS valens non vocat id quod sanum sit, sed quod etiamsi iam quammaximè à sanitate deuiauerit, viribus polleat. Mittendique sanguinis scopos inquirit, primúmque inter eos obtinere locum dicit, virium robur: nam non solùm in sanguinis mißione, verùm etiam quauis alia vacuatione, vires ægroti attendere oportet, ac donec tolerat, & nondum laborat, tentandum est exuperantem humorem educere; quum verò dissoluuntur, etiam si supersint superuacua, cauere eorundem vacuationem conuenit; virium enim imbecillitas adiectionem potiùs quàm deiectionem requirit. Tantum igitur virium robori attendendum est, vt etiamsi quàm maximè reliquæ mittendi sanguinem hypotheses dehortentur, si vires constent, atque morbus id ipsum flagitet, venam tundamus. Atque sic quamuis Hippocrates in grauidis temperandum à sanguinis mißione doceat (quòd misso ex vena sanguine abortire soleant) tamen si vires constet, non formidabimus phlebotomiã: præsertim quum

idem senex alio loco mensibus qui tertio & octauo interponuntur, grauidis cacochymia laborantibus purgationem quæ medicamento purgante obeatur, admittat. nam quum omnibus notum sit plus nocumenti grauidis accessurum ex medicamenti purgantis sumptione, quàm à sanguinis mißione; si non vltimis fiat mensibus, tutò eadem nonnunquam fiet. Et sanè quamuis iam grandior factus infans, maiori opus habeat alimento, tamen certè vel vltimo mense, tutiùs prægnanti adhibebitur phlebotomia, quàm purgans medicamentum, quòd cathartica omnia exagitatione sua violenta, fœtui admodùm officiant, & quòd immodico suo calore, atque perniciosa substantia, venenata existant. Benè igitur subiungit, posteà vsum docuisse, nihil ex his esse perpetuum: nam quum extremis morbis extremè exquisita remedia optima sint, experientia & longo rerum vsu didicimus, prægnantem infra octauum mensem in morbo, nullo fœtus incommodo, venam aperuisse; fit enim vt tanta sit copia in venis, vt modum excedat, matri fœtuique alendo idoneum, ita vt copia abortus periculum adducat: hic igitur nihil periculi expectandum erit, si resignata vena sanguinem modicè minuamus, natura ipsa interdum sponte, supernacui illius effusionem viriliterque moliente, aut per vterum, aut per nares, aut hæmorrhoides. Nam & in nonnullis primis tantùm mensibus, in aliis toto etiam imprægnationis decursu, menses temporibus statis salubriter effluunt. Et si in plethora natura duce liceat id nobis, cur in acutis morbis quos prægnantibus lethales definiit Hippocrates, anceps (si ita vis) periculum non aggrediemur? præsertim si inflammatio aliqua superiora occupet, vt in pleuritide, vbi vena cubiti cæsa, non solùm fœtui nihil incommodabimus, sed & affectam partem multo pondere subleuabimus, & matrem fœtumque periculo subtrahemus. Inferiores autem prægnantium venas secare minimè tutum est, quòd impetu deorsum conuerso menses immodicè regurgitent, atque præcipitetur fœtus. Itaque si prægnans conflictetur morbo grauiore, sitq; valentibus viribus, & animo forti, nec metu perturbetur, & vasa plena sint, nec inediis inanita, vnam aliquam ex superioribus venam tutò secabimus, ex qua sanguis sensim elabatur.

Tenuioribus magis sanguis.

POSTEAQVAM inter ea quæ venæ sectionem aut suadeant, aut dissuadeant, primum esse virium robur, demonstrauit; iam vnde potißimùm id colligatur edocet; idque potiùs ex venis, quàm specie totius corporis æstimari dicit: nam quum sanguinem natiui caloris atque vitalis roboris domicilium dixerimus, rectè eum qui eo abundauerit, viribus pollere, vt eum qui hunc parciorem habuerit, iisdem quodammodo deficere, indicauerimus. neque enim, vt antè dixit, obesum corpus valens, aut tenue infirmum æstimabimus; nam tenuioribus magis sanguis, hoc est cum sanguine virium robur, abundat. Verùm hic inquirendum est, quid per tenuiores & pleniores intelligat: nam non simpliciter dicendum est graciliores plenioribus sanguine magis abundare; sunt enim, vt docet Galenus, nonnulli, qui cùm graciles sint, venas paruas habeant, & si ex iis quempiam incidas, adeps effluet, quam constat cuti ad internam eius membranam adnasci: cæterùm id rarò admodùm in viris conspicitur; in mulieribus verò sæpißimè, est etenim tum frigidioris naturæ, tum desidiosæ vitæ nota: magna tamen ex parte, & per se, gracilioribus sanguis magis inest, habentque venas latiores: rationabiliter enim in idem ferè incidit, venarum angustia cum pingui habitu ac craßiore, gracilis habitus cum venarum laxitate; nam & venæ calore dilatantur, flatuque distenduntur, & gracilitas temperamenti calidi nota est.

plenioribus magis caro abundat.

PLENIORES non obesos (quòd videlicet sanguinis minimum, adipisque plurimum habeant, atque quàm celerrimè ex sanguinis mißione affligantur) sed corpulentos, & carnosos, quos Græci ἰσάρκους vocant,

cant, intelligit: siquidem ij vti carne abundant, ita sanguine non omnino destituuntur; quando, vt docet Galenus, sanguinis copia corpulentiæ origo sit, atque non infrequens sit, vt qui graciles alioqui natura fuerint, ex ociosa & delicata vita, temperamento in humidius mutato, carnosiores reddantur, habeantque & venas laxiores & ampliores gracilibus. Quare an rectè dixerit Celsus, graciles plenioribus sanguine magis abundare, non immeritò dubitet quiuis; præsertim quum vis atque adeò sanguinis copia, vt hic quoque subiungit Cornelius noster, melius ex venis quam corporis specie æstimetur. Nam contingit non rarò corpulentos non solùm carnis quoque plus, sed & sanguinis habere quam graciles, quòd venas tumentiores turgentioresq. habeant. Quòd si quis autem plenum corpus, & temperatum, & obesum, & carnosum velit intelligere, sicut doctissimus quidam, de re medica optimè meritus εὔσαρκον (non enim possum verbum verbo reddere melius) apud Hippocratem & Galenum passim accipi dicit; per me quidem integrum est: ego tamen eos hac dictione intellexero, qui natura corpulenti sunt, adeò vt mirer perspicacissimi alioqui ingenij virum eò deuenisse, vt Galenum & Hippocratem τὸ εὔσαρκον in ea significatione passim vsurpasse crediderit; quum aliàs, aut παχέεις σφόδρα, aut σαρκώδεις, aut πιμελεῖς dicat. sed neque contentus hac εὐσάρκου significatione ἀντὶ τοῦ εὐκράτου secundo Aphorismorum apud eosdem intelligi dicit, quum bene carnosos πολυσάρκους vocari scribat. Atque hæc hactenus: non vt doctissimum virum, & cui in hisce nostris commentariis plurimùm debemus, cauillemur; sed ne confuso temperamentorum ordine, carnosos cum temperatis atque pinguibus confundamus. Igitur ne diutius his immoremur, Graciles & plurimum sanguinem qui in venis continetur, & spiritum qui easdem calore dilatet, habere dicimus; vt corpulentos seu pleniores plus carnis, adipisque obesos: & quanquam vsu veniat sanguinem esse carnosis & copiosum & venas amplas; gracilioribus tamen easdem turgidiores & pleniores non immeritò pronunciabimus.

Neque enim solùm hæc.

HYPOTHESIVM quæ in sanguinis missione sumuntur, primum locum attributum virium robori iam plus satis dictum est: ac proinde ne temerarij admodùm simus in eius detractione, si materia integra est (est enim corpus sanum exlex, vt præcedente libro docet Celsus) ab ea temperandum monet, atque si corpus sanitatis limites excesserit, considerandum morbi genus: nam si ab inanitione est, abstinendum esse; quum quos creauerit morbos inanitio, curet refectio: & si ex plenitudine (πληθώρην vocant) originem traxerit, venæ missionem efflagitare; idque non citra exceptionem: Requiritur enim vt aut suo genere sit magnus morbus, & vehemens; aut eius causa quæ humoribus inest multùm accreuerit, aut symptomatis cuiusdam sæuitia presserit. Magnus autem ac vehemens morbus intelligitur ex genere: nam cuiuscunque partis phlegmone sit, grauior deteriórque censetur, quam simplex illius intemperies. dicitur etiam magnus ex partis vsu, vel præstantia; præterea etiã ex earundem partium situ, quarum aliæ principibus affinitate iunguntur, vt pulmo, latera, ventriculus. In summa, vehemens etiam morbus censetur ex partis sensu, qui aut acer, acutus, aut hebes grauisque est. Verùm etsi omnia hæc concurrant, morbi videlicet magnitudo, causæ efficientis multitudo, symptomatúmque sæuities; non erit tamen tundenda vena, nisi probè constantibus viribus: adeò magna habenda est ratio virium, vt non immeritò primas in missione sanguinis obtineat.

At si vel copia sui malè habet.

SANGVINIS plenitudo duplici modo capitur: prior corporis grauitate æstimatur, ad vires dicta; altera tum venarum extensione, tum quòd illæ plenæ tument, agnoscitur, nostri plenitudinem ad vasa, Græci κατὰ τὸ ἔγχυμα vocant. Vtraque autem

plenitudo necessariam vacuationem indicat; quòd in hac quidem vasa quæ sanguinem continent, in alia pondus id transfundere spectentur; & quantumuis natura hoc pondere non grauetur, nō raro tamen vasa rumpantur; vnde ex venarum commerciis sanguinis sputiones sequuntur. In ea autem quæ ad vires dicta est plenitudine, quantumuis venæ non tumeant, nec plenæ appareant, statim infirmatur homo & viribus destituitur, natura ceu ad graue aliquod onus ferendum impotente.

vel corrupta est, nullo modo, &c.

QVVM *sanguis qualitate æquè ac quantitate peccet, Galeno de sang. missione teste, materiam, hoc est sanguinem, corruptam venæ sectione optimè curari posse demonstrat. Et quanquam sub dictione* corrupta est, *eam plenitudinis speciem quæ ad vires dicitur, tantùm comprehendere possimus, vt eam quæ ad vasa sub* copia, *tamen quoniam illa corpore nondum ægrotante, neque sanguine adhucdum inflammato accidere potest, per verbum* corrupta est, *sanguinem qualitate peccantem, qualem in inflammationibus, febribusque, & id genus aliis videre contingit, intelligemus: est autem eiusmodi aut biliosus, aut adustus, aut putrefactus. Ei porrò nullo modo meliùs succurritur quàm venæ sectione; quum primum venæ sectionis consilium sit, vt sanguis qui aut qualitate aut quantitate redundat euacuetur. Si tamen alicui libeat per* τὸ, corrupta est, *plenitudinem quam ad vires vocamus, intelligere; non omnino malè fecerit; quando ea (teste Galeno) promptissimè in putredinem incidat, & nonnunquam etiam in partes quasdam impetu quodam prorumpat, atque inibi tumores præter naturam faciat, sanguinémque corrumpat.*

Ergo vehemens febris.

BREVITER *enarrat morbos quotquot sunt, qui sanguinis missionem requirant: sunt autem eiusmodi, qui ex sanguinis vbertate, & affluentia (vt diximus) aut ex quauis illius eruptione ortum habent: eius tamen generis maximè sunt, & originis suæ causam inde sortiuntur, febris synochus, tum ea quæ citra putredinem ex sola fit sanguinis efferuescentia, tum ea quæ ex putrescente accenditur; quales Celsus hic intellexisse videtur. Neque omnes putridæ cuiuscunque sunt ordinis febres, venæ sectione curantur; sed eæ tantum quarum obstructio ex multitudine, & immodica copia proficiscitur; in eiusmodi enim febribus non continuis modò, sed & intermittentibus Galenus saluberrimum esse ait venam incidere.*

Item viscerum morbi.

PER *viscerum morbos omnium internorum inflammationes (* φλέγμονας *Græci dicunt) intelligit: appellantur enim* viscera *omnia interiora quæ pelle teguntur; vt iecur, cor, pulmo, præcordia, ilia.*

neruorumque resolutio, & rigor, &c.

SVB rigore *omnem conuulsionis speciem intelligit; quanquam particulariter alibi* rigorem *Græcis* τέτανον *dictum vocet: oritur autem conuulsio (Galeno* XII. *methodi auctore) ex repletione neruosarum partium (qua ratione eos quos magna phlegmone premit adoritur) vel ex ardenti & tenui humore, vel ex ingenti frigore, quod tale quippiam quale gelu efficit. Admittunt autem hæ tres conuulsionis species varias curationes: siquidem interdum per venæ sectionem, aliàs per enematum infusionem, aut purgantium exhibitionem; nonnunquam etiam per vnguenta, leniendi, laxandi, & discutiendi vi prædita. Est & alia cōuulsionis species quæ ex inanitione fiat, quæ magna ex parte lethalis est, neque medicas admittit manus. Sub* neruorum *autem* resolutione *aphoristicōs apoplexiam intelligit; eam nimirum, quæ ex fluxu sanguinis ortum habet: nam non rarò contingit, vt sanguinis multitudo antequam putrescat, in vnam aliquam corporis partem confertim decumbat, & tunc eiusdem actionem penitus aboleat, aut saltem noxam haud contemnendam*

nendam inferat; atque vbi in cerebrum confertim irruit, apoplexiam facit. Igitur in neruorum reſolutione, vbi plenitudinis indicia fuerint, à ſanguinis miſſione curatio auſpicanda erit. Oportet tamen in eiuſmodi morbis detractionem eſſe moderatam, ne corpus refrigeretur, ſanguiſque è latere incolumiore educendus eſt. Ex genere quæ fauces ſubitò ſtrangulant, eſt angina, (quam ἀπὸ τῶν ἀγχόνων quæ ſuſpendia vocant, à ſuſpendij ſimilitudine quod non aliter quàm laqueus præfocatus interficiat, συνάγχην nominârunt) & quoniam ea frequenter canes apprehenderentur, κυνάγχην dicere maluerunt; nonnulli quòd lupis frequens eſſet vitium λυκάγχην appellârunt. Eſt autem propriè inflammatio, quæ in faucibus vel in gutture fit; atque quoniam ex cumulata confertimque facta euacuatione ſanguinis animo facilè deficerent, atque adeò ſuffocationis periculum immineret, non confertim, ſed parcè pluribus interpoſitis vicibus auferendus ſanguis eſt. Ac proinde quemadmodum neruorum reſolutionẽ ſanguinis detractione rectè curari dixi; ita aphoniis eodem auxilij genere rectè medebimur, quum ex iiſdem cauſis, & eodem principio læſo oriantur. Fiunt enim aphoniæ, aut, vt Celſus, ſubitæ vocis ſuppreſſiones, læſo neruorum principio, hoc eſt, cerebro, vnde ad neruos vocales, vel alias partes voci inſeruientes, materiæ multitudo, aut humorum qualitas defluit; atque inibi aut tenſionem vehementem, vel exolutionem, & laxamentum tam neruorum, quàm muſculorum vocificorum facit.

& quacunque de cauſa ruptum.

PARTIM *vt materiam peccantem reuellamus, ne phlegmonem pariat; partim vt inflammationem iam factam amoliamur.*

Item malus corporis habitus.

EST *quando ex longo morbo malus habitus corporis oriatur: atque hîc quidem quoniam longitudine morbi collapſæ ſunt vires, non admodùm accommoda erit venæ ſectio. Nonnunquam etiam ex viſcere in ſcirrhum indurato potiſſimúmque hepate, & liene, conſequitur: Interdum etiam ſuppreſſis hæmorrhoïdibus, aut non probè fluentibus menſibus oritur: atque huius quidem generis cachexiæ, vt docet Paulus, auxiliatur ſanguinis detractio, niſi quid obſtet; quæ paulatim, ad tertium quartúmve diem producitur.*

omneſque acuti morbi.

QVI *ſint acuti vehementéſque morbi, antè definitum eſt: at qui ſint ij qui non infirmitate, ſed onere grauent, inquirendum eſt; primique inter hos occurrunt, qui aut ſtrangulant aut ſuffocant, in his enim vitalis facultas non tan infirmatur, quàm ſuffocatur.*

Fieri tamen poteſt.

DVOS *eſſe præcipuos ſcopos mittendi ſanguinem, virium robur, morbique magnitudinem, diximus. Galenus videtur virium robur in acutis morbis ex ſola vitali facultate æſtimare: atque ita quanquam naturalis vel animalis facultas ex functionum læſione, ſibi non ſatis conſtare videretur; ſi tamen vnius vitalis munus integrum ex pulſu deprehenderit, virium ſtatum ſatis firmum, nec debilem eſſe putat; atque in eo ſanguinis miſſionem audacter decernit, quòd nullum vitæ diſcrimen ex aliarum functionum offenſione impendeat, niſi hæc ipſa vitalis detrimentum acceperit. Iubet igitur, pulſui, tanquam ſigno minimè fallaci, attentos eſſe de virium robore iudicaturos: & ſi quidem imbecilliorem eſſe pulſum contingat, morbique ratio ſanguinis eductionem efflagitet, tum quidem eſt mittendus ſanguis, non pro morbi magnitudine, ſed virium ratione: admonendique aſtantes ſunt quantum periculi iam impendeat ſi venam tundere procraſtinemus; & rurſus quàm anceps remedium ſit in ſanguinis miſſione. verùm quoniam, vt docet Galenus, ſatius ſit anceps experiri remedium, quàm nullum, conſtantibus viribus quantum & morbi ratio, & virium robur efflagitat, emittemus: Debili*

 contrà

contrà existente corpore, virtutis tantùm rationem habebimus: atque quantumuis morbus copiosam sanguinis missionem requirat, si pulsus paruus, obscurus debilisque, atque respiratio difficilis, parua & crebra sit, cum voce exili, & languida, quæ neque vitio pulmonis, neque pectoris orta sit; parum, & quantum vires ferre poßunt, sanguinis detrahemus.

Sed si nullum tamen appareat.

IN peracutis simpliciter (perperacutos vocant) morbis, anceps potiùs remedium quàm nullum experiendũ esse dicit, summis enim morbis, summè exquisitè remedia optima sunt: in his etenim tardare, vt inquit Hippocrates, malum est. quod quoque Æginetam voluisse verisimile est, quum præcipit in morborum initiis vsu id ipsum exigente, sanguinem nonnunquã mittendum, sola in ventriculo ciborum concoctione, aut etiam perfecta in iecinore sanguinis elaboratione facta.

Cùm sit autem minimè crudo.

IN omnibus morbis, quales quales tandem sint, si ferat occasio, à sanguinis missione temperandum est, dum ventriculus, primæque venæ nulla humorum corruptela, aut cruditate, aut cibo semicocto confarctæ sint; idq; ne crudi adhuc cibi, aut parum rectè concocti rapiantur in venas totúmque corporis habitum. Cauendum etiam est ne excrementis intestinum, aut vesica lotio distendatur: quare si quando in acutis etiam morbis (exempli causa, pleuritide) mittendus esset sanguis, atque astrictior esset aluus, statim enemate iniecto, eandem eluere solebant, atque ita protinus in ipso principio ab iniecto clystere sanguinem mittere. Quam fortè veterum probatißimam consuetudinem considerans, neque satis intelligens Arabs ille Auicenna, eiusque sequaces, contra Hippocratis ac Galeni mentem, in morborum omnium principiis à phlebotomia abstinendum prorsus præcepit, & concoctionem non solùm in primis venis, sed dum morbus principium statumque præterierit, expectandam, atque sub id tempus tantùm phlebotomiam rectè administrari posse asseruit. Dicunt enim per initia, præcisam venam noxios humores extenuare, eosque per corpus quoquò versum propellere, sanguinique puro, & sincero permisceri; nonnunquam etiam nos expectatione nostra adeò decipi, vt cum salubri nihil prorsus vitiosi educatur: consultius igitur multo esse incisionem venæ differre, dum morbus principium ac statum præterierit. Quæ sanè etsi prima fronte magnum quid præ se ferre videantur; tamen si quis cum Hippocratis Galenique placitis, atque adeò cum ipsa ratione conferat, quàm sint absurda atque à ratione aliena facilè consequetur: nam si, vt dixi, primus scopus sit virium robur, eo certè ægrum destitui continget, in morbis præsertim acutis, antequam morbus principiũ statumque præterierit. Et si in morbis qui plethoram subsequuntur, concoctionem, seu maturationem materiæ expectemus, tantum abest vt optatum finem aliquando consequamur, quum periculum sit, ne qui quantitate tantùm peccabat, spatio temporis etiam qualitate molestus sit: atque sic Galenus protinus in principio in synochus antequam putrescant sanguinem demit. Nam & Hippocrates, quum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, mouet, atque iisdem quiescentibus quietem adhibet. Malè igitur post statum quiescentibus morbis, tundetur vena ex Arabum sententia, quum neque noxios humores exagitet sanguinis missio, vt asserunt (demit enim multitudinem quæ perturbationum & morbi causa fuerat) neque eosdem extenuet, (tenuis enim humor crasso expeditiùs & celeriùs emanat:) quare sanguinem & puriorem, & craßiorem reddi consequens est.

At si morbi ratio patiatur.

ACVTORVM morborum quum non omnino similes sint exacerbationes, neque celeriter æquè ad vigorem properet, varij etiam sunt remediorum scopi; siquidem peracuti statim,

statim, hoc est ipso etiam quarto die, vel ad salutem, vel ad mortem terminantur: in iis igitur prima die, non expectata concoctione, tundendam venam dixi. At acuti simpliciter, & qui ex decidentia vocantur, seu, vt Hippocrates, qui in quadraginta diebus iudicantur (quum non vsque adeò vehementes habeant paroxysmos, eamq; causam vehementiam) intermissionem vnius aut alterius diei facilè admiserint: sed vt in longius tempus sanguinis missio differatur, non facilè concesserint; præsertim qui Hippocrati, & Galeno acuti simpliciter nominantur; quòd videlicet morbi magnitudine vires citò prosternantur, quarum in sanguinis missione magna habenda ratio est. Verùm in iis morbis qui aut quadragesimo die iudicantur, aut corporis malum habitum concomitantur, vt post quartum vena tutò non tundatur, fieri non potest vt credam; quum in iis vires non tam subitò prosternantur, neque sanguis tam sit vitiosus, vt confertim totius corporis miscellam corrumpat: in iis etenim non rarò vltra quartum etiam diem cruditatis aliqua suspicio adhuc subest. Sed & in acutis etiam morbis imperfectè iudicatis, naturam sæpenumerò iuuare expedit, aut purgatione aut vacuatione; ne quod reliquum est, in morbis, recidiuam pariat. Adde quòd Galenus nono methodi Therapeuticæ, in continuis febribus cum plethora non dierum numero sed virium robori attendendum dicat: Optimum, inquit, factu est, in huiusmodi febribus non statim numero dierum, sed virium robori attentum esse; quippe quod si seruatum est, non solùm sexto, sep imòve, sed etiam sequentibus diebus est mittendus sanguis.

Quòd si vehemens febris vrget.

VT vniuersalium temporum, ita etiam particularium, & dierum quibus morbi recurrunt, delectum habendum docet: idque in his potissimum morbis, quorum certa est remissio vel intermissio; nam in accessionibus à vacuationibus omnino temperandum est, quòd humores sub id tempus maximè æstuent, incitentur, ac perturbati permisceantur, omnes etiam vacuationes vires lacessant: quare vix tutò in paroxysmorum agitatione obiri possunt. Videant igitur quam obseruent methodum Therapeuticam, qui statim ante febrium accessionem mittendum sanguinem (multiplici sua experientia edocti vt dicunt) astruunt; atque hinc discant quàm sit mancum citra rationem experimentum.

Ferè etiam ista medicina.

IAM de iterata aut repetita sanguinis missione sermonem facit: hic igitur, vt Galenus docet, ob eruendum id est, vt in quibus vacuare simpliciter mens sit, eadem die reiterata detractio fiat; in quibus cōtra reuellere præstat, vt post duos dies fiat; & quibus quidem multa opus est euacuatione, vires autem non sint fortes, in his vacuationem reseruare oporteat, & prima detractione defectuosiore facta, rursus iteratò detrahere, aut si velis tertiùm.

Quòd si in cura quoque aquæ.

QVAMVIS Celsus sequente libro in cura hydropis venæ sectionis nullam faciat mentionem; Galenus tamen tum alibi, tum libro De sanguinis missione aduersus Erasistratum, conuulsionem & aquam inter cutem sanguinis missione se subinde curasse dicit; idq; vbi vitium originem traxerit, à mensibus aut hæmorrhoidibus suppressis. Sic Hippocrates sanguinem euacuare præcipit, siue in tremorem, siue in aquam inter cutem, siue aliud quoduis frigidum vitium, aut vir ex hæmorrhoidum suppressione, aut mulier ex mensium retentione inciderit. Cæterùm hic aliud longè curandi genus intellexisse indicârim, tantum abest vt de hac hydropum curatione Celsum locutum existimem. Nam quorsum opus erat dixisse aquam inter cutem sanguinis missionem efflagitare, quum antè malum corporis habitum, cuius illa ferè comes est, idem remedium requirere pronunciârit? Quocirca hæcce mihi videtur sententia, quòd quemadmodum aquam inter cutem (quantumuis aliena sit naturæ nostræ)

stræ) neque medicamentis elicientibus, neque chirurgi opera confertim vnóque impetu citra ægri discrimen educimus; ita sanguinem qui naturæ nostræ familiaris est, & in quo natiuus calor habitat, non tam præcipitanter atque confertim exhauriri æquum est: sed, vt antè diximus, reiteranda est detractio. Quò fortè respiciens Arabs Auicennas, in synochi principio etiam constantibus viribus parcè sanguinem mittit; post statum autem copiosiùs eundem educit, non contentus Hippocratis & Galeni dogmatibus, qui in huiusmodi statim ad animi deliquium mittunt, in principiis enim morborum vires adhuc probè sibi constant, quæ sensim tum morbi sæuitia, tum materiæ peccantis pondere labascunt. Sanguinis igitur mißione ad lipothymiam vsque facta facultas vitalis aliquantum licet læsa videatur; natura tamen noxiorum humorum pondere expedita (quo veluti sarcina premebatur) priores vires facilè recuperabit, & quicquid spiritibus, & innato calori detractum est, resarcit. Quare verisimile quoque est, Celsum, hîc neque de synochis neque continuis ardentibus locutum esse, sed de iis tantùm morbis in quibus vires imbecilliores sunt, & quibus non immineat maius periculum ex sanguinis abundantia, quàm animi deliquio. Nam & Galenus ipse confertim factas vacuationes cauendas docet; nec nisi magna vrgente neceßitate obeundas esse.

Mitti verò is debet, si totius.

IN venarum incisione delectum habendum docet: sunt enim hæ variæ, & multiplices. Si igitur totius corporis causa fiat phlebotomia, resecandæ sunt venæ brachij, quòd nimirum ampliores sint. Erit autem hîc operæprecium explicasse, cuius nam brachij vena tundenda sit, pro plenitudinis corpus grauantis differentia. Plenitudinem igitur, cui nulla partis affectio aßistit, vnaquælibet citra delectum incisa vena curat, modò illius angustia fluxum non remoretur: & quoniam rationi omnino consentaneum est, in vasorum omnium plenitudine, illinc plurimùm exhaurire, vbi fons, & origo humorum est, commodißimè præciditur vena cubiti dextera interior; validißimè enim ea, & à caua dicta vena, & à iecinore attrahit. Quòd si plenitudo etiam bilioso humore labefactetur, eadem quoque resecanda erit, quemadmodum si melancholico sinistri brachij interior, idq; respectu habito ad lienem.

si partis alicuius ex ea ipsa parte.

QVANQVAM locus hic multa de reuulsione quæ ex directo, aut quæ in contrarium fiat, flagitet; tamen quoniam de iis ab aliis satis supérque dictum est, paucis quid Celsus noster voluerit, & quid sentiamus, enarrabimus. Est igitur reuulsio procumbentis, & illabentis humoris tractus in contrarium: Contraria autem vocamus quæ in eodem genere plurimùm distant; situque contraria dicimus, quæ vnius & eiusdem rectæ lineæ extrema tenent, ad quæ & motus facti, contrarij nomine insigniuntur. Ea igitur quæ in eiusdem venæ processu recto quàm longißimè dißita sunt, contraria vocantur. sic pleuritidi dextræ, nequaquam contrarium esse censemus latus sinistrum; quum è dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum procedat: atque hoc est quod tum Hippocrates, tum Galenus paßim inculcant, qui non solùm in dextra pleuritide, sed iecoris etiam inflammatione interiorem dextri cubiti venã resecant: quæ si fortè non compareat, mediam aperiunt; & si neque hæc sese proferat, ad humeralem confugere malunt, quàm ad interiorem diuersi brachij, quum tamen, vt antè diximus, iecori venæ omnes societate iungantur. tantam scilicet vim attribuunt reuulsioni quæ è directo lateri affecto fit. Nam reuulsio, ait Galenus, è directo facta euidens subsidium celeriter affert; at è transuerso nequaquam: nam quæ in aduersa parte obitur, tantùm abest vt morbum adimat, sed noxium humorem in inflammata parte relinquit, vel puro venarum sanguini permiscet, aut (quod frequentißimè contingit) aduersæ partis pleuritidem

ritidem inuehit. Verùm quod auctor noster dicit quàm longiſſimè ſanguinē mittendum eſſe, inde vbi lædit, intelligendum eſt omnia contraria verè longinqua eſſe, neque ſolùm extrema extremis, ſed media mediis, & extrema mediis opponi. quo fit vt ſi reuellendo vacuare voluerimus, liceat omnem in directo curſu venā reſecare; aliàs quidem in extremis, aliàs circa mediū, aliàs propinquo, aliàs diſtante loco. Sic Hippocrates libro De oßium natura, Operam, inquit, dare oportet, vt quàm longißimè à locis vbi dolores fieri ſolent, ac ſanguis colligi, venam ſecemus; ſic enim minimè mutatio magna de repente fiet, & conſuetudinem transtuleris, vt ne ampliùs in eundem locum colligatur. Atque hæc quidem in paruis leuibuſque inflammationibus, locum aliquo modo habere poßint: atqui vbi acris & vehemens inflammatio moleſta eſt, è directo ampla vena loco vicino tuſa citiùs & valentiùs à loco affecto & retrahit, & vacuat; vt quæ quàm maximè diſtante præciſa vena fit reuulſio, noxium humorem ignauiùs tardiùſque concitat, neque affectam ſedem ab hoc liberat, aut certè benigni ſanguinis exuperantiam primùm tollit, vitioſam autem materiam è propria ſede raptam cum ſalubri vtilique permiſcet. Neque dubito Hippocratem, & Galenum paßim inculcare reuulſionem ad longinqua fieri debere: verùm iidem præcipiunt habendam rationem magnitudinis phlegmones: nam celer & ingens humorum fluxio, præceps remedium flagitat, quod per humorum antiſpaſin in propinquam partem ſuggeritur. Parua verò ac tarda, longiorem curationis moram ſine noxa ſuſtinet, qualis ea fuit cuius ex Hippocrate memini.

Videtur tamen vſus ipſe docuiſſe.

AVERSIONIS varios modos declarat, capite confracto ex brachio ſanguinem mittendum docens; naribus ſanguinis fluore laborantibus, brachij è directo lateri affecto correſpondentis inciſam venam plurimùm conferre: ſeruanda enim eſt, vt docet Aëtius, in euacuando locorum affinitas, rectitudine fibrarum obſeruata. At quod ſubiungit quòd humero affecto, vſus docuerit in altero brachio mittendum ſanguinem, quòd iniuriæ oportunior ſit; vt in ſideratis locum habet atque reſolutis, ita in aliis non ſemper.

Mittere autem ſanguinem.

IAM quæ in venæ ſectione chœrurgo cauenda ſint explicat: neq. enim citra omne periculum inciduntur; quum venis aut arteriæ iunctæ ſint aut nerui ſubiaceant. ſub interiore enim, quæ baſilica dicitur, ferè comes arteria deliteſcit; & ſub media neruus: vtriſque autem fere muſculorum tendones ſubſternuntur. Cephalica licet difficilior ſit, omnium tamen ſolet eſſe tutißima. Ex neruo igitur, aut tendone puncto, dolor ingens, ſtupor, & reſolutio, & brachij conuulſio cum tumore eueniunt: atque huius quidem ſuſpicio ſi qua fuerit, vulnus ne coaleſcat inhibebitur, dum ab impendente phlegmone vindicatum fuerit, & dies duo tréſue interceſſerint: id autem commodißimè fiet fotu tepentis olei. Arteria autem aperta ſanguis emanat tenuis rubicundus, igneus & quaſi pulſu quodam exiliens; ægréque compeſcitur, illiuſque magna vi effuſa, ſequitur virium exolutio.

At ſi timidè ſcalpellus demittitur.

QVONIAM Ioannes Fernellius libro De vacuandi ratione, plurima quæ ad locum hunc & alios nonnullos facere videbantur, doctißimè ſimul & clarißimè explicat; eius non ſolùm ſententias, ſed & periodos integras aſſcribere libuit, idque ſemel commonefacere placuit, ne illum ſuo defraudemus honore: Chœrurgus igitur vt probè venam ſecet, ſcalpellum habeat, cuius mucro ſit acerrimus, quem viſu perſpicaci, manúque valida ſummis digitis apprehendet, nec plus mucronis proferet, quàm ad penetrandum ſit ſatis, manu altera membrum, eiuſque pollice venam ſtabiliet, ſenſim nulláque feſtinatione, quod ſatis eſt, ſuauiter impellens. Artus

autem

autem confricentur, dum incalescant, & proximè supráque eum locum in quem scalpellus adigetur arctiùs vinciatur, vt sanguine collecto, vena tumentior in conspectu se det. Infrà quoque alligari mos nonnunquam est, quòd tremula inconstansq; vena ad phlebotomi quemuis impulsum refugit, aut è sede sua prosilit. His autem quibus angustæ venæ sunt, aut in altum demersæ, & quibus cutis densa est, multo arctiùs vinculum iniicitur, quàm iis qui contraria constitutione sunt. Si autem venæ lateant, vt docet Celsus, aut non facilè reperiantur, manus, aut pedes, si eò loci secare animus sit, in calentem aquam demittimus: & si ne sic quidem sese prodant, eam, quo loco esse solet, digiti impulsu percontabimur, dum sanguinis affluxu illius exploretur sedes; adeò facile est perito venam secare.

Incidenda ad medium vena est.

QVVM *sint tres sectionis figuræ, transuersa, recta non pungens, sed findens venam in directum, & inter has media quæ appellatur obliqua; suffecit Celso dixisse venas in medio incidendas. Transuersa igitur vtendum est in quibus detractionem omnino repetere non volumus, curuato enim cubito oscula fissuræ componuntur: & commoda est hæc incisio vbi magnam fissuram facere voluerimus. Obliqua autem fissura vtilis est, in quibus retractio repetenda est, & eo quòd à vase non aberramus dum sic secamus; sed etiam sanguinis eiaculatio ex obliqua fissura pulchrior est aspectu videntibus, dum velut obtorquetur & obuoluitur sanguis in saltu. Oblonga verò in directum fissura, commoda est his in quibus non solùm eâdem die sectionem reiteramus; sed etiam post vnum aut duos dies. incuruato enim cubito disparantur oscula fissuræ. Commoda est etiam fissura in directum his in quibus præuaricatio labiorum solet fieri. Venæ igitur quæ in articulis, in brachij flexu, in poplite extant, in rectum diffissæ tardiùs coalescunt, quòd articulorum frequenti agitatione, vulnusculi labra quodammodo dehiscant: verùm quæ extra articulos sunt venæ, vt in capite, in pedibus, in manibus, diuersam secandi rationem efflagitant, vt quæ in rectum fissæ, cicatricem celeriùs admittant; labra enim semper inter se coëunt. Rursus, quod ad sectionis modum attinet, si crassus aut viscosus sanguis, qualis melancholicis inesse putabitur, aut si aëris constitutio frigida sit, ampla; sin tenuis & aquosus sanguis fuerit, aut ipsa cæli constitutio calida, angustior tum demum fissura fiet. Cæterùm iam erumpente sanguine, qualitas eius statim consideranda est: nam si omnibus partibus probè sibi constet, cohibendus fluxus erit; talis autem est qui nec crassus, nec niger, sed rubens ac pellucidus sit. At si vitiosus is est qui effluit sanguis, præsertim si virium robur (quod ex pulsu facilè deprehenditur) atque phlegmone adsit, si æger ætate vigeat, ac aëris constitutio sit temperata, sanguinis immutatio est expectanda; siquidem mutatio index est sanguinem ex inflammata sede, in qua is est à reliquo dispar, euelli. In iis tamen quibus imbecilliores vires sunt, nec tantam vacuationem quam coloris sanguinis mutatio sequitur, ferre possunt, & quibus phlegmone adeò maligna est, vt de sanguinis mutatione nihil concedat, non erit expectanda sanguinis mutatio: sed quum alij scopi sint sistendi sanguinem, vt docet Galenus, libro De sanguinis missione, illis attentũ medicum esse oportet: nam si sanguis minore impetu quàm antea ferebatur, effluat, signum est iam satis esse detractum. Signo autem quod ex pulsuum immutatione sumitur, maximè attendendum monet Galenus, quod nequaquam mendaci indicio, confestim quiescendum à sanguinis detractione, vbi vel in magnitudine, vel in quantis inæqualitate is mutatus fuerit, indicet.*

Semperque antè finis faciendus est.

QVOD *si simpliciter ad animi deliquium, non mittendum sanguinem dicat, non video qui excusari posit: verùm si ita intelligamus, vt ægro debiliore existente, finis mittendi sanguinem faciendus sit ante*

lipothy-

lipothymiam, cum Galeni, & Hippocratis theorematis omnino conueniet. Nam, vt in Aphorismis Hippocrates, vbi ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare. Sic Galenus nono Methodi, Aufero, inquit, sanguinem de industria ab homine quoad animo linquatur. Conuenit autem eiusmodi euacuatio, vt antè contra Auicennam diximus, in continentibus, & ardentissimis febribus; idque si vires constent: quare in iis in principio vena tundenda est, quòd vires adhuc integræ sint. Phlebotomia enim statim ad animi vsq. deliquium facta, refrigeratur totius corporis habitus, & febres extinguuntur, & plurimis etiam aluus citatur, & bilis euomitur: quas res statim à toto corpore madores sudorésve excipiunt. Sic Galenus libro nono Methodi, Eorum, inquit, qui ex sola obstructione febricitant, nemo in putredinis febrem incidit, qui priùs sanguinem miserat: quin vbi valida virtus est, & ætas permittit, vsque ad animi defectum mittere expedit; vbi horum alterum non satis respondet, tutius est quantum visum satis fuerit, tantum principio detrahere, quod defuit, iteratione supplere: etenim hoc præsidio omisso, qui ita febricitant, in summum discrimen veniunt, nisi eos vel virium robur, vel largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus ex manifesta pernicie eripiat. Sic quoque Galenus in carbunculis (sunt enim ferè coniuncti febribus) idem remedium experitur, quòd corpus in contrarium statum celerrimè agatur, sanguinis missione ad lipothymiam refrigeratum. Neque dubito hoc & alia medicamenta eiusmodi esse facultate prædita, vt si eis immoderatè aut intempestiuè vtaris, vitam adimant: siquidem, vt Galenus nono Methodi ait, in sanguinis missione, (quam vsque ad animi defectionē faciendam paulo antè diximus, quò flamma in continentibus ex meatuum clausura in febribus extingueretur) non paruum meritò subsequitur incommodum, nisi oportuno tempore, aut debita mensura fiat: si nanque abundantia paulo viribus superior fuerit, vtique ex moderatione adeò nullum accedet viribus incommodum, vt etiam maximum comparetur commodum, quod eas premebat sublato. Sin quo affectus sanetur multa vacuatione est opus, resoluatur autem ex tanta inanitione virtus, non modò rursus homini non prodiderit, sed maximum etiam illi afferet periculum. Igitur in febribus aut aliis morbis qui ex corruptela humorum incidunt, quanquam id quod corruptum est, à natura omnino alienum sit, & se auferendum dictet, si tamen corruptela illa cum virium imbecillitate sit, paulatim quod vitiosum est euacuabimus, sensimque pro eo quod salubre est reponemus; siquidem immodicas aut quæ confertim fiunt vacuationes, aut purgationes vires imbecillæ non ferunt. In eiusmodi igitur morbis, in quibus quod affectus remedium est, cum virtutis custodia pugnat, Celsus vacuationes moderatas præcipit, & quæ ad animi vsque deliquium non fiant: nam & Galenus ipse has vacuationes confertim factas vitandas ac fugiendas monet, nisi magna quædam necessitas vt id faciamus iubeat. Quin etiam reuulsio ipsa non leue existens auxilium per sanguinis quoque missionem sæpiùs factam, quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficacior fit. Ita enim natura toties irritata per particulares has detractiones sanguinis quæ ad partem malè affectam confluunt, maiore cum impetu in contrarium locum reponere, ac retrudere assuescit, vt hoc nomine necesse sit, auersionem quæ per sanguinis missionem sæpe iteratam fit, multo esse præstantiorem, quàm eam quæ confertim fieri solet.

Ideoq́ue protinus brachium.

SANGVINE, *vt morbi magnitudo & vires ægroti ferebant, misso, vinculū soluendum est, vulnusque exiccandum, ne concrescente sanguine, madens, aut non coalescat, aut abscessus metum inferat. Detersum vulnus linteo obsignandum, vel rosaceo, vel dulci aqua imbuto, aut etiam oleo si fundere sanguinem iterum consiliū sit, fasciisq. linteum deuinciendum, quæ nec arctiores sint, nec cutim vulnerisque labra distorqueant.*

CAPVT XI.

De sanguinis detractione per cucurbitulas.

CVCVRBITVLARVM verò duo genera sunt, æneum, & corneum. Aenea altera parte patet, altera clausa est. Cornea altera parte æquè patens, altera foramen habet exiguum. In æneam linamentum ardens conijcitur, ac sic os eius corpori aptatur, imprimiturque, donec inhæreat. Cornea per se corpori imponitur, deinde vbi ea parte qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superq. cera cauum id clausum est, æquè inhærescit. Vtraque non ex his tantùm materiæ generibus, sed etiam ex quolibet alio rectè fit. At si cætera defecerunt, caliculus quoque aut pultarius oris compressioris, ei rei commodè aptatur. Vbi inhæsit, si concisa antè scalpello cutis est, sanguinem extrahit: si integra est, spiritum. Ergo vbi materia quæ intus est lædit, illo modo: vbi inflatio, hoc imponi solet. Vsus autem cucurbitulæ præcipuus est, vbi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est. Idque ipsum testimonium est, etiam scalpello sanguinem, vbi membro succurritur, ab ea potissimum parte, quæ iam læsa est, esse mittendum, quòd nemo cucurbitulam diuersæ parti imponit, nisi cùm profusionem sanguinis eò auertit, sed ei ipsi quæ dolet quæque liberanda est. Opus etiam esse cucurbitula potest in morbis longis, * quamuis & ijs iam spatium aliquod accessit, siue corrupta materia, siue spiritu malè habente. In acutis quoque quibusdam, si & leuari corpus debet, & ex vena sanguinem mitti, vires non patiuntur. Idque auxilium vt minus vehemens, ita magis tutum. Neque vnquam periculosum est, etiam si in medio febris impetu, etiam si in cruditate adhibetur. Ideoque vbi sanguinem mitti opus est, si incisa vena præceps periculum est, * aut si in parte corporis etiam vitium est, huc potiùs confugiendum est. Cum eo tamen, vt sciamus, hîc vt nullum periculum, ita leuius præsidium esse, nec posse vehementi malo, nisi æquè vehemens auxilium succurrere.

* *aliàs,* quamus etiam spatium

* & si in nobili p.

ENAR-

ENARRATIO.

DVO antiquis cucurbitularum genera fuisse tradit Celsus; æneum vnum, alterum corneum: neque ex his tantùm materiæ generibus, sed & ex alio quouis rectè conflari. nam vitreas commenti sunt; idq; ideò vt sanguinis qui euacuatur qualitas, & quantitas in euacuando pellucesceret: sed hæ quum flammam copiosiorem non sustineant, æneis longè sunt inefficaciores. Argentearum quoque vsus aliquando fuit: sed quoniam vehementiùs ignirentur, reiecit antiquitas. De figura earundem ne attigit quidem Celsus, quum tamen eædem plurimum inter se differant; & præsertim æneæ, vt auctor est Oribasius. Altiores enim, vt inquit, magis quàm humiliores trahunt; quæq; humiliores sunt, quia non vehementer attrahunt, capiti sunt accommodatiores: Quæ habent plana labia, corporibus latis; quarum labia resima sunt, corporibus curuis & gracilibus aptiùs accommodantur: Quæ acutum os habent, iis conueniunt, in quibus non scarificamus, sed vehementi impositione cucurbitularum, quas leues affigimus, attrahere volumus, quum acumen labiorum ad violentum attractum faciat. quæ labra habent obtusa, cum in aliis, tum vel maximè in capite vtimur. At quoties admoturi sumus cucurbitulas particulæ in rectum figuratæ, ex latere eandem affigimus; si enim (vt docet Paulus ex Ægina medicus) iacentibus ipsis desuper linamentum cum flamma ex lucerna inducamus; ex cute decidit illa, grauiter adurit, vsu hoc ipsum postulante.

Cornea per se corpori imponitur.

CORNEARVM vsus summè commendabatur, vbi exiccationis subesset periculum: siquidem quantumuis æneis minus trahant, vicinas tamen partes non exurunt, vel quoties vix auelli posse suspicio esset, vt in capite, aut si timidior sit patiens, nec flammam sustinere possit, cui affigenda sit.

Vbi inhæsit.

AFFIGVNTVR cucurbitulæ, aut cum scarificatione, aut sine eadem, sed quæ citra scarificatum applicatur, aut cum igne, vt dixi, admouetur, aut cum aqua tepida, in qua decoctæ sint herbæ emollientes: atque huiusmodi in pleuritide summè commendabantur antiquitus, quòd & spiritus citra noxam attraheret, & poros laxiores redderet.

Ergo vbi materia quæ intùs est lædit.

SCARIFICAMVS, vt docet Galenus, partes corporis aut phlegmone vexatas, aut fluxione, quæ iam firmata est, tentatas, aut tensas, aut induratas, aut dolore aliquo grauatas, aut vbi materiam ex aliis partibus in alias traducere volumus. Hîc autem subiungere locus postulat, quantam diligentiam veteres illi, in diuisionum mensura, & qualitate, & ordine obseruauerint; nam pro loci affecti varietate, diuisionum discrimina variabant: siquidem cruribus, dorso, abdomini, thoraci, ceruici, per rectitudinem scarificabant; at in capite pro situ capillorũ; in fronte obliquas faciebant. Præterea partes quæ scarificandæ erant, priùs lauabant, si modò fieri posset; sin minùs, aqua tepida perfundebant, vsque dum rubefierent: aut spongiis alioqui fouebant, & si quando à carnosis partibus detractionẽ molirentur, primùm cutim scalpello exasperabant, ita vt incisiones æquali inter sese magnitudine, atque æqualia essent quæ inter eas sunt interualla, initium scarificationis ab inferioribus partibus semper sumentes, deinde cucurbitam imponentes: At si excarnis esset, leuem priùs cucurbitulam affigebant, atque vbi in tumorem particula eleuata esset, scarificatu adhibito, rursus ipsam accommodabant, ac pro quantitate materiæ quam euacuare cogitabant, diuisiones paucas, aut multas faciebant. Hodie contrà nulla horum ratione habita, carnosis æquè ac excarnibus partibus ante scarificationem

tionem cucurbitulas affigimus, neque quasuis tantùm, sed eas solùm quæ magnitudine reliquas excellunt, idq; cum uberiore flamma, vt quàm plurimum noxij aut humoris aut spiritus peccantis ad se trahant. Alij exactiorem quandam methodum sibi pollicentes, primùm admonent sicyas; iis ablatis in tumorem loca redacta circumspiciunt; ac si quæ sint quæ colore aliquo extraneo varient, aut alioqui admodum extuberent, scalpello cutim exasperant; sin minùs, contra. Terminum autem diuisionum moderatæ altitudinis solam cutis craßitiem statuunt. Igitur quæ cum scarificatu adhibentur cucurbitulæ, efficaciùs humores, & spiritus per halitum egerunt, sensibiliter ea quæ nocent ex alto elicientes: nam non modò sanguinem, sed & alios quoque humores vacuant, præsertim cum flamma copiosiore glutinatæ.

vbi inflatio, hoc imponi solet.

LEVIS cucurbitula, inquit Paulus, inflationẽ discutit, distillationes in stomachum suspendit, sanguinem extrahit, & profluentem rursus sistit, obiectis partibus admota; & quod altè conditum est, in summa rursus educit. Celsus inflationibus tantùm imponi dicit, quòd videlicet his ceu præsentißimum remedium adhibeantur, quemadmodum docet Galenus Therapeutices XII. libro. dicit autem: Dolor qui spiritum flatuosum comitatur, propriam quandam curationem sortitus est ex cucurbitula cum flamma copiosa multoties admota, videbiturque præsidium hoc in huiusmodi morbis incantamenti cuiuspiam quid simile efficere, siue in intestinis, siue in quauis corporis particula sint excitati, illicò enim cucurbitula admota qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tum omnino sani redduntur.

Vsus autem cucurbitulæ præcipuus.

QVIBVS affectibus cucurbitæ rectè adhibeantur, Celso dixisse sufficit: at quo tempore earundem vsus conueniat, subticuit, vel quod clariùs putauit quàm vt dici debeat, vniuersalia dicta remedia anteire particularia, vel quòd sientes adhuc morbos, vt loquitur Galenus, intellexerit, in quibus non expectata purgatione cucurbitulas ad reuellendum adhibemus; vsus enim earum est, mouere aliquid, agitare, & foras euocare.

Opus etiam esse cucurbitula.

LONGIS æquè ac acutis morbis scarificationem prodesse dicit: sic Galenus diuturnis oculorum fluxionibus vexatis conuenire, & capitis affectibus, malisque thoraci & dorso accidentibus rectè applicari auctor est: sic hæmorrhoidibus, mensibusque suppreßis subuenit, fluxionem à partibus nobilioribus ad ignobiliores deriuans.

In acutis quoque quibusdam.

HVIVS generis sunt anginæ, quòd humores sensim eliciat, ac euacuet, atque eadem ratione pleuritidi (vbi videlicet locus affectus humorum fluxione iam non ampliùs grauetur, corpúsque ritè purgatum est) in hypochondriis rectè adhibentur; ac si res exigat, sæpiùs reiterandæ erunt.

& ex vena sanguinem mitti, vires.

VIDETVR Celsus cucurbitularum vsum omnino periculo liberum pronunciare; quum tamen Aëtius longè aliter sentire videatur, præsertim si ante totius corporis euacuationem fiat. Dicit autem in hunc modum: Illud porrò nosse expedit, quòd non solùm localis venæ sectio detrimento est, antequam vniuersum corpus euacuetur, per affectas partes sanguinem detrahens; sed etiam cucurbita. Et venæ quidem sectio minùs periculosa est; pro ratione enim allationis materiæ, etiam sanguinis excretionem facit: cucurbita verò tum impetu affixionis violenter materiam attrahens, tum multum locum occupans, & tamen neque vasis sensibilem fissuram faciens, attrahit quidem memorabilem materiam, non euacuat antẽ pro ratione attracta;

& præcordiis

& præcordiis quidem intempestiuè affixa, præsertim in continentibus febribus, & semitertianis, & maximè etiam si mens ægri fuerit turbata, & sensus sit obtusus, strangulatum & mortem eâdem die inducit. Capiti verò intempestiuè admota, lethargos, & corporis & mentis stuporem, & oculos prociduos facit; quibus autem contigerit vt hæc effugiant, hi omnino in diuturnum aliquem capitis affectum hinc incidunt. Hactenus ille. neque ab hoc dissonat canon Auicennæ, qui sensum & intellectum hebetari dicit, si sincipiti adhibeantur; si occipitio, obliuionem inducere. Verùm etsi hæc quammaximè sic se habeant; tamen si ignobilioribus partibus affigantur, vt ferè fieri assolet, sanguinis missione periculi minus afferunt; præsertim vbi plethora aliqua morbi suspicionem nobis infert, neque viscera, quæq; in toto corpore insunt vasa immoderatè repleta sint, neque distendantur, tum enim periculum id quod à nimia attractione metuendum dicit Aëtius, facilè subterfugiemus: ac in iis quoque qui ex virium imbecillitate phlebotomiam non admittunt, tutiores sunt cucurbitæ, vt rectè infert Celsus, aut alioqui si sæpe in anno reiteranda sit phlebotomia, quòd cum sanguine copioso, è vena vitalis excernatur spiritus, eo autem copiosiùs exhausto, vniuersa corporis moles refrigeretur, omniáque munia naturalia deteriùs obeantur. Si quando tamen necessitas vrgeat, vt non ignobilioribus, sed principalibus, aut neruosis alioqui quæ facilè contraherentur, aut conuellerentur partibus affigendæ sint cucurbitulæ, vtputa capiti, hypochondriis &c: tum demum, vt noxam omnem, quoad fieri potest, euitemus, corneas affigemus; ex eis enim ore sugentes trahimus, vnde & minor quoque earum est attractio.

CAPVT XII.

De Deiectione.

DEIECTIONEM autem antiqui varijs medicamentis, crebraque alui ductione in omnibus ferè morbis moliebantur, dabantque aut nigrum veratrum, aut filiculam, aut squamam æris, quam λεπιδόχαλκον Græci vocant, aut lactucæ marinæ lac, cuius gutta pani adiecta abunde purgat, aut lac vel asininum, vel bubulum, vel caprinum, eique salis paulum adijciebant, decoquebantque id, & sublatis his, quæ coierant, quod quasi serum supererat, bibere cogebant. Sed medicamenta stomachum ferè lædunt. Ideoque omnibus catharticis aloë miscenda est. Aluus si vehementiùs fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo nunquam in aduersa valetudine medicamentum eius rei caussa rectè datur, nisi vbi is morbus sine febre est. Vt cùm veratrum nigrum, aut atra bile vexatis, aut cum tristitia insanientibus, aut ijs quorum nerui parte aliqua resoluti sunt, datur. At vbi febres sunt, satius est eius rei caussa cibos, potionesque assumere,

qui simul & alant, & ventrem molliant. Suntque valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio conuenit. Plerunque verò aluus* potionibus ducenda est, quod ab Asclepiade quoque sic *temperatum, vt tamen seruatum sit, video plerunque seculo nostro præteriri. Est autem ea moderatio, quam is secutus videtur, aptissima: vt neque *sæpe ea medicina tentetur, & tamen semel sumptum vel bis non omittatur. Si caput graue est: si oculi caligant: si morbus maioris intestini est, quod Græci κῶλον nominant: si in imo ventre, aut in coxa dolores sunt: si in stomachum quædam biliosa concurrunt, vel etiam pituita eò se, humórve aliquis aquæ similis confert: si spiritus difficiliùs redditur: si nihil per se venter excernit, vtique si iuxtà quoque stercus est, & intus remanet: aut si stercoris odorem, nihil deijciens, æger ex spiritu suo sentit: aut si corruptum est quod excernitur: aut si prima inedia febrem non sustulit: aut si sanguinem mitti, cùm opus sit, vires non patiuntur, tempúsve eius rei præterijt: aut si multum ante morbum aliquis *potauit: aut si is qui sæpe vel sponte, vel casu purgatus est, subitò habet aluum suppressam. Seruanda verò illa sunt, ne ante diem tertium ducatur, ne vlla cruditate substante, ne in corpore infirmo, *diuque in aduersa valetudine exhausto, néve in eo, cui satis aluus reddit quotidie, quíve eam liquidam habebit, ne in ipso accessionis impetu, quia quod tum infusum est, aluo continetur, regestumque in caput, multo grauius periculum efficit. Pridie verò abstinere debet æger, vt aptus tali curationi sit. Eodem die ante aliquot horas aquam calidam bibere, vt superiores eius partes madescant, tum *deijcienda aluus est, si leui medicina contenti sumus, pura aqua: si paulò valentiori, mulsa: si leni, ex aqua, in qua fœnum Græcum, vel ptisana, vel malua decocta sit. Si reprimendi caussa, ex verbenis. Acris autem est marina aqua, vel alia sale adiecto, atque vtraque decocta commodior est. Acrior fit adiecto vel oleo, vel nitro, vel melle quoque. Si acrior est, eo plus extrahit, sed minùs facilè sustinetur. Id quod infunditur, neque frigidum esse oportet, neque calidum, ne alterutro modo lædat.

Cùm

*potius
*vituperatum,
*semel ad summum
*portauit:
*diuque adu.
*aliàs, immittēda in aluum.

Cùm infusum est, quantum fieri potest, continere se in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati deiectionis protinus cedere. Vbi necesse est, tum demum * desidere. Fereque eo modo dempta materia superioribus partibus leuatis morbum ipsum * mollit. Cùm verò quoties res coëgit, desidendo aliquis se exhausit, paulisper debet conquiescere, & ne vires deficiant, vtique eo die cibum assumere: qui plenior an exiguus sit dandus, ex ratione eius accessionis, quæ expectabitur, aut in metu non erit, æstimari oportebit.

*residere.

* tollit.

ENARRATIO.

PRISCIS illis antiquisque medicis mos fuit in omnibus ferè morbis quales quales tandem essent seu cacochymiam, seu plethoram subsequerentur, aluum medicamento purgante sollicitare; idque variis, iisque vehementissimis, medicamentis, quæ non citra virium iacturam exhibebantur. Nam si quod malum in metu esset, statim ad helleboros, tithymallos, scammonium, idque citra vllam commistionem, concurrebant; & si non pro voto flueret aluus (quod aut ob ægrotantis hominis proprietatem naturæ, aut ob stercus densatum, atque in intestino aliquo exiccatum, aut natura ad vrinam vergente, impedienteque medicamenti purgantis operationem, accidere solet) tum demum variis medicamentorum modis, eandem sollicitabant; vtputa enematibus, glandibus, epithematibus, oleis & inunctionibus, quæ omnia Celsus noster præterit, solarum purgationum & enematum mentionem faciens. Verùm quoniam in omnibus morbis adhiberi solitam dicit purgationem, quamuis paulo pòst enarret, qui morbi eandem requirant, breuibus tamen ante capitis enarrationē perstringemus purgandi aluū scopos. Vtimur igitur purgatorio medicamēto ad corporis temperamentū transmutandum, vt in diuturnis febribus, quartanis & quotidianis, insania, lepra, scabie, & similibus; præterea materiæ remouendæ causa, vt in cephalæa, vertigine, comitiali morbo, podagra, nephritide, arthritide; adhæc ad fluxiones assiduas cohibendas, vt si aures, os, nares, oculos, stomachum, aut totam corporis superficiem infestârint, neque resiccentur ab aliis auxiliis aut alia quauis ratione sisti possint. Damus etiam medicamenta purgantia, ad antiquas affectiones amouendas, atque expurgandas, quemadmodum in atrophia, sideratione, torpore, sopore, & in summa ad circumfusum, & infestantem humorem educendum, vt in aqua inter cutem, & regio morbo. Verùm vt quis medicamento purgante tutò vti possit, requiritur, non secus ac in sanguinis missione, virium robur: quare nec senes, nec pueri, quum eorum substantia ocyssimè digeritur, commodè purgationem tolerabunt. sed neque calidis temporibus tutò eadem adhibetur, quòd tum calor innatus, atque adeo virtus insita diffletur; sub Cane enim & ante Canem (vt ait Hippocrates) difficiles sunt medicationes.

dabantque aut nigrum veratrum.

DVÆ sunt hellebori species: alter enim albus est, alter niger; vterque, vt auctor est Galenus, extergentis & calefacientis facultatis; hic autem gustu calidior, ille amarior: suntque in tertio ordine excalefacientium, & desiccantium. Albus, vt ait Dioscorides, vomitione varios protrahit humores; de quo in sequentibus latiùs: Niger contrà, teste Aëtio,

atram

atram flauámque bilem ex toto corpore attrahit, ac infernè citra molestiam expurgat; quapropter febrientibus etiam per circuitum, & diu ipsum exhibuit. Datur & furiosis & hemicranicis, & diuturno capitis dolore afflictis; in quibus laborantiũ maximo commodo & nos quoque vsi fuimus. Maximè verò idoneus est visceribus, aut vtero, si purgatorio medicamento opus habent, Melampodij cognomen sortitus est, quòd Melampus Amithaonis filius, furentes Prœti filias hoc purgasse dicatur: Dioscorides phlegmagogum dicit, adiecto scammonio: Mesues sanguinem etiam puriorem reddere testatur, attrahendo scilicet è venis excrementa sanguini mixta, non à solis cauitatibus partium, sed à toto corpore, ac etiam remotis partibus, & cute ipsa. nam & Manardus quoque hominum memoria doctissimus, ac celeberrimus medicus, veratri nigri ℨ 1. exhibuit, cum scammonij præparati (dacridium nominant) granis 2. minusque & leniùs purgare dicit, quàm iusta dosis catapotiorum quæ aggregatiua vocant: Albo vsus non est; ex Italis tamen robustos posse ferre putat. Mesues certè nigrum albo salubrius dicit: nam & album (inquit) terribilia minatur symptomata; nigrum contrà incolume, & velut iuuenile corpus tuetur. & quum omnium consensu nigrum exhibendum dicat, robustis tantùm & animosis verno tempore, id quod natura & arte correctum sit, propinat; atque in iis & temperamentum melius, & probatiores mores, & iuuenilius florentiusque corpus pollicetur. Aetius diuersimodè exhiberi solitum veratrum auctor est: alij enim decoctum veratri dabant; alij cremorem, alij ipsam eius substantiam, & alij forcipe in ramenta confectum ipsum exhibebant, aliique tusum & cribratum, idq; pro virium, ætatis ac morbi ratione. nam quibus vires imbecilliores erant, vt pueri, & senes, & quibus morbus facilè solubilis esset, cremorem in quo maceratum esset veratrum, dabant; & qui maiori molimine, ac exagitatione opus haberent, & qui confidentiores robustioresque essent, ramenta concisa dabant. Hippocrates pleuriticos quoties infernas partes dolor infestaret, helleboro purgat; quandoque helleborum per se, interim etiam peplio admixtum præbens, atque eiusdem vsum summopere commendauit. Hodie arte chemica veratrum extrahunt: coguntque in crassiusculum succum; idque variis excogitatis modis, ex quo pauxillum veluti ℈ 3. plus aut minus pro extractionis ipsius intensione ex iure aliquo, aut vino albo maximo cum successu propinant.

aut filiculam aut squammam æris.

PER filiculam, polypodium seu δενδρόπτεριν hic cum Plinio Naturalis historiæ libro XXVI. cap. octauo, non δρυόπτεριν intellexero; siquidem polypodium, teste Dioscoride, purgandi vim habet, humores lentos ac crassos terget, digerit, siccat, bilem atram & pituitam, vel crassam, vel lentam purgat, etiam à iuncturis: affectionibus ob hoc melancholicis prodest, vt quartanis; præsertim cum mulsa, teste Mesueo, aut cum epithymo, etiam colico dolori, & splenis duriciei quouis modo vsurpatum. Verùm hic admonitum oportuit lectorem, alterius longè fuisse facultatis, Græcorum polypodium, quod à ℨ ij ad aureos quatuor tantùm, tutò posse exhiberi credebant, quàm nostrum, cuius vel integra vncia parum, & citra molestiam purget. Quod autem ad æris squammam attinet, quamuis tam æris quàm ferri, stomomatisque squamma, & omnes quotquot sint desiccent atque astrictionis quid adipiscantur, atque in hoc tantùm differant, quòd aliæ magis, aliæ minùs id præstent, helcitisque (quam λεπιδόχαλκον vocari dicit Celsus) principem in desiccando obtineat locum; Galenus tamen tertio Simplicium, duplicem qualitatem in æris squamma prædicat: ac proinde, sicut duplex ei qualitas inest, ita gemina quoque facultate prædita est; nam & astringit, & mordicat. quare astrictione quidem siccatas vlceratarum carnium partes cicatrice obducit, mordicatione verò præhumidas colliquat: quod si intrò in corpus sumatur, purgat quidem ventrem, verum non cohibet, vincitur enim ea astringendi

facultas,

facultas, ab acri purgatoriáque potentia, tanquam si rhu succum scammonij commisceas: nam quod ex ambobus commixtum erit, soluet ventrem, haud sistet, licet gustu austeritas exuperet. Educit aquosa: quare & hydropicis conuenit, satisque est ℨ ij ex cocto melle in catapotia redactas sumere, aut ex aqua mulsa bibere.

aut lactucæ marinæ lac.

TITHYMALORVM genera septem recenset Dioscorides: quorum is qui characias, id est vallaris dicitur, principem obtinet locum. habent autem omnes vincentem acrémque caliditatem; suntque ex quarto calefacientiū ordine. Characiæ liquor vim habet aluum per inferna ducendi, pituitam & bilem purgans duorum obulorum pondere ex posca sumptus, cum melicrato autem vomitum cit. Galenus validissimum liquorem dicit, secundum locum tenere semen, & folia radicémque earundem facultatum participem esse, sed non ex æquo. Tradunt (inquit Plinius) toties purgari hydropicos fico sumpta, quot guttas lactis characiæ exceperit. Oribasius instillatum caricis liquorem, probè & citra molestiam purgare, auctor est.

Aut lac vel asininum vel:

DVPLEX lactis est utilitas: vna, vt alimenti; altera, vt medicamenti. Saluberrimum est purum sincerúmque, nec acredinis, nec acrimoniæ, aut aciditatis, aut salsedinis, aut fœtoris particeps. Omne autem lac triplici constat substantia, caseosa, serosa, ac pingui, quam copiosissimam obtinet bubulum: equinum, vti & asininum, magis aluo secedit, quòd pinguis succi minimum possideat. Caprillum, vt docet Aëtius, moderatam compagem obtinet, & ad purgandum bubulo debilius est; de cætero æquè commodum, & multum nutriens. Mesues contra ad aluum ducendam sero lactis caprini vtitur: Optimum enim est, inquit, caprarum nigrarum (nigriora enim in brutis ferè fortiora sunt, quod & carnes ipsorum testantur, sunt enim iocundioris saporis; quemadmodum alba, imbecilliora) bonis pabulis nutritarum, recens fœtarum, recens, boni & iocundi odoris, & saporis. Rhabarbarum etiam efficacius agere dicit, sumptum ex sero lactis; præsertim caprini. Secundum in bonitate ouillum ponit: Aëtius contrà ouillum & suillum ineptum ad secernendum serum dicit. Fit autem serum ex lacte ebutyrato, seu à quo est pingue innatans secretum, quando lubricitatis causam ex partibus excretoriis auferre volumus, & ex lacte non ebutyrato quoties partes eas lenire magis & lubricare studium est. Cæterùm præparandi illius modum docet Aëtius: Lac, inquit, in ollam funditur, coquiturque igne concitatiore, & assiduè ac æqualiter mouetur, & vbi efferbuerit, à motu cessatur; & vbi adhuc ampliùs efferbuerit, aqua frigida in promptu sit in profundiore quodam vasculo sita, in quam olla in qua lac coquitur immittitur: statim enim sedatur; sedato autem feruore rursus coquitur: & vbi efferuescit, acetum mulsum, aut aqua mulsa bis aut ter irroratur: quo facto caseus à sero statim disparatur; serum igitur mox per panniculum, aut discerniculum excolatur. Vbi igitur crassas ac pituitosas materias abundare suspicatus fueris, acetū mulsum irrorabis; vbi acres & biliosos, aquam mulsam. Quin & immisso in ollam, postquam lac bis aut ter efferbuerit, vase frigidissimā aquam habente, fissuram ac secretionem facimus. Vtendum est sero ad debiles ac cibos auersantes: oportet autem sero quod primò bibitur, salem admiscere; vbi verò purgare cœperit, citra salem dare; atque hoc per interualla facere, donec æger satis purgatus fuerit. Mesues alia ad huius præparationem methodo vtitur. Habet autem serum lactis vim extersoriam, vt docet Galenus, ac subducendi ventris gratia sumitur, tum in potu, tum per clysterem immissum, nam acrimoniam intestinorum citra mordacitatem abluit & abstergit, estque calidum & siccum gradu primo vsque ad secundum, teste Mesueo.

Sed medicamenta stomachum fere.

Medicamentvm, teste Galeno, omne id dicimus, quod naturam nostram alterare potest; sicut nutrimentum, quicquid substantiam augere. Sunt autem genere diuersa, alia composita, alia simplicia: omnia stomacho inimica, sed hæc magis; illorum enim malignitas si non aufertur, saltem obtunditur, & quibus fieri potest modis corrigitur, partim malitiam simplicium, & excessum frangentibus, partim salubrem aliquam facultatem afferentibus. Inimica autem stomacho sunt, atque eius potissimum ori, quia dum familiarem sibi humorem trahunt, fit ut exoluatur aut alio quouis modo afficiatur.

Ideoque omnibus catharticis aloë.

Aloe medicamentorum omnium purgantium præstantissima est, & ob suam quandam prærogatiuã excellentissima; quum enim cætera purgantia, ut dictum est, partes nostras principes, & ex his ceu fontibus facultates corpus nostrum dispensantes, vel actionis vehementia lædant, vel nihil iuuent, aloë sola eas partes roborat, & ad functiones suas reducit, & medicamentis quæ actione sua corpus dissoluere solent addita, ipsa corrigit, & noxam eorundem aufert. Quare Oribasius quotidie à cæna cum maximo emolumento sumi posse auctor est: Subducitur enim, inquit, & ciborum vim non hebetat: prætereà sitim non inducit, & hominem ad cibos sumendos facit promptiorem. Est enim, ut auctor est Galenus, medicamentũ, si quod aliud, stomacho gratum; neque totum purgat corpus, verùm sitam tantùm in stomacho, ventre, & intestinis bilem citra molestiam ac placidè unà cum subiectis excrementis educit. Quapropter quum ventrem tantùm subducat, ex numero eorum medicamentorum esse dicunt, quæ ἐκκοπρωτικὰ Græci dicunt; nõ enim rectè quis καθαρτικὴν dixerit. Tutior tamen est frigidis humidisque corporibus: nam Galenus siccis, ut biliosis iuuenibus, & senibus suspectam videtur habere, quòd usu crebro & multo iisdem noxia esse soleat propter exiccationis periculum quod adferre consueuit, nisi plus prosit vacuata bile, quàm lædat, calefacto & siccato magis corpore. Verùm de his plura in nostris Miscellaneis.

Aluus si vehementiùs fluit.

Hypercatharsis, hoc est à medicamento purgante vacuatio immodica, fit aut ratione sumentis, aut medicamenti; aut accidentium utrique superuenientium. Ratione sumentis, quòd is excrementis ad fluendum paratissimis abundet; vel quòd venarum facultate retentrice sit imbecilla; vel quòd earundem orificia sint ampla. Medicamenti quidem ratione, quoniam id qualitatem habet alienam, aut deleteriam, aut quòd largius sumptum sit, vel portione sui ventriculi & intestinorum villis adhæret, aut venarum ora pungit, mordet, aperit, aut alioqui cor intemperantius reddit. At ratione quæ utrisque superueniunt, si australis sit constitutio; ea enim aperit, & rarefacit, Galeno teste, ac humores ad fluendum idoneos reddit. Idipsum quoque præstat Boreas, sed diuersâ ratione; siquidem comprimendo atque exprimendo fluxiones excitat, ut antè satis dictum est. Qui igitur tunc promptè fluxionibus tentantur, à catharticis abstineant. Subsequuntur autem immodicas alui fluxiones, febres, diarrhϾ, stomachi subuersiones, vertigines, & id genus alia, de quibus abunde Ioan. Mesueus.

Ergò nunquam in aduersa valetudine.

Febres medicamentum purgans non ferunt, quòd plus mali quàm boni secum afferat purgatio; calore enim medicamenti purgantis febrilis calor accenditur. Intelligimus autem hîc per febres, non quasuis, sed acutas, & calidas: in acutis enim passionibus, Hippocrate teste, raró & in principiis medicinis purgantibus uti. & hoc cum præmeditatione faciendum: neque enim periculum

riculum minimum, auctore Galeno, in morbo acuto vti medicamento purgante, quum omnia id genus ſint poteſtate calida; febris verò quatenus febris eſt, & ſui ratione, non calefacientibus, & exiccantibus, ſed potiùs contrariis, hoc eſt humectantibus & refrigerantibus egeat. In febribus verò longis; vt quartanis & quotidianis, ad temperamenti mutationem & amouendam morbi cauſam purgationes concedi diximus. Acutè igitur febrientes ſatius eſt cibos potioneſque aſſumere, qui ſimul & alant, & ventrem molliant: atque huiuſmodi quidem ῥοφήματα ἐπισπαστικὰ, hoc eſt attractorias ſorbitiones vocare ſolet Hippocrates. Quamquam & victus humidus per ſe, eodem teſte, febrientibus conueniat, quum & humectet, & facillimè concoquatur, atque ocyſſimè diſtribuatur, ac per aluum ſecernatur, eamq; quoad fieri poteſt ſubducat.

At vbi febres ſunt, ſatius.

SVMPTVS hic locus eſt ex quarto De ratione victus in morbis acutis, vbi in cauſo ſorbitiones attractorias dat; per ſorbitiones attractorias eas intelligens (ni quid me fallat opinio) quæ & nutriant ſimul, & aluum citra moleſtiam ſubducant, & corpus nonnihil humectent: quale eſt iuſculum galli; idq; aut ſimplex, & per ſe, aut vnà cum prunis damaſcenis, aut mercuriali, aut malua, aut filicula, aut ſimili aliquo decoctum: ptiſana etiam in qua radix polypodij, cnici ſemen, aut braſſica marina decocta ſit. Huiuſmodi etenim ſorbitiones, etſi non manifeſtè humorem peccantem attrahunt, tamen eò quòd meatus nonnihil aperiunt, atque ventrem fluidum faciunt, attractorias rectè appellaueris, quòd mixtæ quodammodo ſint facultatis, inter medicamenta & nutrimentum.

Suntque valetudinis genera.

ANTE ſimpliciter ſerum lactis purgatricem vim habere oſtendit; nunc autem quoſdam eſſe morbos qui id requirant. Sunt autem eiuſmodi, teſte Meſueo, mania, melancholia, impetigo, pruritus, lepra, vlcera maligna, morbique omnes obſtructiones ſequentes: quales ſunt hydrops, ac icterus, febres item à putrida bile, tumores lienis, & id genus alij; & ſi quidem per ſe ſumptum non ſatis efficax fore putamus, alia in eodem pro vſus exigentia maceramus.

Plerunque verò aluus potiùs.

LIBRO tertio capite quarto hanc Aſclepiadis moderationem paulo apertiùs deſcribit auctor noſter. Ante omnia, inquit, quæritur, primis diebus æger qua ratione continendus ſit. Antiqui medicamentis quibuſdam datis concoctionem moliebantur, eò quòd cruditatem maximè horrebant: deinde eam materiam quæ lædere videbatur, ducendo ſæpiùs aluum, ſubtrahebant. Aſclepiades medicamenta ſuſtulit, aluum non toties, ſed ferè tamen in omni morbo ſubduxit: Febre verò ipſa præcipuè ſe ad eius remedium vti profeſſus eſt. Conuellendas enim ægri vires putauit luce, vigilia, ſiti ingenti: ſic vt ne os quidem primis diebus elui ſineret. hactenus Celſus. Quæ commoderatio præſertim in febribus, mihi, nec Celſo ipſi alibi, ſatis probatur; præſertim quum in febribus non ideò ducamus aluum vt vires conuellamus (hinc enim maximum immineret periculum) ſed potiùs, vt docet Galenus, ad euacuationem noxiorum humorum: nam eam tantùm admittit, vbi vtilitatis plus (quod ferè euenit) quàm detrimenti ex medicamento purgatorio æger conſequatur.

ſi morbus maioris inteſtini.

IN colico dolore medicamenta purgantia parùm probari, vel hinc conſtat, quòd magna ſua vi attractrice, noxios humores ad ventriculum primùm, deinde ad inteſtina trahant; vnde & ea diſtendunt nonnunquam, & dolores aliquando augent & exacerbant. Contingit enim frequenter dolo-

res eò esse vehementiores, quo obstructio est maior. Clysteribus igitur ante medicamenti propinationem eluenda est aluus, ac deinde, si res exigat, catharticis mouenda.

aut si sanguinem mitti, cum.

NISI hîc adderet, tempúsve eius rei præterit; nescio quàm rectè dixisset, faciliùs tolerari purgationem sanguinis missione; quum cuiuis etiam notum sit, plus exagitari vires, atque adeò totam corporis miscellam distrahi purgantis medicamenti potione, quàm moderata sanguinis detractione. Non negamus tamen esse, quin, siquando post principium vocatus medicus, cum plethora coniunctam cacochymiam videat, omissa sanguinis missione, sola medicamenti lenientis aluum potione contentus esse possit; quod Celsum voluisse suspicio est.

Seruanda verò illa sunt.

POSTEAQVAM dixit quibus rectè accommodentur medicamenta purgantia, iam quæ eandem prohibeant enumerat: ac primùm ante diem tertium, aut ante concoctionis signa, aluum irritari prohibet; per diem tertium, morbi principium intelligens: siquidem trifariam morbi principium dicimus, propriè enim impertibilis illa ac indiuisibilis primi morbi impetus inuasio, in qua victus homo decubuit, principium appellatur; quemadmodum principium febrilis exacerbationis dicimus contractionem extremarum partium, ac præcipuè nasi, & quandoque etiam frigiditatem, oscitationem, & pandiculationem totius corporis; nonnunquam etiam tussiculam leuiter irritantem, vnà cum frigiditate irruentem. Principiũ etiam dicitur, quod per dilatationem nominant, quod vsque ad tertium diem extenditur. Principium etiam dicitur proprium ac necessarium, quod velut partem totius morbi nominamus, quod sanè non dierum numero, sed exacerbatione, qualitate & concomitantium accidentium leuitate æstimatur; siquidem quo ea fuerint mitiora, eò concoctio, aut, si mauis, maturatio perfectior obitur. Sic Galenus augmentum, statum, declinationem, ab accidentibus, & concoctione metitur, vt tantisper totius morbi principium dicatur, donec apparuerint manifesta & perfecta concoctionis signa. In principiis autem non esse medicandum, satis docet Hippocrates tum aliàs, tum inprimis libro primo Aphorismorum: Concocta, inquiens, medicari & mouere, non cruda, modò non turgeant; plurima verò non turgent. tum quarto De victu in morbis acutis: Quicumque enim, dicit, statim inter morbi initia phlegmone obsessas partes medicamento soluere conantur, hi à parte intensa inflammatáque nihil auferunt; affectus enim quod crudus est non cedit, quæ verò morbo resistere possunt, & sana sunt, absumunt. Rectè ergo ante diem tertium, hoc est in morborum principiis, purgationes vetat Celsus.

ne vlla cruditate substante, &c.

QVANQVAM cruditatem sub principio comprehendi dixerimus, tamen quoniam practici hîc miris modis se torquent, in materiei digestione, vt loquuntur, aut maturatione, aliis concoctionem incrassando, aliis contrà attenuando fieri affirmantibus, vbi duo illi Arabicæ scholæ cardines longis ambagibus seu gyris quibusdam sese implicant, adeò vt vix sese extricare possint: crassorum enim humorum incisione, & tenuium ac serosorum inspissatione, concoctionem, aut præparationem humorum fieri fateri coguntur, quum tamen Hippocratem & Galenum passim inculcantes audiant, Corpora quum quis purgare voluerit, oportet fluida facere, quod non incrassationem aut inspissationem aliquam, vt sic dicam, exigere videtur; nam erunt fluida Galeno teste, omnibus meatibus reseratis, humoribus incisis, atque extenuatis: atque hoc est quod voluit Hippocrates sexto Epidemion: Si volueris, inquit, vt is qui helleborum bibit, celeriter purgetur, aut lauet, aut comedat, præcipuè lauet, nimirum corporis meatus laxiores reddendo, & vt humores balnei calore fundantur. Comedat autem cibos eos, qui videlicet incidant crassos

dant crassos

dant crassos & tenaces humores. Nam quantumcunque tenues, quantumcunque subtiles sint humores, aut materia peccans, semper attenuantibus & incidentibus uti solent; ac propterea Galenus in acutis etiam passionibus cõsueuit captare occasionem propinandi melicratum, in quo coctum sit aliquid, vel hyssopi, vel origani, vel tragorigani, aut thymi, aut pulegij, siue quid aliud huiusmodi, vim habens humores extenuandi: nam quæ de achoribus obiiciunt, clariora sunt quàm vt responsum mereantur, quum incipientes achores (vbi totum corpus superfluitatibus careat) per astringentia & repellentia curari certum sit. Huc quamuis referri possint, quæ de minoratione materiæ dicunt; tamen quoniam à doctissimo viro, mihi nunquam nisi honoris titulo nominando, Domino Hieremia Drinco *præceptore quondam nostro, tum ab aliis, satis explosa sunt, ne attingere quidem voluimus.*

ne in ipso accessionis impetu.

PVRGATIO *non excandescenti, sed mitescenti morbo offerenda; tum enim naturæ ductum imitari æquum est, siquidem ea plerunque in febrium, maximéque intermittentium inuasionibus vomitiones, & in declinationibus sudores commodè ciet, quo tempore eadem nobis vtiliter arte promouere concessum est, at non vel alui deiectionem, vel venæ sectionem meditari. In accessionibus enim ab iis omnino temperandum est, vt quas natura non moliatur, sed si quæ incidant, solius morbi impetu atque feruore fiant, & quum alui deiectiones vires ferè lacessant, vix tutò potest in tanta accessionum quasi fluctuum æstuatione obiri, quum humores tum maximo quodam quasi æstu incitati efferuescant, obturbatique permisceantur, nulla etiam queat iusta fieri excretio.*

Pridie verò abstinere.

HINC *satis constat Celsum antè per* substantiæ cruditatem *intellexisse materiam quæ causa esset ipsius morbi: nam iam ne incoctus adhuc crudusque cibus vasis inhæreat præcauens, pridianam commendat abstinentiam, quòd videlicet natura duobus, atque iisdem diuersis officiis simul ad amussim intenta esse nequeat: neque enim & cibos concoquere, concoctosque digerere commodè posset, simúlque medicamento purganti obtemperare.*

Eodem die ante aliquot horas.

CELSVS *hîc horis aliquot ante medicamenti purgantis sumptionem, aquam calidam bibendam dat, eámque aut simplicem, aut eam in qua decoctum sit hordeum: idque non tantùm vt superiores partes madescant; verùm etiam vt intemperies totius corporis aut ventriculi, si calidior sit, nonnihil ad temperiem reducatur, ne videlicet calida intemperies, medicamentis, quæ ferè facultate calida sunt, aliquo modo lædatur. Oribasius eandem exhiberi solitam ait priscis illis medicis post purgationem: nam & morsus vellicationesque sedare credebant, & excretiones iuuare; cuius loco hodie medici sorbitiunculam, aut ius carnium exhibent.*

si leui medicina contenti sumus.

HÆC, *& reliqua quæ ad capitis vsque finem subsequuntur, vel ad enematum infusionem transferri possunt, vel præcedentibus rectè accommodari: siquidem quum antè dixisset in intemperie calida totius corporis aut ventriculi tantùm, eiusdemque imbecillitate, rectè ante purgationes exhiberi aquam calidam, iam eiusdem exhibendi ordinem præscribit. Nam si leni medicina contenti fuerimus, suffecerit pura aqua; si paulo valentiori, mulsa, quòd huic videlicet mellis acrimonia aliquid detersoriæ purgantisque facultatis addiderit. Atque eadem ratione quid obstabit quo minus aquam in qua decocta sit verbena, propinemus ante medicamenti purgatorij exhibitionem, stomacho debiliore atque ad vomitum propensiore? Et quod subiungit acriorem fieri adiecto nitro, non improbat quin sententia intelligi possit de præparatione ad medicamenti sum-*

ptionem : nam Galenus, & post eum Paulus & Aëtius, nitrum si intrò sumatur, secare atque extenuare lentos crassosque succos testantur; idq́ue potentiùs quàm reliqua salis genera. Et Oribasius iis qui sumpto medicamento purgatorio non purgantur, aquam mulsam sorbendam dat, aut nitrum aqua liquefactum. Quæ quamuis sic se habeant, proprietas tamen sermonis exigere videtur, vt de enematum iniectione sententiam intelligamus: siquidem per superiora, quemadmodum per inferiora non infundimus, sed aut propinamus, aut exhibemus sorbenda deglutiendáve medicamenta: quanquam quomodocunque intelligas, constet sententia.

Cùm infusum est quantum fieri.

QVAMVIS *Hippocrates in Aphorismis dicat, Quum biberit quis helleborum, ad motiones corporum ducere magis, ad somnos verò atque quietem minùs: indicat autem nauigatio turbari motione corpora. & alio loco: Quum volueris magis ducere helleborum, moue corpus; quum verò sistere, somnum facito. Sententiæ huic nequaquam refragatur Celsus: etenim tantisper quiescendum dicit, dum medicamentum, aut id quod infusum est, vim suam exeruerit: siquidem quum quies in eodem statu seruet; motus verò mutet atque alteret corpus, faciliùs medicamentum energiam suam attractoriam exeret in quieto, vti expulsoriam catharticámve in moto. Ideóque Hippocrates particulam* magis *addidit. Tantisper igitur quiescendum monet Celsus dum purgari incipiat corpus, ac deinceps mouendum, ac rursus quiescendum si hypercatharsis molesta sit; & si vires deficiant, cibum exhibendum pro ratione accessionis eius quæ expectabitur.*

CAPVT XIII.
De Vomitu.

AT vomitus, vt in secunda quoque valetudine sæpe necessarius biliosis est, sic etiam in his morbis, quos bilis concitauit. Ergo omnibus qui ante febres horrore & tremore vexantur, omnibus qui cholera laborant, omnibus etiam cum quadam hilaritate insanientibus, & comitiali quoque morbo oppressis, necessarius est. Sed si acutus morbus est, sicut in cholera, si febris est, vt inter horrores, asperioribus medicamentis opus non est, sicut in deiectionibus quoque suprà dictum est, satisque est ea vomitus caussa sumi, quæ sanis quoque sumenda esse proposui. At vbi longi, valentesq́ue morbi sine febre sunt, vt comitialis, aut insania, veratro quoque albo vtendum est. Id neque hyeme, neque æstate rectè datur, optimè vere, tolerabiliter autumno. Quisquis daturus erit, id agere antè debet, vt accepturi corpus * humidum sit. Illud scire oportet, omne eiusmodi medicamentum, quod potui datur, non semper ægris prodesse, semper sanis nocere.

* humidius

ENARRA-

ENARRATIO.

PRIORE *libro canones quosdam tradidit, ad conseruationem sanitatis vomituris necessarios, ad quos ceu* Polycleti *regulam actiones suas dirigerent, qui huiusmodi medicamenti genere humorem noxium purgare conarentur: Vtilior est, inquit, hieme quàm æstate vomitus: nam tum & pituitæ plus, & capitis grauitas subest. Inutilis est gracilibus & imbecillum stomachum habentibus; vtilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium sese repleuerunt, vel parùm concoxerunt: nam siue plus est quàm quod concoqui non potest, periclitari ne corrumpatur non oportet; si verò corruptum est, nihil commodius est quàm id qua via primùm expelli potest, eiicere. Itaque vbi amari ructus, cum dolore & grauitate præcordiorum sunt, ad hunc protinùs confugiendum est. Sic* Polybus *quoque, Sex mensibus, inquit, hybernis vomere vtile est; per id enim tempus pituita magis quàm æstate abundat, & morbi capitis & partium quæ supra septum transuersum sunt, magis infestãt. Et quamuis iuxta* Hippocraticum *axioma, quo natura vergit per loca maximè conuenientia, eò ducere oporteat, ac pituita deorsum natura feratur; maiore tamen id compendio per vomitum antè fieri demonstrauit* Celsus, *quàm per alui deiectionem, quum ea in stomacho supernatans, ac subinde nauseam mouens, œsophagũ petat. Vomitu igitur vtuntur sani, vt auctor noster docet, qui ciborum humorúmve copia grauantur; pituitam enim mouet vomitus, & caput leuat, & eum qui auidiùs cibũ ingeßit, & plus vini hausit, lædi prohibet. At ægrotis necessarius est vomitus qui ex bile laborant, quòd hæc sua leuitate superiora potißimùm petat: quare quum naturæ ductum imitari debeat medicus, per superiora, hoc est vomitum, bilem educere conabitur: sic tutò in febribus cum rigore, vel tremore incipientibus, quales tertianæ puræ nothæque sunt, atque adeò in quartanis vel ipso acceßionis tempore securè vomitoria exhibebimus, natura huiusce-modi expulsionem per se nonnunquam moliente.*

Cum hilaritate quadam insanientibus.

IN *his nimirum quibus à stomacho initium mali ortum est: nam his qui capite primariò affecto comitiali morbo correpti sunt, incongruus est vomitus. Affici autem cerebrũ consensu stomachi & aliarum quarumuis partium,* Galenus *libro* De locis affectis *paßim docet, tum eo loco vbi iuuenem epilepticum statim ante acceßionem epilepticam, à genu ceu leuem auram ad cerebrum ferri sensisse edocet, quam sympathiam cerebri cum ventriculo fieri dicit propter magnitudinem neruorum à cerebro ad os ventriculi descendentium.*

Sed si acutus morbus est.

IN *acutis morbis acriora aut vehementiora non sine periculo adhiberi docet; vel quòd vires morbi magnitudini simul, & medicamenti violentiæ non sufficerent; vel quòd intemperie medicamẽti vomitorũ morbus ipse augeretur. Sic* Hippocrates *carnes sanas habentibus, helleborum periculosum dixit, faceréque conuulsiones. Sic quoque* Ægineta, *Medicamentis, inquit, vomitum facientibus, neque sani, neque acuta ægritudine occupati, vti permittuntur. Verùm quæ citra molestiam vomitum mouent, tutò exhiberi possunt: qualia sunt mulsa, aqua tepida, in qua garum sit coctum, ptisana cui mel sit additum, lomentum carnium, pinguia omnia; neque solùm iura ipsorum, verùm etiam (vti* Paulus *&* Aëtius *testantur) ipsas quoque carnes integras deglutire oportet, eoq; vomiturus ipsis mandendis diu immorabitur. in eundem vsum exhibentur vina dulcia, quòd in ventre magis supernatent.*

At vbi longi valentesque morbi.

NON *simpliciter in longis valentibusque*

morbis,

morbis, ſed ſi ſine febre ſint, veratrum exhibet; periculum enim eſſet, ne helleborus febri incrementum adderet, aut alioqui inflammatio excitaretur propter operationis vehementiam: ſiquidem tum demum veratrum exhibendum eſt, vbi longi valentéſque morbi ſunt, & ſpes ex aliis præſidiis adempta eſt, quòd nimirum ægritudo iis omnibus fortior extiterit. Poſuit autem comitialem, & inſaniam pro exemplo aliorum morborum: nam ſiue continuè infeſtauerit morbus, vt in hydrope, ſiue ſtatis temporibus, ſeu paroxyſmis quibuſdam inuaſerit, vt in podagra & comitiali rectè adhibetur. Porrò vſum exhibendi veratri, copioſiſſimè nobis inter alios deſcribit Oribaſius atque eiuſdem præparandi modum: ac inter reliquos commendat eum qui ex hellebori libra triduò macerata in ſenis aquæ heminis lento igne ad tertias decoquebatur; deinde expreſſo helleboro, additis decocto heminis mellis duabus, iterum decoquebat vt ars exigebat: atque huius quidem cochlearia duo propinabant; quæ citra vllam moleſtiam aut animi anxietatem purgare prodiderunt, atque adeò iis qui inſaniunt, neque vllo pacto eum ſumpturi eſſent, propterea quòd omne alimentum ſuſpectum habeant, rectiſſimè propinari crediderunt: nam licet morbum non expellat, minuit tamen adeò vt ſæpè ipſis volentibus iterum propinemus.

Id neque hieme neque æſtate.

HIEME & æſtate non citra periculum veratrum exhiberi docet: quum tamen Hippocrates opportuniſſimum tempus ad purgationes ſuperiores, æſtatem ſtatuerit: Medicari, inquit, æſtate ſuperiores magis; hieme inferiores: quòd nimirum humor qui æſtate abundat, vt vult Galenus, flaua bilis ſit, & omnino tota animalis natura propter ambientem caliditatem, magis ad ſuperiora mouetur. Celſus & Polybus, vt antè dixi, hieme per ſuperiora purgabant ſupernatantem in ſtomacho pituitam. Atque hæc quidem etſi quàm maximè ſic ſe habeant, non tamen ſequitur Celſum malè ſuſpectum habere hieme & æſtate veratri vſum, quum dictus Hippocratis Aphoriſmus, de iis medicamentis quæ leuiter per ſuperiora ducant, intelligendus ſit. Hîc autem Celſus de veratro ſummiſque remediis, atque adeò de iis morbis loquitur, qui per interualla inuadunt, de quibus ſimile planè pronunciatum reliquit Hippocrates: Nam quibus, ait, venæ ſectio vel purgatio cum medicamento conuenit, hos Vere purgare, vel ſanguinem incidere oportet, vt videlicet anticipemus Vere adueniente purgare, vel per venæ ſectionem, ſi plenitudinis morbis ſubiiciuntur; vel per purgationem, ſi eis qui ex corruptione proueniunt. Tempus igitur vernum ad ſumendum helleborum accommodiſſimũ eſt; deinde autumnus: æſtas autem incongrua eſt; vti & hiems, niſi valdè magna vrgeat neceſſitas: & tunc hieme quidem aptiores ſunt, vt docet Aëtius, qui valdè calidum temperamentum ſortiti ſunt; æſtate verò ſenes. Cœli autem conſtitutio ad hellebori ſumptionem idonea eſt, ſerena & calida, & inſolata. Nam & Hippocrates ſub Cane, & ante Canem cauendas pharmacias docet; & graciles & facilè vomentes per ſuperiora purgandos, vitata hieme.

Quiſquis daturus erit.

QVVM alij aliis difficiliùs per ſuperiora purgentur, & euacuatio ea quæ per vomitum fit, aliquid moleſtiæ ſecum ſoleat afferre, docet iam qua potiſſimum ratione ante hellebori ſumptionem præparandum ſit corpus; ac iubet vt accepturi corpus humidius ſit: corpora etenim quum quis purgare voluerit, oportet fluida facere, humectantur antẽ aut lauacro, aut pluri cibo, aut quiete: Siquidem, vt ſexto Epidemion Hippocrates, ſi volueris eum qui helleborum bibit celeriùs purgare, lauare aut comedere oportet; lauare autem conuenit non multo tempore ante aſſumptionem, ſed pridie; diffundit enim humores corpuſque laxius ac mollius reddit lauacrũ. Quies etiam, ſi quod aliud, humectat: quo fit, vt febrientibus eam ſummè commendatam habeat Hippocrates. Cibus autem non quiuis humectabit corpora,

ſed is qui citra manifeſtam aliquam qualitatem extenuet, atque incidat craſſos humores, & qui meatus qui in corpore ſunt per quos humores iſti transmittuntur, atque trahuntur à medicamentis purgantibus aperiat, hoc eſt, talis qui neque acerbus prorſus, neque acris, neque ſalſus, neque amarus ſit. Accuratiſſima igitur victus ratio inſtituenda eſt iis, qui veratro ſunt vſuri; attenuatis enim corporibus, non citra noxam exhibetur. Abſtineant ergo, vt docet Aëtius, diebus tribus aut quatuor à carnibus, aut reliquis craſſi ſucci edulijs, aut potibus: aſſuefaciant autem ſeipſos ad vomitum, & ter aut quater prius vomant à cœna, & aluus antè ſubducatur; videndumque, vt deficiente potiùs, quàm increſcente luna vomitum cum helleboro prouocemus.

Illud ſcire oportet.

PRIORE *libro corpus ſanum extex eſſe dixit; & nos helleborum ſanis non conuenire, antè diximus: iam autem non ſemper ægris prodeſſe dicit. Oportet igitur domeſticis antè declarare anxietatem certaminis futuri; atque ſic ad hoc auxilium procedere: nam non raro ſtrangulationis periculum imminet; conuulſio, item ſingultus, & id genus alia, quæ non citra vitæ diſcrimen incidunt, ſubſequuntur.*

CAPVT XIIII.

De Frictione.

DE Frictione verò & * geſtatione adeò multa Aſclepiades, tanquam inuentor eius poſuit: quod in eo volumine quod communium auxiliorum ſcripſit, cùm trium tantùm faceret mentionem, * huius & equi & geſtationis, tamen maximam partem in hoc conſumpſerit. Oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quæ vel repererunt, vel rectè ſecuti ſunt, & tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos poſita ſunt, auctoribus ſuis reddere. Neque dubitari poteſt, quin latiùs quidem, & dilucidiùs, vbi & quomodo frictione vtendum eſſet, Aſclepiades præceperit, nihil tamen repererit, quod non à vetuſtiſſimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehenſum ſit, qui dixit, Frictione ſi vehemens ſit, durari corpus: ſi lenis, molliri: ſi multa, minui: ſi modica, impleri. Sequitur ergo, vt tum vtendum ſit, cùm aut aſtringendum corpus ſit, quod fluens eſt: aut molliendum, quod induruit: aut digerendum in eo quod copia nocet: aut alendum id, quod tenue, & infirmum eſt. Quas tamen ſpecies ſi quis curioſiùs æſtimet, quod iam ad medicum non pertinet, facilè intelliget, omnes ex vna cauſſa pendere, quæ demit. Nam & aſtringitur aliquid eo dempto, quod interpoſitum,

* equitatione

* aliàs, vini ſcilicet, & aqua, & geſtat.

b tum,

tum, vt id laxaretur, effecerat: & mollitur eo detracto, quod duritiem creabat: & impletur non ipsa frictione, sed eo cibo, qui postea vsque ad cutem digestione quadam relaxatam penetrat. Diuersarum verò rerum in modo caussa est. Inter vnctionem autem & frictionem, multum interest. Vngi enim leuiterque pertractari corpus etiam in acutis & recentibus morbis oportet, in remissione tamen & ante cibum. Longa verò frictione vti, neque in acutis morbis, neque increscentibus conuenit, præterquam cùm phreneticis somnus ea quæritur. Amat autem hoc auxilium valetudo longa, & iam à primo impetu inclinata. Neque ignoro quosdam dicere, omne auxilium necessarium esse increscentibus morbis, non cùm iam per se finiuntur. Quod non ita se habet. Potest enim morbus, etiam qui per se finem habiturus est, citius tamen adhibito auxilio tolli, quod duabus de caussis necessarium est, vt & quàm primùm bona valetudo contingat: & ne morbus, qui remanet iterum, quamuis leui de caussa, exasperetur. Potest enim morbus minùs grauis esse quàm fuerit, neque ideo tamen solui, sed reliquijs quibusdam inhærere, quas ad motum aliquod auxilium discutit. Sed vt leuata quoque aduersa valetudine rectè frictio adhibetur, sic nunquam adhibenda est febre increscente. Verùm si fieri poterit, cùm ex toto corpus ea vacabit, minùs certè cùm ea remiserit. Eodem autem modo in tutis corporibus esse debet, vt cùm infirmus aliquis implendus modò est in partibus, aut quia ipsius membri imbecillitas id requirit, aut quia alterius. Nam & capitis longos dolores, ipsius frictio leuat, non in impetu tamen doloris, & membrum aliquod resolutum ipsius frictione confirmatur. Longè tamen sæpius aliud perfricandum est, cùm aliud dolet, maximeque cùm à summis, aut à medijs partibus corporis euocare materiam volumus, ideoque extremas partes perfricamus. Neque audiendi sunt, qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus sit. Id enim ex viribus hominis colligendum est. Et si is perinfirmus est, potest satis esse quinquagies: si robustior, potest ducenties esse * faciendum. Inter vtrunque deinde,

*fricandū.

prout

prout vires ſunt. Quò fit, vt etiam minùs ſæpe in muliere, quàm in viro, minùs ſæpe in puero vel ſene, quàm in iuuene manus dimouendæ ſint. Denique, ſi certa membra perfricantur, multa valentique frictione opus eſt. Nam neque totum corpus infirmari citò per partem poteſt, & opus eſt quàm plurimum materiæ digeri, ſiue idipſum membrum, ſiue per id aliud leuamus. At vbi totius corporis imbecillitas hanc curationem per totum id exigit, breuior eſſe debet & lenior, vt tantummodo ſummam cutem emolliat, quò faciliùs capax ex recenti cibo nouæ materiæ fiat. In malis iam ægrum eſſe teſtatur, vbi exterior pars corporis friget, interior cum ſiti calet, vt ſuprà poſui. Sed tunc quoque vnicum in frictione præſidium eſt, quæ ſi calorem in cutem euocauit, poteſt alicui medicinæ locum facere.

ENARRATIO.

FRICTIONIS multus apud veteres vſus erat; adeò vt Aſclepiades, (vt auctor noſter docet, & Plinius capite tertio libri XXVI. teſtatur) eam inter quinque res communium auxiliorum profeſſus ſit: hodie contrà nullus aut perquam rarus eius vſus eſt, præſertim illius quæ Præparatoria, ſeu Paraſceuaſtice, & quæ Apotherapia dicitur. Annumerabantur autem duæ hæ frictionis ſpecies in genere eorum quæ ſanitatem conſeruant: ſuſcipiebantur enim in optimi ſtatus natura calefaciendi corporis cauſa; adhibebaturque paraſceuaſtice ante exercitationem, quòd corpus priùs manuum ac linteorum frictione calefactum oportuit; fricabant autem tantiſper dum colore viuido corpus effloreſceret, & confricta particula in molem eleuaretur; ac primùm quidem molliter; mox verò exercitationem aggreſſuri, duriter fricabant, atque tum demum corpus inungebant. Tendebat autem præparatoriæ frictionis ſcopus huc, vt corpus mollius redderetur, & excrementa attenuarentur: Apotherapiæ autem ſcopus erat, vt excrementa purgaret & corpus à laſsitudine tutum conſeruaret; eſt enim omnis exercitationis probè peractæ poſtrema pars apotherapia. Porrò fiebant variæ frictiones ex manuum iniectu circumactionéque: aliæ enim supernè deorſum; aliæ infernè ſurſum adhibentur; aliæ rurſum in tranſuerſum & ſubtranſuerſum: faciebant autem varium manuum iniectum circumactumque, quo vniuerſæ, quoad fieri poſſet, muſculorum fibræ omni ex parte fricarentur. Medicamentoſa autem frictio ea dicebatur, quæ ægrotantibus exhibebatur: cuius generis eſt contrapoſitæ partis frictio, potiſſimùm per ea medicamenta quæ calefaciunt; annumeraturque inter medicamenta quæ in contrarium vocant; cuiuſmodi ea quæ plethoricis fit frictio, inter reſoluentia aut purgantia. Galenus enim auctor eſt plethoram non rarò diſcuti ſola frictione: nam libro quarto Methodi: Si quis, inquit, etiamnum ſanus, nec adhuc quicquam læſus in ſanguinis redundantis concurſu ſit poſitus; non ſtatim huic mitti ſanguinem eſt neceſſe: imò aliĳ ſufficit inedia, aliĳ cibi parcitas, aliĳ ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum; aliĳ ſola exercitatio, vel multa frictio. & XIII. methodi, Plethora, inquit, tum ſanguinis miſsione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione.

Neque dubitari poteſt, quin.

MVLTIS argumentis Galenus libro Sanitatis tuendæ contra Theonem gymnaſten agit : contendebat enim Theon qualitatis quantitatiſue mentionem minimè faciendam ſeorſim ; ſed in frictione qualitates quantitatibus ſemper eſſe coaptandas, per ſe nanque eſſe imperfectiores, quàm vt aliquis ſucceſſus prouenire poßit : quaſi verò ſi quis Hippocratis in dicendo breuitatem ſcrutetur exactius, hanc Theonis combinationem non inueniat ; nam quum frictionem vim ſoluendi, ligandi, carnem augendi ac diminuendi habere dicit, duram vtique ligandi, mollem ſoluendi, multam minuendi, mediocrémque carnem augendi; quis non ex his intellexerit, molli frictione ſolui, aut, vt dicit Celſus, leni molliri corpus, ſi modicè fiat ; & ſi amplius adhibeatur, molliri quidem vel ſolui & tunc, ſed intenſiùs? Adeò rectè dicit Celſus, nihil ab Aſclepiade repertum, quod non à vetuſtiſſimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehenſum ſit : Hippocrates nanque (vt pulcherrimè docet Oribaſius) redactis veluti in elementa ſimplicibus differentiis , vniuerſam frictionum rationem abſoluit; quemadmodum carnem ſatis adiicias, quemadmodum detrahas, quemadmodum corpus mollias, quemadmodum conſtringas. Cum his protinus vna ſe promunt tum media earum opera, tum quæ per coniugationem faciunt : media quum neque ligare corpus neque ſoluere, neque carnem minuere neque augere ſtudemus : per coniugationem verò ſunt , vt quum (verbi gratia) pariter colligare & carnem adiicere volumus , frictionem duram vnà cum mediocri quantitate adhibeamus ; quum verò mollem , frictionem quoque mollem, & in quantitate mediocrem adminiſtremus; & in aliis etiam coniugationibus ad proportionem. Etenim tres differentiæ (vt docet Galenus libro Sanitatis tuendæ ſecundo) frictionum à qualitate ſumptæ, tribus quæ ſumuntur à quantitate coniunctæ nouem coniugationes efficiũt : ſiquidem vna iuxta quantitatem nempe multa , ſi tribus quæ à qualitate ſumuntur, dura dico, molli, & mediocri iungantur ; tres ſecundum multitudinem differentias efficient ; modica rurſus ſi eiſdem tribus copuletur, tres alias procreabit : ſic & mediocris quantitate eiſdem tribus addita, alias tres propagabit. Sed de his abundè Galenus.

Quas tamen ſpecies ſi quis curioſiùs.

FRICTIONEM , qualis qualis ea ſit, ſemper adimere docet Celſus : nam quantumuis pauca carnem augeat, id fieri magis ratione aſſumpti cibi, qui per frictionem relaxata cute per corpus vniuerſum faciliùs diſtribuatur.

Inter vnctionem autem & frictionem.

VNCTIONI cum frictione commune eſt, quòd neque in morborum acceßione, neque ante cibum obeunda ſit ; habetque vnctio, non ſecus ac frictio , varios diuerſóſque ſcopos : alia enim ad refrigerandum , alia ad calefaciendum, alia rurſum ad humectandum, rarefaciendum & conſtipandum vtimur. In hoc autem ab vnctione differt frictio, quòd recentes atque acuti morbi in ipſis morborum principiis, nulla habita cruditatis ratione, vnctionem admittant. Sic Hippocrates quarto Acutorum eos quibus inter initia febrium vrinæ tenues fuerant, non purgabat, ſed quieti permittebat , vngebat, & æqualiter contegebat , mulſamque aquoſam bibendam, & ptiſanæ cremorem ſorbendum dabat, ventremque ab initio enemate ducebat, nempe aduerſus vim febris , humiditatem eam quæ vnctionibus comparatur remedium eſſe putauit : prætereà & neque valenter calefacere , neque refrigerare , ſed lenire mulceréque, quibus maximè indigent quæ coquuntur , maturanturque : Frictio contrà in principio aut incremento morborum nulla ratione admittenda eſt; nam præterquam quòd nihil prodeſſet , plurimum etiam incommodi ſecum afferret ; periculum enim eſſet ne humores qui in vna aliqua

parte

parte continentur; frictione in totum animalis corpus quodammodò raperentur; frictio enim adiuuat digeſtionem, ac diſtributionem humorum in corpus.

Longa verò frictione vti neque.

ACVTI *morbi, vt iam ſæpius dictum eſt, magna ex parte originem ſuam à cauſa calida habent; ac proinde quum contrariorum contraria ſint remedia, frictio in acutis non rectè adhibetur, quòd calefaciat, corpúſque impuritate magis contaminet, atque adeo obſtructionibus oportunius reddat. In phreneticis tamen, vbi ſomnum conciliare propoſitum eſt, frictio quæ mollis ſimul & longa ſit, conueniet; hæc enim demulcet, ac ſpiritus foras euocat. Nam vt Galenus* XII. *Methodi therap. ad ſomnum alliciendum frictio vberior facit.*

Amat autem hoc auxilium.

FRICTIO, *vt diximus, digeſtionem adiuuat, quare in morbis longis, iiſque qui ex decidentia acuti dicuntur (ſunt enim hi magna ex parte frigidi, aut in abſceſſus aliquos terminantur) rectè poſt augmentum in morbi declinatione ea vtemur; maturat enim, rarefacit & digerit, atque euaporare facit noxios humores.*

Neque ignoro quoſdam dicere.

QVEMADMODVM *morbus per tempora, hoc eſt principium, augmentum, ſtatum, declinationem diſtinguitur; ita ordinem quendam in curationibus deſiderat: adeò vt aliquid in iis primum, ſecundum, tertium, aut quartum ſit. In aliis enim venæ ſectione; in aliis purgatione; ac rurſum in aliis inedia, aut victus ratione congrua, aut cataplaſmatibus, inunctionibuſue, & id genus aliis ordine quodam vtimur; nam in principiis raro, idq; cum præmeditatione, medicamentis purgantibus vtendum; ſiquidem dum corpus fortiter mouent, frangunt, atque concoctionem (cui vnicè natura intenta eſt) impediunt, in iis tamen ſi quando materia turgeat, in ipſo morbi inſultu, medicaminis vſus eſt: nam quum periculum ſit in mora, ſatius eſt anceps quàm nullum remedium experiri; adeò in omnibus habenda ratio naturæ eſt, quam rectè in* Epidemiis *morborum curatricem appellat* Hippocrates. *Si igitur inter morborum initia maturationi natura ſtudeat, huc omnes actiones diriget medicus; ſin eadem expulſionem materiæ peccantis (quod ferè in ſtatu atque declinatione facit) moliatur, verbi gratia, aut per ſudores, vrinam, excrementa alui, aut vomitum ſeſe exonerans, omni niſu eandem promouebit, ne quid ſit quod vaſis inhæreſcens recidiuam pariat; nam, quemadmodum ſenex ille Cous, Quæ relinquuntur in morbis, recidiuam facere conſueuerunt. Neque enim ſemper adeò robuſta eſt natura, atque ad expulſionem prompta, vt abſque adminiculo prudentis medici, quicquid in corpore redundat reiiciat. nam videmus non rarò, vt rectè ſubiungit auctor noſter, morbum quendam nonnunquam minus grauem eſſe, quam fuerit, neque tamen ideò ſolui, ſed reliquiis quibuſdam inhærere, quas admotum aliquod auxilium diſcuteret: atque hinc eſt quòd Galenus naturam omnium horum opificem; medicum verò miniſtrum dixerit.*

Sed vt leuata quoque aduerſa valetudine.

SI *per* increſcentes febres *intelligimus febriles paroxyſmos, aut eas febres quæ quum acutæ ſint, & à* calida *materia originem ſuam trahant, acceßiones ſuas increſcentes faciant, neque ad remißionem perueniant, bene quidem; ſin per* increſcentem febrem *eam quæ ad ſtatum nondum peruenit, accipiamus; neſcio quomodo Celſum cum Galeno componemus: hic ſiquidem his qui ex copia crudorum humorum cum ſtomachi offenſione febricitãt, ſtatim in morbi principio vtitur: nam* XII. *methodi, Nulli tali ſine maximo diſpendio, inquit, ſanguis mitti ſolet, quum tamen vacuationem deſiderent; verùm nec ſanguinis mißionem nec purgationem ſuſtinent, vtpote quos ſine*

 his ſyn-

his syncope subitò adoritur. Quænam igitur est ratio talibus medendi, qui quum vacuari postulent, vacuantia præsidia non ferant? Sanè nullam aliam vacuationem idoneam his inueni, præter eam quæ ex frictione paratur. Incipere verò in principio statim morbi oportet, ac primùm à cruribus supernè deorsum, idque linteis non admodùm mollibus, sed asperdinis mediocre quid habentibus debet abradi his cutis, quum simul & calefieri per eam, & digeri ægrotus postulet: Dehinc tota brachia ab humeris vsque, & supernè deorsum simili modo sunt fricanda; & reliqua quæ deinceps sequuntur. subiungit autem paulo post: Eas quas dixi partes ordine fricans, eoque solùm tempore intermittens quo somnus hominem occupauerit; ad quem etiam alliciendum frictio vberior facit. itaque vel hoc nomine vtile præsidium fuerit, nedum quòd inaniat. hactenus Galenus, apertè declarans etiam in febrium initiis sola habita somni ratione frictionem interdum rectè adhiberi. In aliis tamen febribus frictiones quæ ad resoluendas morbi reliquias obeuntur, non quouis tempore, sed circa morbi tantùm statum conueniunt, non omni quidem in parte, sed extrema, vt non longè à declinatione absit: in temporibus verò accessionum primùm in declinatione fieri debent. Obseruandi tamen sunt, qui partes aliquas inflammationibus obsessas habent: nam si eæ sint, dissolui nullo pacto febris poterit.

Nam & capitis longos dolores.

PRO exemplo quopiam subiungit capitis dolores; quibus si inclinato doloris impetu adhibeatur frictio, maximum leuamen ægris conciliabimus: Contrà si ingrauescente morbo eandem moliamur, tantùm abest vt quicquam in melius proficiamus, vt hinc multo maior noxa expectanda sit. Consideranda igitur morborum tempora, in quibus quid conueniat, aut non. Cæterùm quòd frictio, ea videlicet quæ mollis est, capitis dolores leniat, ex antedictis satis patet; neque id mirum est, quum demulceat simul & spiritus euocet. Et quòd dura frictio à causa frigida resoluta membra firmet, antè dictum est.

Longè tamen sæpiùs aliud.

DVPLEX vsus est frictionis: aliàs enim affectam partem liberat atque euacuat; aliàs in contrarium reuocat, atque sicuti Galenus libro quinto Therapeuticæ methodi, Frictio contrapositæ partis potißimum per ea medicamenta quæ calefaciunt, iis quæ in contrarium reuocant, medicamentis est annumeranda: sic sanguine è naribus erumpente, extremos artus; mensibusque immodicè manantibus, brachia manusque fricamus: sic quoque si in profundũ corporis materia delitescit, visceribúsque inhæret, frictione extremarum partium elicitur.

Neque audiendi sunt, qui numero.

QVONIAM sicuti frictione non secus quàm sanguinis mißione, purgatione, aut vomitu, corpus attenuatur, atque materia peccans euacuatur, frictionis finis seu terminus non numero agitationis circumagitationisve manuum metiendus est; sed ex viribus hominis æstimari debet: Siquidem, quemadmodum Galenus docet, summè cauendum est, ne ex nimia frictione vires lacessantur, aut laßitudinis sensus contusa iam carne superueniat: quo fit etiam vt vbi particularis aliqua frictio obeunda sit (verbi gratia, aut in pedibus aut in manibus tantùm) multam valentemque frictionem faciliùs leniúsque tulerint ægri, quàm si vniuersim per totum corpus fieret.

In malis iam ægrum esse.

RETVLI antè ex Hippocrate, exteriorum summarumque partium frigus, atque internarum cum siti, calorem, exitiale esse. Verùm quoniam medicorum theoremata non sint ita certa, vt interdum etiam non fallant (nam rationem coniecturæ talem esse antè demonstrauit Celsus, vt quum sæpiùs aliquando responderit, interdum tamen nos fallat)

fallat) ex proposito nunc docet, quomodo huiuscemodi signum se offerens, nos vsque adeò terrere non debeat: nam si extremarum partium frictione calor foras euocatur, spes aliqua adhuc superest; potest enim medicinæ alicui locum facere.

CAPVT XV.

De Gestatione.

GESTATIO quoque longis etiam & inclinatis morbis aptissima est, vtilisque est & his corporibus, quæ iam ex toto febre carent, sed adhuc exerceri per se non possunt: & his quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur. Asclepiades etiam in recenti, vehementique febre, præcipueque ardente, ad discutiendam eam, gestatione dixit vtendum esse. Sed id periculose fit, meliusque quiete eiusmodi impetus sustinetur. Si quis tamen experiri volet, sic experiatur, si lingua non erit aspera, si nullus tumor, nulla durities, nullus dolor visceribus, aut capiti, aut præcordijs suberit. Et ex toto, nunquam gestari corpus dolens debet, siue id in toto, siue in parte est, nisi tamen solis neruis dolentibus: neque vnquam in recenti febre, sed in remissione eius. Genera autem gestationis plura sunt adhibenda: quæ sunt & pro viribus cuiusque, & pro opibus, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obsint. Gestationum lenissima est naui, vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari naui, vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo. Atque hæc ipsa, & intendi & leniri possunt: si nihil horum est, suspendi lectus debet, & moueri: si ne id quidem est, at certè vni pedi lecti funiculus subijciendus est, atque ita lectus huc & illuc manu impellendus. Et leuia quidem genera exercitationis, infirmissimis conueniunt. Valentiora verò his, qui iam pluribus diebus febre liberati sunt: aut his, qui grauium morborum initia sic sentiunt, vt adhuc febre vacent. Quod & in tabe, & in stomachi vitijs, & cùm aqua cutem subijt, & interdum in morbo regio fit. Aut vbi quidam morbi, qualis comitialis, qualis insania est, sine febre, quamuis diu manent.

nent. In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum necessaria sunt; quæ comprehendimus eo loco, quo quemadmodum sani, neque firmi homines se gererent præcipimus.

ENARRATIO.

OMISIT ferè reliquas omnes exercitationes, quæ in motu corporis sitæ sunt, præter gestationem & frictionem, de qua præcedente capite dictum est; idque, vt videtur, quòd de corporibus neutris aut ægrotantibus alioqui sermonem fecerit. Nam quum tria prima exercitationum genera numerentur, primum, quum à nobis ipsis mouemur, tanquam sanorum proprium omisit; de altero, quum ab aliis mouemur, videlicet gestatione, sermonem nunc instituit; quemadmodum paulò antè tertij, hoc est eius quod à medicamento fit, meminit. Est autem gestatio mixtum quid ex motu, & dispositione quieti simili, quum plurimæ corporis partes quiescere videantur, totum corpus gestationis tractu moueatur: vtilis admodum & lenis exercitatio, conualescentibus aut debilitatis conueniens. Non enim lassitudinem inducit corporibus, quum tamen ipsa, velut maximæ exercitationes, moueat excitétque innatum calorem, & materiæ multitudinem diffundat atque dispergat, habitumque corporis ac stupidas actiones roboret. Et in iis quidem quos vigiliæ exercent, somnum conciliat; & contra veternosis & dissolutis reditum ad se, & vigilias parat. Ac somnum quidem conciliat, excrementa quæ à capite ac stomacho delabuntur, per halitum digerendo, quum hæ partes sint vigiliarum causæ præcipuæ; vigilias autem posteà inducit corporis tenorem ad se reducendo & corroborando. Cæterùm vtilis est, vt dicit Celsus, corporibus tantùm quæ febribus carent, aut quæ alioqui exerceri non possunt.

Asclepiades etiam in recenti.

QVAM rectè Asclepiades in vehementi ardentéqte febre in ipso statim principio gestatione sit vsus, viderint alij: mihi certè nondum placere potuit; præsertim quũ Hippocrates somnum & quietem cõcoquere atque adeò mitigare febres dixerit. In mitioribus tamen febribus, & vbi vigiliæ vrgent, aut quos cataphoræ premunt, gestatio lenis, & quæ in sella stratatoria gestamus, conueniet. Et qui permanente diuturnáve, & simplici febre iactantur (vt docet Oribasius,) si vires ferant, debent gestari quamplurimùm; quandoquidem gestatio minùs mouens corpora, quandoque febrem excitat. Ergo in febricitantibus qui ad integritatem perueniunt, vel quorum longa admodùm remissio est, vel qui febribus tenentur admodùm longis, etiamsi nõ magna interualla habeant, conueniet gestatio; non in ardente aut vehemente febre.

Genera autem gestationis plura sunt.

VARIA sunt genera gestationis; quæ ordine quodam Celsus noster recenset: primum enim fit in lectulo; idque eo aut pensili, aut fulcra mobilia iuxta angulares pedes habente, aut chorda vni pedi subiecta. Alterum fit in lectica; quòd & duobus modis obitur; siquidem ij qui gestantur, aut decumbunt, aut desident. Tertium fit nauigio: quartum vehiculo: quintum equo; sed huius mentionem nullam facit, quòd robustis magis conueniat. Lenia autem gestationis genera, imbecillissimis conueniunt, vt valentiora robustis. Nam quæ in lecto fit, vt docet Aëtius, vtendum est in febricitantibus, aut diuturno morbo decumbentibus, in quo corpora ita consumpta atque exhausta sunt, vt erigere sese nequeant. Sed & in his qui vires recolligunt à febrili affectione, & phreneticis vtilis est: nam spiritus perturbationem pla-

nem placidè lenit, ac somnum allicit. At quæ in curru gestatio fit, concussorium quid obtinet, & diuturnos morbos commouet. potest autem & intendi & remitti: mitioréque vtendum est in capitis affectionibus, & in his quibus intestina fluxione laborant; vehementiore verò in affectibus pectoris & stomachi, in laxis tumoribus ac hydropicis, ac stupore attonito perculsis. Vertiginosos autem & hemicranicos, auersos ab itinere retrorsum desidere in curru oportet, eosque leniter mouere: multos enim se nouisse Aëtius dicit, qui hoc modo curati, nullo alio auxilio eguerint. Gestatio quæ in nauigio fit iuxta ripam, aut in mari tranquillo, hydropicis conuenit, sideratis tumidisque; subuertit quidem primò stomachum, paulo autem postea in consuetudinem venit. At quæ per pelagus fit, omnium vehementissima est, mutationesque plurimas ac maximas facit, nimirum quum anima mixtos affectus habeat, ex tristitia, spe, metu, ac periculo, modò gaudentibus & lætis, modò periclitantibus nauigantibus.

Aut vbi quidam morbi.

HIC *locus non sine mendi suspicione, ac planè abruptus esse videtur: nam sententia efflagitat, vt plena sit periodus atque oratio constet, vt τὸ* tamen ex æquo nõ semper affligunt, *aut aliquid simile adiiciamus, in hunc modum:* Aut vbi quidam morbi, qualis comitialis, qualis insania est, sine febre, qui quamuis diu manent, tamẽ non semper ex æquo affligunt. In quibus, &c.

CAPVT XVI.

De Abstinentia.

ABSTINENTIAE verò duo genera sunt. Alterum, vbi nihil assumit æger. Alterum, vbi non nisi quod oportet. Initia morborum, primùm famem, sitimque desiderant: ipsi deinde morbi moderationem, vt neque aliud, quàm expedit, neque eius ipsius nimium sumatur. Neque enim conuenit iuxta inediam protinus satietatem esse. Quòd si sanis quoque corporibus inutile est, vbi aliqua necessitas famem fecit: quanto inutilius est in corpore etiam ægro? Neque vlla res magis adiuuat laborantem, quàm tempestiua abstinentia. Intemperantes homines apud nos, ipsi cibi tempora curantibus dant. Rursus alij tempora medicis pro dono remittunt, sibijpsis modum vendicant. Liberaliter agere se credunt, qui cætera illorum arbitrio relinquunt, in genere cibi liberi sunt, quasi quæratur, quid medico liceat, non quid ægro salutare sit. Cui vehementer nocet, quoties in eius quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur.

ENARRATIO.

DE inedia adeò multa Erasistratus eiúsque sequaces scripserunt, sicuti auctor est Galenus, vt è medio pulso phlebotomiae vsu, morbos quosuis ex plenitudine ortos, ea sola curari posse existimarent. quod sanè quàm fuerit erroneum, & quàm multos ea curandi methodus interemerit, satis apertè edocet Galenus libro De sanguinis misione, & eo qui hunc sequitur, aduersus Erasistratios. Proinde sicuti plenitudinem duobus modis molestam esse diximus, altero ad vires, quum qualitate sanguis peccet; altero ad vasa, quum quantitate; sic quoque duplex esse abstinentiae genus auctor noster in praesentia edocet: alterum videlicet quod quantitate aestimetur, nimirum vbi nihil assumit aeger, inediam vocamus; alterum quod quantitate aequè ac qualitate mensuramus. Nam hic (quod in aliis ferè omnibus integrum est) quantitates à qualitatibus separare non licet: sunt enim nonnulla, quae licet quantitate modica exhibeantur, qualitate tamen & citò alterentur, & multùm nutriant; in quo albo, ouorum luteum est. Alia rursum sunt, quae quantumcunque ad nauseam vsque sumuntur, parùm tamen aut nihil nutriant: cuiusmodi sunt ptisana, melicratum, & similia.

Initia morborum, primùm famem, &c.

HIC, si vsquam alibi, Celsus dum breuis esse laborat, obscurus fit: nam in genere dicere initia morborum primùm famem sitimque desiderare, vt in aliquibus verum est; ita in multis falsum, sicuti decimo Methodi demonstrat Galenus: nam si quis ex inedia, labore, siccitate, ira, ardore solis in febrem inciderit, huic nec sitim nec famem praescribemus; sed in ipso principio antequam febrili acrimonia reliqui succi accendantur, humidum nutrimentum exhibebimus, & si assueuerit, gelidam fontanam propinare non verebimur: quemadmodũ Galenus de iuuene calido & sicco, qui in feruoribus sub Canicula ex ira febricitauerat, narrat; is enim vbi in prima accessione, duas frigidae heminas bibisset, statim quidem vomuit flauissimam bilem, non multo pòst etiam deorsum excreuit. Deinde quum rursus post cibum aquae heminam similiter sumpsisset, iam febricitare desiit. Quare vt Celsum à calumnia vindicemus, & cum Hippocratis & Galeni theorematis conciliemus, initia quidem morborum qui ad vigorem citò perueniunt, famem sitímque desiderare dicemus, si aegrotantis vires adsint, per initia, totum tempus dum morbus consistat intelligentes: morbus siquidem qua morbus est, assiduã inediam flagitat; quo fit vt si quid cibi administretur, non alia de causa id fiat quàm quò vires conseruentur: sunt nanque, vt ex Hippocrate rectè monet Galenus, à primo statim die in omni aegro spectanda duo haec à quibus cibandi consilia petamus, summus nempe morbi vigor, & aegrotantis vires.

ipsi deinde morbi moderationem.

NISI mihi religio esset, totam hanc periodum hunc in modum immutarim: Initia morborum qui statim ad vigorem perueniunt, famem sitimque desiderant: ipsi deinde qui hos ordine sequuntur morbi, moderationem, vt neque, &c. Ita enim breuiter clarissimeq; varios Hippocratis Aphorismos coniunxerit, quos alioqui magis confuderit atque offuscârit, quàm explanârit: neque enim perpetuum esse demonstrauimus, in initiis quorumuis morborum famem sitímque praescribere; & rursum quotquot tales sunt, eos non solùm in principiis, sed multo magis sub vigorem extremè tenuissimum requirere victum: quod Celsum nostrum voluisse coniectura est, dum initia morborum famem sitimque desiderare dicit: siquidem, vt Hippocrates inquit, Quando morbus in suo vigore constiterit, extremè tenuissimo victu vtendum est. & alio loco: Quibus morbus

bus morbus statim consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est; quibus verò posteriùs debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parùm ante illud, cibus subtrahendus est; prius verò vberiùs agendum, vt æger sufficiat. Quò alludens auctor noster, moderationem quandam eos requirere dicit, qui hos ordine sequuntur, hoc est, tantùm in his à tenui victu declinandum, quantùm morbus antedictis minùs fuerit acutus: nam, vt idem senex ait, Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuißimo victu vtendum; vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior. Quanquam non absurdè quis moderationem hanc ad tempora morbi transtulerit: neque enim conuenit statim in declinatione pleno victu vti, hoc est, vt auctor noster dicit, iuxta inediam protinus satietatem esse; sed sensim ad consuetam victus rationem transeundum; nam quæ sensim extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet.

Neque enim conuenit iuxta inediam.

CAVENDVM monet Galenus ne properè & multùm, sed sensim paulatímque renutriamus: quippe qui post inanitionem ad pristinam diætam protinus redeunt, iis corporis habitus crudis succis repletur, quos nimirum anteqnam concocti commodè in ventre venisque sint, corporis moles ad se trahit. Cæterùm locus hic ex secũdo De ratione victus in morbis acutis, transsumptus videtur. nam Hippocrates, Verùm, inquit, & medicos contrà omnino quàm oporteat agere scio: nempe omnes languentes ipsos per initia morborum duos vel tres vel etiam plures dies inedia siccare, atque ita tum sorbitiones vel potus exhibere volunt; idq; fortaßis quòd magnæ corporis mutationi, magnam quampiam mutationem obiicere ipsis decens videatur. Verùm mutatio ipsa bene quidem habet non modica, sed rectè transferenda venit. Iam autem & ciborum exhibitio, mutationis rationem maximè subit, maximè ergo ledentur, qui tota vtentur ptisana, nisi rectè transferantur; ledentur quoq. qui solo vtentur cremore, quanquam minùs; ledentur quoque qui solo vtentur potu, sed hi minimè. Oportet autem ex sanorum hominum victu disciplinam quæ conferat facere: nam si sanis quibusdam tales, vel tales cibi variare videntur, tum in aliis quibusdam, tum in nonnullis mutationibus, quomodo & morbis quibusdam & maximè acutis non valdè variabunt? hucusque Hippocrates: qui quamuis in diatritarios sermonem primùm facere videatur, tamen quæ de sanorum hominum victu subiungit, ad sententiam nostram plurimùm faciunt; adeò vt verisimile sit Celsum quæ hîc de renutritione scribit, ex dicto Hippocratis loco mutuatum.

Neque vlla res magis adiuuat.

QVANTVM momenti in morborum curationibus afferat victus ratio congrua, passim inculcat Galenus & Hippocrates: si enim ἐν τῷ καιρῷ exhibeantur cibi, vt vires non grauant, ita facilè conficiuntur; & rursum si intempestiuè, vires calorémque natiuum suffocant, & corpus crudis succis replent: neque enim potest natura duobus simul esse intenta, hoc est non potest morbum euincere simul, & cibos conficere: verùm vt tempora quibus cibi offerendi non sunt, & tutò, & quibus offerendi existunt cognoscamus, maximum est, vt diximus, febrium tum intentiones, tum declinationes, non in acutis modò, verùm quoque & in longis obseruare: nam in principiis & in accessionibus, vt docet Hippocrates, abstinere oportet, cibum enim dare nocuum est; & quibus per circuitum fiunt acceßiones, in ipsa acceßione abstinere oportet.

Intemperantes homines.

NON est in medico semper releuetur vt æger: siquidem sunt morbi, qui quum diuinum quippiam coniunctum habeant, (vt auctor est poëtarum sapientißimus Homerus) medicamentis parùm cedant; aliȷ contrà

acutos vehementésque adeò paroxyſmos habent, vt remediis ne momentum quidem temporis concedant: ſunt rurſus alij ita rebelles atque maligni, vt quantumuis tempora medico concedant, ſaluberrima præſentiſsimáque remedia reſpuant: alij deinceps ſunt qui etſi ſolertis medici induſtria ſuperari atque euinci poßint, aßidentium tamen, & ægri incuria in peius mutantur; quod (prò dolor) in noſtro rigido ſeptemtrione nimiſquàm frequens eſt: nam quum commeſſationibus ingéque crapulæ aſſueuerint, difficulter ad probam victus rationem, atque eam potißimum quæ ex præſcripto medici fiat, transferuntur: quo fit vt quum aut cibandi tempora negligant, aut à medico præſcriptam ciborum, tum quantitatem, tum qualitatem contemnant, non rarò in vitæ diſcrimen incidant: adeò rectè ab Hippocrate dictum eſt, quòd non ſolùm oporteat vt medicus ſeipſum præſtet oportuna facientem, ſed & aßiſtentes, & ægrum & exteriora.

CAPVT XVII.

De Sudore.

SVDOR etiã duobus modis elicitur: aut ſicco calore, aut balneo. Siccus calor eſt, & arenæ calidæ, & Laconici, & clibani, & quarundam naturalium* ſudationes, vbi è terra profuſus calidus vapor ædificio includitur, ſicut ſuper Baias in myrtetis habemus. Præter hæc ſole quoque, & exercitatione is mouetur. Vtiliaq. hæc genera ſunt, quoties humor intus nocet, isque digerendus eſt. Ac neruorum quoque quædam vitia ſic optimè curantur. Sed cætera infirmis poſſunt conuenire: Sol, & exercitatio tantùm robuſtioribus, qui tamen ſine febre, vel* initio morbi, vel etiam grauibus morbis tenentur. Cauendum autem eſt, ne quid horum vel in febre, vel in cruditate tentetur. At balnei duplex vſus eſt. Nam modò diſcuſſis febribus initium cibi plenioris, viniq́ue firmioris valetudini facit: modò febrem ipſam tollit, fereq́ue adhibetur, vbi ſummam cutem relaxari, euocariq́ue corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit. Antiqui timidiùs eo vtebantur, Aſclepiades audaciùs. Neque terrere autem ea res, ſi tempeſtiua eſt, debet:* & ante tempus nocet. Quiſquis febre liberatus eſt, ſimul atque ea vno die non acceſſit, eo qui proximus eſt, poſt tempus acceſſionis, tutò lauari poteſt. At ſi circuitum habere ea febris ſolita eſt, ſic vt tertio, quartóve die reuertatur, quandocunque non acceſſit, balneum tutum eſt. Manentibus verò adhuc febribus, ſi hæ

*ſudationum,

*inter initia m. v. c. cùm non amplius grau.

* & ſi ante

ſunt

sunt lentæ, lienesque iam diu malè habent, rectè medicina ista
tentatur. Cum eo tamen, ne præcordia dura sint, néve ea tu-
meant, néve lingua aspera sit, néve aut in medio corpore, aut
in capite dolor vllus sit, néve tum febris increscat. At in his
quidem febribus quæ certum circuitum habent, duo balnei
tempora sunt, alterum ante horrorem, alterum febre finita.
In his verò qui lentis febriculis diu detinentur, cùm aut ex
toto recessit accessio, aut, si id non solet,* certè lenita est, *certè cùm l.
iamq. corpus tam integrum est, quàm maximè esse in eo ge-
nere valetudinis solet: imbecillus homo iturus in balneum,
vitare debet, ne antè frigus aliquod experiatur. Vbi in bal-
neum venit, paulisper* residere, experirique, num tempora *resistere,
astringantur, & an sudor aliquis oriatur. Illud si incidit, hoc
non secutum est, inutile eo die balneum est: perungendus
est is leniter, & referendus est, vitandumque omnimodo fri-
gus, & abstinentia vtendum. At si temporibus integris, pri-
mùm ibi, deinde alibi sudor incipit, fouendum os aqua cali-
da, tum * in solio desidendum est: atque ibi quoque viden- *in solium descend.e.
dum, num sub primo contactu aquæ calidæ summa cutis in-
horrescat, quod vix tamen fieri potest, si priora rectè cesse-
runt. Certum id autem signum inutilis balnei est. Antè
verò, an posteà, quàm in aquam calidam se demittat aliquis,
perungi debeat, ex ratione valetudinis suæ cognoscat. Ferè
tamen, nisi vbi nominatim, vt posteà fiat, id præcipietur,
moto sudore *leuiter corpus perungendum, deinde in aquam *leniter
calidam demittendum est. Atque hîc quoque habenda vi-
rium ratio est. Neque committendum, vt per æstum anima
deficiat: sed maturius is auferendus, curioseque in vestimen-
tis inuoluendus est, vt neque ad eum frigus aspiret, & ibi
quoque antequam aliquid assumat, insudet. Fomenta quo-
que calida sunt, milium, sal, arena, quodlibet eorum cale- *De his extinctis titionibus habes infr. lib. 3. cap. 12.*
factum, & in linteum coniectum. Si minore vi opus est,
etiam solum linteum. At si maiore, extincti titiones, inuo-
lutique panniculis, & sic circundati. Quinetiam calido oleo
replentur vtriculi, & in vasa fictilia, * ad similitudinem, quas *Lenticulæ.*
lenticulas vocant, aqua conijcitur, & sal sicco linteo excipi- *à similitudine

tur, demitturque in aquam bene calidam, tum super id membrũ, quod fouendum est, collocatur: * iuxtaque ignem ferramenta duo sunt capitulis paulo latioribus, alterumque ex his demittitur in eum salem, & aqua super leuiter aspergitur. Vbi frigere cœpit, ad ignem refertur, & idem in altero fit, deinde inuicem in vtroque * inter quæ descendit salsus & calidus succus, qui contractis aliquo morbo neruis opitulatur. His omnibus commune est digerere id, quod vel præcordia onerat, vel fauces strangulat, vel in aliquo membro nocet. Quando autem quoque vtendum sit, in ipsis morborum generibus dicetur.

* intraque al. lixataque igne

* intereaq. descendit al. ascendit fumus,

ENARRATIO.

QVONIAM *quæ de insolatione ac arenæ aggestione ac aliis vaporariis fomentis Aëtius tetrab.* I. *sect. tert. cap.* IX. *ex Antylo posteritati reliquit, ad loci huius explanationem satis faciunt, ordine asscribemus. Quidam, inquit, ad solem se exponunt, partim non vncti, alij etiam vncti; & alij desidentes, alij decumbentes, aut stantes, aut deambulantes, aut etiam currentes. Ex decumbentibus aliqui in strato, aliqui super corio, alij in arena, aut sale decumbunt. Solaris itaque inustio citra vnctionem moderatè adhibita perspirationem occultam auget, & sudores elicit, aluum autem sistit, & carnem conseruat, pinguitudinem autem abolet, & tumores laxos, cum alios, tum maximè hydropicorum deprimit, spiritum autem densiorem ac velociorem reddit, & propterea anhelos, & recta ceruice spirantes exacerbat, verùm capiti diuturna frigiditate laboranti commodat: nam & firmum, & ægritudinibus minùs obnoxium reddit. Conuenit autem soli & igni dorsum præter cætera admouere; nerui enim qui voluntatis sunt, in eo potissimùm siti sunt, vt habet Herodotus, quibus calescentibus totum corpus valentius redditur. Caput verò aliquo operimento tegendum est, & solis radij vitandi sunt. Oportet tamen in his aluum præuacuare: inimica est enim insolatio capiti, euacuatione non præmissa. At verò insolatio cum vnctione, eadem similiter potest; verùm corpus magis siccat, velut vnguine assatum: quapropter & superficiem magis denigrat, cæterùm per occultam transpirationem hæc minùs discutit, nimirum ad cauterij similitudinem densans carnem. Qui verò desidentes ac stantes insolantur, vehementiùs quàm deambulantes, & magis quàm currentes inuruntur; decumbentes autem in strato, non magnopere inuruntur, sed capite magis replentur. Qui super corio soli se exponunt, magnam vtilitatem consequuntur, præsertim hydropici, ischiadici, nephritici, resoluti, elephantiasi laborantes, intumescentes circa refectionem, & qui circa vesicam veterem morbum habent, itémque siderati; fœminæ quoque quæ ab vtero strangulantur, adhuc ampliùs quæ alba vteri fluxione molestantur. Oportet autem magnum esse corium, & oleo perunctum, & super tenuem cribratam arenam extentum, & vbi percalfactum est corium, tum demum ægrum super id decumbere, capite cum crudo linteo velato. Permanendum est autem diutiùs in ea decubitus figura, & postquam corpus multùm fuerit feruefactum, vertere iubendum, ac deuoluendum; ac posteà rursum in alterum latus reuoluendum, ac quiescendum: atque*

hoc ipsum

hoc ipsum sæpius facere oportet. Idem etiam modus in arena adhibetur, loco aßiduè permutato. Oportet autem ministrum adesse qui calentißimam arenam recolligat, & corpori effoßi atque obruti superingerat; si quidem mare affuerit, utendum eius arena est, nam & lenior & magis exiccans huius arenæ fomentatio ac feruor est, quàm eius quæ per corium contingit: si verò fluuiatilis arena fuerit, præstat corio uti: nam & arena fluuiatilis, & aër humectior est ex euaporationibus. Curandum interim est ut is qui hoc medicamenti genere usurus est, cibos antè probè conficiat, ac priùs inambulet, & pro virium ratione leuiter exerceatur; deinde quum aër calidior fuerit, & arena satis feruens fuerit reddita, ad decubitum, ut dictum est, se componat. Quòd si salis copia adsit, multo præstabilius est tenui sale substrato hominem decumbere. Oportet autem altitudinem non minorē esse tribus palmis paruis; si enim non fuerit altus sal, caliditas ipsius facilè difflatur, utpote quæ ex alto emersum, ac progressum non habeat. hucusque Aëtius. Cæterùm exercitationem sudores prouocare mirum non est, quòd omni animali ab exercitatione caloris augmentum excitari sciamus, neque calefacere tantùm, sed & insiti caloris motum extrorsum concitare: sed hæc ut concussorium quid magna ex parte obtinet, ita robustioribus tantùm conuenire dixit Celsus. Laconicum autem, ut tradit Dion, à Laconibus, seu Lacedæmoniis inuentoribus dictum est; quoniam nudi unctiq; ante alios in hisce sudatoriis exercebantur. Vitruuius scribit Laconicum sudationesq; coniungendas tepidario, qui saturitate epularum immodica crudi erant, & cacostomachi, cruditatéque laborabant, hi ad balneas confugiebant, & in sudatoriis Laconicisque sudorem euocabant, ita stomachi cruditatem digerentes, quam epulæ copiosiores afferebant. quò alludens Columella, satyrico morsu caninàque facundia inuectus in luxuriosorum delicias, Mox, inquit, ut apti ueniant ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus. Eliciebatur autem in Laconico sudor sicco calore, humoréque aliquanto vehementiùs in eo quàm in balneo resoluebantur, corpus uniuersum vapore quodam feruido incendebatur, exiccabatur, atque ob id calidis, biliosis acutísque affectibus, & extenuato corpori inutile. Morbis autem quorum materia, aut in summa cute, aut in artubus hæreret, & qui frigidi ac diuturni essent, accommodißimum. Baiæ autem ciuitas Campaniæ est secus Campanum mare sita, à Baio Vlyßis socio illic sepulto sic dicta; in huius agro aquæ calidæ sunt, & ad voluptatem & ad varios morbos accommodæ, de quibus abundè Plinius: cuius sententiam quoniam ad loci huius intelligentiam plurimùm facere existimaui, subiungendam censui. Emicant (inquit Naturalis histor. lib. XXXI. cap. 3.) benignè paßimque in terris alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi iunctæ, sicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenæis montibus tenui interuallo discernente, alibi tepidæ egelidæq; auxilia morborum conferentes, & è cunctis animalium hominum tantùm causa erumpentes. Augent numerum deorum variis nominibus, urbesque condunt, sicut Puteolos in Campania; Statullas in Liguria; Sextias in Narbonensi prouincia; nusquam tamen largiùs quàm in Baiano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus; aliæ sulphuris, aliæ aluminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnulla etiam acida salsáve mixtura: vapore quoque ipso aliquæ prosunt, tantáque eis vis est, ut balneas calefaciant, ac frigidam etiam in soliis feruere cogant, quæ in Baiano Poßidianæ vocantur, nomine accepto à Claudij Cæsaris liberto: Hæc Plinius. Meminit & Baiarum Iosephus Antiquitatum Iudaicarum libro XXVIII.

At balnei duplex usus est.

BALNEORVM quædam sunt dulcia, quædam qualitatis expertia, nonnulla etiam qualitatem aliquam extraneam habent; cuiusmodi sunt nitrosa, salsa, aluminosa, bituminosa, sulphurulenta, & quæ ferri & æris qualitatem habeant. Hæc igitur quum ex variis & contra se mutuo pugnantibus qualitatibus constent, consequens est, ut pro

qualitatum

qualitatum differentia, varios atque eos differentes in corpore effectus edant. Quare verisimile est auctorem nostrum, non de omnibus quotquot sunt in genere balneis locutum, sed de iis tantùm quæ ex aquis dulcibus consiunt: harum siquidem vsus, præsertim in febribus, ad eliciendum sudorem frequens existit. Huius porro duplex est vsus: nam (vt Galenus libro De ratione victus in morbis acutis) laborantem sæpiùs ad balneum deducimus, non vacuandi corporis causa, sed prorsus ob contrariam rationem, vt scilicet humectetur madescatque quod immoderatiùs exaruit: sic Cornelius noster discußis iam febribus adhiberi dicit, quòd morbi reliquiis, atque ex morbo relictis affectibus medeatur; materiam enim, si qua superest, foras euocando discutit, atque adeò totum corpus humectat.

modò febrem ipsam tollit.

IAM secundum balneorum vsum enarrat: duplici nanque nomine balnea calida aquarum dulcium, febribus, iisque potißimum quæ tertianæ exquisitæ nominantur, prosunt; tum quòd, vt dixi, foras materiam febris euocent, bilisque nonnihil, vt auctor est Galenus ad Glauconem primo, educant; tum quòd sua qualitate corpus humectent ac refrigerent. Refrigerant autem potentia, immisso nimirum intùs madore calido, deinde spacio temporis ad natiuam humiditatem redacto.

fereque adhibetur vbi.

QVOMODO hæc operetur balneum, Galenus decimo methodi Therapeut. clarißimè demonstrat: Balneum, inquit, ingredientes in aëre versantur calido; posteà in aquam calidam descendunt, mox ab hac egreßi in frigidam; postremò sudores detergent. Potest autem prima eius pars materias per totum corpus tum calefacere tum liquare, præterea quæ inæqualia sunt æquare, & cutim laxare, & multa quæ detenta sub hac fuêre, vacuare. Secunda eius pars, vbi quis in sicco corporis affectu ea vtitur, potest madorem vtilem solidis particulis immittere. Tertia balnei pars potest vbi quis frigida vtitur, & totum corpus refrigerare, & cutem densare, & vires firmare: Quarta verò corpus per sudores citra rationis noxam euacuare. quod Celsum hoc loco voluisse censendum est, quum omnia hæc balneum præstare dicit, nullo discrimine partium balnei habito.

Antiqui timidiùs eo vtebantur.

QVA ratione veterem medicinam immutauerit Asclepiades, Plinius Naturalis Historiæ lib. XXVI. cap. tertio edocet: & quoniam non semel Asclepiadis huius mentionem facit Celsus, Plinij verba, quòd ad loci quoque huius explanationem faciant, ascribam. Durabat tamen, inquit, antiquitas firma, magnásque confessæ rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades ætate Magni Pompeij orandi magister, nec satis in arte ea quæstuosus, vt ad alia sagacis ingenij, huc se repente conuertit: atque (vt necesse erat homini, qui nec id egisset, nec remedia nosset oculis vsúque percipienda) torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens, omnia abdicauit; totámque medicinam ad causam reuocando, coniecturam fecit: quin res maximè communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, aliàs vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes: quæ quum vnusquisque semetipsum sibi præstare posse intelligeret, fauentibus cunctis, vt essent vera quæ facillima erant, vniuersum propè humanum genus circumegit in se, non alio modo, quam si cælo emissus aduenisset. Trahebat præterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandóque tempestiuè, tum frigidam aquam. Et quoniam causas morborum scrutari prior Herophilus instituerat; vini rationem illustrauerat Cleophantus apud priscos; ipse cognominari se frigida danda præferens, vt auctor est M. Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, iam suspendendo lectulos, quorum iactatu aut morbos extenuaret aut somnos alliceret, iam balineas auidißima hominum cupidine instituendo, & alia multa dictu grata atque iocunda:

iocunda: magna auctoritate, nec minore fama, cùm occurrisset ignotō funeri, relato homine ab rogo atque seruato, ne quis leuibus momentis tantam conuersionem factam existimet.

Quisquis febre liberatus est.

HVIVSMODI potissimùm febres sunt, eæ quas ephemeras aut diarias vocant: nam Galenus ad Glauconem primo in his statim post primam accessionis solutionem lauandum monet, atque ad solitam victus rationem transeundum, quòd videlicet, vt dixi, morbi reliquias, si quæ supersint, per sudores euocet atque discutiat.

At si circuitum habere ea febris.

VNDECIMO methodi Galenus, in balneo per febres adhibendo tribus attendendum monet: vni quòd citra horrorem administretur, quod etiam paulo pòst obseruandum docet Celsus: secundo, quòd nullum primæ notæ viscus sit imbecillum: tertio, quòd multitudo crudorum humorum in venis non contineatur; horror nanque non solùm non intendere præsentem febrem, sed etiam quum non fuit, eam iterum excitare potest. Partes verò imbecillæ liquatos humores iam recipiunt magis quàm antequam liquarentur. Crudorum etiam humorum copia in totum corpus digeritur: horum si nihil obstet, ex balneis duo hæc ægro compendia accedent, & quòd redundantium humorum aliquid euacuabitur, & quòd multum febrilis caloris transpirabitur. Quare nec in principio, nec in augmento quisquam febrientem balneo vti præceperit; sed in febris inclinatione, aut incipiente, aut procedente aut ampliùs etiam progressa.

Manentibus verò adhuc febribus.

PER manentes & lentas febres, eas hoc loco intelligere videtur, quæ de quarto in quartum accessiones suas faciunt; eæ siquidem vt lentos habent paroxysmos, ita diu permanent, adeò vt non raro spiritibus depastis atque humoribus, solidiores corporis particulas occupent, hecticæ, aut marasmodes ob id vocatæ. Oriuntur autem hæ ab atro sanguine, quem melancholiam vocant; cuius quum receptaculum sit lien, rectè subiungit auctor noster, lienesque iam diu malè habent. Ac quòd in his conueniat, atque admodum salutare sit balneum aquarum dulcium, docet Galenus libro x. Methodi: Nam quicunque, inquit, febre hectica laborant, atque ex his ipsis præcipuè qui iam marasmode hectica febricitant, modò his nulla alia febris ex putrescente humore, nec phlegmone sit adiuncta, eos omnes audacter lauabis; sed prorsus citra omnem laborem, ne vires resoluas: exuccis enim solidis particulis vtilem madorem balneum immittit.

Cum eo tamen, ne præcordia.

DIXI paulo antè, id animaduertendum in febribus, ne primariæ aliquæ partes imbecillæ sint: quod volens Celsus, præcordiorum duriciem cauendam monet. Ea autem ferè oritur post viscerum, hoc est lienis, aut hepatis inflammationem minùs rectè curatam, sanguine circa splenitides, hepatidésve venas in ipsis obturato, qui quum neque digeri, neque excerni facilè possit, duriciem quandam scirrhosam gignit, aliàs quidem cum tumore, aliàs citra tumorem. Ac quòd in his balneum minùs tutum sit, ex antedictis satis liquet: siquidem tenax alioqui lentáque materia calore balnei dissoluta iam, ad partes affectas decumberet, vnde non solum nihil accederet commodi, sed multo magis exacerbesceret, augeretúrque malum: huc quoque referenda sunt, quæ de dolore, qui aut in medio corpore, aut in capite est, dicit.

névelingua aspera sit.

LINGVA in febribus nonnunquam ab intemperie sicca aspera redditur: in huiusmodi sanè si reliqua respondeant, non omnino alienum est balneum. Contingit etiam nō raro, vt exasperetur aut diffringatur lin-

gua, aut carbonum speciem induat, ab interiorum viscerum phlegmone aliqua insigni: quæ sanè linguæ asperitas, quum in principiis ferè appareat, nondum apparentibus signis aliquibus inflammationis, à balneo, vt qui maximè, abhorret.

At in his quidem febribus.

NON statim ante horrorem conuenit balneum; periculum enim esset ne balnei calore humores ad expulsionem agitati, horrorem atque adeò nouam febrem inducerent, sed tribus aut quatuor ad minimum horis ante horroris inuasionem: vt si sexta hora horroris impetus expectaretur, secunda, aut tertia balneū administrandum sit; ita enim, & materiam peccantem expurgabimus, & morbo aliquid demetur.

In his verò qui lentis febriculis.

PER lentas febres hîc intellexero quotidianas: hæ siquidem quum vix ad infebricitationem veniant, leniores tamen accessiones faciunt; in his etenim post morbi inclinationem, vt in aliis quoque, rectissimè adhibebitur balneum.

imbecillus homo iturus in balneum.

QVÆ imbecillo ante ingressum balnei consideranda sunt, explicat: ac primùm ne frigus aliquod experiatur ingressurus monet; id enim corpus densaret humoresque ad interiora pelleret, quos alioqui balneo per sudores elicere mens erat. Deinceps vbi iam ad balneum ventum est, paulisper quiescendum ac resistendum docet; est enim ægrotanti quies, vt corpus in balneo tum laxius, tum mollius reddatur, idonea. siquidem dum mouetur corpus, musculi distenduntur, qui minus, tum molliuntur, tum relaxantur: quo fit vt videndum quoque dicat, si tempora astringantur; inutile nanque eo die balneum esse: significant enim magnum febrilis aut extranei caloris excessum, aut alioqui ingentem ariditatem, principiúmque mortis.

& abstinentia vtendum.

LAVARI, inquit Hippocrates, is non debet, qui nuper sorpsit vel bibit; neque confestim à balneo sorbendum vel bibendum: nam qui biberunt, his caput repletur; qui verò cibū sumpserunt, his nō caput modò, vt docet Galenus, verùm etiam corpus totū alimoniā priùs quā cōcocta fuerit, ad se trahit.

atque ibi quoque videndum num.

HORRORIS huius causam alibi esse dicit Galenus, rodentium excrementorum confertim actorum citatiorem motum. Proinde quibus horum est abundantia, caro verò & cutis densa, siue balneum sint ingressi, siue steterint in sole, siue quoquo modo vel gestati vel perfricti vel exercitati vehementiùs sint dimoti, vtique his horror incidet; contrà quibus hæc pauca sunt, & corporis habitus vt remittatur, laxeturque à balnei calore promptus, ij non modò non horrent, sed etiam meliores redduntur, vtpote excrementis per balneum euacuatis.

Fomenta quoque calida.

FOMENTORVM alia sunt humida, alia sicca; lenia alia, alia mordacia: humida itaque fomenta inflammationibus à biliosioribus humoribus factis conueniunt: sicca verò his quæ à tenui & aquoso sanguine producta sunt: lenia quidem mordacibus humoribus opitulantur; vt mordacia & attenuantia crassis & viscosis. Quid autem per extinctiones velit, sequente libro de curatione horroris in febribus dicit: nam fomentis protinus validioribus, ait, totum corpus circumdare conuenit, maximéque inuolutis extinctis testis & titionibus. Vasorum autem fictilium (ad similitudinem quas lenticulas vocari dicit) in curatione voluuli Aëtius mentionem facit. Nam fomenta, inquit, adhibenda sunt ex furfuribus & per πυελατήρια φακωτὰ, hoc est vaporaria vasa lenticulata, & per vesiculas bubulas oleo semiplenas. Reliqua quæ sequuntur, quoniam per se ipsa clara sunt, volentes prætérimus.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Qui cibi, potionésve, aut valentis, aut mediæ, aut imbecillæ materiæ sint.

CVM de his dictum sit, quæ detrahendo iuuant, ad ea veniendum est, quæ nos alunt, id est cibum & potionem. Hæc autem non omnium tantùm morborum, sed etiam secundæ valetudinis communia præsidia sunt. Pertinetque ad rem, omnium proprietates nosse: primùm, vt sani sciant, quomodo his vtantur: deinde, vt exequentibus nobis morborum curationem, liceat species rerum, quæ assiduè necessariæ erunt, subijcere. Neque necesse * est subinde singulas illas nominare. * fit Scire igitur oportet omnia legumina, quæque ex frumentis panificia * sunt, generis valentissimi esse. * fiunt, Id valentissimum voco, in quo plurimum alimenti est. Item omne animal quadrupes domi natum, omnem grandem feram, quales sunt capræ, ceruus, aper, onager: omnem grandem auem, quales sunt anser, & pauo, & grus. Omnes belluas marinas, ex quibus κῆτος est, quæque his pares sunt. Item mel & caseum. Quò minus mirũ est, opus pistorium valentissimum esse, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat. In media verò materia, numerari ex oleribus debere ea, quorum radices vel bulbos assumimus. Ex quadrupedibus, leporem. Aues omnes à minimis ad Phœnicopterum: item pisces omnes, qui salem non patiuntur, solidi ve saliuntur. Imbecillissimam verò materiam esse omne olus, & quicquid in cauliculo nascitur, qualis est cucurbita, & cucumis, & capparis. Omnia poma, oleas, cochleas, itemque conchylia. Sed quamuis hæc ita discreta sunt, tamen etiam quæ sub eadem specie sunt, magna discrimina recipiunt, aliaque res alia vel valentior est vel infirmior. Siquidem plus alimenti est in * carne, * pane, quàm in vllo alio. Firmius est triticum, quàm milium, idipsum quàm ordeum, & ex tritico firmissima siligo, deinde simila, deinde cui nihil ademptum est (quod αὐτόπυρον Græci

vocant) infirmior est, ex polline infirmissimus cibarius panis. Ex leguminibus verò valentior faba, vel lenticula, quàm pisum. Ex oleribus valentior rapa, napíque, & omnes bulbi (in quibus cepam quoque & allium numero) quàm pastinaca, vel quæ specialiter, * radicula appellatur. Item firmior brassica, & beta, & porrum, quàm lactuca, vel cucurbita, vel asparagus. At ex fructibus surculorum valentiores vuæ, ficus, nuces, palmulæ, quàm quæ poma propriè nominantur. Atque ex his ipsis firmiora quæ succosa, quàm quæ * frigida sunt. Itemque ex his auibus, quæ in media specie sunt, valentior ea, quæ pedibus, quàm quæ volatu magis nititur: & ex his quæ volatu fidunt, firmiores sunt, quæ grandiores aues, quàm quæ minutæ sunt, vt ficedula & turdus. Atque eæ quoque quæ in aqua degunt, leuiorem cibum præstant, quàm quæ natandi scientiam non habent. Inter domesticas verò quadrupedes, leuissima suilla est, grauissima bubula. Itemque ex feris quo maius quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. Pisciumque eorum, qui ex media materia sunt, quibus maximè vtimur: tamen grauissimi sunt, ex quibus salsamenta quoque fieri possunt, qualis lacertus est, deinde qui quamuis teneriores, tamen duri sunt, vt aurata, coruus, * scarus, oculata: tum plani, post quos etiam leuiores, lupi, mullique, & post hos omnes saxatiles. Neque verò in generibus rerum tantummodo discrimen est, sed etiam in ipsis, quod & ætate fit, & membro, & solo, & cælo, & habitu. Nam quadrupes animal omne si * lactans est, minus alimenti præstat. Item quo tenerior pullus cohortalis est. In piscibus quoque media ætas, quæ nondum summam magnitudinem impleuit. Deinde ex eodem sue vngulæ, rostrum, aures, cerebellum. Ex agno, hædóve, cum petiolis totum caput aliquanto, quàm cætera membra, leuiora sunt, adeo vt in media materia poni possint. Ex auibus, colla alæve rectè * infirmis annumerantur. Quod ad solum verò pertinet, frumentum quoque valentius est collinum, quàm campestre. Leuior piscis inter saxa editus, quàm in arena: leuior in arena, quàm in limo. Quò fit, vt ex stagno, vel lacu, vel flumine

Cibarius panis.

Varro libr. 4. de ling. lat. Radix, inquit, peregrinum vocabulũ: sic enim antiqui Græci, quũ nunc Raphanum.

* fragilia al. fracida al. friabilia.

* sparus,

* lactens

* infirmissimis

eadem genera grauiora sint. Leuiorque qui in alto, quàm qui in vado vixit. Omne etiam ferum animal domestico leuius: & quodcunque humido cælo, quàm quod sicco natum est. Deinde eadem omnia pinguia, quàm macra, recentia quàm salsa, noua quàm vetusta, plus alimenti habent. Tum res eadem magis alit iurulenta, quàm assa: magis assa, quàm * frixa. Ouum durum valentissimæ materiæ est: molle vel sorbile, imbecillissimæ. Cumque panificia omnia firmissima sint, elota tamē quædam genera frumenti, vt alica, ὄρυζα, ptisana, vel ex hisdem facta sorbitio, vel pulticula, & aqua quoque madens panis imbecillissimis annumerari potest. Ex potionibus verò, quæcunque ex frumento facta est, itemque lac, mulsum, defrutum, passum, vinum aut dulce, aut vehemens, aut mustum, aut magnæ vetustatis, valentissimi generis est. At * acetum, & id vinum, quod paucorum annorum, vel austerum, vel * lene est, in media materia est. Ideoque infirmis nunquam generis alterius dari debet. Aqua omnium imbecillissima est: firmiorque ex frumento potio est, quò firmius fuit ipsum frumentum: firmior ex eo vino, quod bono solo, quàm quod tenui, quodque temperato cælo, quàm quod aut nimis humido, aut nimis sicco, nimiumque aut frigido, aut calido natum est. Mulsum quò plus mellis habet, defrutum quo magis * incoctum est, passum quo ex sicciore vua est, eo valentius est. Aqua leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex niue, aut glacie, grauior his ex lacu, grauissima ex palude. Facilis etiam & necessaria cognitio est naturam eius requirentibus. Nam leuis pondere apparet, & ex his quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celeriùs & calefit, & frigescit, quoque celeriùs ex ea legumina percoquuntur. Ferè verò sequitur, vt quò valentior quæque materia est, eo minùs facilè concoquatur, sed si concocta est, plus alat. Itaque vtendum est materiæ genere pro viribus, modusque * omnibus pro genere sumendus. Ergo imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est. Mediocriter firmos media materia optimè sustinet: & robustis apta

* elixa.
* acidum.
* pingue
* excoctū
* omnium

validissima est. Plus deinde aliquis assumere ex leuioribus potest: magis in his, quæ valentissima sunt, temperare sibi debet.

ENARRATIO.

QVANTVM momenti afferat ad sanitatis non solùm conseruationem, sed & ad profligandos morbos ciborum qualitas, satis apertè Galenus declarat, initio libri De boni & mali succi cibis: verùm quoniam, vt paulo pòst docet Celsus, alij cibi multùm nutriant, alij parùm, alij etiam præterquam quòd corpus non alant, vitiosis quoque succis repleant; ciborum qualitates breuiter explicasse conueniebat; idq; vt à præcedente, aut purgatione, aut morbo, aut inedia, aut alia quauis ratione exhausto corpore, rectè restituere ac reficere ægrum possimus. Nam sicuti variæ sunt ciborum qualitates, sic quoque inter se differentes sunt refectionis scopi: alia enim corpora, vt auctor est medicinæ parens antiquissimus Hippocrates, lentam, atque alia citam refectionem desiderant: nam quæ sensim extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet; quæ verò citò, breuiter.

Scire igitur oportet omnia legumina.

GENERATIM tantùm enumerat quæ multùm nutriant, non distinguens boni succi cibos à cacochymis; id enim paulo pòst explicabit. Dicit autem omnia cerealia, hoc est legumina & frumentacea, valentissimi esse cibi. vocantur autem legumina quæcunque manu leguntur, frumenta quæ falce putantur, quanquam sint, qui, vt docet Galenus, solum triticum sub frumenti nomine comprehendere maluerint. Cæterùm vtut est, siue sub frumento, siue sub leguminibus complectamur, certum est alia aliis plus nutrire. At quòd omnia legumina valentissimæ materiæ sint, non videtur verisimile; sunt enim quæ media sunt inter multùm, & parum nutrientia: nam phaselli & pisa, vt docet Psellus, media sunt inter εὔχυμα & κακόχυμα, siue coquantur, siue minùs, inter tarda meatu & celeriter, inter multùm & parùm nutrientia. Eadem ratione nec omnia frumētacea valentissimæ materiæ erunt: siquidem hordeum parùm nutrit: & quemadmodum docet Galenus, quod ad panes hordeaceos pertinet, scire oportet omnes quoquo modo parentur, exigui esse alimenti, succumque crassum, ac flatus nimium generare, vti etiā omnia legumina: nam hæc præterquam quòd valentissimæ materiæ sint, etiam flatuosa sunt. In summa, omnes crassi succi cibi multū nutriunt: sic, omne animal quadrupes, domi natum, omnē grandem feram, omnes beluas marinas valentissima vocat.

Item mel.

QVVM mellis mentionem facit Celsus, videtur non solùm quæ crassi succi sunt, inter valenter nutrientia numerare; sed & ea quoque quæ tenuem succum gignunt. Nam mel, vt auctor est Galenus, ciborum omnium non modò dulcissimum, sed & succum etiam consistentiæ tenuissimum gignit. Quare an rectè à Celso inter valentissimè nutrientia numeratum sit, valdè dubito: nisi quis ex Hippocratis analogia ad vinum facta, mel multùm nutrire dicat: siquidem libro De ratione victus ait duplū vini epotum minùs alere, quàm simplum mellis. Verùm hic Hippocratis locus, non videtur vsque adeò vrgere, vt hinc statim inter maximè nutrientia mel, idq; potissimùm crudum adhuc collocemus: nam Hippocrates non simpliciter & citra exceptionem simplum mellis duplo vini plus nutrire dixisse videtur; sed aliquod vinum, quale est ὀλιγόφορον, nos villum aut pauciferum vocamus, duplo minus melle alere: dicit enim mulsam vino albo tenui, paucifero, & ino-
doro

doro quodammodo fortiorem, quodammodo inferiorem eſſe; adeò vt hinc inter mediæ materiæ cibos mel rectiùs conſtituendum putem.

& caſeum.

CASEVS *omnis, inquit Hippocrates, robuſtus eſt, æſtuoſus, multùm alit, aluúmque ſiſtit: Robuſtus quidem, quòd proximus eſt generationi; multùm alit, quia carnoſæ ſunt reliquiæ lactis; æſtuoſus, quia pinguis eſt; aluum ſiſtit, quia ſucco & coagulo compactus ſit. Quòd igitur valentiſſimæ materiæ ſit, ſatis hinc conſtat; præſertim quando craſſo ſucco materiam præſtet.*

Quo minùs mirum eſt.

LOQVITVR *de placentis ex lacte & caſeo confectis, de laganis, rhyematis, & iis quæ ex ſimilagine & lacte conſiunt: quæ omnia quum craſſioris ſucci cibi ſint, veriſimile quoque eſt multùm nutrire.*

In media verò materia.

DVAS *tantùm extremorum differentias ponit Pſellus; Celſus inter hanc mediam ſtatuit, vt res lectori paulo clarior eſſet. Recenſet autem in medio genere cibariorum, olera, quorum radices vel bulbos aſſumimus: cuius generis ſunt ſiſarum, rapa, bulbus, napi & ſimilia; ſed inter hæc alia aliis intenſiùs nutriunt.*

Ex quadrupedibus, leporem.

DIXIT *paulo antè omne animal quadrupes domi natum, omnem grandem feram valentiſſimæ eſſe materiæ: nunc ſub medio genere, mediæ ſtaturæ quadrupedes aut animalcula complectitur: Sed & huc referre oportuit cæterorum animalium extrema, cuiuſmodi ſunt vulua, aluus, inteſtina, cauda, auriculæ, axungiæ. In genere quoque volucres omnes minùs alunt quadrupedibus: vnde rectè omnes aues à minimis ad phœnicopterum ſub hoc genere complexus eſt. Eſt autem phœnicopterus ex aquilarum genere, ab alarum rubedine dicta, magnitudine perdices excellens, roſtrum, & pedes phœnicis habens: verſatur per lacus, vulturi ſimilis, minimis alis; imbecilliſque, & degener adeò eſt, vt à coruis nõ rarò ſuperetur. Huius autem linguam præcipui eſſe ſaporis Apitius docuit, quod Martialis quoque hoc diſticho ſatis demonſtrat:*

Dat mihi penna rubens nomen, ſed lingua guloſis
Noſtra placet, quòd ſi garrula lingua foret.

item piſces omnes qui ſalem.

PISCIVM *omnium nutrimentum ſanguinis eſt parcioris quàm carnis: verùm quum alij aliis nutrimenti plus præbeant, (nam cetos & alias id genus beluas marinas valde nutrire dixi,) dicit piſces omnes qui ſalem non patiuntur, mediæ eſſe materiæ: ſunt autẽ eiuſmodi omnes mollis & friabilis carnis; aut ſi qui tales ſint, qui ſalem ferre poſſint, eos eſſe qui ſolidi, hoc eſt integri condiantur ſale, vt diſtinguat eos à beluis marinis, quas fruſtatim ſalimus.*

Imbecilliſſimam verò materiam eſſe.

NVNC *ad ea quæ minimè nutriunt progreditur: ſunt eius generis herbacea omnia, cucumeres, melones, melopepones, cucurbitæ; excrementitia enim magis ſunt, quàm nutrientia: de iis pronunciatum in Epidemiis reliquit Hippocrates, quòd ſtatim in corpore euacuentur, paruóque tempore in corpore durantem ſubſtantiam habeant: Nam cibi, inquit, imbecilliores momentaneam vitam habent.*

Siquidem plus alimenti eſt in carne.

CARO *omnis, præſertim quæ ſucculenta eſt, qualis iuuencorum & porcorum eſt, valentiſſimè nutrit, atque ocyſſimè in alimoniam tranſit: nam quo natura ſibi ipſi ſimilia facillimè alteret, atque ad ſibi ipſi*

ſimilem

similem ideam transmutet, carnem quæ à sanguine quàm minimè differt, citissimè & alterabit, & valentissimum nutrimentum inde consequetur: quod frustrà alioqui ab aliis quæ valentissimè nutrientibus annumerauimus, expectabimus. Nam quantumuis cetacea omnia belúæque marinæ corporis mole terrestria animalia ad esum humanum accommodata superent; tamen ob excrementitiam quandam pituitosámque superfluitatem qua redundant, minus nutrimentum terrestribus præbent; adeò rectè à Celso dictum est, ea quæ sub eadem specie sunt, magna discrimina recipere, aliáque aliis vel infirmiora vel valentiora esse.

Firmius est triticum quàm milium.

INTER tritica plurimum habent alimenti quæ densa sunt, totamque substantiam adeò compactam habent, vt dentibus vix diuidi queant: talia enim exigua mole corpora plurimum nutriunt; quæ verò iis sunt contraria, quæque dentibus quidem facilè franguntur, fractáque rara ac lenta apparent, magna mole exiguum reddunt nutrimentum. Verùm qualequale tandem sit frumentum, firmius est quàm milium: panis siquidem qui ex milio fit, vt docet Galenus, exigui est alimenti ac frigidus; perspicuumque est, quòd præaridus sit, ac friabilis, nihil enim in se neque lentoris neque pinguedinis habet; iure ergo humentem aluum magis desiccat; sed vtrum hordeo firmius sit milium, magnopere ambigo: nam hordeacei quidem panes, vt Galenus De alimentorum facultatibus, triticeis multo minùs alunt; qui tamen ex præstantissimo hordeo conficiuntur, minùs à triticeis in eo superantur; qui verò ex laxo ac leui, furfuraceis respondent. Dioscorides testis est eum qui ex milio fit panem, cæteris frugibus minùs alere: Psellus quoque eundem concoctioni repugnare auctor est. quare, si quid hic mihi concedatur, parua dictionum metathesi pro hordeo, milium substituero; ac rursum pro milio hordeum.

& ex tritico firmissima siligo.

SI per siliginem alteram speciem tritici intellexerit (sunt enim tria in vniuersum tritici genera, robus, siligo & setaneum, quod semestre quoque triticum vocant) nescio quàm apposite inter tritica firmissimam siliginem dixerit; hæc enim, vt ordine robo posterior est, ita bonitate quoque eodem inferior est; degenerat enim non rarò in siliginem (vt auctor est Columella) robus. At si per siliginem lectissimam purissimámque farinam, semotis vtriculis ac furfuribus (quam alij tritici florem, Plinius eiusdem delicias appellat) intelligamus, plurimùm inter omnia panificia dixerimus nutrire. solent autem panes ex ea confectos, purissimos, σιλιγνίτας siligineósque vocare. Hi & massam lentam admodum, vt quàm longissimè indiuisa trahi possit, & plurimum ponderis exigua mole habent; vnde & tardissimè secernuntur, atque nutriunt plurimùm: quare benè fermentandos ac probè subigendos, neque statim post fermentationem assari vult Galenus, sed longum aliquod internallum vt intersit præcipit.

deinde cui nihil ademptum est.

Αὐτόπυρος Galeno etiam συγκόμιστος dicitur, quòd ad ipsos conficiendos tota farina nusquam à furfure seiuncta συγκομίζεται hoc est comportetur: αὐτόπυρος autem dictus est ὅτι ὅλος αὐτὸς ὁ πυρός, hoc est totum triticum, nulla sui parte adempta, in panificium cedat. Verùm quòd hic ordine siligineos sequi debeat, non possum induci vt credam; quum qui ex polline seu simila conficitur, vt siliginis plus, furfurisque ac vtriculorum habet minus, ita autopyro nutriat intensiùs: nam & hunc ordinem Galenus obseruauit: Siquidem inter panes, ait, siligineus plurimùm nutrit; post ipsum autem similaceus; tertio loco medius qui & αὐτόπυρος & συγκόμιστος dicitur. hos cibarij sequuntur, quos nonnulli secundò coctos panes, vulgò biscoctos dictos esse, putant.

tant. Postremum autem omnium locum obtinent furfuracei, sordidi à quibusdam vocati; hi enim quum parùm alant, excrementis tantùm ventrem replent. Quorum Celsus ideò non meminit, vel quòd in vsu non essent, vel quòd pecudibus quàm hominibus magis conuenire existimaret. Cibarij autem panes fiebant ex vtriculorum aut furfuris maiore portione, pollinis verò aut siliginis minore.

Ex leguminibus verò.

LEGVMINA vocari dixi cerealia semina, quæ manu leguntur, & ex quibus panis non fit: huiusmodi sunt fabæ, pisa, cicera, lenticulæ. Fabarum autem cibus flatulentus admodum est, etiamsi coctus diutißimè fuerit, aut quouis modo paratus; multóque magis flatulentior erit, si quis iis integrè coctis vtatur; frixæ quidem aliqua ex parte flatum deponunt, sed concoctu difficillimæ redduntur, tardéque prætereunt, & craßi succi alimentum corpori exhibent. Lentes autem aridæ sunt ac friabiles, corticémque habent astringentem, & quæ ipsarum est velut caro, craßi est succi & terrei, austeram qualitatem habens exiguam, difficilis concoctu, melancholicum succum generans, somniáque ob id terrifica concilians, dolorem capitis adaugens, pulmoni ac partibus omnibus neruosis ac felli inutilis; soli stomacho ad subuersionem, seu dissolutionem vtilis. Triginta enim lentis grana deuorata eandem curare dicuntur, Dioscoride ac Plinio testibus. Pisa autem tota substantia cum fabis similitudinem quandam habent, vt auctor est Galenus, eodémque cum fabis modo sumuntur, tantúmque ab eis discrepant, tum quòd non æquè ac fabæ sint flatulenta, tum etiam quòd detergendi facultatem non habeant: quo fit vt mirer cur hæc ordine lenticulis & fabis inferiora definierit Celsus.

Ex oleribus valentior rapa.

RAPA, napique succum in corpus distribuunt mediocri craßiorem; ac proinde si quis ipsis liberaliùs vescatur, succum crudum aceruabit, potißimùm si minus iusto confecerit: aqua incocta nulla plantarum congenerum minùs nutriunt. Bulbi autem omnium, vt craßam & lentam corporis substantiam consequuti sunt, ita succum non omnino tenuem generant, quanquam suo amarore craßos lentósque humores incidere, atque appetitum quodammodo incitare non negauerim, reiectionibúsque ex pulmone & thorace prodesse. Cæterùm si bis fuerint elixi, plus quidem nutrient, sed deposito amarore iis quæ per sputum deiicienda sunt aduersabuntur. Radicula autem opsonium magis est, quàm alimentum: si quidem cùm manifesta sua calefactione atque acrimonia attenuandi habeat facultatem. Cæterùm hìc cum Galeno mirari subit eos medicos atque idiotas, qui post cibos, coctionis iuuandæ gratia, crudas radiculas esitant: ipsi quidem hanc rem experientia sibi satis exploratam esse affirmant; qui tamen eos ipsos sunt imitati, omnes læsi fuerunt.

Item firmior braßica.

BRASSICA æstiua, vt inquit Simeon Zethi, peioris succi est quàm hiberna, malúmque ac melancholicum succum generat, visum hebetat, & somnum per contraria insomnia interturbat; cocta cum pingui carne, plurimum vitij atque noxæ amittit. Cato, vt auctor est Plinius, crambem crispam magis probabat; deinde leuem grandibus foliis, caule magno; prodesséque tradit capitis doloribus, oculorum caligini, præsertim quæ ob humiditatem fit, eorundémque scintillationibus, vel stomachi doloribus crudam ex aceto & melle, coriandro, ruta, mentha, laseris radicula sumptam acetabulis duobus matutino tempore; tantámque esse vim, vt qui terant hæc, validiores se fieri sentiant. Galenus, non vt alimentum, sed vt opsonium plerosque mandere dicit; medicos autem, vt siccante medicamento vti. A beta autem, vt à reliquis quoque oleribus, corpori paucum admodum alimentum accedit; verùm hepatis lienísque obstructiones aperit: vnde iure quis vt medicamentum potiùs quàm vt alimentum mandi dixerit; nam si multum comedatur, vt auctor est

Simeon Zethi, stomacho infestum edulium est. Porrum quoque acris saporis est; qua ratione corpus calefacit, crassósque humores attenuat, ac lentos incîdit: mali succi est; quare vt præstantior eius vsus reddatur, bis aut ter in aqua decoquendum est, neque ampliùs deprauatum succum obtinebit. Lactuca omnibus aliis holeribus anteferenda est: est enim succi quàm alia omnia laudabilioris. Nã, vt docet Galenus, omnibus aliis oleribus paucißimum sanguinem, & vitiosum generantibus; ex sola lactuca non multus quidem nec vitiosus, haud tamen omni ex parte laudabilis, gignitur. Vescimur autem vtplurimùm ipsa cruda; ac tum stomachi ardores compescit: æstate autem quum in semen proruptura est, in aqua dulci percoquentes, cum oleo & garo & aceto assumimus, aut cum alio ex condimentis opsoniisque; præsertim iis quæ caseo constant: plerique etiam antequam excaulescat, in aqua elixa vtuntur: Dioscorides elixam cruda magis alere affirmat; quo fit vt non satis mirari poßim Celsum, quòd lactucas brassicæ, betæ, porro capitato postposuerit; quum ex antedictis satis constet, laudabiliorem, probiorem ac copiosiorem sanguinem à lactuca gigni, quàm à quouis aliorum prædictorum olerum; nisi fortè hæc ideò valentiora dixerit, quòd craßiorem succum generent. Sed si de lactucis id concedamus, quid tandem de altilibus asparagis, quos omnibus postponit, pronunciabimus? siquidem Simeon Zethi medium quiddam eos obtinere dicit inter olera & carnes: Asparagus, inquit, olerum omnium maximè nutrit; proinde si quis dicat eius naturam positam esse mediam inter olera & carnes, non procul à vero aberrabit, propter nutriendi facultatem, plantarum, & carnium quæ similiter in se habet. Prætereà Plinius vtilißimum stomacho cibum asparagos prædicat: adeò multis in locis multa præpostere ac confusè (hoc præsertim libro) tradidit Celsus; ita vt nisi religio esset, totam orationis seriem hunc in modum inuerterem: Item firmior asparagus, & lactuca, quàm vel cucurbita, vel porrum, vel beta, vel brassica.

At ex fructibus surculorum.

POMA eò quòd potu indigeant, dicta putat Marcus Varro. In genere autem vocantur poma fructus omnes, qui ex arboribus esui humano apti sunt; sic Cato Prænestinas quoque nuces poma vocat; & Martialis pini nuces poma appellat: quod sanè ei licentia quadam poëtica concedendum foret, nisi Plinius, Varro, Columella, & quotquot de re hortensi scripserunt, eâdem licentiâ vsi fuissent. Propriè autem poma nominantur, fructus omnes teneriore mollioréque velamine seu corio tecti; vt nuces quæ duriore. Ficus porro, vt reliqui omnes fugaces fructus, praui succi sunt; habent tamen aliis minus: sunt autem varia ficuũ genera, vt auctor est Plinius. Nam sunt quæ grandiores & insipidiores sunt, fatuas ob id Martialis vocat; quæ Mariscæ dictæ sunt. & Chiæ reliquis delicatiores sunt: Aphricanæ à prouincia sic dictæ, quòd Romanis delendæ Carthagini occasionem præbuerunt. Sunt præterea quæ Coctanæ dicuntur: sunt etiam ficus caricæ; quæ quum optimè exiccentur, omnes ficus siccatas caricas appellare fueuimus. Cæterùm quantum ad naturam earum attinet, malum, vt dixi, succum generant; aluum citant, vim habent abstergendi atque catharticam, plus aliis pomis nutriunt, carnem tamen non compactam neque firmam generant, ceu panis, & suilla, sed sublaxam, & subinanem, vt fabæ: præferuntur immaturis, quas grossos nominant, maturæ; hæ enim nihil ferè obsunt. Ante cibum sumptæ ventrem irritant; sed nisi celeriùs ventrem pertranseant, non bonum sanguinem gignunt: quapropter si ad satietatem vsque edantur, scabiem & pruritum & pediculos excitant. Post ficus inter fugaces fructus (quos ὡραίους vocant) sequuntur vuæ: quemadmodum enim minùs quàm illæ nutriunt, ita minùs malum succum generant; maximúmque id ipsis inest commodi (vt auctor est Galenus De alimentorum facultatibus) quòd velociter subsidant: quocirca si quando hæserint, grauiter lædunt.

neque

neque enim retentæ bellè concoquuntur, & dum in venas ac iecur distribuuntur, succum crudum generant, qui non facilè in probum sanguinem [illegible]tetur: nam acinorum substantia, composita est ex ipsarum velut carne, & humore qui per carnem est dispersus, ex quo fit vinum; præterea ex seminibus, & membranoso tegumento, quod omnia hæc extrinsecus circundabit. Cæterùm seminum quidem substantia quodammodo sicca est, & astringens, omniáque intestina peruadit, nihil quod sensu deprehendi queat à se mutata. Tegumentum quoque in stomacho exiguam recipit alterationem: quo fit vt quidam ipsum & omne quod intus habent suxerint, vnà cum seminibus expuant: quæ & ipsa nonnulli conantur expuere; potissimũ quum acini grandiores fuerint, nam in exilibus id factu difficile est. Est autem inter vuas, sicut inter ficus, quoque non parua differentia: aliæ siquidem dulces sunt, aliæ acidæ, aliæ austeræ, aliæ rursum quæ nullam vehementem habent qualitatem; vocantque has vinosas. Igitur, quæ dulces sunt, succum habent calidiorem, atque ob id sunt sitibundæ; austeræ verò & acidæ frigidiorem; vinosæ verò inter calidum & frigidum medium obtinent. Omnium certè vsus si moderatè sumatur, tutissimus est, quum natura fuerint carnosæ atque maturæ. Innocentiores sunt, vt auctor est Dioscorides, quæ decerptæ diu pependêre, pensiles dictæ, ideò quòd in eis copia humoris exiccatur; vtilesque sunt stomacho ægrisque quibus cibi auiditatem excitant, capútque prorsus nihil lædunt, quod aliis ferè omnibus commune est, si immoderatius edantur. Sub nucibus verò possemus quotquot sunt durioris tegumenti fructus intelligere: in quo albo sunt, castaneæ, pistacia, amygdalæ, pineæq; firmissimi inter omnes alimenti: sed strictiùs de iuglandibus tantùm, (quas persicas, basilicasque seu regias vocant,) & auellanis (quas Ponticas, & Prænestinas nominant) intelligemus; multus siquidem harum ambarum vsus est; alimentúmque corpori præbent exiguum, copiosius tamen Pontica vocata quàm Regia nux, quòd nimirum ipsius substantia compactior sit & coactior, minúsque oleosa: Regiæ verò laxior; continetque ipsa in se plus pinguedinis: coquitur tamen nux hæc faciliùs quàm pontica, stomachóque gratior est, idq; multo magis quando vnà cum caricis manditur. In genere verò recentes nuces stomacho minùs nocent, vtpote quæ suauiores, atque à frigidis ventriculis facillimè concoquuntur, à calidis verò in bilem magis conuertuntur. Palmarum quoque quas φοινικοβαλάνους vocant, variæ multæq; sunt differentiæ: aliæ siquidem magis, aliæ minùs humidæ sunt, atque aliæ dulces, aliæ siccæ & astringentes: quotquot autem sunt, difficiles sunt concoctu, atque capiti dolorem inferunt: nam succus qui ab ipsis in corpus distribuitur, crassus omnino est, ac lentoris quiddam particeps habet; quo fit vt celerrimè hepar lienémque obstruant. Porro eæ quæ dulces sunt, succum habent calidiorem; astringentes frigidiorem; ac rursum dulces magis nutriunt, acerbescentes prosunt stomacho, ventrémque compescunt. Pomorum autem, vt reliquorum omnium fructuum, magna quoque est differentia, non in generibus solùm, sed in eâdem etiam specie, quam ex saporibus distinguemus, atque ex his (Galeno quarto Simplicium auctore) facultates ipsas diiudicabimus; siquidem quæ acerbescunt, frigidum habent & terrestrem succum, nempe crassum; quæ autem acida, frigidum, sed tenuium partium. Dulcia calidiora indicantur: μίζα (ab Arabibus corrupto vocabulo muza; nos acidodulcia vocare possumus, vt dulcedinis & aciditatis alicuius participia) medij quodammodo sunt temperamenti. Omnia autem quotquot sunt, excrementitium aliquem, aqueúmque, hoc est qualitatis omnis expertẽ magis quàm probum succum generant: adeò rectè dictum est Omnia mala, mala. Cæterùm an Celsus succosa frigidis rectè opposuerit, nondum satis assequor, nisi quæ dulcia sunt, eadem protinus & succosa & calida esse dixerimus, ac proinde frigidis contraria: verùm facilis admodùm fuerit lapsus pro rigidis, frigida scribere; quare expuncto digammate Æolico, rigida substituerem; eâ

enim voce quum non solùm frigiditas, sed & duricies denotetur, rectè succosis pomis rigida opposuerit.

Itemque ex his auibus.

MIRVM nemini videri debet, quòd in eodem genere (valentißimè dico & mediocriter nutrientium) aues quæ pedibus fidant, quàm quæ volatu magis nitantur valentiores sint; & rursum inter has ipsas eo firmiores esse, quo fuerint maiores: est præterea notum, omne animal domesticum agresti esse valentioris nutrimenti; nam hæc ingi quadam & perpetua artuum agitatione, ac totius corporis motu, quicquid est excrementitium exuunt; illa contrà delicata & ociosa vita, vt adipis multum accumulant, ita excrementitium multumq; succum plurimum coacervant. Eadem ratio est cur aues quæ continuo perpetique volatu huc illuc feruntur, (cæteris paribus dico) minus nutriant iis quæ pedibus nituntur: in his enim pedes tantùm atque musculi eos dirigentes exercentur; in illis contrà non solùm pedes atque ipsorum musculi, sed tota quantulacunque est corporis compago laborat: nam dum volatu quoquouersum feruntur, aliæ corporis particulæ continuo motu agitantur, aliæ contrâ dum maximo labore contrahuntur, immobiles persistunt; idq; ne aut aëris motu aut ventorum procellis ab instituto itinere perturbentur; siquidem non secus ac nauis in æquore clauo regitur, ita iis particulis, quas tamen minimè laborare putes, auiculæ ad optatum finem dirigunt.

Atque eæ quoque quæ in aqua degunt.

NISI hîc subterfugium aliquod quæramus, ac ea quæ in aqua degunt inter se comparemus; distinguamúsque ita, vt alia natandi scientia prædita, alia minùs dicamus, nescio quomodo Celsum hic ab errore vindicabimus: nemini nanque dubium est, aërias volucros, palustribus, lacustribus, aut aquatilibus esse leuioris tum cibi, tum nutrimenti: nam quomodo aliquis ab improba malique succi victus ratione bonum succum aut nutrimentum expectare audeat? quis à pisciculis, iis potißimùm, qui & lentoris plurimum habent, & solidæ carnis quàm minimum, laudatum sanguinem gigni affirmet? quis deinceps ex pituitoso quodammodo sanguine, solidam compactámque carnem desideret? & rursum, quis ex laxa distractáque carne bonum & firmum se consequuturum alimentũ existimet? qualis certè earum auium caro est, quæ in stagnis palustribúsque locis & aqua victum quæritant. Verùm quum aliæ vastißima interdum flumina, lacusque natantes dum prædam venantur oberrant; aliæ rursum natandi peritiam à natura nondum edoctæ, in ripis fluminum aut stagnis si casu aliquo præda quæpiam sese offerat, desides oculis tantùm quaquauersum circumactis expectitant, comparatione quadam inter hasce facta, leuioris nutrimenti esse dixit, quæ natandi scientia præditæ sint, quòd videlicet nunquam desides atque ociosæ sint: sed siue in aquis victum quæritent, siue per aëra volitent, maximo conatu corpus moueant atque exerceant; nam illic dum aduerso flumine pergunt, pedibus pectoréque magnis nisibus cum rapidis vorticibus certant, ac dum in vastum flumen prædæ causa seipsas demergunt, omnes quotquot sunt lacertos ad opus accingunt: hîc contrà dum expansis alis aërem feriunt, eas quæ in aquis quiescere videbantur particulas plurimùm & mouent & exercent; vnde & magnam excrementitij humoris partem exuunt, & leuius nutrimentum corpori exhibent.

Inter domesticas verò quadrupedes.

PER suillam carnem, eam hoc loco intelligere videtur auctor noster, quæ veteris victimæ ætatem non excesserit, vel nondum assecuta sit, hoc est quæ prorsus mediæ sit ætatis; hæc enim optima est & ad gulæ illecebras & corporis alimoniam & optimi censetur succi. hinc Plinius libro VIII. cap. LI. Animam, inquit, sui pro sale datam non illepidè existimabatur. Adde quòd quum porcellorum carnes damnet Hippocrates, mediæ tamen

diæ tamen

diæ tamen ætatis ſummè commendet: is ſiquidē libro De ratione victus in morbis acutis ait, Χοίρου δὲ πονηρὰ, ὁκόταν ἦεν ὠμότερα ἢ περικαῆ, χολώδεα δ' ἂν εἴη, καὶ ἐκταρακτικά, ὕεια δὲ βέλτιστα τῶν κρεῶν ἁπάντων. κράτιστα δὲ, τὰ μήτε ἰσχυρῶς πίονα, μήτε λεπτὰ, μήτε ἡλικίην φέροντα ἱερείου παλαιοῦ: hoc eſt, ut vertit Ioannes Vaſſeus: Porcelli verò carnes prauæ ſunt, quum fuerint crudiores, aut ambuſtæ; nempe tum choleraceæ ſunt & turbatoriæ: Suillæ autem carnium omnium optimæ ſunt: ſed præſtant etiam ex his, quæ non admodum pingues ſunt, neque tenues, neque veteris victimæ ætatem habent. Galenus etiam libro ſeptimo methodi Therapeuticæ ex morbo conualeſcentibus quum ad ſanitatis ſtatum propè iam ventum eſt, ſuillos pedes in ptiſana elixos dat, ac poſt ipſum etiam imum crus, atque ab hoc reliquas partes: Primùm quidem, inquit, iuuenis porcelli, qui ſi hiems ſit, etiam die iuguletur, nam heſternum quàm recens necatum faciliùs concoquitur. Leuiſſimas igitur vocat ſuillas carnes, quòd & citiſſimè in corpore noſtro alterentur, atque in bonum nobíſque familiarem ſuccum tranſmutentur: ſi etenim ea nos potiſſimùm oblectent, quæ ſuaui quadam dulcedine palatum afficiunt, ſuilla certè naturæ noſtræ maximè congrua cenſenda erit, vt quæ cum carne humana analoga quodammodo ſit; auctor ſiquidem eſt Galenus, Romæ quondam à cauponibus carnem humanam cum aromatibus in paſtillis coctā, publicè diuenditam, ac diu ſine vllo olfactus aut guſtus diſcrimine pro ſuillis ab ementibus eſitatas. Neque obſtat quod idem Galenus libro tertio De alimentorū facultatibus dixerit, quòd omnium ciborum ſuum caro potentiſſimè nutriat: cuius rei certiſſimum ab athletis argumentum ſumit, qui ſi paribus exercitationibus parem molem alterius cibi pridie totum diem comederint, poſtero die ſe ſentient redditos imbecilliores; quòd ſi pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modò, verùm penuria alimenti macilentiores conſpiciuntur. Nam etſi plurimùm nutriant, præterquam quòd ocyſſimè corporis noſtri ſubſtantiæ aſſimilentur, probum etiam ſuccum gignunt, contrà quàm faciant bubulæ; quæ etſi minùs nutriant, totius tamen ſubſtantiæ ſuæ craſſitie ſuillam ſuperant, ac ſanguinem quàm conueniat craſſiorem generant. Sunt tamen ex ſuum carnibus hominibus quidem ætate florentibus, fortibus, & qui ſeſe multùm exercent ſuum ætate florentium ad concoquendum carnes præſtantiores; aliis verò adhuc increſcentium.

Itemque ex feris quo maius, &c.

IN genere certè quo animal quodque maius eſt, eo valentiorem cibum ſuppeditat; ſunt tamen, quæ quum parua ſint, ea à quibus duplo corporis mole ſuperentur, ſucci bonitate & nutrimenti quantitate vincant. Ceruina enim caro, vt leporinis non omnino diſſimilis, ita ab his vincitur, quòd ſuccum & probiorem generent, & faciliùs concoquantur, ac proinde generoſius alimentum corpori ſubminiſtrent.

Piſciumque eorum qui ex media.

PISCIVM quotquot ſunt differentiæ, aut à magnitudine ſeu quantitate, aut à ſubſtantia, aut à loco ſumuntur: à magnitudine quidem, nam cetacea omnia ingentiaque pelagi monſtra duram, concoctu difficilem & craſſi ſucci habere carnem conſtat; quare vt moderatiora efficiantur, ſale condîmus. A ſubſtantia, alij ſiquidem mollis, μαλάκια Græci vocant; alij duræ carnis ſunt; alij teſta integuntur, ὀστρακόδερμα dicunt; alij rurſum hac ambiuntur quidem, ſed tantùm tenuiore quodam ceu incruſtamento velantur; ac rurſus alij cartilaginei ſunt, σελάχια nominant; & in ſumma ſunt qui quum neque duræ omnino, neque mollis exactè carnis ſint, friabiles appellantur. A loco autem, vt ſi pelagius, ſaxatilis, paluſtris, lacuſtris, fluuiatilis: nam inter hos omnes, quod ad ſucci bonitatem attinet, ſaxatiles, pelagicique (voco autem pelagicos qui in mare profundum ſecedunt) palmam obtinent. Ceterùm quod ad eos

pisces qui in media materia sunt attinet, grauißimi sunt ex quibus salsamenta quoque fieri poßunt; redduntur enim, vt dictum est, carnes sale moderatiores, & probioris succi, suntque eius generis lacerti; eos statim ordine sequuntur, qui quum duræ carnis sint, difficiles quoque concoctu existant: in quo albo corui seu coracini numerantur. Vocat autem lacertum (vt auctor est Paulus Iouius eo quem de piscibus Romanis conscripsit libro) quem Græci σκόμβρον. Plinius tamen libro XXXIII. capite vltimo varia esse lacertorum genera tradidit. Cæterùm lacerti, quos scombros esse diximus, oblongi & exiles sunt, sulphureóque colore conspicui, præsertim quum in aquis vagantur, veréque potißimum pinguescunt; ij quum durioris carnis sint, boni quoque succi sunt, sed difficilè secernuntur ac digeruntur, quare salsamento substantiæ craßities quodammodo atteritur, & ad excretionem promptiores redduntur. Auratæ autem & scari inter pelagios pisces summè commendabantur, adeóque inter se similes sunt, vt vix discerni poßint: ex auratis verò quum toto paßim mari gignantur, Tarentinam prætulerunt antiqui, eámque potißimùm quæ Lucrinis stagnis illata concharum esu pinguesceret: nam, vt Martialis,

Non omnis laudem preciumque aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Capiuntur rarò æstate, hieme autem frequentißimè. Scares Ennius Iouis cerebrum appellare solebat, quòd inter petrosos pelagiosque primas obtinerent. Coruos autem & coracinos contra Volaterranum eosdem esse existimat Iouius: Nam coruus, inquit, gibberosus est, & proportione cæterorum admodùm latus videtur; vt accidit coracinis, quos Parmenio Rhodius, qui de re coquinaria scripsit (vt allegat Athenæus) πλατυστάτους à latitudine corporis appellauit. Oculatam Plinius inter lacertorum genera annumerauit, atque à melanuro seiungit: Iouius oculatam cum melanuro idem esse affirmat, sicq; vocatam ab oculi magnitudine. Luporum autem carnes à Galeno in ratione valetudinis, mirificè commendantur, quòd sanguinem subtiliorem, boniq; succi gignant. verùm quis fuerit piscis lupus, & vtrum is quem lupi nomine paßim appellamus, in fluuijs, paludibus, stagnísque ac foßis delitescens, admodùm dubito; siquidem Galenus inquit: In aquis dulcibus natum hunc piscem non vidimus, sed è mari in flumina aut stagna ascendisse conspeximus; & quamuis pelagius sit, stagna tamen maritima non fugit. Mulli quoque seu triglæ, pelagicis piscibus annumerantur, celebrabantúrque olim adeò apud homines, tanquam voluptate reliquos cibos superarent, vt sæpiùs argenti puri pondere à priuatis etiam ciuibus, quum pedis longitudinem superarent, emerentur. Omnium ferè aliorum pelagicorum carnem habent durißimam, & valdè friabilem: vnde neque lentoris alicuius, neque pinguedinis particeps est; nutrítque, si probè confectus fuerit, omnibus aliis piscibus copiosiùs. Atque hæc hactenus de pelagicis, qui sanè vt craßioris substantiæ sunt saxatilibus, (voco autem saxatiles seu petrosos, qui in petrosis promontoriis, & vbi saxa sunt delitescunt pariuntque) ita etiam plus nutriunt, quanquam hi probiorem tenuioremq; sanguinem generent.

Neque verò in generibus rerum.

NON solùm rerum genera aut species ciborum discrimina euariant, sed & sexus; alterius enim aries, alterius veruex; & rursus alterius succi nutrimentique ouis: eadem ratio est de taurinis, bubulis, vaccinísque carnibus; nam castrata omnia melioris succi sunt, & probiùs nutriunt. Sexum statim sequitur ætas; nam hac varietatem quandam & discrimen admittit: etenim quadrupedia quæ iuniora sunt & adhuc lactantur, vt humidiora sunt, ita discutiuntur faciliùs, ac proinde minùs nutriunt. Medio loco se habent mediæ ætatis, quod ad succi bonitatem attinet; at quod ad alimoniam spectat, cæteris intensiùs nutriunt. Senum autem carnes peßimæ sunt, tum ad concoquendum,

quendum, tum ad bonum ſuccum generandum, tum ad nutriendum. Ætatem habitus ſequitur, probioris enim ſucci, validioríſque cibi eſt bene habitum, quàm macilentum ac ſtrigoſum; ac rurſum ſanum, quàm morbidum; nigrum, quàm album, nigricantia enim albicantibus robuſtiora ſunt & iocundioris ſaporis. Cohortales porrò pulli quo teneriores ſunt, eo quoque leuioris materiæ: dicuntur autem cohortales aues quæ intra cohortem villaticam continentur, quales potiſſimùm ſunt gallinæ, ex eo dictæ (vt auctor eſt Mar. Varro) quòd circa eum locum pecus coërceatur.

Deinde ex eodem ſue vngulæ.

HIC *locus flagitat vt breuiter de omnium terreſtrium extremis viſceribuſq́; ſermonem inſtituamus: extrema autem voco roſtrum, pedes, aures; hæc & parum carnis habent, & quum perpetuo motu exercitentur, viſcoſiora ſunt & neruoſiora: quo fit vt quum ob viſcoſitatem alno faciliùs ſecedant, minus quoque nutrimentum corpori adminiſtrent; quare rectè in media materia auctor noſter conſtituit. Inter vngulas autem ſeu pedes ſummè commendantur ſuilli. Roſtrum ordine ſequitur pedes; atque hoc rurſum aures, hæ ſiquidē ſola cute & cartilagine conſtant, quare & lenioris nutrimenti, & difficiliores concoctu ſunt: nam cartilago in perfectis quidem animalibus confici omnino non poteſt, in his verò quæ adhuc augeſcunt, ſi in ore bene leuigata, & in ſtomacho probè confecta fuerint, paucum alimentum corpori dabit. Cerebrum autem reliquis omnibus pituitoſius eſt alimentum, craſſi ac improbi ſucci, ac tardi tranſitus, difficile concoctu, inutile ſtomacho, nauſeámque concilians. Huic proximè accedit oſſium medulla: quæ quantumuis durior ſuauiorque ſit, nauſea tamen cruditatem generat; ſi tamen probè concoquatur, nutrit ex ſententia. Agnorum autem, hædorúmque petioli (ita enim vocamus paruos pedes) cum toto capite lenis admodùm ſunt nutrimenti, ſed boni familiariſque quodammodo ſucci. Glanduloſæ autem omnes partes, ſi probè conficiantur, non minùs quàm carnes alunt: hoc enim commune habent, quòd teneræ, ac ſuaues edentibus appareant; ſed mammarum præcipuè, quum lac habuerint, dulciores habentur. ſi non concoquantur, excrementitium crudúmque ſuccum gignunt. Ex harum quoque numero ſunt teſtes, qui propter viroſitatem quandam quæ ipſis ineſt concoctioni reſiſtunt, & vitioſos generant humores. Renes autem quòd mali ſucci ſint, vel hinc liquet, quòd in guſtu vrinæ qualitatem quampiam præ ſe ferant. Hos ordine ſequitur iecur: quod vt craſſi ſucci eſt, ita concoctu difficile, ac ægrè digeritur. huic, quod ad ſubſtantiæ qualitatē attinet, quamproximè accedit cor: lien verò vt melancholici humoris receptaculum eſt; ita ſi eſtur, eundem in corporibus gignit ac adauget; ac proinde iecinori æquè ac lieni incommodat. Pulmo quidem reliquis faciliùs concoquitur, minùs tamen nutrit, ac ſuccum pituitoſiorem gignit.*

Ex auibus colla alæque.

HIC *meminiſſe oportet, quod antè dictum eſt, non paruā eſſe differentiam earum auium quæ in ſtagnis, aut paluſtribus locis degunt, ad eas quæ per montes ac ſiccos locos victum quæritant: etenim iuxta locorum proportionem carnes animalium aut ſiccæ aut ſuperfluitatibus carentes, & concoctu faciles; aut contrà humidæ excrementitiæque, ac concoctioni repugnantes redduntur. Alæ igitur in iuuenibus ac pinguibus volucribus optimæ ſunt, ac boni ſucci, & facilè concoquuntur: nam iugi motu ſi quid habent excrementitij exuunt, ſuntq́; imbecillis materiæ, vt neruea omnia.*

Quod ad ſolum verò pertinet.

PRISCI *qui de agricultura ſcripſerunt, tria terrarum genera definiuerunt, campeſtre videlicet, collinum, & montanum, collémque clementem, ac molliter aſſcendentem qui orientali, aut meridionali plagæ aduerſus eſſet, laudabant, quiq́; lenibus quibuſdam*

riuulis irrigatur; hic enim, cæteris paribus, firmius meliúsque frumentũ producet, quàm aut campus aut mons. Neque hic in terminis hærendum est; nemini siquidem dubium est, campestre frumentum, quod in pingui, bene subacta dulcique terra creuerit, valentius esse collino, quod aspero, macro, frigosóque solo natum sit.

Leuior piscis inter saxa editus.

HIC obiter admonendus mihi lector est, quàm temerè medicastri nonnulli cum vulgo pelagicorum piscium (inter quos saxatiles meritò annumerantur; vocamus enim, vt dixi, saxatiles pisces qui vbi petræ, ac littora saxosa sunt degunt) vsum ægrotantibus potiùs interdixerint, quàm fluuiatilium; quòd videlicet grauioris materiæ & cibi firmioris, succique improbioris esse existimarent. Quod sanè quàm à veritate dissentiat, argumento erunt mugiles, anguillæ lupique, qui quum ex alto mari in vicinum aliquod flumen aut stagnum feruntur, statim à genuina illa succi bonitate degenerant: nam (vt post Galenum auctor est Aëtius, Paulus & quotquot de re medica classici scriptores extant) optima caro piscium est in puro mari degentium, magisque vbi locus is ventorum procellis agitetur, & neque terrea neque lenia littora aquam ambiant, sed arenosa aut aspera aut lapidea. si verò ad aquilonares quoque ventos loci conuersi fuerint, multo melius est: manifestum est enim mare mari præstare in eo quòd aliud perfectè tranquillum est, λιμνοθαλάτ]ας Græci vocant; aliud magnos fluctus excipit: siquidem tanto deterior piscium eorũ caro redditur, quanto fluctibus minùs agitatur; mediũq; quodammodo locum inter pelagicos marinósve pisces, & fluuiatiles obtinet. adeò magnum discrimen est, inter pelagicos fluuiatilesque pisces, vt non solùm succi bonitate cum illis comparari non mereantur, sed multis numeris ab illis superentur; & quod ad succi probitatem attinet, tertij tantum ordinis censentur. Adde quòd in fluuiatilibus quoque non paruum discrimen sit; siquidem optimi censentur qui in iis fluminibus gignuntur, vbi aqua & copiosa est & rapidè fluit; hos sequuntur qui in leni fluminis tractu pascuntur; hisq; peiores sunt, qui in stagnantibus aquis degunt; habent enim carnem concoctu difficilem, & bonum alimentum quàm paucissimum. Proinde non solùm aquarum discrimina pisces bonitate succi aut commendant, aut eiusdem improbitate reprobant, sed & penes alimenta quoque peiores melioresue redduntur: siquidem quibusdam, vt docet Galenus, herbarum, aut bonarum radicum copia suppetit, ijq; eam ob causam reliquis sunt præstantiores, alij contrà herbis pascuntur limosis, & radicibus mali succi: præterea sunt qui in fluminum ostiis magnam aliquam præterfluentium vrbem quæ sterquilinia, aut balineas, aut culinas, & vestium ac linteorum sordes expurgant, victitant; qui vt pessimo victu vtuntur, ita pessimi, atque inter reliquos deterrimi sunt. In genere autem neque lacustres, neque palustres, neque stagnales pisces laudem aliquam aut ob succi bonitatem, aut ob nutrimenti copiam merentur.

Omne etiam ferum animal.

GALENVS De alimentorum facultatibus tertio, Domestica, inquit, animalia temperie humidiora sunt quàm agrestia, tum ob aëris in quo degunt humiditatem, tum verò etiam ob vitæ ignauiam: nam quæ in montibus degunt, multùm exercentur ac fatigantur; præterea in aëre sicciore viuunt, quapropter earum caro est durior, nulliúsque prorsus pinguedinis, aut paucissimæ, particeps; quæ causa est cur pluribus diebus quàm domesticorum & ociosè viuentium animalium seruetur imputris. Liquet item quòd alimentum quod ab iis prouenit, minus habet excrementi, sicut excrementitium est quod à domesticis atque ociosis sumitur: necesse igitur est alimentum huiusmodi nutrire valentiùs, quàm alterum, succúmque gignere multo meliorem. Hucusque Galenus ferorum animalium & domesticorum discrimen enarrauit, totamq; hanc periodon breuiter

breuiter explicauit; nam aëris ſeu cæli humiditatem, multum ad temperiem humidam conferre dixit; atque hanc rurſum pinguedinis quodammodo cauſam eſſe. quare quòd & ea quæ domeſtica & ſolo humido nata, & pinguia ſunt, feris, hoc eſt his quæ in montibus degunt animalibus, & quæ ſicco cælo paſcuntur, & quæ natura non morbo aut alimenti penuria, macra ſunt, valentioris nutrimenti ſint, liquet: ac proinde quum ea tantùm ſale condiamus, quæ & excrementitia ſint, & corporis mole excedant (ſal namque ſi quid in corpore eſt humidi, quodammodo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ contrahit, ac proinde conditura ſua carnes ſeruat, atque à putredine tuetur) rectè ſalſa inſulſis ac recentibus minùs nutrire dicimus, quanquam nonnunquam ſi recenter ſalita ſint, probiorem ſuccum gignant recentibus: cuius rei argumentum præbent cetacea omnia, ſues bouéſque præpingues; redduntur ſiquidem, vt dictum eſt, ſalis conditura carnes moderatiores. Cæterùm quòd nouiter mactatæ carnes (ita enim proprietas ſermonis efflagitat vt intelligamus) vetuſtis plus alimenti præſtent, vel hinc conſtat, quòd hæ exuccæ; illæ contrà ſucci plenæ: quare non ſecus ac pinguia macris, recentia vetuſtis intenſiùs validiúſque nutrient.

Tum res eadem magis alit.

ESCVLENTA *alia elixa, alia aſſa meliùs & edi poſſunt, & nutriunt; quæ enim humidiora natura ſunt, ampliorem humectationem non deſiderant; quare & exiccationem requirunt, quam aſſatura aut frixura faciliimè conſequentur. Elixa enim omnia humidiora mollioráque redduntur; qua ratione faciliùs conficiuntur & valentiùs nutriunt. Aſſa ſimiliter frixis magis alunt: igneo nanque calore quicquid eſt humoris, quicquid ſupereſt ſucci quodammodo exugitur. Quanquam non negem Ariſtotelem Problematum ſectione prima, aſſas carnes elixis humidiores prædicare, quòd videlicet calore ignis denſata cute obſtipatiſque poris dum exitus viam nullam inueniunt, humores intrò reſiliunt, ac proinde ſucculentiorem carnem reddunt. quod ſanè quàm ſit rationi conſonum (quanquam analogia ad eos qui nudo corpore in ſole obambulant nitatur probare) cuiuis ſatis notum arbitror: nam eodem libro ſectione vigeſima palàm elixatione carnes humidiores molliorеſque reddi affirmat.*

Ouum durum valentiſſimæ materiæ.

O V A *tres habent penes ſe differentias: aut enim penes propriam ſubſtantiam; gallinarum enim aut phaſianorum meliora ſunt: aut penes tempus, recentia ſcilicet ne ſint an vetera; recentia nanque meliora ſunt, atque adeò optima eorum eſt operatio: aut penes cocturæ rationem modumq; decoquendi; nam quædam diutiùs decocta fuerunt, alia ad mediocrem vſque conſiſtentiam, alia etiam dumtaxat excalfacta: atq. hinc quum ſummam varietatem, vel ad ſucci probitatem, vel ad nutrimenti qualitatem conſequantur, Celſus duabus prioribus differentiis omiſſis, hac ſola contentus fuit, clarius exiſtimans quàm vt explanatione egeat, phaſianorum, gallinarúmque oua cæteris præſtare. Igitur ea quæ ſorbilia ſunt oua (vt auctor eſt Simeon Sethi) vix calida parantur, facilè pertranſeunt, & gutturis leniunt aſpredinem, quòd humor in eis nondum incraſſatus concreuerit; nutriunt autem reliquis minùs. proxima his ſunt tremula, vel mollia ad modicam conſiſtentiam cocta; ad nutriendum omnium ſunt præſtantiſſima: nam faciliùs concoquuntur, & digeruntur, bonóſque humores procreant. Quæ verò ad ſpiſſitudinem vſque cocta ſunt (ἑφθὰ Græci vocant) ad concoquendum ſunt difficilia, tardíque tranſitus, craſſiuſque alimentum corpori tribuunt. At maius adhuc eorum ouorum eſt vitium, quæ ſubtus calidum cinerem aſſantur; hæc enim reliquis antedictis peioris ſunt ſucci, & tardiùs deſcendunt: adde quòd ἐμπύρευμα quoddam ſapiant. quo fit vt non poſſim ſatis mirari obſtetricum noſtrarum vulgus, quæ tamquam optimi ſucci cibo, ex partu decumbentes his ſolis*

enutrire consueuerunt; atque adeò eas etiam quæ febribus correptæ sunt, quo alienius nihil exhiberi potest, propter ἱματωχεύματος, vt dixi, qualitatem, & succi ipsius improbitatem, vt interim difficultatem concoctionis omittam. Non negauerim tamen quin nonnunquam citra noxam administrari possint: vt si restringendum sit, aut fluxus aliquis inhibendus; vt si puerperij purgamenta immodicè fluant, aut si aluus per se fluxa nimis sit. verùm satius esset ad arcendam succi improbitatem, & adustionis qualitatem, eadem horis duabus in acri aceto macerata madefactis stupis, aut linteis lineis inuoluere, & deinde cineribus obruere. Est porro præter hoc aliud cocturæ genus, quo in sartagine oua friguntur, τηγανιστὰ vocant, quæ pessimum habent omnibus modis alimentum: nam interim dum concoquuntur, in nidorem vertuntur, ac præterquam quòd succũ crassum gignunt, ipsum etiam prauum gignunt atque excrementitium. At quæ πνικτὰ, hoc est suffocata appellantur, elixis & assis sunt meliora, Parantúrque, inquit Galenus, ad hunc modum: Vbi ipsa oleo, & garo, & pauco vini aspersa fuerint, vas quo continentur cacabo aquam calidam habenti inditur: deinde vbi ipsum totum supernè obturauerint, ignem substruunt, quoad oua mediocrem habuerint consistentiam: quæ enim supra modum sunt crassa, elixis & assis fiunt similia; quæ verò ad mediocrem crassitiem peruenerint, & meliùs quàm dura concoquuntur, & alimentum corpori dant præstantius.

Cumque panificia omnia.

PISTORIA omnia seu panificia (eo etenim nomine cereales omnes fruges complectimur) valentissimæ materiæ esse antè demonstratum est. verùm quum sub eadem specie varia nonnunquam discrimina reperiantur, in his etiam non parua differentia est: alia siquidem aliis intensiùs minúsue nutriunt; nam robum tritici speciem, inter reliqua cerealia valentissimæ materiæ definiuimus, & ex tritico firmissimam siliginem. Ea autem frumenti genera ex quibus elotis aut pulticulas aut sorbitiunculas parare solemus, mediæ aut alioqui imbecillissimæ materiæ annumerantur: cuius farinæ sunt alica, oryza, ptisana; in genere quoque quotquot sunt frumentacea quæ elota sunt, infirmioris sunt alimenti illotis, nam quicquid habent lentoris, quicquid habent crassitiei, ablutione exuunt. Per alicam autem, frugem intelligit, ex tritici genere; quæ, vt auctor est Galenus, nisi lota sit, valenter nutrit, succumq́; crassum habet. cæterùm sitne ea quæ Græcis χόνδρος, an ea quæ ἄλιξ dicitur, doctissimè disputat Rembertus Dodonæus medicus Mechliniensis: quare si quis huius & aliarum pulticularum & sorbitiuncularum, quarum hîc Celsus meminisse videtur, facultates atque naturam scire desiderat, eum consulat. Oryza autem siue elota sit, siue illota, alica minùs nutrit, difficiliúsque conficitur. Per ptisanam autem hordei granum decorticatum intelligit, quòd nimirum ex hoc (potissimùm apud Græcos) ptisana conficeret: nam alioqui etiam (nisi oryzæ meminisset) ad oryzam, & ad alias omnes fruges purgatas & à corticibus suis mundatas (nam ptisana ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, hoc est à purgando, dicta est) aquè transferri posset: siquidem Plinius libro XVIII. Italici, inquit, oryza maximè gaudent; ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. Galenus quoque ex tritico eandem fieri affirmat: quæ vti ex firmiori fit materia, ita ea quæ ex hordeo conficitur intensiùs nutrit. Atque hæc hactenus de elotis frugibus, sorbitiunculísque ex iisdem factis. verùm qui panis abluendi modum excogitârunt, vt ait Galenus, minoris sanè alimenti cibum, sed qui ab obstructionis nota absit, quoad licet longissimè, inuenerunt; siquidem panis hic succum habet minimè crassum & lentum, vt qui ex terrestri aërius sit factus: nam eius leuitas appâret tum per flateram, tum quòd in aqua non submergatur, sed suberis instar supernatet.

Ex potionibus verò.

VARIA ex hordeo triticóque, vini penuriâ, potionum genera excogitârunt homines; ita

nes; ita vt quot ſint ſeptentrionem verſus prouinciarum nomina, totidem ſint potionum diſcrimina: quas omnes vno eodémque vocabulo patrio nomine birias; aut à cerealibus frugibus cereuiſias nominant. Antiquitas zythi, courmíque & polentæ (quam ἄλφιτον Græci dicunt) meminit: nam, vt Dioſcorides, ex hordeo potus fit cui zytho nomen eſt. huius vſum apud Ægyptios Dionyſium primum inueniſſe tradunt: qua de cauſa apud poëtas Peluſianus potus nominatur. Suidas autem zythum hordeaceum vinum nominat, quòd vicem natiui vini gerat: alij βρύτον ſeu βρύττιον vocare maluerunt; Ariſtoteles autem, vt auctor eſt Athenæus, πίνον appellat: verùm quomodocunque appellare lubuerit, idem eſſe zythum cũ noſtra cereuiſia contenderim; quæ quanto plus tritici aut hordei admittit, eo valentiùs nutrit: varias nanque facultates ſortitur pro decoctionis differentia; alij etenim hordei auenæq́ꝫ quàm minimum, triticíque quamplurimum indunt; alij rurſum tritici nihil, ſecalis, hordei aut auenæ quàm plurimum: ſunt alij rurſus qui reſinis quibuſdam vtantur; alij hormino ſatiuo eiúſque ſemine; alij deinceps agreſti myrto decoctionem præparant; atque omnes quotquot ſunt lupo ſalictario tanquam condimento quopiam, ne ante tempus aceſcat, condiunt.

itemque lac, mulſum, defrutum, paſſum.

LAC, vt docet Galenus De alimentorum facultatibus tertio, inter cibos qui ab animalibus ſumuntur, eſt numerandum: in quo haud parua pro anni temporibus eſt differentia, & adhuc maior pro ipſorum animalium ſpecie atque habitu, atque ex ipſis paſcuis. Nam quantum natura inter ſe diſtant vacca, equa, & ouis, cæteráque quotquot ſunt animalia; tantum & lac ipſorum inter ſe differt: ſiquidem bubulum lac craſſiſſimum eſt ac pinguiſſimum, ac proinde valentiùs reliquis nutrit. tenuius, liquidius, ac pinguedinis minimè particeps eſt camelorum. mox equarum ſequitur; deinde aſinarum: media autem conſiſtentiæ eſt caprarum; hoc craſſius eſt ouium: ſuillum autem omnium craſſiſſimum eſt, vt neque coagulo opus ſit ad coagulandum, & ſerum modicum habeat, & in coctura celerrimè coëat, vnde in ventriculo leuiſſima de cauſa nauſeam mouet. Ab habitu quidem: nam melius lac præbet ſanum, quàm morbidum animans; nigricans quàm albicans; nam in totum in brutis nigriora ſunt robuſtiora; alba verò imbecilliora; nam & carnes nigrorum animalium magis ſapidæ ac delicatiores ſunt, quàm alborum. Secundum anni tempora: nam vernum, & poſt partum eſt liquidiſſimum; temporis verò progreſſu, magis ac magis incraſſeſcit, ita vt media æſtate ipſum in medio ſuæ naturæ conſiſtat, quare & tum concoctu facilius, & ſuauioris eſt odoris; poſt id deinceps tempus ſenſim craſſeſcit, donec in totum deficiat. Sed & neque ex his tantùm lactis diſcrimina petenda ſunt, verùm etiam à pabulo quo veſcitur animal: aliàs ſiquidem aliam herbam depaſcuntur animalia. ſic ſiquando contingat (vt docet Galenus libro De ſanitate tuenda) ea lactucas marinas eſitaſſe, lac quoque vim catharticam ſortietur. ſic Hippocrates ſexto Epidemion, Si puero aluus non ſatis reſpondet, iubet vt mulier aut capra elaterium, aut cucumim ſilueſtrem comedant; ita enim puerulis facilem ſubſequuturam purgationem: nam & ſi aſtrictione opus ſit, exhibitis antè pabulis quæ aſtringunt, & auſtera acerbáque nonnihil ſunt, lactis ipſius naturam præparare ſolent. Præterea virides herbæ, & iuxta aquas naſcentes liquidius modicúmque lac ſuggerent; quæ verò duriores ſunt ac montanæ, optimè ſe habent ad lactis tum boni, tum copioſi generationem. In genere tamen lac omne boni ſucci eſt & multi nutrimenti: præſertim ſi animalium ſit in vigore conſiſtentium; id enim reliquis melius, nam iuuenum liquidius, ſenum ſiccius eſt. Intenſiùs autem nutriet, ſi cum aliquo craſſioris ſucci edulio diutiùs coquatur, flatuoſitatémque deponet. atque hæc hactenus; de mulſo, defruto, paſſo in ſequentibus dicturi.

vinum aut dulce aut vehemens.

EVARIANT vina penes solum, substantiam, colorem, saporem, ætatem & odorem: Secundum solum; nam aliud collinum, aliud campestre, montanúmque aliud. Penes substantiam: aliud siquidem tenuium est partium, aliud crassarum. Penes colorem: vt si rubrum, subrubrũ, nigricans, fuluum, albúmue sit. Penes saporem: aliud namque dulce, aliud acre, austerúmue & astringens aliud est. At secundum eam quæ in odore est qualitatem: alia siquidem boni odoris existunt, alia contrà ingrati odoris sunt, ac feruentem quandam ac insuauem nacta sunt qualitatem; alia rursum nullum omnino odorem habent, sed aquæ instar inodora sunt. Secundum ætates autem differunt: nam aliud recens est, aliud magnæ vetustatis, aliudq́ medio quodam loco inter hæc situm est. Verùm non est præsentis instituti singulas vinorum differentias enumerare, atque eas ad amussim excutere; sed eas tantùm quæ ex nutriendi facultate sumuntur. Igitur quòd ea quæ crassa sunt tenuibus intensiùs nutriant, præter experientiam, ex ipsorum quoque natura clarum fit. hoc tamen variant discrimine quòd alia magis, alia minùs pro craßitudinis portione id efficiant: nam quæ crassa admodùm sunt, vt tardiùs conficiuntur, ita si robustum ventriculum nacta sint, atque perfectè concoquantur, reliquis copiosius alimentum subministrant. Atque ea quæ moderatè crassa sunt & rubra, optimè nutrire dicimus, vt quæ minima egeant mutatione, vt in sanguinem mutentur; quo fit vt ei generando sint accommodißima. His proximè accedunt, quæ nigra, crassa dulciáque sunt, atque ea quæ colore quidem nigra sunt, & rubra; consistentiâ autem crassa cum astringendi facultate. His minus alunt, quæ alba simul sunt & crassa & acerba: vti omnium minimè, quæ & colore alba sunt, & consistentiâ tenui. Cæterùm quæcunque dulcia sunt, ea quoque substantiâ crassa sunt, ac facultate calida: (nam, vt Galenus de simplicium medicamentorum facultatibus, dulcis sapor à caliditate, quæ non immoderata & vehemens sit, generatur) austerisque facilius & distribuuntur in ventriculo & conficiuntur. Vehementia autem vocat, quæ Hippocrates & Galenus potentia ac vinosa appellant: ea colore quidem fulua aut flaua, consistentiâ verò, sicuti dulcia, crassa sunt: hæc principem ad sanitatis conseruationem locum obtinent, si moderatè sumantur; nam calorem innatum augent, ventriculum roborant, atque quum concoctionem adiuuent, facilè etiam concoquuntur, aluóque ducendæ non omnino aliena; in hoc solùm vituperanda, quòd caput virtute sua calida repleant atque offendant. Mustum deinceps quomodo valentißimi generis alimentis asscripserit, vehementer miror; notum siquidem est mustum omne & crassum esse & flatulentum & concoctu difficile, atque id bonitatis duntaxat habere, quòd ventrem subducat; cuius successu si frustretur, maiorem noxam corpori afferre: nam facillimè in stomacho acescit, & diutißimè in ventriculo aquæ instar suspensum manebit, ac calorem innatum suffocabit, & concoctioni resistet. Contrà quæ magnæ vetustatis sunt vina, eò inter valenter nutrientia numerauit, quòd eadem consistentiâ crassa quoque sint; siquidem nulla tenuia (quæ ὀλιγοφόρα vocant) vetustatem ferre possunt: sunt tamen in regimine sanitatis non ab omni noxa libera; nam si immodicè bibantur, vt ait Dioscorides, neruos reliquósque sensus lædunt. quare cauendum iis qui intestinæ alicuius partis imbecillitatem sentiunt, monet; si tamen in secunda valetudine diluantur aqua, noxam aliqua ex parte exuere tradit. Solent autem vetera vocare vina, quæ septennium transgressa essent; media siquidem vinorum ætas, eodem teste, septimo anno desiniebatur.

At acetum, & id vinum.

QVEMADMODVM varia sunt vinorum discrimina, ita aceti plurimæ reperiuntur differentiæ: omnes tamen quotquot sunt, paruum admodùm corpori subministrant alimentum. quare an rectè mediæ materiæ attribuerit

tribuerit, dubito: nam præterquàm quòd parùm nutriat, crassos ac lentos humores etiam incidit: vnde rectiùs imbecillißimis annumerandum putârim. nam, quod ad nutriendi facultatem attinet, nescio an rectè vino (quod quum paucorum annorum sit, leue quoque vel austerum est) comparari poßit: siquidem quantumcunque omnia, qualia tandem sint, recentia vina parùm nutrire dixerimus, plus tamen aceto cuiuscunque generis alent. Vocat autem paucorum annorum vinum, *quod septimum, vt diximus, annum nondum attigit.*

Ideoque infirmis nunquam generis.

VINVM leue, quod ὀλιγόφορον *quoque vocari dixi, quòd paucorum quoque annorum sit, ægrotis rectißimè administratur; vt quod parùm nutrit, & citißimè per vniuersum corpus distribuitur ac per vrinas fertur, capútque ac neruos quàm minimè tentat. Verùm an idem in austero experiri liceat, deliberandum censeo; siquidem quantumuis parùm nutriat, ac per vritides in vesicam ocyßimè delabatur, citra tamen noxam aliquam id non præstabit; nam caput leuißima de causa dolore tentat, & quàm citißimè temulentiam gignit.*

Aqua omnium imbecillissima est.

QVANQVAM generatim omnes aquarum differentiæ concoctu sint difficiles, tardique transitus, ac nullum vel parum admodùm corpori nutrimentum exhibeant; intenditur tamen firmiúsque redditur earum alimentum, si frumento commisceatur, quemadmodum in zytho cereuisiáque fieri antè demonstraui; idq; eò validius, quo frumentum firmius meliúsque fuerit.

firmior ex eo vino quod bono solo.

QVEMADMODVM ad frumenti bonitatem non parũ conducit soli qualitas (nam collinum reliquis præstare dictum est) ita ad vini naturam immutandam non parum fecerit cœli temperies & soli qualitas; siquidem quod temperato cœlo, ac læto bonoque solo, & amnibus quibusdam irriguo natum sit, eo quòd strigoso lenique solo, & cœlo ad alicuius intemperei excessum declinante prouenerit, firmius multo ac ad vsus humanos magis accommodum reddetur.

Mulsum quò plus mellis habet.

MVLSI, quod οἰνόμελι *vocant, vires (quod ad nutriendi facultatem attinet) non solùm intenduntur, pro mellis copia, sed & eiusdiem qualitate, & vini ex quo fit, ætate & consistentia. Si ex probi mellis metreta vna (quale est, Galeno libro De sanitate tuenda auctore, id quod odorum flauúmque præterea acerrimum dulcißimúmque fuerit, tum craßitudine nec planè crassa nec liquida, sed quæ continuitatem suam tueatur, vt si digitum in id demiseris, pòst in sublime tollas, quod mellis ab eo defluit, longißimâ quasi lineâ continuatum videas) quàm id quod ab improbi mellis (cuius modi id est quod multam egerit spumam) sesquimetreta viníque metretis duabus præparetur. Ac rursus intensiùs nutriet mulsum, si ex cocto despumatóque melle confiat, quàm si ex crudo. Adeò multa hîc consideranda sunt: nam & vinum ipsum si antiquum sit, & fuluum & consistentia crassum, vim quodammodo intendit; vbi villum tenue & paucorum annorũ, eandem imminuet. Præparabant autem antiqui variis modis œnomeli: nam Dioscorides id summè commendabat, quod ex duabus vini veteris metretis, mellísque vna pararetur. Palladius contrà musti optimi post dies XX quàm ex lacu leuatum fuerit, quantum voluerimus sumendum præcipit; ac deinceps mellis optimi non despumati (priùs tamen fortiter triti dum albescat) quintam tantùm partem admiscet. Quæ sanè confectio vt mellis minus recipit, ita debilius nutrimentum subministrat. Atque hæc de simplici mulso: nam ex medicatis herbis, aut aromatibus præparatur; quod podagricis, nephriticis, arthriticis senibúsque vtilißimè subministrari affirmat Galenus*

libro sanitatis tuendæ quinto: quod vt medicamentosum magis quàm vescum est, ita ad hunc locum parùm pertinere arbitror.

Defrutum quo magis incoctum est.

DEFRVTVM à deferuendo dictum est: solebant autem id variis modis præparare, variáque pro decoctionis modo nomina indere; siquidem aut sapam, aut caræuum, aut defrutum nominare consueuerunt. Mulsum igitur aut mustum vbi fortiter despumauerit, atque ad spißitudinem effectum est, defrutum; Caræuum quum tertia deperdita duæ partes remanserunt; sapam, vbi ad tertias partes redactum descenderit, vocabant. Celsus solo defruti nomine contentus, eo plus nutrire dicit, quo plus inferbuit: nam decoctione firmius craßiusque redditur; qua ratione sapam caræno defrutoq; propriè dicto intensiùs nutrire dicemus.

passum quo ex sicciore vua est.

PASSVM hoc modo conficitur: leguntur vuæ passæ quamplurimæ, & in fiscellis clausæ iunco factis aliquatenus rariore contextu virgis primo fortiter verberantur; deinde vbi vuarum corpus vis contusionis exsoluerit, cochlea supposita sporta comprimitur: hinc passum est quicquid effluxerit; ac proinde quemadmodum de vuis quoque, defruto, ac mulso dictum est, quanto fuerit crassius, tanto validius euadet, cuiusmodi ex siccioribus potiùs quàm humidioribus vuis exprimetur.

Aqua leuissima pluuialis est.

AQVARVM differentiæ variæ sunt: nam præter eas quas hîc enumerat Celsus, euariant non raro propter spiritus; vt si Boreas, Auster, Fauonius, Eurus, aut alius quispiam collateralis ventus spirauerit. Penes tempus anni etiam discrimen admittunt: vti penes regionem; vt si ex montibus, aut accliui planóve loco fluant, ac rursum secundum orbis plagam quâ feruntur; vt si septemtrionem, meridiem, occidentem aut orientem versus labantur. In genere tamen aqua eo commendatior est, teste Hippocrate, quo fuerit leuior: qualis certè erit, si citò calefiat & frigefiat. Galenus leuitatem non vult æstimari pondere, sicuti facit Celsus, sed quòd ventrem citò permeet, atque quàm minimè grauet; qualis inter reliquas pluuia potißimùm est: hæc enim & tenuißima & leuißima est, siue pondus, siue ὀξυπορείαν spectes: nam quum sol educat, & rapiat quod est subtilißimum, non ab aquis dulcibus tantùm, sed & à cadaueribus & aliis corporibus vnde pluuiam generari tradunt philosophi, consequens est vapores corporibus vnde exhalantur, esse tum ὀξυπορωτέρους, tum leuiores. ὀξυπορείαν autem Celsus subintellexit, quum dicit quoq́ue celeriùs ex ea legumina percoquuntur. Pluuiatili quamproximè accedit fontana, præsertim si ex prærruptis rupibus per meatum quendam, aut terram puram, orientem versus prorumpat, quæ vt grauior & crassioris consistentiæ est fluuiatilis, ita quod ad bonitatem attinet, ordine posterior: præter solam Nili aquam, quæ prærogatiua quadam reliquas aquas quoquouersum ferantur, antecellit: nam & partum accelerare traditur, & vrinæ ciendæ, ac ventri subducendo accommodißimam ferunt, corpusque concinnum ac vegetum reddit. Postponunt autem fluuiatili scaturiginosam siue putealem vocare malis; nam & grauis terreáque est, & frigida; redditur tamen probior si continuò exhauriatur, ac si flueret. lacustres ac palustres omnes quum statariæ sint ac cænosæ, præterquam quòd difficilè secedant, ac graues corpori sint, etiã facillimè putrefiunt; vnde tetrum quendam odorem spirant.

Ferè verò sequitur, vt quo valentior.

FIRMO robustóque ac exercitationibus assueto, alimenta firma ac consistentiã crassa conueniunt: ea enim vt promptè alterabit, ita ex his quam maximum nutrimentum consequetur: quod ex aliis, quæ alioqui

quum boni ſucci ſint, facilè tamen tum alterentur, tum tenuium partium ſint, ne ſperare quidem liceat: nam hæc non modò non concoquet, ſed in alienum quendam humorem tranſmutabit; adeò diligenter in hoc ſtudendum eſt, vt quibuſuis congruam & conſuetam victus rationem præſcribamus. Nam ea ferè quæ multum nutriũt, vt craſſarum ſunt partium, atque excrementitia, ſi non probè conficiantur, ita ſi bene alterentur atque concoquantur, optimũ plurimúmque alimentum ſubminiſtrabunt. quare neque morbo extenuatis, neque his qui ex natura debilitate ſtomachi laborant; aut generatim deſidem ocioſámque vitam degentibus præſcribemus: ſed qui & viribus polleant, & ſtomacho valeant, & vehementiùs corpus exerceant, ſicuti de athletis dictum eſt.

CAPVT XIX.

Quæ natura ac proprietas cuiuſque rei ſit, qua veſcimur.

NEQVE hæc ſola diſcrimina ſunt, ſed etiam aliæ res boni ſucci, aliæ mali ſunt, quas εὔχυλα, *vel κακόχυλα Græci vocant. Aliæ lenes, aliæ acres, aliæ craſſiorem pituitam in nobis faciunt, aliæ tenuiorem, aliæ idoneæ ſunt ſtomacho, aliæ alienæ ſunt. Itemque aliæ inflant, aliæ ab hoc abſunt, aliæ calefaciunt, aliæ refrigerant, aliæ facilè in ſtomacho aceſcunt, aliæ non facilè intus corrumpuntur, aliæ mouent aluum, aliæ ſupprimunt, aliæ citant vrinam, aliæ tardant. Quædam ſomnum mouent, quædam ſenſus excitant. Quæ omnia ideò noſcenda ſunt, quoniam aliud aliter, vel corpori, vel valetudini conuenit. *&

ENARRATIO.

GENERATIM quæ ſuperſunt cibi ac potus diſcrimina, enarrat: neque enim tantummodo multùm aut parùm nutrientia ſunt. Sed alia probum etiam ſuccum gignunt, alia improbum ſanguinem & vitioſis humoribus refertum generant; alia attenuant, alia denſant, alia inflant, alia inflationem amouent, alia rurſum citam aluum reddunt, alia tardi tranſitus ſunt, ac fluentem aluum compeſcunt; atque ita deinceps. Sed neque ſimplicis alicuius facultatis participia tantùm ſunt ſingula, ſed nonnulla ſibi inuicem contrarias ac pugnantes non rarò inſitas habent; quemadmodum braßicam ſimul & lenire aluum, atque iam immoderatiùs fluentem ſiſtere dicimus. Plurima etiam varias, non tamen contrarias, facultates habent: nam ſunt quæ ſimul & probum ſanguinem generent, & incîdant, & flatus diſcutiant, citíque tranſitus ſint, quemadmodum in ſubſequentibus latiùs explicabimus. quæ omnia ideò cognoſcenda ſunt, quoniam aliud aliter, vel corpori, vel valetudini conuenit.

CAPVT

CAPVT XX.

Quæ res boni ſucci ſint.

BONI ſucci ſunt, triticum, ſiligo, alica, oryza, amylum. Item & lenes ſunt & ſtomacho aptæ & calefaciunt, tragum, ptiſana, lac, caſeus mollis, omnis venatio, omnes aues, quæ ex media materia ſunt. Ex maioribus quoque hæ, quas ſuprà nominauimus. Medij inter teneros duroſque piſces, vt mullus & lupus, * verna, lactuca, vrtica, malua, cucumis, cucurbita, ouum ſorbile, portulaca, cochleæ, palmulæ. Ex pomis quodcunque neque acerbum neque acidum eſt. Vinum dulce vel lene, paſſum, defrutum, oleæ quæ ex his duobus in alterutro ſeruatæ ſunt, vuluæ, roſtra, * trunculique. In ſumma omnis pinguis caro, omnis glutinoſa, omne iecur.

** verna lact.*

**ventriculique.*

ENARRATIO.

QVÆ boni ſucci ſunt, Græci indifferenter εὔχυμα καὶ εὔχυλα *vocare conſueuerunt: ſunt autem eiuſmodi, quæ ſanguinem purum, hoc eſt enim qui neque conſiſtentia craſſus ſit admodum, neque tenuis nimium ſeu ſeroſus, & in ſumma, qui nullius extraneæ qualitatis particeps ſit, ita vt nec cholericus, neque atrabilarius, nec pituitoſus aliqua ſui parte exiſtat. At quæ huiuſmodi ſuccum gignunt, varia admodùm ſunt: nam alia firma ſunt, alia imbecilla; ac rurſus alia media inter hæc, quæ lenia vocat. Inter firma triticū, ſiliginem, oryzam, alicam, amylúmque numerat: ſed an citra exceptionem omnia hæc boni ſucci ſint, indagine opus cenſeo; ſiquidē ſunt quæ quum neque exquiſitè improbi aut boni ſucci ſint, inter media rectè collocaueris, qualis eſt oryza, alica, amylum: nam quum glutinoſos humores craßiorémque pituitam gignant, vt non omnino malum ſuccum procreant, ita inter ea quæ extra omnem calumniæ aleam poſita ſunt, non numeraueris, ſicuti etiam oleracea omnia: nam quantumuis inter reliqua omnia lactuca ſucci bonitate commendetur, Pſellus tamen inter* εὔχυμα *conſtituere veretur: Nam olerum, inquit, nullum omnino eſt boni ſucci: mediocris eſt lactuca, & cichorium, & bugloſſa; inde malua, inde chryſolachanum, & portulaca; & blitum, & lapathum. Lactucæ non omnino diſsimilis eſt cucurbita: nam ſi coquatur, concoctu facilis eſt, & boni ſucci, ſitimque ſedat, & calidis & ſiccis temperaturis admodùm prodeſt. Crudam autem eſitaſſe omnino noxium eſt: nam præterquam quòd improbi ſucci cauſa eſſet, variis etiam ſymptomatibus locum daret.*

lac.

LONGE *optimi ſucci eſt, vt auctor eſt Pſellus, lac recens omnium ferè animalium, quod confeſtim bibatur, quum primum mulctum fuerit. id ſanè ſumendum eſt ante cibum omnem, & potum, nec quicquam aliud cum ipſo manducandum, antequam concoquatur & digeratur: nam ſi quid vel parum modò ei miſceatur, ipſum corrumpi-*

tur, &

tur, & quod cũ eo aſſumptum eſt. Præſtat *igitur matutino tẽpore id bibere ſtatim mulctum, nec intereà comeſſe quicquam, clementer inambulando. primùm igitur aluũ citat, deinde impenſiſſimè nutrit, nec vltrà excernit, ſed ſiſtit aluum.* Caſeus *autem, quod ad ſucci bonitatem attinet, lacte multo inferior eſt: nam Galenus omnes, quales tandem fuerint, caſeos mali ſucci eſſe dixit; veteres etiam improbi: quo tamen fuerint recentiores, ac minorem ab iniecto coagulo acrimoniam receperint, eo coquentur faciliùs, & diſtribuentur, & meliorem ſuccum producent.*

omnis venatio.

VENATIONEM *hîc ita intelligemus, vt domeſtica animalia à ſylueſtribus diſtinguamus: ſiquidem ferorum, quàm cicurum carnes ſucci ſunt melioris. nam alioqui ſi in genere omnem venationem inter boni ſucci alimenta referamus, neſcio an citra calumniam id facere poſſimus: nam leporinas ceruinaſque, & alias id genus carnes, idq; potiſſimum ſi completam ætatem conſequutæ ſint, inter improbi ſucci edulia (quòd craſſiorem ſanguinem generent) rectè collocaueris; ſi tamen teneriores adhuc ſint, atque increſcant, magnam noxam exuent.*

omnes aues quæ.

INTER *reliquas optimi ſucci ſunt gallinarum, phaſianorum, attagenarum, perdicúmque carnes: has ſequuntur turdi, merulæq; iuuenes, paſſeres, montanæ auiculæ: paluſtres omnes & aquaticæ volucres, quas in media materia poſuit, excrementitiæ magis ſunt quàm boni ſucci.*

Medij inter teneros durosq́ue.

MEDIOS *inter teneros duroſque piſces vocat, qui leuiores atque friabiles ſunt; quales ſaxatiles exiſtũt. nam paulo antè piſcium diſcrimina ita diſtinxit, vt alij teneri, alij duri, alij leuiores eſſent; ſub leuioribus (vti etiam hîc) mulos & lupos vernas complectens. Vernas autem lupos eos vocat, qui verè nati eſſent: quemadmodum vernas vocare ſolent ſeruos proprios ex ancillis verno tempore genitos.*

cucumis, cucurbita.

NVSQVAM *hoc elogio cucumim celebrari audio, quo hîc Celſus: nam, quantumuis ſubſtantia minùs humida quàm pepones, ideóque non tam facilè quàm illos corrumpi dixerit Galenus; non tamen, vt innoxios, inter boni alimenti cibos numerat. Simeon Sethi anguria quæ cucumeres & tetranguria vocari dicit, ob frigidum & humidum temperamentũ noxia & mali ſucci eſſe dicit, pituitámque glutinoſam in ventriculo gignere, quæ cruda per venas diffundantur.* Non *negauerim tamen, quemadmodum antè quoque de cucurbitis dictum eſt, ſi coquantur, ac pipere, thymbra aut tragorigano condiantur, minorẽ tum noxam conciliare, tum probioris ſucci reddi.* Quanquam *crediderim magis à quopiam qui rerum naturam non ſatis exploratam habuerit, inſertas hoc loco cucumes:* Nam *veriſimile eſt Celſum dum hæc ſcriberet, adeo vecordem atque ſui immemorem non fuiſſe, vt eaſdem res boni & mali ſucci definiret: ſiquidem ſubſequente capite cucumes quoque inter cacochyla numerauit.* Adeò *multis locis ſciolorum quorundam inſcitia defœdatus, ac corruptus eſt, vt dum non rarò ſibi ipſi pugnantia dicere videatur, atque iis conciliandis nequiquam operam impendas, frequenter integras periodos immutare, interdum etiam ſubſtituta obeliſco notare atque ſuccidere cogaris.* Atque *id cur in Celſo noſtro vetuſtiſſimo auctore acciderit, non eſt quod mireris: præſertim quum* Galenus *ipſe queratur, bibliopolas, vt merces ſuas proſtituerent, atque quæſtum vberiorem facerent, priſcis auctoribus multa aſſcripſiſſe, quæ ne ſomniaſſent quidem illi.* Quod *ſanè vt in hoc noſtro auctore, hoc præſertim libro, multorum errorum occaſionem dare potuit; ita crediderim Gottorum ac Vandalorum barbaram colluuiem multis næuis ac mendis eundem conſperſiſſe, dum omnem munditiem, omnem ornatum, omnem humanita-*

tem, omnes denique liberales artes atque disciplinas, vnà cum antiquo Reip. statu euertunt atque eruunt. vnde factum est vt summa in scholis vigeret barbaries, philosophia tepesceret, matheses exularent, res medica Cimmeriis, quod aiunt, tenebris obnolueretur: siquidem dum politiores literas negligimus, dum relictis veris fontibus vnde disciplinæ hauriendæ essent, riuulorum scaturigines quærimus, Arabum scriptis contenti in barbariei cæno delitescimus, ac nihil nisi quod meram barbariem spiret resonétque admittimus. Hinc mille in re medica errorum labyrinthi: hinc laceri defœdatíque in medium prodeunt classici scriptores: hinc multis partibus mutilus antiquissimus medicus Romanus Scribonius Largus: hinc Celsus quoque noster multis modis laniatus, sanctus, senticosus, ac vixdum sibi constans in lucem prodiit. Sed hæc latiùs quàm exigebat præsens negotiū, vt faciliùs nobis ignosceret candidus lector, sicubi non per omnia Celso subscribamus, eiúsque sententiam immutemus; si modò immutare sit, pro falsis ac substitutis, vera ac germana reddere.

ouum sorbile.

POST lac, cui principem locum inter boni succi alimenta tribuimus, summè commendantur oua tremula sorbiliáque, imprimísque gallinarum ac phasianorum lutea; hæc enim reliquis intensiùs nutriunt, & concoquuntur faciliùs, sanguinémque laudatiorem gignunt.

cochleæ.

COCHLEÆ adeò in deliciis habitæ sunt, vt earum viuaria in Tarquinensi paulo ante ciuile bellum instituerit Fuluius Lupinus. sunt autem genere duplices: aquatiles videlicet & terrestres; suntq;, vt reliqua omnia ὀστρακόδερμα, duræ carnis: quare vtilia stomacho, nec facilè corrumpi auctor noster asserit: Paulus tamen Æginetа negat; Nam omnibus crustatis, inquit, succus inest aluo subducendæ idoneus, eóque etiam terrestribus cochleis: ac quum duram carnem concoctu difficilem valentis materiæ & succis vitiosam sortiantur; nonnulli ius ipsorum cum oleo & garo conditum, ad aluum subducendam adhibent.

palmulæ.

SVCCVM crassum gignunt, quare iecinori lienique obstruendo accommodissima sunt.

Ex pomis quodcunque.

HVIVSCEMODI poma μῆλα, aut acidodulcia vocari dixi; ea enim diu seruari possunt, & antequam marcescant, exiccantur. verùm an hæc boni succi sint, videndum est: nam Galenus omnes fructus quos arbores ferunt, demptis castaneis, mali succi esse dicit; quæ si in ventriculo conficiantur, efficaciter nutriunt, atque crassi quidem, nunquam tamen mali succi sunt.

Vinum dulce vel lene.

DVLCIBVS æquè ac suaueolentibus natura gaudet & delectatur: quare ea amplectitur, atque quàm ocyssimè, si quando offerantur, in benignum succum transmutat, nisi crassitie sua meatus infarciant, ac viscera obstruant: nam dulcia omnia vt crassi succi sunt, ita leuissima de causa obstructiones pariunt.

oleæ.

OLEÆ κολυμβάδες stomachum roborant ac appetentiam excitant, parum nutriunt, pinguedinísque quamminimum habent: si tamen defruto, passo, aut alio quopiam simili condiantur, efficaciùs & nutrient, & succum probiorem reddent.

vuluæ.

EIVSDEM planè qualitatis sunt ventriculi, vuluæ, intestina: nam hæc, vt Galenus, duriori quàm caro constant substantia; quóque ea duriora sunt, eo quàm caro ipsa ad nutriendum minùs efficacia sunt: quare rectiùs hæc & sequentia omnia proximo capiti adiunxeris.

trunculióue.

SVSPICATVR hic mendum esse vir doctissimus Ioannes Cæsarius, ac pro trunculis

culis τὸ ventriculis *substituendum, idq; auctoritate Pselli ductus, qui inter ea quæ crudos humores generent, ventres, intestina, vuluas numerat. non tamen negat esse doctissimũ quendam virum qui priorem lectionem non improbet, qui trunculos edulij genus esse dicat, quòd frustulatim concisis carnibus constet; qualia sunt toties ab Apitio descripta minutalia.*

In summa omnis pinguis.

ANIMANTIA *omnia potissimùm quæ purum aërem inspirant, & exercitiis corpus fatigant, si neque macie strigosa, neque adiposa, sed benè habita sint & carnosa (ita enim pinguem carnẽ intelligit Celsus) optimè nutrient, & laudatissimum sanguinem gignent; idq; eo magis si increscentiũ adhuc animalium carnes sint; nam seniorum, quales quales tandem sint, pessimi succi sunt.*

glutinosa.

GLVTINOSA *omnia non tam probum succum, quàm crassam pituitam gignere antè dictum est.*

CAPVT XXI.

Quæ res mali succi sint.

MALI verò succi sunt milium, panicum, ordeum, legumina, caro domestica permacra, omnisque caro salsa, omne salsamentum, garum, vetus caseus, cicer, radicula, rapa, napi, bulbi, brassica, magisque etiam cyma eius, asparagus, beta, cucumis, porrum, eruca, nasturtium, thymum, nepeta, satureia, hyssopum, ruta, anethum, fœniculum, cuminum, anisum, lapathum, sinapi, & allium, cepa, lienes, renes, intestina, pomum quodcunque acidum vel acerbum est, acetum, omnia acria, acida, acerba, oleum, pisces quoque saxatiles, omnesque qui ex tenerrimo genere sunt, aut hi qui rursus nimium duri, virosique sunt, vt ferè quos stagna, lacus, limosive riui ferunt, quíve in nimiam magnitudinem excesserunt.

ENARRATIO.

MALI *succi cibos* κακοχύλους ϗ κακοχύμους *vocant. ab iis, quamuis concoquantur, omnibus iis qui sanitati tuendæ student, cauendum moneo: latenter enim, vt docet Aëtius, diuturniore tempore vitiosus humor in venis ex ipsis congregatur, qui leuissima putrefactionis occasione accepta, malignas febres gignit. Est autem vitiosi humoris non vnum simpléxque genus: alius namque pituitosus, alius cholericus, alius melancholicus, ac rursum alius ex hisce commistis constat.*

milium, panicum.

PANICVM, *vt milij similitudine prosilit, ita, quod ad facultates seu energiam pertinet, parùm admodùm ab eo differt: siquidem vtrumq. aluo compescendæ idoneum*

est; vtrunque quum parum nutriat, difficilè concoquitur; atque quum præaridum quoque sit ac cineris instar friabile, nulliúsque lentoris pinguedinísue particeps, improbum succum accumulat. Cedit tamen in omnibus, quod ad succi bonitatem attinet, panicū milio, quum esu insuauius sit, ac concoctu difficilius. Cæterùm hordeum, cui summas dotes attribuit Hippocrates, præsertim si probè coctum fuerit, nescio quomodo inter huius ordinis cibos numerauerit: nam Galenus tenuem, ac nonnihil detersorium succum in nobis gignere, qua ratione aluo ciendæ idoneum sit, auctor est. Quare si cui hîc libeat parua dictionum metathesi pro hordeo, orobum substituere, non aberrabit.

legumina.

QVOD legumina, cuiuscunque generis sint, cacochyla sint, argumento erunt fabæ & pisa: quæ quantumuis succi bonitate reliquis præferantur, crassum ac flatulentum quendam succum in nobis gignunt; vnde corporis habitum neque compacta densáque carne implent, vt suilla, sed quodammodo fungosiore ac laxiore, sentiuntq́; qui iis assiduè vtuntur, in toto corpore velut tensionem quampiam à spiritu flatulento.

caro domestica.

NON solùm, vt dixi, permacra domestica caro, mali est succi; sed quantumuis benè habita, si syluestribus comparetur: nam melioris succi esse demonstraui carnes animalium quæ liberum, purum tennémque aërem inspirent, atque aridiore vtantur nutrimento, atque in totum quæ in agris vitam agunt, probéque exercitantur, quales syluestrium sunt. Quare non ab re distinctione quapiam permacras, à domesticis seiunxeris: sunt enim non secus ac præmacræ, domesticæ omnes (sola suilla excepta) mali succi; nam inter carnes primo ordine vituperantur onillæ, mox caprinæ, arietinæq́; deinceps.

omnisque caro salsa.

SALE quicquid est humoris, quicquid est lentoris, quodammodo exugitur atque exiccatur: quare antè quoque dictum est, omnes beluas marinas, quæ natura excrementitiæ admodùm sunt, atque quæ in genere valentissimè nutrientium numerantur, rectissimè sale condiri. Quum igitur sal omnes exhauriat humiditates atque dissipet, non mirum est salsamentum omne, atque omnes quæ salem diu passæ sunt carnes, improbi succi reddi. Non negauerim tamen esse, quæ si octo aut nouem plus minus dies sale excipiantur condiantúrque, probioris omnino succi futuras, dum quicquid est immodici lentoris salsugine exugitur atque extenuatur, & quicquid excrementitij est salsamento exuitur, cuius potissimùm generis sunt onillæ, bubulæ suillæq́; carnes.

cicer, radicula.

SATIS erat dixisse omnia legumina esse improbi succi: nam cicera, cicercula, dolychi sub leguminum quoque genere comprehenduntur: nisi quis cicerum ideò speciatim fecisse mentionem dicat, quòd quemadmodum vrbanis insuetus sit cibus (solo enim iusculo eorundem vescuntur) tum ad ducendum lotium, tum ad comminuendos lapides; ita si iisdem vesci contingat, mali præ reliquis esse succi: nam sicut aliis intensius nutriunt, ita excrementitia admodùm sunt, & difficulter concoquuntur; idq́; eo magis si tosta, assa, frictáve fuerint.

rapa.

RADICES stirpium olerosarum mali succi sunt, quæcunque acres, vt bulbi, cæpæ, porri, allia, raphani & dauci; exuunt tamen omnem malitiam bulbi admodùm cocti, cæpæ, allia, porra, ampeloprassa bis feruefacta malum deponunt humorem. Raporum autem, naporum, atque dauci radices, vt non planè bonæ sunt, ita non penitus vituperandæ, potissimùm si benè coquantur; nam medio quodammodo loco inter res boni & mali succi collocantur.

brassica.

BRASSICÆ omnes mali & melancholici succi

lici ſucci ſunt participes, amittuntq́ plurimum noxæ, atque vitij, ſi cum præpingui carne coquantur: præferuntur autem æſtiuæ hybernis. Cymas earundem, quanquam ſint ſtomacho vtiliores, ideò damnauit, quòd præter ſucci malitiam, acrimoniam quoque maiorem ſortitæ ſint: nam paulo pòſt omnia acria, acida, acerbáque vt mali ſucci vituperat.

beta, cucumis.

EX oleribus nullum omnino boni ſucci eſt; extremè autem mali ſunt olera quæcunque ſylueſtria: cuius generis ſunt agreſtes lactucæ, lapathum, picris, & ſimilia. De cucumeribus antè ſatis dictum eſt: nam non ſolùm hi, ſed & omnes ſubcaniculares fructus, vt improbi ſucci vituperantur, ſolis cucurbitis exceptis, quas medio loco inter boni & mali ſucci res ſtatuunt.

lienes, renes.

NON ſolùm lienes, renes atque inteſtina mali ſucci ſunt, ſed & omnia interanea, vt eſt cerebrū, ſpinalis medulla, teſtéſque perfectorum animalium omnium, exceptis gallinaceis; reliqui enim virus quoddam olent.

pomum quodcunque.

HIS addere licebit fœtus omnes arborum; præterea poma quæ præcedenti capite enarrauimus, ficúſque ac vuas; quæ quoque ſi immoderatiùs ſumantur, vt obſtructionem parient, ita non citra noxam eduntur. Peſſima autem ſunt omnia immatura: his accedunt fugaces horæi-ve fructus, perſica videlicet, corna, mora ac ceraſa.

oleum.

OLEVM quod ex maturis oliuis exprimitur, dulciſſimum eſt calidúmque ac humidum moderatè, ac proinde ad ſucci bonitatem accommodiſſimum: ſed quod ex immaturis oliuis (quod omotribes, aut omphacite nominant) quantum auſteritatis particeps eſt, tantum & refrigerat, & conſtipat, & noxiorum humorum cauſa efficitur. Fit tamen inueteratum illud calidius & acrius, ac quantum quidem à dulcedine recentis olei declinat, tantū quoque ad ſucci prauitatem accedit; omotribes contrà vetuſtate dulceſcit, ac ſenſim vires dulcis imbuit.

piſces quoque ſaxatiles.

DIC amabo, amice lector, ſi quiſquam hìc Celſo (ſi modò Celſus ita pronunciatum reliquit) ſubſcribere audeat: nam quis ſaxatiles piſces qui optimum laudatiſſimumque ſanguinem gignunt, atque citiſſimè in ventriculo conficiuntur, vt improbi ſucci reiiciat? quis rurſum, teneritudinem alimentorum ſummè commendatam incuſet? Nam ſi ſaxatiles teneróſque piſces, quòd facilè in probum ſuccum conuertantur, atque id ſi minùs conſequantur, damnâris; eâdem quoque lege, & ratione, oua ſorbilia, lac recens mulctum, phaſides, perdices, capones reieceris. quare pro ſaxatilibus, fluuiatilibus aut ſtagnatilibus legero: & pro tenerrimo, valentiſſimo. nam cetacea omnia, & quæ in valentiſſimo genere conſtitit, mali ſucci ſunt. Sic ſcorpios, dracones, zygenas, aliáque marina monſtra, propter ſucci malitiam reiicimus: ſic quoque putidos, viroſos, limoſos, duróſque, quales ſtagna producunt, in ſanitatis conſeruatione non admittimus. Neque enim terrere nos debet, quod paulo pòſt reiterat, quos ſtagna lacuſque, limoſiue riui ferunt, quíue in nimiam magnitudinem exceſſerunt. hìc ſiquidem auctor noſter claßicos ſcriptores imitatus videtur, qui quoties quid diligentiùs hominum mentibus impreſſum cupiunt, eamdem rem variis tropis diuerſiſq́ dictionibus efferunt.

CAPVT XXII.

Quæ res lenes, quæve acres ſint.

LENES autem ſunt, ſorbitiones, pulticula, laganum, amylum, ptiſana, pinguis caro, & quæcunque glutinoſa eſt. Quod ferè quidem in omni, quæ domeſtica fit, præcipuè tamen in vngulis, trunculiſque ſuum, in petiolis, capituliſque hœdorum, & vitulorum, & agnorum, omnibuſque cerebellis. Item ſi qui propriè bulbi nominantur, lac, defrutum, paſſum, nuclei pinei. Acria ſunt omnia nimis auſtera, omnia acida, omnia ſalſa, & mel quidem, quo melius eſt, eo magis. Item allium, cepa, eruca, ruta, naſturtium, cucumis, beta, braſſica, aſparagus, ſinapi, radicula, intubus, ocymum, lactuca, maximaque olerum pars.

Petiolis, id eſt, paruis pedibus: à Catone pedecini, in de re ruſtic. appellati.

ENARRATIO.

LENIA acribus opponit, eò videlicet quòd quemadmodũ hæc pulmonẽ, tracheam arteriam atque interiora omnia exaſperant atque mordicant; ita illa eadem demulcent, mitigant, leniunt atque leuigant. Sunt autem duplicia genere: ſunt nanque talia, aut penes ſubſtantiam, aut penes qualitatem. ſecundum ſubſtantiam quidem ſunt; vt ſi glutinoſa, pinguia, viſcida lentáque fuerint: penes qualitatem verò; ſi omnis extraneæ qualitatis expertia fuerint: extraneas autem qualitates voco omnes quæ neque ἄποιοι, *neque dulces, neque ſuaues omnino ſunt: nam has, vt familiares, natura amplectitur ac fouet; compertum enim eſt dulcia omnia gutturis pulmoniſque aſperitatibus leniendis accommoda eſſe.*

ſorbitiones.

SORBITIONES *omnes quæ ex farina, aqua, lacte, hordeo, leguminibus fiunt (quales ſunt ethnos, lecythum, ptiſana, phacoptiſana) pinguedine ac lentore quodam quem adiunctum habent, leniendi vi prædita ſunt. his non inferiores ſunt placenta, lagana, rhyemata: quæ ſi fermenti ac caſei, veteris præſertim, acrimonia deſtituantur, omnis mordicationis ſenſu carebunt, & exaſperata lenient: nam alioqui ſi fermenti quippiam, caſeíve veteris, aut aliud quid ſimile receperint, vt nihil lenient, ita mordicationis non omnino erunt exortia.*

pinguis caro.

QVOD *omnis domeſtica caro tũ pinguior tum glutinoſior ſit ſylueſtri, antè dictum eſt; & quòd leniendi vi prædita ſit, ſatis quoque explanatum eſt. Verùm quid hîc per* trunculos ſuum *velit, admodùm conſiderandum eſt: non enim, vt aliquando ex Ioannis Cæſarij in* Celſum *annotationibus ſuſpicatus ſum, edulij genus erit quod fruſtulatim conciſis carnibus conſtet, minutal vocat Apitius; id enim nihil minùs quàm leniet: nam dum frigitur, quicquid eſt lentoris, quicquid eſt pinguedinis, quicquid eſt humidi exuit; vnde non immeritò vt mali ſucci cap.* XX. *vituperauimus. Quare aliud quippiam quod*

interfectis

interfectis animalibus detruncetur intelligendum puto; cuiuſmodi ſunt pedes, aures, roſtrum, myſtax, & id genus alia. neque mirum alicui videri debet, quòd hîc ſuum vngulas à trunculis eorundem ſeiunxerit (id enim tam Celſo quàm Hippocrati & Galeno peculiare admodùm reperies) præſertim quòd vngulæ ſuum reliquis quæ truncantur probioris longè ſucci ſunt. Suum tamen omnia quæ detruncantur, vt etiam capita petiolíque hædorum, agnorum, & vitulorum, ſi coquantur, lentoris cuiuſdam participia ſunt; cerebrum & ſpinalis medulla etiam humoris.

Item ſi qui propriè bulbi.

BVLBORVM plura ſunt genera: differunt ſiquidem colore, magnitudine, & figura, & ſapore. Nam Taurica Cherſoneſo dulces admodùm, & omnis amaritudinis guſtu priuati naſcuntur; reliqui amarorem quendam nanciſcuntur. Inter omnes tamen bulbos, Megarenſes potiſsimùm commendantur. Verùm quum bulbi omnes amarorem quendam participent, inter acria rectiùs eos collocaueris, quamuis lentorem quempiam coctura adipiſcantur, ac magnam amaroris partem exuant.

lac, defrutum.

HVC etiam rectiſsimè accommodaueris ouorum lutea, cæteris efficaciùs exaſperata demulcentia: pinea nux ſucci craſsitie idem præſtat.

Acria ſunt omnia nimis auſtera.

SI proprietatem ſermonis perpendamus, auſtera non rectè acria dixerit: verùm quomodo eadem acria appellet, ex præcedentibus clarum eſt; quare acerba quoque & aſtringentia omnia his addere licet.

cucumis.

NISI ambubaiæ, aſparagorum lactucarúmque nihil minùs quàm acrium hîc quoque mentionem faceret, locum hunc de anguino, aut ſylueſtri cucumi intelligerem. Verùm quoniam veriſimilius eſt Celſum de ſatiua locutum fuiſſe, cucumim, intubum, lactucam atque aſparagos ante Acria insererem; itemque bulbos, cepis ſtatim annecterem: atque hunc in modum lectionem variarem, tranſpoſitis aliquot dictionibus: omnibuſque cerebellis: lac, defrutum, paſſum, nuclei pinei, cucumis, aſparagus, intubus, lactuca. Acria ſunt omnia nimis auſtera, omnia acida, omnia ſalſa, & mel quidem, quo melius eſt, eo magis. Item allium, cepa, & ſi qui propriè bulbi nominantur; eruca, ruta, naſturtium, beta, braſſica, ſinapi, radicula, ocymum, maximaque olerum pars.

CAPVT XXIII.

Quæ res craſsiorem, quæve tenuiorem pituitam faciant.

CRASSIOREM autem pituitam faciunt, oua ſorbilia, alica, oryza, amylum, ptiſana, lac, bulbi, omniaque fere glutinoſa. Extenuant eandem omnia ſalſa, atque acria, & acida.

ENARRATIO.

MAXIMA breuitate plurima hîc complectitur auctor noster: nam sub crassiore pituita, ea omnia subaudit, quæ crassos humores generant: qualia sunt non solùm quæ phlegma, sed & quæ melancholicum succum (qui inter reliquos crassitudine excellit) quæq; abundantiam humorum faciunt, atque adeò quæ poros & meatus grauant atque obstruunt. Ac huiusmodi quidem sunt, itria omnia, triticum quo grauius ac spissius est, panis siligineus non fermentatus, nec probè subactus, omnes casei, lactaria omnia.

oua sorbilia.

RECTIVS frixa, dura, aut assa legeris: nam inter reliqua quæ bonum succum gignere dixi, summè commendantur sorbilia oua; dura contrà tum crassi succi, tum valentis materiæ censentur. Quanquam, si excusationem Celso quæramus, albumen ouorum sorbilium vt difficilius concoctu, crassiorem pituitam; luteum contrà sanguinem consistentia optimum, atque succum probissimum gignere dicemus.

alica, oryza.

SIMILA & alica, vt auctor est Oribasius, valdè glutinosos gignunt humores in neruis, & canis locis membrorum: his quanquam non omnino simile, proximè tamen accedit amylum. Ptisana si cruda est, nec bene cocta, idem præstabit; rectè tamen probéque præparata, omnis culpæ vitiique expers est.

lac.

NON quoduis lac huc referre licet, sed tantummodò quod seri modicum habeat, ac multum caseosæ substantiæ; id siquidem crassitie sua iecinoris obstructioni erit accommodissimum, ac renes lædit, calculisque generandis occasionem præbet.

bulbi.

BVLBI si crudi sunt, amarore suo crassos humores extenuant: quare vt sensus constet, de biscoctis intelligendus est Celsus. Nam Psellus biscoctos bulbos in oleo, & garo cum aceto mansos, crudos humores generare auctor est. Sub bulbis autem non solum propriè dictos bulbos intelligemus, sed & allia quoque comprehendere licebit, si eadem industria atque arte præparentur.

omniaque ferè glutinosa.

QVALIS est caro recens agnina, callus porcinus, porculi, atque adeò omnes porcinæ carnes, si non exactè conficiantur, mystax circa labra, auriculæ, linguæ, & membra animalium glutinosa.

Extenuant eandem.

QVÆ cunque & contactu linguæ ipsam non astringunt neque contrahunt, velut astringentia solent, sed contrarium facere videntur, extergeréque & eluere, salsa omnia dicuntur. Quæ verò absque caliditate mordent, acida vocantur: quæ autem mordent, & cum valida caliditate erodunt, acria. Cæterùm acida, vt docet Paulus, incidere, diuidere, attenuare, aperire & perpurgare citra calefactionem possunt. Acre autem similem quidem acidis effectum præstat extenuando, perpurgandóque, sed acidum refrigerando euariat, acre calefaciendo. Salsum citra manifestam aliquam caliditatem & frigiditatem idem efficit: ac pari modo amarum meatus expurgat, abstergit, extenuat, inciditque crassos succos citra manifestum calorem. Porrò quæ extenuant, omnia tenuium sunt partium, ac eorum transitus velox est in sensibilibus partibus, suntq;, quod ad odores attinet, odorata, ac aromatũ quid spirantia, vt piper, casia lignea, cinamomum, thymbra, origanum, tragoriganum, &c.

CAPVT XXIIII.

Quæ res stomacho idoneæ sint.

STOMACHO autem aptissima sunt, quæcunque austera sunt, etiam quæ acida sunt, quæque contacta sale modico sunt. Item panis sine fermento, & elota alica, vel oryza, vel ptisana, omnis auis, omnis venatio, atque vtraque vel assa, vel elixa. Ex domesticis animalibus bubula. Si quid ex cæteris sumitur, macrum potius, quàm pingue. Ex sue vngulæ, rostra, aures, *vuluæque steriles. Ex oleribus intubus, lactuca, pastinaca, cucurbita elixa, siser. Ex pomis cerasium, morum, sorbum, pirum fragile, quale crustuminum, vel neuianum est. Item pira, quæ reponuntur tarentina atque *signina. Malum orbiculatũ, aut scandianum, vel amerinum, vel cotoneum, vel punicum. Vuæ ex olla, molle ouum, palmulæ, nuclei pinei, oleæ albæ ex dura muria, eædem aceto intinctæ, vel nigræ, quæ in arbore bene permaturuerunt, vel quæ in passo, defrutóve seruatæ sunt. Vinum austerum, licet iam asperum sit, item resinatum. Duri ex media materia pisces, ostrea, pectines, murices, purpuræ, cochleæ: cibi, potionesque vel frigidæ vel feruentes, absynthium.

* vuluæ, sterilesque.

* saguina.

ENARRATIO.

SICVTI variæ diuersæq; causæ sunt cur flaccescat stomachus; ita varia atque eadem diuersa sunt, quæ eundem labescentem restituant ac roborent: siquidem alia aut austera, aut acerba, aut amara, aut acida, aut modico sale conspersa sunt; quæ omnia vt diuersas qualitates gustantibus exhibent, ita diuersarum quoque partium sunt: alia namque sunt quæ λεπτομερῆ, *alia quæ* παχυμερῆ *vocant. Acida omnia velociter penetrant, atque per profundum corporũ actionem suam ostendunt: quare tenuium quoque partium existunt. acerba contrà austeráque, atque vniuersim astringentia omnia, tardi meatus sunt, atque actiones suas in superficie tantùm exerunt; sunt enim terrea ac crassarum partium. ac proinde quum ea quæ inter eustomacha numeret, tanta varietate discrepent, consequens quoque est singula quasuis stomachi debilitates refrenare atque compescere non posse, sed vnumquodque, prout necessitas atque tempus flagitat, id præstare: nam frigido atque nimia pituita fluctuanti stomacho, nequicquam acida propinaueris; offendes enim magis quàm iuueris; æstuanti contrà ventriculo non citra maximum commodum exhibueris. Cæterùm austera omnia, quemadmodum acerba quoque, vt crassarum partium sunt, ita difficilè alterantur atq. corrumpuntur: quo fit vt quum*

diutiùs ventriculo inhæreant, eundem quodammodo cum astrictione quadam comprimant; unde & alui profluuiis scitè adhibentur, ac stomacho nauseabundo commodissimè propinantur. Dum enim comprimitur ventriculus, cibos amplectitur, atque iis conficiendis elaborat. Ea verò quæ modico contacta sunt sale, ideò stomachum roborare dixit, quòd minùs insulsis corrumpantur: nam quum ea quæ sale condire solent homines, pinguia excrementitiáque sint; fit ut stomachum leuissima de causa subuertant: quod ab iis quæ modico sale conspersa sunt quàm longissimè abest; nam, ut iam millies dictum est, sale omnem superfluitatem exuunt: unde & teneriores, & probioris etiam succi modica salsugine redduntur carnes.

Item panis sine fermento.

FERMENTATVS panis sicuti citissimè conficitur, ita non rarò ex fermenti, quam ex putredine assumpsit, acrimonia, leuissima de causa in ventriculo corrumpitur, ac in nidorosum quendam succum conuertitur. Non fermentato pani non infirmior est elota aut alica aut oryza: nam ablutione omnem, si quem habent, lentorem exuunt.

omnis auis.

MONTICOLÆ omnes aues, ut bonitate succi commendantur, sic stomachum quàm maximè roborant; palustrium contrà ac desidem vitam agentiũ carnes, ut excremento non vacant, ita non omnino stomacho confirmando idoneæ sunt; idq; eò magis quò excrementis plus abundauerint. Quid autem per venationem velit, iam sæpe dictum est: atque quòd hæc eustomacha sit, certum est, quum excrementis careat, atque macra sit: nam pinguia omnia stomachum obruunt; quare macra potiùs in hoc genere quàm pinguia statuit. Edocet autem breuiter atque aphoristicῶs modum exhibendi carnes, tam syluestrium animalium quàm auium, quum dicit atque vtraque vel assa, vel elixa: nam si stomachus pituitosior sit, atque frigidior, assas; sin ad calidum declinet, elixas easdem dabimus.

Ex domesticis.

HAC solùm laude dignæ sunt bubulæ carnes, quòd stomachum roborent, ac multùm nutriant; idq; si nec macie strigosæ, nec vetustate rigidæ, neque præpingues admodum, sed bene habitæ sint. Ita enim non secus quàm syluestrium animalium carnes minùs excrementitiæ sunt; concoquuntur tamen difficulter: quare si modico sale imbutæ atque contactæ sint, ut palato gratiores, sic stomacho non inutiles reddentur.

Ex sue vngulæ.

NON tantùm suum vngulæ, ac reliquæ extremæ partes manduntur, sed & reliquorum pedestrium animalium, solentq; elixas ex aqua cum aceto mandere. Præpollet autem in his neruosa & cutacea natura: quare ut pinguedinis, ita substantiæ quoque carnosæ quamminimum habent: quo fit ut non facilè in stomacho vitientur.

vuluæ, sterilesque.

ERAT quando hîc citra distinctionem vuluæque steriles legendum suspicarer, mendúmque subesse constanter assererem, quòd steriles nec multis partibus enectæ vuluæ meliores censeantur: nisi casu quodam in Plinij locum libro XI. cap. XXXVII. incidissem, ubi sic habet: Vulua eiecto partu melior est, quàm edito; eiectitia vocatur illa, hæc porcaria, primiparæ suis optima: Contrà effœtis à partu præterquam eodem die suis occisæ, liuida ac macra. Nec nouellarum suum, præterquam primipararum probatur, potiúsque veterum, necdum effetarum, & biduo ante partum, & post partum, aut quo eiecerint die. Proxima eiectitiæ est occisæ uno die post partum. Quò allusisse videtur Martialis hoc disticho:

Te fortasse magis capiet de virgine porca;
Me materna graui de sue vulua capit.

NAM quòd olim in deliciis habitæ fuerint vuluæ, Apitius ille nepotum altissimus gurges, &, ut ait Plinius, ad omnem luxum ingenio mirus, docuit. Siquidem ad lan-

guentis stomachi vires refocillandas, vulnam cum lasere Cyrenaico, pipere, menthæ siccæ foliis (addito liquamine, melle & aceti modico) condire solebat. Hinc Horatius:

—— Quum sit obeso
Nil melius turdo, vulua nil pulchrius ampla.

Ex oleribus intubus.

INTVBI *omnes tam satini, quàm agrestes subamaro quodam gustu astringunt ac refrigerant, ac stomachum adiuuant: syluestres tamen, si Dioscoridi credimus, stomacho meliores sunt; comesti enim imbecillum ac æstuantem leniunt. eiusdem planè facultatis sunt lactucæ: nam fastidium auferunt, & cibi appetentiam faciunt. Cucurbita autem, quamuis elixa, aut in sartagine frixa aut assa fuerit, nescio quomodo eustomacha dici poßit: si enim cruda estur, insuauis admodùm est ac stomacho perniciosa & concoctu planè inexpugnabilis; adeò vt si quispiam, teste Galeno, alterius cibi inopia eam ingerere cogatur, pondus cum algore ventriculo incumbere sit sensurus, stomachúmque enertet, & ad vomitionem concitabit, quæ vna cum vrgentibus symptomatibus liberare potest. Quare quum de ea veteres medici ita senserint (si Plinio habenda fides est) vt nihil aliud quàm aquam congelatam esse dicerent, statim ac elixa fuerit, vt vesca reddatur, aut in sartagine frigemus, aut assabimus; ita enim succi maliciem omnem deponet: verùm an ob id stomachum roborare poßit, nondum induci possum vt credam.*

pastinaca.

ORIBASIVS *syluestri pastinacæ, vti & Celsus, vim stomachum roborandi tribuit; idq; fortasse quòd abstersorium quid in se habeat. Plinius etiam folia eiusdem contra cruditates mandi auctor est. Sisari autem radix vt elixa ori suauis est, ita stomacho quoque grata, & appetentiam excitat, fastidiúmque discutit. Huc quoque referri possunt, rapa napíque valdè cocti, bulbi quoque; nam ciborum appetentiam exacuunt; itémque capparis sale condita.*

Ex pomis cerasium.

TEMPVS *vtendi vt intubis, lactucis cucurbitísque elixis, ita & moris cerasísque est; idq; cùm corpus squalore ventriculi æstuat, quo tempore necesse est idem quoque hepati accidere. Sumenda autem sunt ante alios cibos, nam celeriter transeunt, cibísque aliis præeunt, si ventriculum purum inuenerint; sin post alios cibos sumpta fuerint, ac ventriculum impurum nacta fuerint, celerimè vnà cum aliis quoque cibis corrumpuntur. Verùm quum cerasia alia aliis magis astringant, quo maiorem astrictionem sortita fuerint, eo etiam reddentur stomacho gratiora.*

sorbum.

SORBA, *vt auctor est Galenus, magis vt medicamentum, quàm vt cibus eduntur: quare & parcè quoque iis vtimur. Astringunt aluum; debilius tamen quàm mespila, & maiori quadam cum voluptate sumuntur: neque enim vt mespila in initio prorsus acerbi quippiam obtinent, sed succus eorum citra acerbitatē dumtaxat austerus est; vnde & amica stomacho sunt.*

pirum fragile.

FRAGILIA *pira vocat quæ citò frangi possunt, & quæ friabilia sunt: huiusmodi autem potißimùm sunt, quæ acidulo quodam sapore non iniucunda sunt; inter quæ primas facilè (si Columellæ & Plinio credimus) obtinent crustumina.*

Malum orbiculatum.

MALIS *omnibus orbicularis figura est, vt piris turbinatior: sunt tamen quæ propriè orbiculata vocantur, sic dicta à figura orbis in rotunditatem circumacti; inter quæ scandiana, amerina, cotonea punicáque numerantur. Plinius in Epyro orbiculata, vnde & Epyrotica quoque dicantur, primùm inuenta docet. Cæterùm monet hic rectè Cæsarius Plinium Scantiana scribere maluisse; quanquā auctor noster & Macrobius Scandiana legerint.*

vel cotoneum.

CYDONIA mala astrictionem copiosiorem sortiuntur; vnde iis quoque qui deiectam habent appetentiam, sunt accommodissima. Punica autem mala piris, pomisque reliquis succum habent copiosiorem, suntque cardialgiæ, (tum Hippocrate secundo Epidemion, tum Galeno De alimentorum facultatibus secundo testibus) aptissima: nam ore ventriculi vitiosis humoribus repleto adeò roboratur, vt humorem ipsius tunicis imbibitum expellere queat.

Vuæ ex olla.

OLLARES vuas componendi ac conficiendi varios modos obseruabant antiqui: quos si quis scire desiderat, Columellam De re rustica libro XII. cap. XLIII. consulat. Generatim tamen decerpebant luna decrescente vuas sereno cælo, post horam quartam quum iam insolatæ essent, nec roris quicquam haberent (nam sic optimè absq. noxa eas seruari tradunt) ac deinceps in figulinum aliquod vas, in modum patinarum latum, quod extrinsecus & interius benè picatum esset, modicúmque defruti, passiue reciperet, per transuersos fustes ne qua parte sibi contiguæ essent, aut defrutum passúmue attingerent, vuas reponebant; ac tum demum opercula vasis superponebant, & pice aut gypso obliniebant. Dabantur autem iis commodissimè quibus stomachus fluctuaret, & appetitus prostratus esset, sicuti etiam passæ, acerbescentésque atq. vinaceis demptis vuæ, si Psello, Aëtio, Oribasióque credimus. Cæterùm Oribasius (fortè quòd iam in dissuetudinem venissent ollares vuæ, aut quòd vulgò non satis notæ essent) austeras vuas si cum ipsis foliis appendantur, cõmendabat.

palmulæ.

IDQVE eò magis quo fuerint acerbiores; sunt enim omnes, Dioscoride teste, astringentes ac acerbæ.

nuclei pinei.

SI pineos nucleos simpliciter & citra exceptionem stomacho idoneos pronunciârit Celsus, non video quî calumniã subterfugere possit, quum omnia oleosa pinguiáque (in quo albo pinei nuclei sunt) stomacho nequaquam commoda sint, vt post Galenum etiam Auicennas testatum reliquit. Quare quum hoc capite de nutriente potissimùm cibo stomacho conueniente agat, dicendum erit Celsum de lotis tantùm nucleis pineis locutum fuisse, quos Galenus pro nutrimento illotis præfert, quòd nimirum lotione omnis pinguedo euanescat & absumatur, sicut testatur septimo De simplic. med. facultatib.

oleæ albæ.

OLEARVM fructus si non ad vnguem maturus ac subflauus adhuc sit, stomacho æstuanti meliùs conueniet, quàm si prorsus maturuerit, ac nigredinem quandam quodammodò induerit: non negauerim tamen omnes oleas stomachum roborare, & appetentiam excitare; sed efficaciùs id efficient subaustere, idque eò magis si cũ sale aut muria condiantur (quas ἁλμάδας vocant) aut aceto intinctæ eidem quodammodo innatent, κολυμβάδες ob id vocatæ: nam has prædictis præstantiores esse asserit Oribasius.

Vinum austerum.

VINVM austerinsculum atque acerbescens, Aëtio teste, os ventris roborat, itémque ventrem ipsum, præsertim calida intemperie affectum: si tamen admodum austerum sit atque acerbum atrúmque, vomitum citat. Resinatum autem vinum si ex opposita dyscrasia vitium contraxerit stomachus, eidem robur addit.

Duri ex media materia.

TESTACEA omnia quæ ὀστρακόδερμα vocantur, quemadmodum carnem habent ad concoquendum, ita ad corrumpendum difficilem; atque ob eam causam ea sæpius exhibemus, quibus cibi in ventriculo ob prauos succos corrumpuntur, siue ex hepate in eum confluant, siue in ipsius tunicis contineantur; ostrea tamen inter alia omnia testacea vt carnem habent mollissimam, ita quàm minimum robur ventriculo dant.

cibi potionesque.

CALIDÆ *intemperiei cibi potionésque frigidæ conueniunt; frigidæ contrà feruentes, hoc est quæ teporem aliqua ex parte excedunt: nam alioqui si simpliciter feruentes cibos accipiamus, potiùs adurendo lædent, quàm commodum aliquod afferent.*

apsinthium.

APSINTHIVM, *ut auctor est Galenus, astrictoriam, amaram, & acrem simul qualitatem possidet, excalefaciens pariter & abstergens, roborans simul ac desiccans, ac proinde biliosos humores ventri ac stomacho inhærentes per inferna propellit ac per urinam enacuat Dioscoridi, inflationibúsque ventris, & stomachi doloribus, cum seseli ac nardo Gallica prodest. Atque ob hoc quòque sapor eius in vina quotidie transfertur; id enim stomacho, si quod aliud, accommodum, ac tardè concoquentibus vtile. Verùm quum tria apsinthij genera tam Galenus quàm Dioscorides describant, non quoduis prout in manus venerit, vsibus humanis commodum est (nam seriphium quod marinum vocatur stomacho inimicum est,) sed solum Ponticum seu Romanum tanquam germanum verúmque dictum.*

CAPVT XXV.

Quæ res alienæ stomacho sint.

ALIENA verò stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa, omnia iurulenta, prædulcia, omnia pinguia, sorbitio, panis fermentatus, itemque vel ex milio, vel ex hordeo, oleum, radices olerum, & quodcunque olus ex oleo garóve estur, mel, mulsum, defrutũ, passum, lac, omnis caseus, vua recens, ficus & viridis & arida, legumina omnia, quæq. inflare consueuerunt: item thymum, nepeta, satureia, hyssopum, nasturtium, lapathum, lapsana, iuglandes. Ex his autem intelligi potest, non quicquid boni succi est, protinus stomacho conuenire: neque quicquid stomacho conuenit, protinus boni succi esse.

ENARRATIO.

SICVTI *omnia quæ ventriculum cogunt comprimuntq́ue, eustomacha sunt, ita si quæ eundem laxant, subruunt, ac fluctuantem faciunt, stomacho aduersantur: ac proinde quum frigida calentiáque ei accommoda sint cogendo, tepida quoque tanquam duobus hisce extremis contraria stomacho inimica dicimus, quòd exoluant, atque nauseabundum reddant: eadem quoque ratio est, cur pinguia vituperauit; siquidem hæc præterquam quòd fastidium pariant, fluctuant quoque in stomacho; ac rursum sicuti anteà benè habitas carnes ac modico sale conspersas laudauit, ita macie rigidas strigosásque, ac salsedine nimia exuccas, tanquam cacostomacha reiicit. Prædulcia autem omnia stomacho ideò aliena dicit, quòd citò vitientur, atque leuissima de causa in biliosum humorem conuertantur.*

panis fermentatus.

OB acrimoniam nimirum quam ex fermento assumpsit; siquidem acria omnia stomacho ingrata sunt. Ex milio autem panis propter nimiam quandam ariditatem (est enim omnis pinguedinis ac lentoris expers, atque arenæ instar friabilis) stomacho ineptus est.

radices olerum.

MIRVM admodùm est neminem animaduertisse, locum hunc mendosè deprauatéque ad hæc vsque tempora impressum: siquidem clarius luce est, blitum betámque stomacho adeò inimica esse, vt morsum inducant si vberiùs comedantur: si tamen cum aceto, garo, oleóque comedantur, maliciem exuent, atque non inepta stomacho reddentur: quo fit vt hunc in modum legendum putârim: radices olerum & quodcunque olus, si non ex oleo garóve estur. Sic enim Psellus, Aëtius, ac Oribasius de oleribus pronunciatum reliquerunt.

mel, mulsum.

MEL, vt docet Galenus, in calidis corporibus promptissimè in bilem vertitur; frigidis verò, siue per ætatem, siue per morbum, siue natura tales fuerint, est accommodissimum: ob id in sanguinem mutatum nutrire ipsa potest; in calidis verò priùs in bilem quàm in sanguinem mutatur. Non igitur omnibus in vniuersum ventriculis incommodum mel est; sed iis tantùm qui calore æstuant: nisi quis ob nimiam mellis acrimoniam vellicari stomachum contendat. Passum autem, mulsum, defrutum, noua crassáque vina crassitie sua ac dulcedine, nauseam vomitúmque conciliant.

lac.

SIVE in calidiorem, siue frigidiorem ventriculum inciderit lac, non citra noxam sumitur; nam in hoc acescit, in illo in bilem ac nidorem conuertitur: verùm vt vtramque hanc noxam subterfugiamus, mellis aliquantulum salísque atque aquæ momentum ei incoquimus: nam mellis acrimonia facilè deorsum fertur, aquáque tam mellis, quàm seri acrimonia compescitur; vnde non ita facilè in bilem mutatur.

omnis caseus.

CASEI omnes vt mali succi sunt, ita viscera grauant atque obstruunt: veteres etiam quum succi improbi sint, acrimonia sua stomachum pungunt atque rodunt.

item thymum.

THYMVS, thymbra, seu satureia, eiusdem planè facultatis sunt; vtilésque sunt pro condimento in sanitatis vsu, vt ait Dioscorides: quare an rectè inter subruentia stomachum numerauerit Celsus, deliberandum censeo; nam sicuti acrimonia aut calore suo calidæ ventriculi intemperiei obsunt, ita eidem si frigidior sit, optimè conueniunt; adeò nihil in huiusmodi categoricὼs pronunciandum est. De hyssopo autem id concedimus, quod post Celsum, Plinium quoque idem pronunciatum reliquisse comperiamus; quemadmodum de nasturtio omnes ferè ad vnum classici scriptores.

iuglandes.

IVGLANDES, quas regias quoque nuces vocant, stomacho quidem per se sunt inutiles; auellanæ tamen sunt innocentiores, nec omnino ventriculo ingratæ, si cum caricis sumantur.

Ex his intelligi potest.

EXEMPLO erit lac: id namque quum inter reliqua optimi succi sit, inimicissimum stomacho (ad vtramcunque temperiem declinet) est. Contrà quantumuis conueniat, panis non fermentatus malus est.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Quæ inflent, aut inflammationem leuent.

INFLANT autem omnia fere legumina, omnia pinguia, omnia dulcia, omnia iurulenta, mustum, atque etiam id vinum, cui nihil adhuc ætatis accessit. Ex oleribus allium, cepa, brassica, omnesque radices, excepto sisere & pastinaca, bulbi, ficus etiam aridæ, sed magis virides, vuæ recentes, nuces omnes, exceptis nucleis pineis, lac, omnisque caseus, quicquid deinde subcrudum aliquis assumpsit. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus, pomis, oleis, conchylijs, ouis vel mollibus, vel sorbilibus, vino vetere. Fœniculum verò & anethum inflationes etiam leuant.

ENARRATIO.

ITA videtur partitus Caput hoc auctor noster, ut quum alia sint quæ flatus generent, atque alia rursus quæ inflationes leuent; sint tamen alia quæ quum neque exquisitè inflent, non poßis tamen exactè inter flatus expertia numerare: ex quibus minimam inflationem fieri dicit. Verùm quum magna pars eorum quæ hoc capite recensentur, ex antedictis satis constent, satis erit nobis difficiliores aliquot locos annotasse.

omnia ferè legumina.

LEGVMINA *appellat fabas, pisa, ciceres, lentes, lupinos, oryzam, eruum, cicerculam, aracos, eruilia, phaselos, & similia. Sunt omnia flatus non omnino exortia: alia tamen aliis intensiùs id præstant; siquidem cicera fabæq; reliquis inflant magis: ac rursus inflat magis fabarum farina, quàm si integræ aut alio quouis modo coquantur; fricta enim faba flatus omnis expers est. Dolichi inflant quidem, fabis tamen minùs & ciceribus: Pisa contrà, phaseli, cicerculæ, eruilia, media quodammodo sunt inter flatuosa & flatus expertia.*

Ex oleribus allium.

QVOD *cepa bulbique, præsertim crudi, inflationes pariant, & quòd probè decocti atque ex oleo cum aceto comesti inflationem omnem exuant, notum admodùm est: verùm an allium inter flatuosa numerandum sit, aliis pronunciandum relinquo: nam neque Dioscorides, neque Galenus, neq. Aëtius, nec quisquam alius hac nota scorodon insigniuit; sed omnes ad vnũ allium comestum corpus excalfacere, flatus discutere, crudos ac lentos humores incidere affirmant.*

omnesque radices.

SISARI *quidem radix quòd quum calefaciat, adiectam quoque habeat amaritudinem quandam cum leuicula astrictione; pastinacæ quòd abstersorium quid in se contineat.*

Ficus.

FICVVM, *ut auctor est Aëtius, flatus modico tempore durat, proptereà quòd facilè aluo subeant: quæ exactè maturæ sunt, nihil offendũt. Quo fit ut Oribasius easdem non simpliciter inter flatulentos cibos numerauerit,*

rauerit, verùm tum demum flatulentas tantùm esse dixerit, quoties diutiùs in ventre hæserint: ficubus non omnino absimiles sunt caricæ, dactyli, vuæ.

lac.

NON *solùm lac caseúsque facilè in ventre inflantur, sed omnia quotquot sunt lactaria.*

quicquid deinde subcrudum.

SIVE *subcrudum ad fructus, tanquam immaturum dicas, siue ad cocturam referas, parùm interest: nam tam immatura quàm semicocta, excrementis non vacant, vnde flatibus generandis occasionem quàm citissimè præbent.*

Minima inflatio fit.

QVOD *ea quæ libero aëre vagantur, animalia, atque ea quæ perpeti alarum nisu per aëra feruntur, quàm minimam inflationem, vt pote excrementitii omnis humoris expertia, generent, clarum satis arbitror; verùm an in eodem albo sint pisces, ambigo: nam quum pituitosi sint excrementitiique; si corporis compagem spectes, subturgida inflatáque potiùs carne (si saxatiles demas) quàm compacta erunt. quare aut expungendos esse censeo* pisces, *aut statim subiungendum τὸ* saxatilibus, *in hunc modum:* Aucupio piscibus saxatilibus.

pomis.

NVLLA *in vniuersum poma flatibus omnino destituuntur; reliquis tamen minus cotonea, & quantumcunque decoquas, licet flatulenti spiritus portionem aliquam exuant, nunquam tamen effeceris vt omnem flatulentiam deponant.*

conchyliis.

CONCHYLIA *atque adeò ostracoderma omnia, vt durioris carnis sunt, atque difficilius in stomacho corrumpuntur, sic reliquis piscibus minùs inflant.*

vino vetere.

QVEMADMODVM *noua vina, musta dulcia crassáque, quòd tardè transeant atque meatus obstruant, flatum generant; ita vetera tantùm non eos gignunt, sed quodam modo (sicut anisum, fœniculum) leuant ac discutiunt.*

anethum.

PRO anetho *mallem hîc* anisum *legere, fœniculo per omnia par, ventrísque inflationes, si quod aliud, sedans: quanquam non ignorem ad craßorum humorum inflationes anethum quoque prodesse.*

CAPVT XXVII.

Quæ res aut calefaciant, aut refrigerent.

AT calefaciunt piper, sal, caro omnis iurulenta, allium, cepa, ficus arida, salsamentum, vinum, & quo meracius est, eo magis. Refrigerant olera, quorum crudi caules assumuntur, vt intubus, & lactuca. Item coriandrum, cucumis, elixa cucurbita, beta, mora, cerasa, mala austera, pira fragilia, caro elixa, præcipueque acetum, siue cibus ex eo, siue potio assumitur.

ENARRATIO.

CALEFACIENTIA, ut refrigerantia, quatuor ordinibus seu gradibus distinguuntur: ptimum quidem ordinem faciunt, ut quum humani corporis temperati excedat temperiem, ad sensum tamen adeò sit obscurus, ut ratione deprehendere oporteat: alterum ab eo secundum, qui iam ad sensum manifestior est: tertium qui fortiter calefacit, nondum tamen urat: quartúmque ac ultimum qui ustorius planè sit; ac de eius ordinis simplicibus, quum vesca non sint, nec in quotidianum usum recepta, hoc capite non sumus dicturi. Sunt autem generatim omnia calefacientia tenuium partium, atque diversis saporibus enariant: siquidem alia dulcedinis, alia amaroris; atque alia acrimoniæ cuiusdam sensum exhibent, & (quod ad odorem pertinet) quum oxypora sint, facilè ad cerebrum usque permeant, ac nares fragrantia aliqua, aut aromatico odore replent.

vinum.

VINROUM hunc ordinem ponit Aëtius: Vetustißimum, inquit, multum calidum est; dulce moderatè calidum; ac propterea sitim inducit: fuluum calidius est nigro; flauum calidißimum est extremè; album omnium minimè calefacit: rubellum, tenue, mustum nouum ac crassum infrigidant.

Item coriandrum.

CORIANDRI temperamentum minimè simplex est ac frigidum, ut hic Celsus innuere videtur, & alibi testatur Dioscorides; sed variè coalitum ac compositum est ex cõtrariis facultatibus, ut auctor est Galenus: siquidem plurimum habet amaræ essentiæ, quam ostendimus tenuium esse partium, & terrestrem: sed & aquosæ humiditatis tepidæ ei non parum inest, habétque & astrictionis pauxillum.

beta.

VIDETUR hic, sicuti Martialis, non citra mendi suspicionem fatuas insipidásque vocare betas, ac temperiem frigidam illis asscripsisse, quum caliditatem potiùs indicet nitrosa qualitas, vísque tum extergens, tum digerens: quare nisi quid obstet, pro beta blitum, si quod aliud, insipidum admodùm olus, substituero.

caro elixa.

PAULO antè inter calefacientia carnes iurulentas, nunc elixas (quod ferè idem est) inter refrigerantia posuit: verùm id ideò fecit, quòd quemadmodum carnes in decoctione varia opsonia atque condimenta recipiunt; ita contingit quoque earum temperiem immutari pro condimenti quod recipit qualitate.

præcipueque acetum.

ACETUM frigidum admodùm est atque exiccatorium: quare sitim quæ à calore immodico oritur, strenuißimè restinguit; sicut eam quæ a calida & sicca temperie, aut a sicca tantùm prouenit, sanare nequit. de eius porrò facultate si quis plura desideret, Galenum libro primo Simplicium consulat, ubi ex professo temperiẽ eius discuṫit.

CAPUT XXVIII.

Quæ res intus facilè vitientur, vel minimè corrumpantur.

FACILE autem intus corrumpuntur, panis fermentatus, & quisquis alius quàm ex tritico est, lac, mel, ideoque * lactaria atque omne pistorium opus, teneri pisces, ostrea, olera, * lactantia

caſeus, & recens, & vetus, craſſa vel tenera caro, vinum dulce, mulſum, defrutum, paſſum, quicquid deinde vel iurulentum eſt, vel nimis dulce, vel nimis tenue. At minimè intus vitiantur, panis ſine fermento, aues, & eæ potiùs duriores, * aurati piſces: neque ſolùm aurata pura, aut ſcarus, ſed etiam lolligo, locuſta, polypus. Item bubula, omniſque dura caro, eademque aptior eſt, ſi macra, ſi ſalſa eſt, omniaque ſalſamenta, cochleæ, murices, purpuræ, vinum auſterum, vel reſinatum.

* duri p.

ENARRATIO.

QVÆCVNQVE humidum temperamentum ſortita ſunt, niſi citò per aluum ſecedant, leniſsima de cauſa corrumpuntur: quare vt ocyùs ſubſidant, ante alios cibos ſumenda ſunt: ſunt autem eiuſmodi præcoces omnes fructus ac ſubcaniculares, lac, caſei recentes æquè ac veteres, lactaria omnia, vt ſunt placentæ, rhyemata, atque etiam lactantia; hæc enim vt teneriora ſunt, ita faciliùs corrumpuntur. Malim tamen hîc, (quanquam exemplaria varient, & vtraque lectio ſibi conſtare poſsit) lactaria, *quàm* lactantia *legere. At quòd panem fermentatum in hoc albo collocet, mirandum mehercules eſt, quòd videlicet is qui probè coctus eſt, vt optimum atque laudatiſsimum gignit ſanguinem, ita ſi temperatum bonumque ventriculum ſortitus ſit, quamminimè, & niſi grauiſsimis de cauſis, vitiabitur. non negauerim tamen non fermentatum & ſiligineũ difficiliùs corrumpi; quanquam ob id in cenſum eorum quæ intùs facilè vitiantur, non ſit referendus fermentatus panis. Carnes autem craſſas vocat pingues, non autem carnoſas ac bene habitas. Oſtrea verò vitioſo humore corrumpunt reliquum cibum; quare bis terq; coquenda ſunt; atque in aliam puram feruentem aquam transferenda; ſicuti etiam alia quæ dura teſta integuntur: atq. ita quàm minimè vitiabuntur.*

CAPVT XXIX.

Quæ res aluum moueant.

AT aluum mouent, panis fermentatus, magiſque ſi cibarius vel hordeaceus eſt, braſſica, ſi ſubcruda eſt, lactuca, anethum, naſturtium, ocymum, vrtica, portulaca, radicula, capparis, allium, cepa, malua, lapathum, beta, aſparagus, cucurbita, ceraſia, mora, vua, omnia mitia, ficus etiam arida, ſed magis viridis, vuæ recentes, pingues, minutæ aues, cochleæ, garum, ſalſamenta, oſtrea, pelorides, echini, muſculi, & omnes fere conchulæ, maximeque ius earum, ſaxatiles, & omnes teneri piſces, ſepiarum atramentum, ſi qua caro aſſumitur pin-

tur pinguis eadem, vel iurulenta, vel elixa, aues, quæ natant, mel crudum, lac, *lactaria omnia, mulſum, vinum dulce, vel ſalſum, *aqua tenera, omnia tepida, dulcia, pinguia, elixa, iurulenta, ſalſa, diluta.

* lactantia
* aqua, tenera omnia.

Enarratio.

QVÆ aluum monent καθαρτικά, *nos* purgantia; *Cælius* Methodicus *affectato quodam dicendi modo* ventriflua *dicere maluit. Fermentum igitur aluum ducere, ex ipſa ſalſedine & acrimonia ſatis conſtat: atque id quidem quamuis per ſe præſtet, non tamen ob id omnis fermentatus panis aluum ſtatim leniet: nam qui ex puriſsima tenuiſsimáque farina (quam tritici florem vocari diximus) conficiuntur, plurimum ponderis exigua mole habentes, tardè admodum deiiciuntur, quantumuis fermenti plurimum adieceris. Furfuracei autem panes (quorum Celſus, vt antè dictum eſt, nuſquam meminit,) ſicuti parùm nutriunt, ita facilè ſubſidunt: furfur enim quum facultatis ſit deterſoriæ, meritò inteſtinis irritatis celerem facit deiectionem; ita vt hic fermenti parum, aut leuis ſubactio, breuéque interuallum ſuffecerint. His quamproximè accedunt cibarij ſordidine dicti panes: nam quemadmodum ſiliginis quàm minimum, furfuríſque quàm plurimum recipiunt; ita aluum quoque læuigant, & parum corpori præſtant nutrimentum. In eodem quoque albo ſunt hordeacei: parùm enim & hi nutriunt, & quum friabiles ſint, nihil in ſe lentoris habent; ac proinde tenuem ac deterſorium in nobis ſuccum gignunt.*

braſſica, ſi ſubcruda.

VSVS exhibendi braſsicam, Galeno teſte, is fuit ad ſubducendam aluum. Leniter coctam & vniuerſim ac repentè in vas aliquod in quo ſit oleum & garum tranſfuſum, ante alios cibos ſumebant. Dioſcorides crudum eius ſuccum cum iride & nitro vorandum exhibet. Purgat autem propter qualitatem quandam nitroſam quam obtinet; quæ ſi diutiùs coquatur, abſumitur: atq. hinc fit vt ſequente capite inter aluum aſtringentia poſuerit biſcoctam crambem. Dioſcorides percoctam idem facere teſtatur; euaporat enim tenerior & abſterſoria qualitas, vehementi & diuturna coctione. Paulus marinam vehementiorē dicit ad ſoluendam aluum, propter amarorem: Dioſcorides ſatiuam prætulit. Lactucas autem aluo ducendæ ideò idoneas dicimus, quòd aquoſa ſua ſubſtantia facilè permeant; quanquam de ſylueſtri ſeu marina lactuca locum hunc intelligendū exiſtimem: nam, vt docet Dioſcorides, aquam per aluum elicit, potus in aceto, mulſo ad duos obolos eius ſuccus. Si tamen de ſatiua accipere malis, de ea intelligendum ſuſpicor quæ in caulem exierit; hæc nanque vim quandam nanciſcitur, ſucco aut lacti ſylueſtris lactucæ ſimilem.

anethum.

HIC, ſi quid mihi concedatur, iam iterum pro anetho, aniſum *ſubſtituero; idq́; eò potiſsimùm, quòd Dioſcorides aniſum vrinam ciere, aquam quæ ſubiit cutem diſsipare, potúmque ſitim ſedare dicat: Anethi contrà, præſertim comæ ſeminiſq́; decoctum, vrinam quidem ciere; aluum tamen leuéſque vomitiones ſiſtere: cui ſententiæ Plinius quoque ſubſcribit; nam is tormina ſedare dicit, atque aluum ſiſtere. Quanquam ſi quis anethum viride ideò aluum ſoluere dicat, quia minùs calidum ſit ſicco, atque eodem humidius, ac proinde crudos humores coquere, per me quidem integrum eſt; quanquam, vt dixi,* aniſum *legere malim: atque ſic quæ ſequuntur cohærebunt; nam ocymum aluum turbare tradit Dioſcorides, naſturtiúmque ventrem mollire Plinius: Naſturtium,*

tium, inquiens, Venerem stimulat, animum exacuit, aluum purgat, detrahit bilem potum cum aqua decem denariorum pondo. Vrticæ autem folia cum conchis cocta aluum emolliunt, vrinámque cient, Dioscoride teste: Galenus autem ventrem subducere, ipsa dumtaxat extersione, ac veluti titillatione, non purgatione asserit.

portulaca.

COMPERTVM satis non habeo, quomodo portulacæ vim subducendi aluum asscribat auctor noster: nam quantumuis temperie sit humida, vnde facilè intestina præterlabatur; habet tamen vim quandam astrictoriam: quo fit vt intestinis fluxione laborantibus rectè infundi dicat Dioscorides; &, sicut Galenus asserit, paucæ austeritatis particeps est; & quoniam astringit, vtiliter dysentericis editur, & in muliebri profluuio & in sanguinis reiectationibus. Plinius etiam vomitiones sistere auctor est, dysenteriisque & vomicis dari ex aceto, vel bibi cum cumino.

radicula.

EODEM ferè elogio celebrantur, radicula, cepa, allium, capparis: nam omnes quotquot sunt, crassos corporis humores extenuant, sitim gignunt, aluoque vtiles sunt, eámque leniter subducunt.

malua.

VENTRICVLVM (vt inquit Simeon Sethi) malua facilè subit, non solum propter humiditatem, verùm etiam glutinositatem; atque in primis si eum oleo & garo offeratur, vino quo editur tempore irrorata.

lapathum.

Λάπαθον Græci dictum autumant ἀπὸ τοῦ λαπάζειν, quòd omnium foliis decoctis aluus molliatur, atque inaniatur: Galenus tria tantùm genera facit; Dioscorides autem quatuor. verùm quotquot sunt rumicis genera, lubricam aluum efficiunt; radicémque cum vino decoctum, regio morbo mederi tradunt, bile nimirum per secessum expurgata. Beta autem nitrosæ facultatis particeps est: qua tum extergit, tum digerit, tum per nares purgat, atque aluum ad excretionem stimulat, stomachumq; vellicat, eorum præsertim, qui hunc sensibilem valdè habent. Cocta autem beta, vt vult Galenus, nitrositatem omnem exuit, & ad detergendum digerendúmque validior est alba; nam nigra adiunctam habet astrictionem.

asparagus.

ASPARAGVS generatim dicitur cauliculus tenerior herbæ, fruticis ad fructum & semen excrescens; speciatim verò herba vulgò satis cognita ita vocatur: atque huius quidem cauliculi cocti & comesti aluum molliunt, ac vrinam mouent, renésque ac iecur infarctu liberant. quod hinc manifestum fieri affirmat Simeon Sethi, quòd vrinæ odorem in suum transmutant.

cucurbita.

SVBSTANTIÆ quidē affinitate coniuncta sunt, mora, cerasia, melones, cucurbitæ, pepones, cucumeres; omnibus siquidem cōmune est quòd cum substantiæ humiditate lubricitatem quandam sortiantur. Quare si ante alios cibos sumantur, & in purum ventriculum inciderint, citò subsidunt, ac ventri vtilia sunt: Cucurbitæ autem elixæ succus expressus, vt auctor est Dioscorides, cum exiguo melle & nitro potus, aluum leniter purgat, ac si quis in cucurbitam crudam excauatam vinum infundat, & sub dio habeat, temperatúmque ieiunus bibat, aluum leniter molliet.

vua, omnia mitia.

SI quid rursum hic mihi concedatur, pro τῷ vua, legero vina; idq; ne in eo, quem summè breuitati studuisse certum est, ταυτολογίαν aliquo modo culpare possimus: nam paulo pòst vuas recentes ac pingues enumerat. Neque enim alienum à ratione est, vt antè quoque dixi vbi vinorum facultates expendi, mitia vina, hoc est dulcia, nulliusque austeritatis participia mollire aluum: nam in subsequente capite vina aspera, quæ ex diametro mitibus opponuntur, astringentibus annumerat.

ficus.

ficus etiam arida.

FICVS, vt docet Galenus, commeabiles sunt, & facilè in totum corpus peruadunt penetrantq́; : nam & abstergendi vi pollent haud obscura; cuius gratia commansæ, è calculosis renibus arenularum vim propellunt. Aridæ quoque ficus, quas caricas vocari dixi, extenuandi incidendíque vim habent; quo nomine aluum stimulant ad excretionem, renésque purgant.

vuæ recentes.

DICTVM est maximum vuarum bonum esse, quòd celeriter subeant atque aluum turbent; atque horum magis participes reddi, quo fuerint & pinguiores, & recentiores: nam quæ aliquandiu decerptæ pependerunt, pensiles ob id dictæ, vt humoris portione aliqua priuatæ exaruerunt, ita aluo ducendæ minùs idoneæ sunt.

minutæ aues.

NON quotquot sunt minutæ aues, ventri ducendo idoneæ sunt; sed quæ teneræ sunt & λιπαρώτεραι: sub quo genere comprehendere possumus passerculos atque omnes monticolas aues; hæ siquidem quemadmodum facilè conficiuntur atque distribuuntur in vniuersum corpus, ita facilem aluum reddunt; secus est de aquatilibus auibus, quæ parua corporis mole iusto crassiorem gignunt succum. Si cui tamen placeat per minutas auiculas, teneras adhuc & nuper exclusas intelligere; constabit sententia: nam omnia nuper edita faciliùs alterantur ac distribuuntur, ac ventri subducendo vtiliora sunt annosis, quæ sicuti exucca magna ex parte sunt, ita aluo ciendæ inutilia.

cochleæ.

CRVSTACEAM testaceámque habentium tunicam ius (inquit Psellus) vt astacorum, pagurorum, mitulorum, concharum, & aliorum id genus, ventrem citat: nam si quis hoc coquat, inde concinnet coctionem ex oleo & garo & pipere, facilè aluum citauerit. Cæterùm marinorum echinorum, & conchylium iura, vt etiam veterum gallorum, præsertim russorum, per se aluum subducunt. Paulus Ægineta, Ius, inquit, omnium quæ testis integuntur, aluū ducit. ob hāc causam terrestres cochleæ ventrē soluūt: nam, vt ait Galenus, omnibus id cōmune est quòd salsum in carne succū contineant, qui aluū subducit, quod seorsum vnicuique magis minúsque inest, pro qualitatis ac quantitatis ratione; siquidem ostrea inter alia testacea carnem mollissimam habent: quo fit vt aluum quoque valentiùs subducant.

garum, salsamenta.

NON modica salsarum carnium differentia est, prout quædam ex ipsis saliuntur: nam adeò immutantur, vt sæpe animalis temperamento humidi caro salita longè siccior euadat, quàm caro animalis sicci natura, non salsa. Generatim tamen omnia salsamenta tenuium sunt partium, & comesta lentos ac crassos humores incidunt atque attenuant, atque intestina ad fluxionem stimulant. A salsamentis autem quàm minimè, quod ad vim ducendi aluum pertinet, declinat garum; cuius conficiendi modum docet Plinius Naturalis historiæ libro VIII. cap. VII. Aliud, inquit, etiamnum exquisiti liquoris genus est, quod Garum vocauêre, intestinis piscium, ceterísque quæ abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescētium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce quem Græci Garon vocabant: & reliqua quæ fusissimè eodem capite tractat Plinius. Sunt alij qui coctorum piscium ius vocent garum, quod in hunc modum præparetur, quemadmodū in vetusto quodam manuscripto libro se reperisse affirmat Gualterius Ryffius: Sumuntur pisces minores salsi, aut si salsi non fuerint, saliuntur pauco sale, mittiturq́; illorum sextarius vnus in boni vini sextarios tres, ac decoquūtur æreo vase dum duæ partes absumantur, deinde ius decocti per incerniculū percolāt, reconduntq́; vitreo vase, atq; vsui seruant. Cælius Methodicus libro Chronion, Garum, inquit, appellāmus ius ex pisce siluro confectum. Aëtius multos alios purgatorij Gari modos describit: quos si quis scire desideret (longum enim esset hîc singulos adscribere) eundem consulat.

sepiarum atramentum.

SEPIÆ ex genere mollium piscium sunt, salsúmque quodammodò humorem in se continent, vnde & aluo ducendæ accommodæ sunt. Vocat autem sepiarum atramentum, liquorem qui his pro sanguine inest.

si qua caro assumitur.

HVMIDA omnia siccis, succosáque exuccis faciliùs præterlabuntur: quo fit vt carnes omnes pingues (sunt enim temperamento humidæ) aluum molliant; idq; potissimùm si aut iurulentæ sint, aut elixæ. Verùm quomodo in hoc albo posuerit carnes earum auium quæ natant, nondum assequor; hæ siquidem vt crassi succi sunt, ita difficilè secernuntur: nisi quis ideò lenire dicat, quòd aquosæ cuiusdam humiditatis participes sint.

mel crudum.

QVVM mel tenuium sit partium, vt docet Galenus, acrimoniæ quiddam habeat necesse est, qua aluum ad excretionem proritet; quam adimentes ipsum efficimus ad distributionem & concoctionem accommodatius. optimè autem ipsum adiuuemus, si primùm, illi multum aquæ admiscuerimus, ac deinde tantisper coxerimus, quoad spumare desinat. Oportet autem spumam statim vt emerserit, incontinenter ab ipso tollere: quum enim hac parandi ratione acrimoniam amiserit, neque ad excretionem ampliùs aluum irritabit; atque ob hoc melli crudo tantùm purgatricem facultatem asscribit Celsus.

lac.

LAC omne quo liquidius est, eo magis aluum subducit, crassum minùs; serum autem lactis (vt XII capite ostendi) valdè emollit ventrem. Iniiciendum autem lacti est (vt rectè monet Galenus libro De alimentorum facultatibus,) ad ipsum mellis optimi quod satis sit ad condiendum solum, ne stomachus subuertatur, ac iuxta eandem rationem salem indere oportet, ne gustus offendatur.

lactaria omnia.

ETSI hîc inter exemplaria non satis conueniat, aliis lactaria, aliis lactantia legentibus; potiórque numerus priorem lectionem sequatur: maluimus tamen inter aluum ducentia lactantia animalia numerare. nam, vt Psellus, iuuenum animalium carnes, magis quàm veterum, subducunt, extremáque mediis. Ac Aëtius animalium valdè iuuenum carnes faciliùs aluo secedere testatur: siquidē quanto sunt ætate prouectis humidiore constitutione seu temperamento, tanto sunt excrementosiores ac humidiores: ac proinde minùs quidem nutriunt; discutiuntur autem ac distribuuntur celeriùs. Et quum lac ex contrariis substantiis coalitum sit, serosa videlicet, cui purgantem facultatem inesse tradidi, butyrosa seu pingui ac caseosa, qua obstipat ac meatus infarcit; nescio quomodo lactariis omnibus vim subducendi aluum rectè asscribemus: nam quæ ex crasso lacte confiunt, vt crassioris sunt consistentiæ, ita fixius hærent, tardiúsque præterlabuntur: Huc adde quòd Aëtius, Oribasius, Psellus liborum ac placentarum genera, pistoriumque omne opus tardi transitus esse dixit.

mulsum.

MVLSVM, quod οἰνόμελι, & aquam mulsam, quam ὑδρόμελι καὶ μελίκρατον appellant, eo intensius purgare constat, quo fuerint minùs cocta: nam coctione, vt dictum est, mellis acrimonia dissipatur. Ac quòd dulcia omnia vina subducant aluum, satis explicatum est: & si quis quæ de salsamentis dicta sunt intelligat, facilè percipiet, vinum salsum ad excretionem irritare.

aqua tenera.

SIVE tenera cum tepidis, siue cum aquis adiungamus, parùm interest. verùm si aquis annectamus, tum eam intelligemus, quæ dulcis & syncera sit, nullius planè qualitatis particeps; hæc enim ne minimo quidem tempore in præcordiis moratur, facilique via citra molestiam fertur. quanquam si quis τὸ tenera tepentibus annectat, clariorem sententiam efficiet: atque ita hunc locum non

cum non de prædictis tantùm aquis, sed & de marina quoque intelligere licebit; hæc quum calida simul sit & acris, aluum cæteris vehementiùs conturbat, atque pituitam expellit. Nam alioqui nisi teneris omnibus tepida ascribamus, stomachum magis subuertere, atque ad vomitum prouocare dicemus, quàm aluum turbare.

CAPVT XXX.

Quæ res aluum adstringant.

CONTRA adstringunt, panis ex siligine, vel ex simila, magis si sine fermento est, magis etiam si * vstus est, intenditurque vis eius etiam si bis coquitur. Pulticula vel ex alica, vel ex panico, vel ex milio, itemque ex ijsdem sorbitio, & magis si hæc antè fricta sunt. Lenticula, cui vel beta, vel intubus, vel ambubeia vel plantago adiecta est, magisque etiam, si illa antè fricta est, per se etiam intubus, vel ex plantagine vel ambubeia fricta, minuta olera, brassica bis decocta, dura oua, magisque si assa sunt, minutæ aues, merula, palumbus, magisque si in posca decoctus est, graues omnes aues, quæ magis currunt, quàm volant: lepus, caprea, iecur ex his quæ seuum habent, maximeque bubulum, ac seuum ipsum, caseus, qui vehementior vetustate fit, vel ea mutatione quam in caseo transmarino videmus, aut si recens est, ex melle mulsóve decoctus. Item mel coctum, pira immatura, sorba, magisque ea, quæ torminalia vocantur, mala cydonia, & punica, oleæ vel albæ vel permaturæ, myrta, palmulæ, purpuræ, murices, vinum resinatum vel asperum, item meracum, acetum, mulsum quod inferbuit, item defrutum, passum, aqua vel tepida, vel præfrigida, dura, id est ea quæ tardè putrescit, ideoque pluuia potissimùm, omnia dura, macra, austera, aspera, tosta, & in eadem carne assa potiùs quàm elixa.

Panis.

* tostus

ENARRATIO.

LENTORIS ac crassitiei plurimum sortitur panis siligineus; huncque sequitur similaceus: quo fit vt aluum astringant: idque eo magis si fuerint azymi, hoc est, non fermentati; nã fermenti acrimonia, vt præcedente capite dictum est, ad expulsionem irritaretur. Intendetur autem adhuc magis eorundem astrictio, si vstione aut recoctione humidi quicquid habebat exugatur: nã sicca omnia atque exucca difficilis transitus sunt.

Pulti-

Pulticula.

ALICA *nunc frugis genus est, modò ex fruge facta farina, & inde pulticula vel sorbitiuncula; habétque non secus ac siligo succum lentum, vnde & difficulter subsidet, ac iecur ocyssimè obstruit, renibúsque generandi calculum occasionē præbet; atque hinc* Galenus *iis qui sani adhuc vehementi ventris mordicatione, aut ob biliosi humoris transitum, aut aliud genus infestabantur, sorbitiones ex alica exhibuit.* Milium *autem & panicum, eiusdem planè, astrictoriæ dico, facultatis sunt: nam vtraque nihil neque lentoris neque pinguedinis habent, sed præarida simul & friabilia sunt; vnde & humentem aluum per se, & ex iisdem factæ sorbitiunculæ vel pulticulæ desiccant, idq́ eo magis si multum plurimúmque dum extabuerunt decoquantur: atque vehementiùs adhuc vis astrictoria intendetur, si fruges primùm frigantur: nam frictura non solùm si quid estur, astrictoriam facultatem adipiscitur, sed quicquid ducendæ aluo vt medicamentum assumitur: sic rhabarbaro, sic quotquot sunt myrobalanorum generibus, cathartica aliòqui vi præditis, vel leuissima frictura aut vstulatione astrictionis nonnihil conciliamus.*

Lenticula, cui vel beta.

OMNIA *fermè in quibus sapor est acris vel salsus, vel nitrosus, duas eásque contrarias in se facultates habent: sic brassicam lentémque paulo antè purgare dixit, quas nunc aluum cohibere affirmat: nam substantia quæ velut oleris ipsius caro est, astringit; succus verò, atque ipsorum decoctorum ius ventrem emollit. Sic lenticula quoque tametsi gustu magnam restringendi facultatem repræsentet, eandem potentiam sortita est, vt auctor est* Galenus *libro* De alimentorum facultatibus: *nam si quis ipsas in aqua coxerit, & deinde aquam sale aut garo, aut cum ipsas oleo condiens sumpserit, potus is aluum deiiciet. At ex bis decoctis lentibus ad eum quem diximus modum lens apparata, succo habet facultatem contrariam; nam corticem habet astringentem; & quæ ipsorum veluti est caro, crassi est succi & terrei, austeram qualitatem habens exiguam, cuius cortex multæ est particeps. Huic porrò si betam adieceris, ac vnà coxeris, gratissimum non modò opsonium, sed medicamentum effeceris; vt quod* Galenus Heraclidem Tarentinum *sanis æquè ac ægris exhibere solitum dicat. Nam quum extremorum quodammodo sint expertia, mediam quandam naturam sunt adeptæ; vnde non tam astringunt, quàm roborant ventrem: atque hinc quum ex vtrisque mistas quodammodo facultates sortiretur*, πευτλοφάκην *nominabat* Heraclides. *Eâdem ratione* Galenus *ex ptisana (quæ lenti quoque contrariam facultatem habet) & lente præstantissimum edulium componi auctor est, quod phacoptisanam nominat. Astringet autem vehementius lenticula, si eidem admisceantur intubus, ambubeia vel plantago; nam omnia hæc astrictoriæ facultatis sunt, idque eo magis si frigantur.*

per se etiam intubus, vel ex plantagine.

VIDE *ne non coniunctio* ex *expungenda sit, atque sic immutanda lectio:* per se intubus, vel plantago, vel ambubeia fricta.

minuta olera.

NESCIO *quàm appositè minuta omnia olera aluo compescendæ idonea dicat: siquidem hîc non tam humilitatem, proceritatem aut quantitatem, quàm qualitates quæ ex gustu deprehenduntur, expendere licet: nam si acerba, si austera sint, quantumcunque in altum assurgunt, ventrē sistere dicimus: & rursum quæ acria, nitrosa, incidentiáque sint, quantumuis humilia, aluum ducunt.*

brassica bis decocta.

QVOD *brassica biscocta adstrictoriæ facultatis sit, antè dictum est. verùm vbi humentem aluum exiccare volumus, quum iam moderatè cocta esse videtur, prima aqua effusa, aliam calidam statim affundimus, deinde in ea ipsa rursū coquimus donec flaccida fiat. Oportet autem neque aërem neque aquam*

que aquam frigidam attingere quod bis coquitur: non enim amplius exactè flaccescit, etiamsi diutißimè coquatur.

dura oua, magisque si assa sunt.

QVAECVNQVE *dura sunt & consistentia crassa, ut difficilè concoquuntur, crassumque succum generant, ita tardè secernuntur, aluo inutilia sunt: non mirum igitur si oua ad duritiem decocta ventrem astringunt, idque eo magis si in cineribus assa sint: ea enim præter duritiem à circumiectis cineribus, terrea quadam crassaque qualitate participant.*

minutæ aues.

NESCIO *an sui per omnia memor minutas aues hic collocarit: nam præcedente capite easdem lenire aluum dixit, vbi sub minutis auibus, non tantum monticolas auiculas comprehendi posse demonstraui, sed & quasuis nuper editas: ætate enim quales quales tandē sint, sicciores atque tardioris transitus redduntur: adde quod coctura ratio, cuius hic non meminit auctor noster, ipsarum facultatem nonnihil alterare poßit: nam quæ in aqua dulci elixantur, sicut alimentum humidius subministrant, ita aluo vtiliores sunt ac faciliùs secernuntur: at quæ assantur aut sartagine friguntur, quemadmodum sicciores coctura redduntur, atque omnē quodammodo humorem exuunt, ita aluo inutiliores sunt, atque eandem duriorem reddunt.*

merula, palumbus.

QVEMADMODVM *turdo non omnino absimilis merula, ita quàm proximè ad eius delicias ac dulcedinem accedere quidam existimant. Plinius tamen earum carnes astrictoriæ cuiusdam facultatis participes quodammodo innuere videtur: Nam dysentericis cum myrti baccis rectè adhiberi dicit. De palumbo autem mirum non est: nam ob glandium immodicum esum, quibus delectari fertur, Venerem simul ac aluum cohibet: quò respiciens Martialis inquit:*

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi;
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Magis autem astringunt si in aceto aut posca decoquantur: nam tum quoque dysentericis commodè administrari auctor est Plinius.

Grus, omnes aues.

GRVVM *substantia, vt auctor est Galenus, dura est & fibrosa: quare ante esum pluribus diebus macerare solent, vt ita faciliùs & concoquatur & subsidat. Cæsarius hic mendum subesse suspicatus,* graues *legere maluit, ita vt grauiores omnes aues quæ pedibus sidèrent, quàm quæ volatu magis niterentur, intelligeret; eæ siquidē quemadmodum nutrimentum copiosius præstant, ita difficiliùs secernuntur: sunt autem eiusmodi anseres, tardæ ὤτιδες dictæ, struthiocameli similésque.*

lepus, caprea.

VENATIO *omnis craßi melancholicique succi est, ægréque digeritur: quo fit vt obstructis meatibus difficilè excernatur. Non solùm igitur leporem capreásque, sed & cuniculos, ceruos, hinnulos, atque adeò omnem venationem tardi transitus dicemus.*

iecur ex his quæ seuum habent.

ANIMALIA *quæ natura magis terrea sunt, sebum habent: qualia sunt, si Aristoteli credimus, quæ altera tantùm parte dentata sunt; humectiora autem adipem atque hæc vtrimque dentata, idem affirmat. Quum igitur iecur omnium animalium craßi succi tardique transitus sit, ac difficilis concoctionis, eorum potißimùm animalium, quæ naturâ sicca & terrestria sunt, ventri inutile erit; quale, si quod aliud, bubulum est.*

caseus qui vehementior.

CASEI *omnes, vt auctor est Galenus, ægrè concoquuntur, acidum ructum generant, & flatu ventrem implent, & improbè aluo secedunt, pituitam & æstum ventri inducentes; siquidem in præparatione ab immisso coagulo acrimoniam assumunt, &*

omnem humorem deponunt, præsertim inueterati, qui acriores quidem & calidiores redduntur: cæterùm maiorem noxam ex succi prauitate consequuntur, ægriúsque concoquuntur ac difficiliùs aluo secedũt. Transmarinos autem caseos vocat eos, qui trans maria vehuntur; in quo albo potissimùm censebantur, vt auctor est Columella, qui neque fistulosi, neque salsi, neque præaridi omnino, neque alicui vitio subiecti, sed qui à crassiore liquore coacti in longam ætatem seruari possunt. Erátque, si Plinio credimus, trans maria Bithynius caseus in gloria.

aut si recens est ex melle.

QVANQVAM alibi récentem caseum, & medò coactũ deiiciendæ alui gratia cum melle ante cibum sumi testetur Galenus, sententiæ huic non oppugnat: nam mellis crudi acrimonia ad excretionem stimulatur, quod à solo caseo tantum abest, vt expectemus vt ventrem, iecur, renésque (sicuti etiam lac, quod quum consistentia crassum sit, parum seri habeat) obturet & obstipet: quo minùs mirum est omnia liborum ac placentarum generà, ex recenti caseo, similagine melléque confecta, tardi transitus esse; nam lentore quopiam meatus infarciunt.

Item mel coctum.

QVOMODO mellis acrimonia per decoctionem adimatur, præcedente capite ex Galeno retulimus. Plinius medicamentosam astrictoriámque magis vim obtinere dicit, si in eodem apes mortuæ sint; id enim decoctum dysentericis vtiliter exhiberi.

pira immatura.

IMMATVRA pira omnia austera sunt acerbáque, frigida, concoctu difficilia prauíque succi, ac proinde quum quæ austera acerbáque sunt, eadem statim astringentia sint, consequens est omnia pira ventrem astringere.

sorba.

SORBIS, vt auctor est Plinius Naturalis historiæ libro XV, quadruplex est differentia: aliis enim eorum rotunditas mali, aliis turbinatio piri, aliis ouata species; ceu malorum aliquibus. Hæc obnoxia acri odori, & suauitate rotunda antecellunt; cæteris vini sapor. Generosissima quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus torminale appellant, remedio tantùm probabile, assiduúmque prouentu, minimum pomo, ideóque torminale dictum suspicor, quòd dysenteriis, quæ tormina Latini vocant, medeatur. generatim tamen quotquot sunt sorba astringunt; nam succus ipsorum austerus est, sine vlla acerbitate. Dioscorides & Plinius sicca & ante maturitatem collecta ad compescendam aluum magis commendârunt. Sammonicus autem vetusta sorba pueris ex dentitione fluore alui laborantibus appositissimè adhiberi auctor est: nam

Proderit (*inquit*) & pueris quos dentis
origo fatigat
Castaneas coxisse nuces, & sorba vetusta.

Quò alludens Martialis, dicit:

Sorba sumus molles nimium durantia ventres;
Aptiùs hæc puero, quàm tibi poma damus.

Mala cydonia vel punica.

COTONEIS eximium quippiam, quod in aliis non inuenitur, inest: nam praterquam quòd astrictionem habeant copiosiorem, succus etiam eorum diu permanet ac durat. Punicum quoq. malum omne astringentis est facultatis; succo tamen acini magis, atque his intensiùs cortices astringunt.

oleæ vel albæ vel præmaturæ.

SI quid rursum hic mihi concedatur, pro præmaturis, immaturas legero, nisi fortè quis præmaturum id quod ante tempus maturuerit, intelligere malit; quanquam ne sic quidem sententia constare possit. Nam, vt Galenus, oliuæ rami quantum habent astrictionis, tantæ & frigiditatis participes sunt; fructus verò, si quidem ad vnguem maturuerit, moderatè calidus est; sin immaturus est, magis tum astringit, tum refrigerat.

myrta.

myrta.

MYRTI *baccas, Catonem ſequutus myrta vocat, Varro Murta dicere maluit. Conſtant autem ex contrariis ſubſtantiis: verùm prædominatur in ipſis terreum quippiam; habet tamen & quippiam tenuium partium calidum, vnde & fortiter ſiccant. Omnes tamen ipſius partes reſtringendi vim habent, tum forinſecus corpori impoſitæ, tum intrà ſumptæ. De palmulis capite* XVIII. *ſatis dictum eſt: ſunt autem hîc eò conuenientiores quo fuerint acerbiores.*

purpuræ, murices.

Οστρακοδέρμων *inſcula præcedente capite vi quadam ob innatam ſalſedinem aluū ducendi prædita oſtendimus, eorundem tamen carnes exhauſto humore ventrem aſtringere: nam contrarias atque ſibi inuicem quodammodo pugnantes, non ſecus ac lenticula, facultates obtinent.*

vinum reſinatum vel aſperum.

PERSPICVVM *eſt, auctore Galeno, quòd aſtringens, auſterum, aſperúmue & acerbum, qualitatem vnicam ſignificent: ac proinde quòd auſtera vina qualis tandem coloris ſint, ruffa, alba, flaua, nigráve ventrem ſiſtant, conſequens eſt. Verùm an reſinatum vinum idem efficiat, indagine opus habet: nam vt calefacit, ita concoctionem quoque adiuuat, ac proinde ventri non omnino inutile eſt, niſi quis reſinatum vinum à reſina lentiſcina (quam maſtichem appellant, quæ reliquis reſinis præfertur, quòd parū aſtrictionis poſſideat, & ſtomachi ac ventris, hepatiſque debilitati conducat) dictum putet. Verùm etſi reſinatis vinis id concedamus, citra calumniam meraca omnia vina idem efficere difficile ſit aſſerere: nam dulcia omnia, & quæ mitia ſunt, aluo ciendæ idonea pronunciauimus: quare per* meraca *ea tantùm intelligemus, quæ quum vinoſa ſint, conſiſtentia etiam craſſa ſint; quæ videlicet calore ſuo humores cogant atque adaſſent.*

acetum.

ACIDA *omnia, vt auctor eſt Galenus, quum craſſum ſuccum in ventre inuenerint, ipſum incidunt, ac deorſum ſubducunt; atque ob id, deiectiones humectant: quòd ſi ventrem purum inuenerint, ipſum magis ſiſtunt.*

mulſum quod inferbuit.

PERIPHRASTICωS *quod Græci* ἕψημα *aut* σίραιον, *nos Sapam, mulſum quod inferbuit, vocat; idq; vt defrutum à ſapa diſtingueret. diximus autem* XVIII. *capite varios tum mulſi, tum defruti componendi eſſe modos, atque pro decoctionis modo nomina immutari: ac rurſum quoniam, vt præcedente capite dictum eſt, decoctione mellis acrimonia diſſipetur, conſentaneum quoque eſt, mulſum quo magis inferbuit, eo ſiſtendæ aluo magis idoneum reddi, ac proinde ſapam quum defruto magis decoquatur, efficaciùs quàm defrutum ventrem cohibere.*

• paſſum.

PASSVM *appellare ſolent, quod vuis ſole ſiccatis in area aut in ſarmento torrefactis exprimitur; quod ſanè lentore quopiam ac craſſitie obſtruit.*

aqua vel tepida vel.

NESCIO *quàm appoſitè, aquæ præfrigidæ tepidam oppoſuerit; neque enim hæc ventrem aſtringet, ſed ſtomachi potius molietur ſubuerſiones, aut ſi id non efficiat, per aluum citiſſimè labetur: quare, niſi quid obſtet,* τὸ tepida *in* feruida *commutarim; idq; ideò potiſſimùm, quòd antè inter ſtomachum roborantia, feruidos ac frigidos tam cibos, quàm potus poſuerit; feruida enim non ſecus ac præfrigida, aluum firmat atque obſtipat. Pluuiam autem aquam cur inter alias duram dixerit, demiror: nam Hippocrates, Galenus, Aëtius, & quotquot ſunt claſſici ſcriptores, pluuiam aquam leuiſſimam, & quæ citiſſimè mutetur, definiuerunt: quare quum facilè mutetur, atque in bilem tranſeat, febribus ac reliquis huiuſmodi affectibus non admodùm conuenire. Quo fit vt ſi rurſum aliquid mihi condonetur, locum hunc ita immutandum cenſeam:* aqua quæ vel feruida, vel præfrigida, dura, id

ra, id eſt ea quæ tardè putreſcit, ideóque putea potiſſimum : *nam quantumcunque pluuiam aſtrictionis quippiam habere concedamus, præſertim ſi vetuſtior ſit, non ideò duram eandem dicere fas erit; qualis certè putea ſi quæ alia eſt: nam frigida terreáque eſt, difficulter exeernitur, ægréque concoquitur, ideóque tardè putreſcit. Dura autem, aſpera, toſta, macraq́; cur huc referantur, non opus eſt rationem reddere, quum ex antedictis ſatis clarum ſit.*

CAPVT XXXI.

Quæ res vrinam mouent.

VRINAM autem mouent, quæcunque in horto naſcentia boni odoris ſunt, vt apium, ruta, anethum, ocymum, mentha, hyſſopum, aniſum, coriandrum, naſturtium, eruca, fœniculum. Præter hæc aſparagus, capparis, nepeta, thymum, ſatureia, lapſana, paſtinaca, magiſque agreſtis, radicula, ſiſer, cepa. Ex venatione maximè lepus, vinum tenue, piper & rotundum & longum, ſinapi, abſynthium, nuclei pinei.

ENARRATIO.

QVÆ vrinam mouent tam medicamenta quàm cibi, διουρητικὰ Græci, Cælius Methodicus affectatè mictualia *vocat; ſuntq́; omnia tenuium partium, & quod ad temperiem attinet, tertij ferè ordinis exiccantium & calefacientium: qua ratione Celſus noſter ſi quæ in hortis naſcantur, quæ boni odoris ſunt atque aromatum quid ſpirant, in hoc albo locat: ſunt autem talia, aniſum, ruta, hyſſopum, naſturtium, thymbra, capparis, thymum, nepeta, lapſana, radicula, paſtinaca. verùm efficiunt id alia aliter: ſiquidem ſunt quæ per vrinam humorem è thorace educant, quod ſanè inter reliqua nuclei pinei virides, piper rutáque efficient. Alia rurſus ab hepate educunt per vrinas, vt eſt mentha, fœniculi & aniſi ſemen; atque item alia à renibus eandem expellunt, vt apium, paſtinaca, piper, vinum tenue: atque iterum ſunt quæ à ſplene idem præſtant, qualis eſt thymus, capparíſque tum radix, tum fructus. Atque in ſumma ſunt quæ à toto corpore efficaciter id operantur, vt aſparagus, baſilicon, vinum tenue; ſaluia autem, erythrodaníque radix vrinam multam, pinguem, ſanguiníque non abſimilem educere creduntur: orobúſque ſanguinem malè olentem per vrinam expurgare dicitur. Atque hæc hactenus: nunc quomodo hac facultate prædita ſint nonnulla, expendamus. Aſparagus igitur abſterſionem tantùm citra manifeſtam aliquam caliditatem, aut frigiditatem lotium ciere dicitur. Ocymum autem (quod & baſilicon dicitur) & fœniculum quum calefaciant modicè, excrementitia quadam humiditate quoque prædita ſunt: quo fit vt non tam vrinæ ciendæ, quàm lacti generando idonea ſint. Coriannon verò aut coriandrum, temperie variè coalitum eſt, ac mixtum; eſt enim non copioſæ amaritudinis particeps, quæ in tenui ſimul ac terreſtri parte fundatur, vnde vrinas mouere auctor noſter docet: ſed & aquoſæ humiditatis tepidæ non parum ei ineſt, qua ratione lacti generando*

generando & somno conciliando non omnino inutile est. Mentham autem ideò prouocare vrinam dixerunt, quòd sanguinem extenuet, atque serosum faciat, iecúrque ab obstructione liberet. Ac quòd sicca quàm viridia, semen quàm herba, agrestia quàm domestica hortensiáque efficaciùs id præstant, clarum admodùm est: nam exiccata temperie calidiora, & sicciora redduntur, hortensiaq; agrestibus ferè humidiora sunt. Porro leporinas carnes Hippocrates siccare quidem atque sistere, sed louium mouere docet. Piper quoque vrinam mouere in confesso est: verùm quòd (vt Aristoteles vult) si largiùs sumatur, vesicam soluat; si parciùs, aluum, non ita vulgatum. cuius si quis rationem desideret, problematum sectionem primam consulat.

CAPVT XXXII.

Quæ res somnum moueant, aut sensus excitent.

SOMNO verò aptum est papauer, lactuca, maximeque æstiua, cuius cauliculus iam lacte repletus est, morum, porrum. Sensus excitant nepeta, thymum, satureia, hyssopum, præcipueque pulegium, ruta, & cepa.

ENARRATIO.

SOMNVS, Aristotele teste, est sentiendi quædam impotentia, ob alimenti vapores in cerebro refrigeratos, & internum calorem ad cor reuocatū proueniens. Verùm quanquam scitè admodùm somnum definierit Aristoteles, non tamen semper, vt innuere videtur, ex eadem causa pendet: siquidem contingit nonnunquam somnū irrepere ab intemperie frigida, aliâs ab humida; vti etiam nonnūquam ab vtrisque simul mixtis: quo fit vt ea quæ somno conciliando idonea sint, temperie varient, hoc est aut frigida, aut humida aut vtrisque qualitatibus simul commixtis, frigida simul sint & humida. Porro quæ somnum inducunt, duplicia sunt genere: nam sunt quæ ἀνώδυνα καὶ ναρκωτικὰ, tanquam stuporem quendam inferentia vocant; atque hæc quidem si quando in vsum veniunt, remediis rebellem frigiditatem relinquunt: quare non nisi in summis morbis ad ea confugiendum esse monet Galenus, ob deleteriam quandam facultatem. Alia rursum sunt, quæ citra vllum periculum assumi possunt; qualia certè sunt, quæ temperamento sunt moderatè frigido & humido, inter quæ commendatur lactuca, maximéque æstiua, cuius cauliculus iam lacte impletus est: is enim succus quum frigidus & humidus sit, nequaquam vitiosus est, teste Galenō libro De alimentorū facultatibus, vbi plura ad hunc locum pertinentia scribit. Quod autem ad papauer attinet, quamquam candidi vel satiui papaueris semen tostum in secunda mensa cū melle apud antiquos edi solitum tradiderit Plinius atque Galenus, panibus non secus ac sesamum vtiliter ceu dulciarium inspergi, non libenter quotidianum eius vsum adsciscero: nam propter nimiam quandam refrigerandi vim, non solùm somniferum, sed & soporiferum quodammodo est: siquidem si liberaliùs edatur, soporem inducet, ægréque concoquetur. Nolim tamen inficias ire, citra omne discrimen calyculorum decoctum, æquè ac seminis albi

albi (quod quum reliquis tutius sit, Apuleius vsuale vocat) iis qui vigiliis vexantur exhiberi: quanquam id priùs aut lactucis in cauliculos exurgentibus, aut moris, aut cerasis, aut corianni decocto, aut aliis, quæ moderatè frigida & humida sint, experiri malim: si tamen eius vsus necessarius sit, præferendum nigro album, quòd videlicet illud frigidius sit. Atque hæc hactenus. Verùm cur porrum, nil minùs quàm somnum prouocans, adiecerit, nondum satis assequor: nam Dioscorides terrifica insomnia facere auctor est. quo fit vt hîc quoque mendum subesse arbitrer, substituendumq́ pro porro, prunum *facultatis frigidæ & humidæ, vt morum: aut alioqui inter ea quæ sensus excitant transponendum, statimque subiungendum* cepis, *quibus facultate omnino respondet. Porrò sensus excitant quæ somnificis contraria sunt, hoc est calida & sicca, atque ea quæ acrimonia quadam prædita sunt: de quibus quoniam, quod ad loci explanationem attinet, in præcedentibus satis dictum, verbum non amplius addam.*

CAPVT XXXIII.

Quæ res corpus aut erodant, aut reprimant; aut refrigerent, aut calefaciant; aut durent, aut emolliant.

EVOCARE verò materiam multa admodum possunt. Sed ea quæ ex peregrinis medicamentis maximè constant, aliisq́. magis quã quibus ratione victus succurritur, opitulãtur, in præsentia differam. Ponam ea verò, quæ prompta, & his morbis (de quibus protinus dicturus sum) apta corpus erodunt, & sic ex eo, quod mali est, extrahunt. Habent autem hanc facultatem semina erucæ, nasturtij, radiculæ, præcipuè tamen omnium sinapi. Salis quoque & * fici eadem vis est. Leniter verò simul & reprimunt & molliunt lana succida * ex aceto vel vino, cui oleum adiectum est, contritæ palmulæ, furfures in salsa aqua, vel aceto decocti. At simul reprimunt, & refrigerant, herba muralis, parthenium vel perdicium appellant, serpyllum, pulegium, ocymum, herba sanguinalis, quam Græci πολύγονόν vocant, portulaca, papaueris folia, capreoliq́ue vitium, coriandri folia, hyoscyamum, muscus, * siser, apium solanum, quam ϛρύχνον Græci vocant, brassicæ folia, intubus, plantago, fœniculi semen, contrita pira vel mala, præcipueq́ue cydonia, lenticula, aqua frigida, maximeq́ue pluuialis, vinum, acetum, & ex horum aliquo magis, madens vel panis, vel farina, vel spongia, vel cinis, vel lana succida, vel etiam linteolum, creta cimolia, gypsum, melinum,

* visci

* vel aceto vel vino, quo oleum adi.

Herba sanguinalis.

* cicer,

melinum, myrteum, roſa, acerbum oleum, verbenarum contuſa cum teneris caulibus folia, cuius generis ſunt olea, cupreſſus, myrtus, lentiſcus, tamaris, liguſtrum, roſa, rubus, laurus, hedera, punicum malum. Sine frigore autem reprimunt cocta mala cydonia, malicorium, aqua calida, in qua verbenæ coctæ ſunt, quas ſuprà propoſui, puluis vel ex fæce vini, vel ex myrti folijs, amaræ nuces. Calefacit verò ex qualibet farina cataplaſma, ſiue ex tritici, ſiue ex farris, ſiue hordei, ſiue erui, vel lolij, vel milij, vel panici, vel lenticulæ vel fabæ, vel lupini, vel lini, vel fœni græci, vbi ea deferbuit, calidaque impoſita eſt. Valentior tamen ad id omnis farina eſt ex mulſo, quàm ex aqua cocta. Præterea cyprinum, irinum, medulla, adeps ex felle iuncta oleo, magisque ſi vetus eſt, ſal, nitrum, git, piper, quinquefolium, fereque quæ vehementer & reprimunt, & refrigerant. Durant quæ calefaciunt & digerunt, & emolliunt. Præcipueque ad emolliendum poteſt cataplaſma ex lini vel fœni græci ſemine. His autem omnibus & ſimplicibus & permixtis variè medici vtuntur, vt magis quid quiſque perſuaſerit ſibi appareat, quàm quid euidenter compererit.

ENARRATIO.

SICVTI *medicina ratione & experientia, tanquam duabus manibus ad omnes actiones obeundas vtitur, ita ea bifariam ceu in membra quædam diuiditur, in theoricen videlicet, & practicen: theorice quidem ea tractat quæ circa ſigna, cauſas, ſymptomatáque verſantur: atque huius partes ferè ſunt* φυσιολογικὴ, *in qua de hominis natura diſſeritur;* αἰτιολογικὴ, *quæ ea quæ præter naturam ſunt inquirit;* σημειωτικὴ, *præteritorum cognitionem, præſentiū inſpectionem, & futurorum prædictiones continet: atque de iis abunde dictum eſt in primis capitibus. Practica verò his quæ per rationem inuenta ſunt, ac per vſum ac experientiam comprobata ſunt, nititur: atque hæc rurſum trifariam diſtinguitur, in pharmaceuticen, diæteticen, & chirurgicen ſeu manualem: Pharmacentice ferè priuatione eorum quæ lædunt atque abundant obitur: diætetice autem tum morbo collapſas vires reſtituit, atque ſi quid deſit reſtaurat, tum ſupernacua non rarò demit. Chirurgia autem variis modis obitur: nam demit dum ſcalpello contuſa vena ſanguis emittitur, dum quod aut corruptum eſt, aut quod abundat reſecamus, adurimus, aut alio quouis modo tollimus. Adhæc fluentia nimis reprimit, ac dum res exigit obſtipata foras euocat; præterea indurata mollit, atque mollia durat: atque de hac potiſſimùm medicinæ parte, licet breuiter & confuſe admodùm, auctor noſter poſtremo hoc ſecundi libri capite tractare decreuit: nam hactenus, quum nimirum cuiuſque rei proprietates expendere docuit, de iis tantùm ſimplicibus quæ quotidianis noſtris*

vſibus ſeſe offerunt, & quæ veſca ſunt, ſermonem fecit, vt ex iis diætam, prout morbi ratio flagitare videbitur, ægrotantibus exactè præſcribere poßimus. Nunc verò quanquam ſimplicium quorundam quæ intrò tanquam cibos & medicamenta aſſumimus, mentionem quoque faciat, de iis tamen tantùm intelligendum, quæ foris applicita, eiuſmodi energiam exhibent: bona etenim eorum pars quæ hîc recenſentur, ob inſignem qualitatis alicuius intemperiem à natura abhorret (peregrina ob id Celſus vocat) atque deleteriam quandam facultatem obtinet: quæ ſi intùs ſumantur, aut interficient, aut ſenſibilem aliquam noxam læſionémve inferent; forinſecus autem impoſita, aut infrigidabunt multum ac ſtupefacient, aut contrà adurent exulcerabuntq́; atque alia repriment, rurſúſque alia, dum corpus erodunt, ex eo quod mali eſt attrahunt. Elicitur autem variis modis quod nocet è corpore: nam ſunt quæ id præſtent cutem tantùm rarefaciendo, vaſorúmque oſcula aperiendo; atque hæc moderatè & citra moleſtiam, calefaciunt. Alia item exulcerando in ſuperficie: atque alia rurſum dum vehementer calefaciunt, tenuium quoq. ſunt partium, vt acria omnia; vnde & vrunt, corpus erodunt, & cruſtam inducunt, & foras euocant.

& fici eadem vis eſt.

SVCCO *quàm ficubus maior vis ineſt, ac rurſum fici arboris liquor, foliorúmque eius ſuccus potẽtiùs digerit, ac diſcutit: quanquam non negauerim, coctas ficus tritas illitáſque, durities diſcutere, parotides ac furunculos emollire, panóſque maturare, maximè iride, nitro ac calce additis. Succus tamen vt efficacior eſt, ita non ſolùm hæc præſtat, ſed & exulcerat corpora, & venarum ora aperit, myrmeciáſque eiicit, vt auctor eſt Galenus. Plinius arboris ſucco etiam pro pſilothro vtitur.*

Leniter verò ſimul.

QVÆ *reprimunt, ex diametro cum iis pugnant quæ foras euocant, ſuntq́; magna ex parte aſtringenti vi prædita.*

lana ſuccida.

TONSVRÆ *tempus (inquit Varro) inter æquinoctium vernũ & ſolſtitium, quum ſudare inceperint oues, eſt: à quo ſudore recens lana tonſa, ſuccida eſt appellata. Porrò hæc propter ſordes & ſudores (ita enim œſypum vocant) per ſe applicita, emollit; lota autem aut aceto intincta, minùs mollit, vehementiúſque reprimit.*

furfures in ſalſa aqua.

MALIM *hîc pro diſiunctiua copulatiuam ſcribere, in hunc modum:* furfures in aqua ſalſa & aceto decocti. *ita enim oxycraton (poſcam Latini dicunt) repercuſſorium, ſi quod aliud, intellexerit.*

At ſimul, &c.

LOCVS *hic vſqueadeò ſenticoſus ac ſpinoſus eſt, vt vix multis exantlatis laboribus te eruere poßis: atque hinc fit, vt dum ſubſtantia ac facultate plurimùm diſtare quæ ſub eodem genere ſtatuit, videmus, caput hoc hinc inde tanquam ex varicoloribus centonibus confartum eſſe ſuſpicemur. Nam quis pulegium ſolano; quis papaueris folia, niſi amens, lauro? quis portulacam atque hyoſcyamum fœniculi ſemini, ocymo rectè comparauerit? quis præterea vinum aceto rectè contulerit? Seiungenda igitur hîc dixero à frigidis ea quæ facultate calida ſunt, qualia ſunt ſerpillum, ocymum, ſiſer, apium, fœniculi ſemen, laurus: atque niſi quid obſtet, locum ita immutauero:* Salis quoque & fici eadem vis eſt. Item ſerpillum, pulegium, apium, braſſicæ folia, ocymum, fœniculi ſemen, laurus. Leniter verò ſimul & reprimunt & molliunt, liguſtrum, ſiſer, lana ſuccida ex aceto vel vino, cui oleum adiectum eſt, contritæ palmulæ, furfures in ſalſa aqua & aceto decocti, muſcus, creta cimolia, hedera, lenticula. At ſimul reprimunt & refrigerant herba muralis, (παρθένιον vel perdicium appellant) herba ſanguinalis, quam Græci πολύγονον vocant, portulaca, papaueris folia,

capreo-

capreolique vitium, coriandri folia, hyoſcyamon, ſolanum quam *στρύχνον* Græci vocant, intubus, plantago, contrita pira vel mala, præcipueque cydonia, aqua frigida, maximeq. pluuialis, vinũ, acetum, &c. *atque hæc cur ita inuerterimus, dum ſingulorum temperiem ac facultates expendimus, paucis explicabimus.*

ſerpyllum, pulegium.

PVLEGIVM *quum acre & ſubamarum ſit, valdè tum excalfacit, tum extenuat, ideóque in tertio ordine calidum, & ſiccum eſſe ſtatuunt. Galenus illitum rubificare, & ſi quis diutiùs tolleret, exulcerare : Dioſcorides extenuare & concoquere auctor eſt. huic per omnia ſimile eſt ſerpillum : nam acre admodùm guſtu eſt, atque ita calidum, vt menſes & vrinam moueat. Dicet tamen fortè quis, Celſo dum ſerpillum inter reprimentia numerat, erroris occaſionem dediſſe, quòd Dioſcorides, Plinius, & Aëtius, made factum aceto ac decoctum, admixto roſaceo, phrenitim & lethargum patientibus ſummopere congruere tradiderint; quaſi verò id non efficiat diſcutiendo magis quàm reprimendo.*

ocymum.

OCYMVM *& ſiſarum vtraque ſecundi ordinis excalefacientium ſunt : in hoc tamen differunt, quòd ocymum excrementitiæ cuiuſdam humiditatis particeps ſit; ſiſarum autem propter modicam ſiccitatem, aſtrictionem quandam ſortitum ſit : vnde & inter ea quæ leuiter reprimunt & molliunt; ocymum verò quum foris illitum digerat & concoquat, foras euocantibus adiecimus.*

coriandri folia.

POTVISSEM *& hîc quoque, idq; Galeni auctoritate, aliò transferre coriandri folia, niſi compertum nobis fuiſſet, antè ex Dioſcoride, Celſum temperie frigidũ coriannum definiuiſſe : quare quoniam ad loci huius planiorem intelligentiam plurimum fecerit Galenus, operæprecium erit ex ſeptimo Simplicium libro, illius verba in medium proferre : Coriannum, inquit, ſiue corion, aut vtcunq. vocare lubet, vetuſtiores Græci coriannon nominabant : at recentiores omnes medici corion appellitant; ſicuti etiam Dioſcorides, frigidam eſſe herbam ipſam dictitans; ſed perperam : ſiquidem ex contrariis facultatibus conſtat, & compoſita eſt, plurimum habens eſſentiæ amaræ, quæ tenuium eſt partium, & terrenæ, nec parum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ tepentis eſt facultatis : his adiunctum eſt aſtrictionis quoque pauxillum; ex quibus omnibus variè quidem agit ea quæ ſcribit Dioſcorides, ſed non tantùm ex refrigeratione. Cæterùm ego cuiuſque particulatim actionis cauſam enarrabo : Primùm ergò non Dioſcorides tantùm, ſed & alij complures medicorum indeterminatè de morbis pronunciant; ſicut ſanè in hac tempeſtate non paucos inuenias medicos, vel inſignes præter alios in hac re hallucinantes. Interdum enim atra, liuida, frigidáque reddita parte quæ eryſipelas habuit, nec ampliùs refrigerantia poſcente pharmaca, ceu antea, ſed ea quæ infixum parti præter naturam humorem eliciant; quidam tamen refrigerare perſeuerant, alij ad digerentia quidem tranſeunt : cæterùm ea eryſipelas ſanare dicunt; quanquam ſciebant incipientibus etiamnum atque gliſcentibus creſcentibuſue eryſipelatis alia eſſe medicamenta, alia verò iam declinantibus, ac flaceſcentibus. ſed ita res non habet; neque enim eryſipelas vocari debet poſteaquam inflammatio eius & feruor ac bilioſum illud abierint, neque quæ facultate ſunt frigida, neque quæ illa ſanant, remedio eſſe putandum, ſed veluti ſi vel in initio protinus aut percuſſis, aut alia de cauſa quauis tumor in parte quapiã aut liuidus aut niger extiterit, eum eſſe frigidum affectum exiſtimabis, & quæ digerant excalefaciantq; poſcere. Ad eundem opinor modum ſi calida affectio in frigidam reciderit, negligenda quidem prior eſt, ſed ſecunda alio appellanda nomine; aut ſi diſplicet nominis mutatio, ſaltem (ſicut quidam alij ſcribunt) principij, alia declinationis remedia; concedendúmque ſanè eſt, ſi cui ita placet, vt talis affectio etiam eryſi-*

pelas vocetur; sed eam etiam calidam dicere, vbi iam refrigerata est, id verò neutiquam concedendum. Itaque ne quod ei tunc auxilio est refrigeratorium esse credamus, sicut Dioscorides coriandrum, qui cum pane & polenta erysipelas curet illitum: nam quod ad vnguem est erysipelas, quod vtique inflammatum est, & flauum, & biliosa fluxione infestatum, haud quaquam sanare queat coriandrum; sed illud quod refrigeratum est. Hucusque Galenus, copiosè quidem multísque verbis coriandri facultates expendens, perperam à Dioscoride frigidum dictum conuincit, idq; paulo pòst multo apertiùs, dum suo ipsius gladio Dioscoridem iugulat: Neque enim rhœadas seu strumas cum eregmo vel lomento discuteret, si frigidum est: nam Dioscorides ipse sexcenta remedia rhœadas sanantia scripsit, quæ omnia tum temperie calida, tum actionibus digerentia confessus est.

muscus.

MVSCVS vim habet astringentem inualidam, vt Galenus sexto Simplicium; quia nimirum nec multùm frigidus est, sed proximè fermè mediis, vnde & digerendi & emolliendi facultatis est particeps, maximéque is qui in cedrinis lignis reperitur. Huic, quod ad facultatem attinet, non absimilis est creta cimolia; refrigerat enim ac digerit paululum. Hedera similiter ex contrariis composita est facultatibus: habet enim astringentis substantiæ quiddam, quæ terrena & frigida est; habet etiã nonnihil acris, quæ calida est, neque deest tertia, aqueam namque substantiam obtinet, præsertim si viridis sit; siquidem dum arescit, hæc prima exhalet necesse est, manétque quæ terrea est & astringens, & ea quæ calida & acris. Succus autem & lachryma eius, ita caleut, vt inter psilothra numerentur. De lenticula antè satis dictum est: Polygonum, parthenium, vitium capreoli, papaueris folia, hyoscyamum, solanum, plantago, acetum, aqua frigida, non ignauiter frigefaciunt & reprimunt.

apium.

APIVM & fœniculum calida vsque adeò sunt, vt menses & vrinam prouocent, flatibus quoque discutiendis aptißima sunt, mammarúmque durities emolliunt.

brassicæ folia.

BRASSICA siue manducata, siue foris imposita desiccat: vnde reprimere quoque dixit, sed moderato suo calore discutit potiùs; nam cum fœnugræci farina podagricis & arthriticis medetur, atque eorum dolores mitigat, cum sale carbunculos rumpit. Exustorum autem caulium braßicæ cinis desiccans admodùm est; adeò vt adurere quodammodo videatur: quo fit vt si veterem adipem ei admiscueris, discussorium valde, ad quoscunque etiam inueteratos dolores laterum, medicamen effeceris.

vinum.

NON quoduis vinum, sed acerbum tantùm, & austerum reprimit: nam calidum alioqui, & quod tenuium est partium, resoluet potiùs atque digeret.

ligustrum.

CYPRVS arbor, & ligustrum similes admodùm & affines sunt; adeò vt quidam persuasum habeant, pro eodem sumi cyprum & ligustrum: quos doctißimus vir Franciscus Maßarius Venetus conuincit. verùm, vtut est, hoc est, siue eadem siue diuersa sit arbor, in hoc certè conueniunt, quòd eiusdem sint facultatis, ac vtriusque tum folia, tum germina qualitatis mistæ sint, & facultatis: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modicè calida, habentq; etiam astrictorium quiddam ex terrea substantia frigida: quo fit vt inter leuiter reprimentia posuerim.

laurus.

LAVRI semen & folia quòd calida sint, clarius est quàm vt dici debeat: & quòd emolliant, testis est Dioscorides; nam laurorum decoctum in muliebres insessus additum, vuluæ & vesicæ vitiis conuenire testatur; & rursum medicamentis iis quæ neruorum

neruorum laßitudines reprimunt (ἀκόπα vocant,) ac quæ calefaciendi ac discutiendi vi prædita sunt, commodè adhiberi: præstant autem hæc omnia efficaciùs semina quàm folia.

medulla, adeps.

NON tam calefaciunt quàm molliunt, & leniunt; vnde indurata corpora emolliunt, siue ligamenta, siue musculi, siue tendines, siue viscera hoc modo fuerint affecta. Differunt tamen singulæ inter se prout magis, aut minùs eas vires habent. Nam Aëtius ceruinam medullam optimam esse testatur; deinde vitulinam; taurorum autem & hircorum acriorem magísque siccatoriam esse; & propterea durities in scirrhum duratas dissoluere non posse.

fereque, quæ vehementer & reprimunt & refrigerant.

MIRVM prorsus est omnibus obuium vsque adeò mendum hactenus à nullo animaduersum; nam quis, cui vel mica rationis superſit, verba quidem sibi constare, sensum verò propter malè distinctas periodos inuersum non videas? Neque enim quæ vehementer reprimunt & refrigerant, calefacere dicere quisquam audeat; & rursum durare quæ calefaciunt & digerunt & molliunt. Quare immutatis paulum distinctionibus, & expuncta copulatiua & ante τὸ digerunt, sic legendum censeo: Fereq. quæ vehementer reprimunt, & refrigerant, durant; quæ calefaciunt, digerunt & molliunt. Reliqua quæ sequuntur, clariora sunt, quàm vt longiore egeant enarratione; siquidem non erat nobis in animo, huic capiti tam diu inhærere, nisi rationes aliquas addere decuisset, cur mutilum alioqui, aut inuersum caput, totum ferè restituerimus, aut inuerterimus. quod sanè quæ potuimus fide & diligentia fecimus, non cauillandi studio aut libidine aliqua incitati; sed quò antiquißimus auctor suo tandē nitori restitueretur, atq. à calumniis immunis redderetur; sperantes interim non defuturos, qui dum nostras hasce enarrationes legerint, simili planè studio ducti, hæc & reliqua quæ extant Celsi, ita cum nostris aliorúmq. censuris expendent, vt integer tandem & ei qui iam circumfertur dißimilis planè in lucem prodeat.

AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER TERTIVS,

A BALDVINO RONSSEO *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

CAPVT I.

De morborum generibus.

*Præuisis

PROVISIS omnibus, quæ pertinent ad vniuersa genera morborum, ad singulorum curationes veniam. Hos autem in duas species Græci diuiserunt, aliosque ex his acutos, alios longos esse dixerunt. Ideoque quoniam non semper eodem modo respondebant, eosdem alij inter acutos, alij inter longos retulerunt. Ex quo plura eorum genera esse manifestum est. Quidam enim breues* vtique sunt, qui citò vel tollunt hominem, vel ipsi citò finiuntur. Quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est. Tertiumque genus eorum est, qui modò acuti, modò longi sunt. Idque non in febribus tantummodo, in quibus frequentissimum est, sed in alijs quoque fit. Atque etiam præter hos, quartum est, quod neq. acutum dici potest, quia non perimit: neque vtique longum, quia si occurritur, facilè sanatur. Ego cùm de singulis dicam, cuius quisque generis sit, indicabo. Diuidam autem omnes in eos, qui in totis corporibus consistere videntur, & eos qui oriuntur in partibus. Incipiam à prioribus, pauca de omnibus præfatus. In nullo quidem morbo

*acutique

morbo minus fortuna sibi vendicare, quàm ars potest, vtpote cùm repugnante * natura, nihil medicina proficiat. Magis tamen ignoscendum medico est parum proficienti in acutis morbis, quàm in longis. Hîc enim breue spatium est, intra quod si quod auxilium non profuit æger, extinguitur. Ibi & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeò vt rarò, si inter initia medicus accessit, obsequens æger sine illius vitio pereat. Longus tamen morbus cùm penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par est. Et acutus quidem, quò vetustior est, longus autem quò recentior, eò facilius curatur. Alterum illud ignorari non oportet, quòd non omnibus ægris eadem auxilia conueniunt. Ex quo incidit, vt alia atque alia summi auctores, quasi sola * vendicauerint, prout cuique cesserant. Oportet itaque vbi aliquid non respondit, non tanti putare auctorem, quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud. Sic tamen, vt in acutis morbis citò mutetur, quod nihil prodest: in longis, quos tempus vt facit, sic etiam soluit, non statim condemnetur, si quid non statim profuit. Minus verò remoueatur, si quid paulum saltem iuuat, quia profectus tempore expletur.

*fortuna,

*indicauerint,

BALDVINI RONSSEI
ENARRATIO.

QVÆ corpus nostrum alterare solent, genere triplicia sunt: causa, morbus, & quod ipsum sequitur symptoma seu accidens. Morbus quidem in acutos seu celeres, & tardos seu longos diuiditur; atque hos quidem Græci μακροὺς καὶ χρονίους, illos ὀξεῖς vocant. Diuturnus morbus est omnis qui quadragesimum diem transscendit: Acutus verò trifariam distinguitur; aut enim talis simpliciter aut exquisitè existit (Hippocrate sectione secunda Aphor. XXIII. auctore) qui ad decimumquartum diem extenditur: est & alius non exquisitè talis, qui ad vicesimum vsque progreditur: est etiam acutus ex mutatione vel decidentia, qui in quadraginta diebus indicatur. Recentiores in perperacutos, quorũ quartus est index; in peracutos simpliciter, quorũ septimus; & in peracutos ex degeneratione seu decidentia, quos Hippocrates simpliciter acutos vocat, quorum decimus quartus est index; & in acutos simpliciter, quorum vigesimus est indicatorius; & acutos ex decidentia, distinguere solent, qui, vt iam diximus, quadragesimo die indicantur.

Quidam enim breues.

ACVTVS morbus dictus est, quòd motus eius velox sit, & subitò illi pericula aduenïant; neque enim rectè acutus dici potest

(ut commento tertio Prædictionum Galenus) nisi adiuncta sit magnitudo quædam ac febris continua.

Tertiumque genus.

HOC videlicet quod ἐκ μεταπτώσεως seu decidentia fieri dixi, utpote quod per imperfectam indicationem ab una specie in aliam mutatur; ut si pleuritis in suppurationem, angina in empyema transeat.

Atque etiam præter hos quartum est.

HOC nimirum, quod neque sævitiem accidentium, neque continuam febrem coniunctam habet: atque huiusmodi potissimùm est, quod quadragesimo indicari diximus; id enim neque exquisitè acutum, neque longum dicere possis.

In nullo quidem morbo.

PVLCHERRIME hoc demonstrat Cælius Methodicus in præfatione τῶν χρονιῶν: Celeres, inquit, vel acutæ passiones, etiam spontè solvuntur; & nunc fortuna, nunc natura favente: quo fit ut ignari homines elati, sæpe medicos fugiant, quum hos proventus incantationibus novis aut ligamentis adscribant, aut fortunæ; quum quoties repentino aliquo nuncio læti aut territi ægrotantes, mutatione quadam corporis morbos excludunt, vel ea per intemperantiam gerunt, quæ ratione occulta sibi profutura nescientes, duce desperatione committunt; sicuti de quodam elephantico qui per victus intemperantiam sanitatem recuperavit, memoriæ prodidit Antonius Benivennius.

repugnante naturâ.

QVOD omnium quæ in humano corpore geruntur opifex sit natura, auctor est Hippocrates, tum aliâs, tũ sexto Epidemion, ubi naturam morborum curatricem definit; quum non solùm in sanis, sed & in ægris sua sponte, non ex intellectu motiones invenerit; sponte enim in ægris non rarò è naribus sanguinis profluvium, hæmorrhoïdibus, aut aliunde, sudorésque & alvi profluvium molitur ad expellendas morborum reliquias; adeò rectè naturæ motum imitandum in Aphorismis idem præcipit: nam quò natura fert, inquit, per loca maximè convenientia, eò ducere convenit.

Magis tamen.

HIPPOCRATES in Aphorismis, Acutorum morborum non omnino certæ sunt prænunciationes salutis aut mortis: per paroxysmorum enim vehementiam, continuúmque insultum ac brevitatem temporis, medico vix spatium temporis relinquunt ut motum naturæ adiuvet.

Longus tamen morbus.

MORBI longitudine vires non solùm convelluntur atque prosternuntur; sed & non rarò totius corporis habitus corrumpitur: unde fit ut vires debiliores, quàm ut increscentem adhuc longúmque morbũ ferre possint, non minus periculum ægro portendant, quàm si acutissimo prehenderetur morbo; adeò malum est morbum aliquem radices fixisse, atque solidas corporis particulas occupasse, sicuti in marasmode indies videmus.

Alterum illud.

QVEMADMODVM omnes omnibus corporibus, ætatibus atq. utrique sexui communes sunt morbi; ita varia eáque diversa, pro ætatis, sexus ac temperiei discrimine medicamenta exposcunt: aliud siquidem senex, aliud iuvenis, aliud vir, aliud muliêr, aliud sanguineus, ac rursus, ab hoc diversum remedium phlegmaticus postulat: ac proinde quot sunt temperaturarum differentiæ, tot oportet esse morborum diversa auxilia.

Oportet itaque.

OMNIA, inquit Hippocrates, secundum rationem facienti, si non secundum rationem succedant, non transeundum ad alia stante eo quod prius fuit: fit enim nonnunquam, ut in commento eiusdem aphorismi Galenus ait, ut morbi aliqui adeò pertinaces atque rebelles sint, ut non nisi tempore medicamentis cedant; sicuti gutta cadens lapidem cavat sæpe cadendo: atque in iis quidem non

dem non ſtatim, ſi non ex ſententia res cedat, medicamentum immutandum eſt, ſed perſeuerandum, dum ſenſibile aliquod leuamen conſequatur: ſi tamen experientia duce, quæ præter rationem ſunt adhibemus, neque emolumenti quicquam conſequamur, ſatius eſt rationem ducem ſequi, neque tanti facere auctorem quàm rationem.

Sic tamen vt in acutis.

ACVTI *morbi quum veloces admodum habeant acceßiones, ocyßimas flagitant curationes; ſummis enim ad extremum morbis, exquiſita ad extremum remedia optima ſunt: quare ſi quid non ſtatim ex ſententia ſuccedat, ad alia tranſeundum eſt, ne vi, violentia, & acceßionum impetu, quod alioqui facillimè fecerit, ægrotum morbus iugulet; longi autem morbi quum tempus flagitent, vicißitudinem illam ac alterationem medicamentorum non deſiderant.*

CAPVT II.

Quomodo morbi cognoſcantur, & an increſcant, an conſiſtant, an minuantur: & qua ratione ab initio, qui languere incipit, curari debeat.

PROTINVS autem inter initia ſcire facile eſt quis acutus morbus, quis longus ſit: non in his ſolis in quibus ſemper ita ſe habet, ſed in his quoque in quibus variat. Nam vbi ſine intermiſſionibus* acceſſiones & dolores graues vrgent, acutus morbus eſt. Vbi lenti dolores, lentæve febres ſunt, & ſpatia inter acceſſiones porriguntur, acceduntque ea ſigna, quæ in priore volumine expoſita ſunt, longum hunc futurum eſſe manifeſtum eſt. Videndum etiam eſt, morbus an increſcat, an conſiſtat, an minuatur, quia quædam remedia increſcentibus morbis plura inclinantibus conueniunt. Eaque quæ *decreſcentibus apta ſunt, vbi acutus increſcens vrget, in remiſſionibus potius experienda ſunt. Increſcit autem morbus, dum grauiores dolores acceſſionesque veniunt, hæque & antè quàm proximæ reuertuntur, & poſtea deſinunt. Atque in longis quoque morbis etiam tales notas non habentibus, ſcire licet increſcere, ſi ſomnus incertus eſt, ſi deterior concoctio, ſi * fœdiores deiectiones, ſi tardior ſenſus, ſi pigrior mens, ſi percurrit corpus frigus aut calor, ſi idem magis pallet. Ea verò * quàm contraria his ſunt, decedentis eius notæ ſunt. Præter hæc in acutis morbis ſeriùs æger alendus eſt, nec niſi iam inclinatis, vt primò dempta materia impetum frangat.

* acceſſionū dolore graui vrgentur,

* creſcentibus

* fœtidiores

* quæ

* aduenturi
* At
* moliri, per quam

frangat. In longis maturius, vt sustinere spatium * affecturi mali possit. * Ac si quando is non in toto corpore, sed in parte est, magis tamen ad rem pertinet vim totius corporis * molliri, quàm propriæ partes ægræ sanentur. Multum etiam interest, ab initio quis rectè curatus sit, an perperam, quia curatio minus his prodest, in quibus assiduè frustra fuit. Si quis temere habitus, adhuc integris viribus viuit, admota curatione momento restituitur. Sed cùm ab his cœperim, quæ notas quasdam futuræ aduersæ valetudinis exhibent, curationum quoque principium ab animaduersione eiusdem temporis faciam. Igitur si quid ex his quæ proposita sunt, incidit, omnium optima sunt, quies, & abstinentia. Si quid bibendum, aqua. Idque interdum vno die fieri satis est. Interdum, si terrentia manent, biduo: proximeque abstinentiam sumendus est cibus exiguus, bibenda aqua, postera die etiam vinum, deinde inuicem alternis diebus, modò aqua, modò vinum, donec omnis causæ metus finiatur. Per hæc enim sæpe instans grauis morbus discutitur. Plurimique falluntur, dum se primo die protinus sublaturos languorem, aut exercitatione, aut balneo, aut coacta deiectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant. Non quò non interdum id incidat, aut non * decipiat, sed quò sæpiùs fallat, solaque abstinentia sine vllo periculo medeatur. Cùm præsertim etiam pro modo terroris moderari liceat, & si leuiora indicia fuerint, satis sit à vino tantùm abstinere: quod subtractum, plus quàm si cibo aliquid dematur, adiuuat: si paulò grauiora, facile sit, non aquam tantùm bibere, sed etiam cibo carnem subtrahere. Interdum panis quoque minus quàm pro consuetudine assumere, humidoque cibo esse contentum, & olere potissimum. Satisque sit tum ex toto à cibo, à vino, ab omni motu corporis abstinere, cùm vehementes notæ terruerunt. Neque dubium est quin vix quisquam, qui non dissimulauit, sed per hæc maturè morbo occurrit, ægrotet.

* deinceps fiat,

ENARRATIO.

ACVTORVM morborum natura est (ut libro De ratione victus in morbis acutis auctor est Hippocrates) ut febres continuas coniunctas habeant: quare quum & propter casuum vehementiam, & morbi magnitudinem ad vigorem celerrimè properent, cuiuis facile erit longos ab acutis morbis discernere.

Videndum etiam est.

GALENVS De præstantissima medicorum secta ostendit, quomodo morborum tempora indicantur, certo causæ motu (sunt autem ea quatuor numero, principium, augmentum, status & declinatio:) ac proinde si motus, qui priùs in nobis non erat, moueri incipit, & constitutus iam molestat, huiusmodi motum principium vocat; sin autem magis procedat motus is, incrementum; si stationem incrementum acceperit, vigorem nominat; atque si motus imminuatur, declinationem. Horum autem temporum maxima habenda est ratio, quòd sine horum cognitione nemo ægrum rectè aut cibauerit aut euacuârit. Nam in principiis dum adhuc constant vires, si quid mouendum videtur, mouere expedit, iuxta Hippocratis sententiam: in vigore contrà fractis consumptísque insultuum vehementia viribus, quiescendum est.

Atque in longis quoque morbis.

LONGI morbi non secus ac acuti tempora habent; quæ tamen non tam facilè deprehendi possunt, quum neque in his grauitas doloris aut paroxysmorum percipi possit, & sola concoctione diiudicari queant: nam quantisper crudus morbus est, adhuc augetur; quod ab excrementis peritus medicus facilè prædixerit: quanquam & reliqua quæ hîc Celsus adiungit, ad temporum cognitionem non parum momenti attulerint. si quis autem generalium morbi temporum pleniorem cognitionem desideret, Galenū De crisibus, & qui hunc sequitur De generalibus morborum temporibus consulat.

Præter hæc in acutis morbis.

ACVTVS morbus, inquit Hippocrates, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum est; ubi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendū est, quantum morbis extremis fuerit mollior. considerandum tamen est, an æger ad vigorem usque morbi perdurare possit cum victu quem præscripsisti, & numquid ille priùs deficiat, & cum illo victu durare queat; aut morbus anteà deficiat aut retundatur. Nam hîc quoque, ut in aliis omnibus, dandum aliquid consuetudini, tempori & ætati est. In genere tamen quo peracutior fuerit morbus, & celeriùs ad vigorem peruenerit, eo tenuiorem victum flagitat. Sed nec in vigore ipso quicquam dandum est; præstat enim naturam permittere, ut vacet circa morbi concoctionem, quàm eiusdem auocare ad conficiendos cibos.

In longis maturiùs.

IN longis morbis non sunt inediâ aut tenui alioqui victu lacessendæ ægri vires; quando inter reliqua harum præcipuè sit habenda ratio: tantum igitur cibi hîc indulgendum est, quantum & natura citra molestiam concoquat, & virium robur efflagitet: nam alioqui inediâ prostratæ vires morbi longitudini omnino non sufficerent.

At si quando is non in toto.

VTPVTA si phlegmon alicuius partis sit; exempli gratiâ, pleuræ, aut lateris: hîc satius erit totum corpus molliri tenui victus ratione, quū acutus quoque sit morbus, quàm propriæ partes ægrè, hoc est, difficulter sanentur; frustrà enim sanguinis missionem, frustrà localia adhibueris, nisi adsit debita victus ratio.

Igitur si quid ex his quæ proposita.

QVIES quidem quia concoquit & humectat: nam, vt in Epidemiis Hippocrates, somnus & quies concoquunt, atque adeò materiam calorémque febrilem dissoluunt. inedia; quia si quid abundat demit: quam tamen, vti dictum est, pro tempore variare conuenit.

siquid bibendum est, aqua.

VIDETVR hunc & præcedentem paragraphum, de acutis morbis intellexisse, qui vt originem sortiuntur calorem non naturalem, ita quietem quàm maximè desiderant & abstinentiam, hoc est tenuem diætam, quæ humida simul sit & frigida. atque hac quoque ratione nunc frigidam commendat, quòd nimirum inflammationi aduersetur; cui postmodum, hoc est alternis, aut tertio quoque die vinum subiungendum dicit, quòd putredinem discutiat; vt in primum Celsi annotauit mihi numquam nisi honoris titulo nominandus D. Hieremias Driuerus Brachelius.

solaque abstinentia.

PRÆCEDENTE libro, capite De abstinentia, ex decimo Methodi Galeni libro retulimus esse morbos, qui nihil minùs quàm inediam flagitent: atque hi quidem quales sint, secundo huius capitis §. dictum est; nam reliquis vt non aliena est abstinentia, ita plurimum emolumenti citra vllam noxam affert. Considerandum tamen est quantum à naturali temperie recesserit corpus, atque si multum ab eadem declinet, maiori vtendum abstinentia, vt ad pristinam constitutionem redeat, si parùm vnius aut alterius diei abstinentia suffecerit.

humidoque cibo esse contentum.

CIBVS humidus à natura facillimè alterari & distribui potest: quare eum secundæ sectionis Aphorismo XI. iis qui celeri refectione opus habent, accommodissimum scribit Hippocrates: Facilius, inquit, est refici potu quàm cibo; ac proinde quũ in genere parùm nutrientium, radices olerum quæ edimus, atque adeò olera ipsa posuerimus, consequens est oluscula cuiuscunque generis sub tenui victu comprehendi.

CAPVT III.

De Febrium generibus.

ATQVE hæc quidem sanis facienda sunt, tantùm causam metuentibus. sequitur verò curatio febrium, quod & in toto corpore, & vulgare maximè morbi genus est. Ex his vna quotidiana, altera tertiana, altera quartana est. Interdum etiam longiore circuitu quædam redeunt, sed id rarò euenit. In prioribus & morbi sunt, & medicina. At quartanæ quidem simpliciores sunt. Incipiunt fere ab horrore, deinde calor erumpit, finitaque febre biduum integrum est, ita quarto die reuertitur. Tertianarum verò duo genera sunt. Alterum eodem modo quo quartana & incipiens & desinens, illo tantùm interposito discrimine, quòd vnum diem præstat integrum, tertio redit. Alterum longè perniciosius,

quod tertio quidem die reuertitur, ex octo autem & quadraginta horis, fere sex & triginta per accessionem occupat, interdum etiam vel minus vel plus, neque ex toto in remissione desistit, sed tantùm leuius est. Id genus plerique medici hemitritæon appellant. Quotidianæ verò variæ sunt, & multiplices. Aliæ enim protinus à calore incipiunt, aliæ à frigore, aliæ ab horrore. Frigus voco, vbi extremæ partes membrorum inalgescunt: horrorem, vbi totum corpus intremit. Rursus aliæ sic desinunt, vt ex toto sequatur integritas: aliæ sic, vt aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quædam reliquiæ remaneant, donec altera accessio accedat, ac sæpe aliæ vix quicquam, aut nihil remittant, sed ita vt continuent. Deinde aliæ feruorem ingentem habent, aliæ tolerabilem, aliæ quotidie pares sunt, aliæ impares, atque inuicem altero die leniores, altero vehementiores, aliæ tempore eodem postridie reuertuntur, aliæ vel seriùs vel celeriùs, aliæ diem noctemque accessionem & decessionem implent, aliæ minus, aliæ plus, aliæ cùm decedunt sudorem mouent, aliæ non mouent: atque aliâs per sudorem ad integritatem venitur, aliâs corpus tantùm imbecillius redditur. Accessiones etiam, modò singulæ singulis diebus fiunt, modò binæ, pluresve concurrunt. Ex quo sæpe euenit, vt quotidie plures accessiones, remissionesque sint. Sic tamen vt vnaquæque alicui priori respondeat. Interdùm verò accessiones quoque confunduntur, sic vt notari neque tempora earum, neque spatia possint. Neque verum est, quod dicitur à quibusdam, nullam febrem inordinatam esse, nisi aut ex vomica, aut ex inflammatione, aut ex vlcere. Facilior enim semper curatio foret, si hoc verum esset. Sed quod euidentes caussæ faciunt, facere etiam abditæ possunt. Neque de re, sed de verbo controuersiam mouent, qui cùm aliter aliterque in eodem morbo febres accedant, non easdem inordinatè redire, sed alias, aliasque subinde oriri dicunt. Quod tamen ad curandi rationem nihil pertineret, etiamsi verè diceretur. Tempora quoque remissionum modò * liberalia, modò vix vlla sunt.

Frigus. Horror. * libera

ENARRATIO.

FEBRIS est calor præter naturam; aliâs quidem manu mordax, aliâs mitis; aliâs non mordax, sed increscens, ut cap I. De diff. feb. disputat Galenus. Atque hic quidem calor aliâs ex alio incipit; aliâs enim spiritus, aliâs humores, aliâs solidas particulas accendit, quæ Hippocrates continentia, contenta & impetum facientia vocare solet: ac prout hoc vel illud occupauerit, varia sortitur nomina: nam quæ spiritibus accensis oritur febris, diaria vocatur; quæ solidis particulis incensis, hectica; qui humores occupat febrilis calor, putridas gignit, varias quidem variisque paroxysmis pro humoris peccantis differentia discrepantes: sunt enim quæ quotidie, quotidianas; sunt quæ de tertio in tertium, tertianas nominamus; atque rursus sunt quæ de quarto in quartum accessiones suas faciant, quartanas vocãt; quibus tardiùs mouentur quæ de quinto in quintum, de sexto in sextum, & de septimo in septimum accessiones suas faciunt, quintanæ, sextanæ ac septimanæ ob id appellatæ. Præter has etiam sunt nonnullæ continentes dictæ, quòd citra ullam remissionẽ corpus affligant.

Interdum etiam longiore circuitu.

ACCESSIONUM periodi raró ultra quartanam extenduntur; quare Celsus raró id euenire rectè asserit: nam & Galenus nullam se ultra quartanã quæ certam periodon seruaret, ait vidisse accessionem. Alexander tamen Aphrodisæus secundò libro Problematum una cum Hippocrate, quintanam, sextanam & nonanam ponit, ac interualla hæc periodorum fieri asserit pro materiæ peccantis quantitate. Dicit autem: Quo minus materiæ subest, eo lentiùs redit accessio; qua ratione quintana, sextana & nonana fieri potest, pro materiæ vitiatæ quantitate. ita enim à natura comparatum est, ut sanguis, qui nostra aleret corpora, esset largior, continuámque putrescens succenderet febrem: secundum verò locum pituita obtinet, nam & hæc corpus alere potest: bilis verò flaua tertium occupat, quoniam ob sui acrimoniam nihil alimenti præstat. At atra bilis sortis est postremæ, naturæ infesta, quæ membra exedit & interimit. Hæc ille. quæ si ita sunt, inter omnes periculi maximè exors erit nonana, ut quæ à paucissima materia originem trahat, & quæ uberrimum, corpus & vires respiciendi tempus concedat. adde quòd & eâdem ratione inter reliquas à melancholia originem trahentes, breuissima erit; citiùs enim atque faciliùs discutietur, atque euincetur à natura pauca quàm copiosa materia. hanc ordine sequetur septana; deinde quintana, atque ita quartana simplex dicta: in eo enim omnes conueniunt, quòd duplex magna ex parte longior sit & periculosior; continua etiam non raró mortifera. Hippocrates tamen in Epidemiis septanam atque nonanam reliquis longiores esse asserit; at quintanam omnium periculosissimam: etenim & ante tabem, & iam tabidis superueniens, inquit, interimit: quod quæuis etiam febres facient, quando calore febrili, si quid superest humidi illius innati, exugitur, unde mortem in tabidis accelerari necesse est. Si cui tamen Hippocratis auctoritatem hîc tueri in animo sit, velim aliam quàm Aphrodisæus stati interualli periodorum in febribus causam in medium producat. Nam quas ex Auicenna in medium affert Michaël Sauonarola si recipiamus, eam quæ per longissima interualla periodos facit, reliquis periculosiorem fateamur necesse est; quando ea ex phlegmate vitreo adusto melancholiæ mixto originem suam ducat, huic quamproximè accedere, quæ de septimo in septimum, ut quæ pituitæ salsæ atræ bili coniunctæ ortũ suum tribuat; atque hac rursus contra mentem Hippocratis minùs periculosam quæ de quinto in quintum accessiones facit, ut quæ ex melancholia phlegmati naturali commixta fiat.

At quartanæ quidem ſimpliciores.

SIMPLICIORES *vocat quartanas non minùs mixtas, ſed mitiores; atque ita paßim apud Hippocratem accipi auctor eſt Galenus: ac quòd quartana omnium lenißima, ac minimè mortifera ſit, docet idem ſenex; ſiquidē* I. *De morbis vulgaribus, At verò, inquit, omnium eſt quartana ſecurißima, facillima, longißima; hæc enim non eſt ipſa quidem per ſe tantùm talis, ſed etiam à magnis aliis vindicat morbis: nam & comitiales morbos à quartana diu infeſtante diſcuſſos auctor eſt Galenus.*

Incipiunt ferè ab horrore.

SECVNDO *De differentiis febrium Galenus, Quartanis, inquit, accidit rigor, qualis potißimū in forti frigore refrigeratis, non qualis interdum per æſtum aut laßitudinem, vel medicamentum calidum ac mordax vlceri adhibitum.*

Tertianarum verò duo genera ſunt.

BILIS *quum extra venas putruerit, atque id quod putruit, reſoluitur, priuſquam alia portio putruerit, oritur tertiana intermittens, ſic dicta, quòd ad infebricitationem perueniat; atque hæc quartanæ modo, ſtatis circuitibus, quanquam breuioribus, hoc eſt de tertio in tertiū acceßiones ſuas facit. Contrà ſi intra venas bilis putruerit, ſintq; eæ venæ à corde remotæ, continua tertiana gignitur, quæ cùm tertio quoque die exacerbetur, ad perfectam tamen infebricitationem non peruenit.*

Alterum longè pernicioſius.

QVÆ *ex continua quotidiana & tertiana intermittente fit, ſemitertiana vocatur; quòd videlicet vtriuſque febris ſymptomatum particeps ſit: nam ſicuti tertiana cum rigore, quotidiana cum frigore, vt docet Galenus, inuadit; ita hemitritæus ſeu ſemitertiana cum horrore (qui in medio vtriuſque, rigoris dico & frigoris, conſiſtit) magna ex parte incipit. quare an rectè tertianis aſcripſerit, penes alios iudicium eſto: ego certè neque Hippocratem neque Galenum, neque quemuis alium id feciſſe memini; quum nō ſimplicem aliquam ſed compoſitam febrem ſemitertianam definiant. Ac proinde quod dicit triginta ſex tantùm horis occupare per acceßionem, id quoque à natura ſemitertianæ (quam Hippocrates in genere nonintermittentium, atque earum potißimùm quæ pernicioſißimæ ſunt conſtituit) alienißimum eſt. Nam quantumuis vno die leuiores ſunt, altero iterum grauiùs inuadentes; omnino tamen non intermittunt, quòd altero die duæ ſimul febres corpus occupent, altero vnica, quotidiana videlicet continua, cuius ea natura eſt, vt numquam intermittat, aut quietem aliquam febre vacantem admittat.*

Quotidianæ verò variæ ſunt.

VIDETVR *hîc Celſus tertianas quartanáſque duplices cum quotidianis confudiſſe, aut alioqui quotidianas pro continuis dixiſſe; neque enim ea eſt varietas quotidianarum: ſiquidem omnes haud quaquam cum rigore primo ſtatim die inuadunt, ſed temporis ſpatio, perfrictione magis quàm rigore moleſtæ ſunt, ſenſumq; frigiditatis calor mitis ſubſequitur, propter pituitam. Quanquam ſi quis hîc lipyrias, epialáſque febres comprehenſas velit, per me integrum eſt; vt quotidianas cum frigore, epialam cum calore, lipyriámque cum horrore inuadere dicamus: nam ſicuti in hac interiora calent, exterioráque frigent; ita in illa viſcera, excepto corde, frigent, exterioráque calent; ac proinde in vtriſque ſimul calor & frigus ſentitur.*

Frigus voco, vbi extremæ.

MORBIDVM *horrorem atque rigorem vocat Galenus, quum à nulla exteriori cauſa violenta corpus, ſed ex ſeſe, talem habet diſpoſitionem: eſt autem rigor natiui caloris affectus: ſolent autem Græci tribus gradibus febrium frigora dimetiri; quorum ex-*

tremum, rigorem; medium, vt diximus, horrorem; ac mitißimũ, frigus appellare solent. Celsus suo more hîc vt in aliis rigorem cum horrore confundit.

Rursus aliæ sic desinunt.

QVOTIDIANÆ non minùs quàm tertianæ aut quartanæ in intermittẽtes & continuas diuiduntur : intermittentium quidem paroxysmus horarum octodecim, quies sex tantùm, atque ea quidem talis est, vt non ex toto remißionem, aut infebricitationem sentiat æger, quum semper fiat humorum euaporatio à materia crassa. Sunt tamen aliæ ex genere intermittentium; quæ quum tenuiorem pituitam, & quæ à natura faciliùs euinci poßint, mali originem faciant, breuiores simul & minores paroxysmos sortiantur, quæ etiam corpori talem quietem concedunt, vt ex toto subsequatur integritas. Continuæ verò quum continuas ingésque accessiones faciant, nihil prorsus remittunt, neque quietem aliquam corpori admittunt.

Deinde aliæ feruorem.

VIDETVR Celsus febrium hanc differentiam ex Epidemion sexti Aphor. XXVIII. sumpsisse, vbi sic Hippocrates : Febrium hæ quidem manu mordaces, illæ verò mites, quædam verò non mordaces, sed increscentes; aliæ acutæ, verùm ab ipsa manu deuictæ; nonnullæ confestim exardentes, quædam semper debiles atque siccæ, cui per omnia respondet Celsus, nisi quòd τὸ ὀξὺς ad febriles paroxysmos potiùs, quàm calorem retulisse videatur : nam ideò τοὺς μὲν πυρετοὺς ὀξὺς vocat Hippocrates hoc loci, quòd velocem ac citò deficientem calorem habent, haud aliter quàm acutos morbos nominare solemus, qui citò ad statum pertingunt. Reliqua quoque quæ ad paroxysmos Cornelius noster retulit, Hippocrates ad febrilem calorem tanquam febris substantiam accommodauit.

aliæ quotidie pares sunt.

DISPESCIT singulas febrium differentias; siquidem aliæ aliàs inuadunt, sunt enim quæ spiritibus, sunt quæ humoribus, suntque quæ solidis particulis accensis fiant : accidunt porro in se inuicem differentes febriles accessiones pro materiæ differentia in qua calor febrilis accenditur : nam si spiritus occupârit, diariam oriri certum est; si solidas corporis partes, hecticam aut marasmodem; sin humores, putridam consequi ratio dictat, atque hæc quidem pro humoris peccantis differentia varias facit acceßiones.

aliæ quum discedunt, sudorem mouent.

FEBRES omnes nisi in longius producantur tempus, quadrifariam iudicantur: aut enim per vomitum, aut sanguinis fluxum è naribus, aut aliunde, aut per alui fluorem, vel sudores finiuntur : nam alioqui in abscessus terminantur, vt memoriæ prodidit Hippocrates. Cæterùm quæ sudorem mouent febres ferè mitiores sunt, neque tactu mordaces, vt ait Hippocrates, sed quas idem in Epidemiis ἐπινώδεις, hoc est ad manum humidas appellat.

Accessiones etiam.

QVALES sunt eæ quas semitertianas vocamus, aut planetes erraticæue febres; cuiusmodi in mulieribus suppreßis mensibus contingere solent.

Sed quod euidentes.

CAVSARVM duo sunt genera, προκαταρκτικὴ quam & προκατάρχοντα, Latini extrinsecus aduenientem externámque vocârunt; idque non quòd perpetuò extra corpus sit, sed quòd à rebus externis, hoc est à substantia corporis diuersa proueniat, aut quòd ab anima quæ alia est à corpore oriatur. Celsus euidentem vocat, quòd quibusuis etiam plebeis, non solùm medicis, perspecta sit : hanc medicorũ vulgus primitiuam vocat. Abditæ autem seu internæ, præcedentésue causæ Græcis προηγούμεναι dictæ, sic appellantur quòd in animantis cõsistunt corpore; hæ non solùm in principio morbos gignunt, sed & eos iam factos augent atque conseruant : nam, vt Galenus in libello aduersus Iulianum,

num, augmentum morborum à præcedentibus fit causis; quæ enim omnino post generationem morborum inceperunt, eas augere eosdem quoad simile quid effecerint necesse est. adeò rectè à Celso dictum est, abditas causas idem facere posse quod euidentes.

CAPVT IIII.

De curationum diuersis generibus.

ET febrium quidem ratio maximè talis est. Curationum verò diuersa genera sunt, prout auctores aliqui habent. Asclepiades officium esse medici dicit, vt tutò, vt celeriter, vt iucundè curet. Id notum est, sed ferè periculosa esse * nimium & festinatio & voluptas solet. (* nimia.) Qua verò moderatione vtendum sit, vt quantum fieri potest, omnia ista contingant, prima semper habita salute in ipsis partibus curationum considerandum erit. Et ante omnia quæritur, primis diebus æger qua ratione continendus sit. Antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eò quòd cruditatem maximè horrebant: deinde eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo sæpius aluum subtrahebant. Asclepiades medicamenta sustulit, aluum non toties, sed ferè tamen in omni morbo subduxit. * Febre verò ipsa præcipuè se * ad eius remedium vti professus est. (* In febre. * eo remedio vti) Conuellendas enim vires ægri putauit, luce, vigilia, siti ingenti: sic, vt ne os quidem primis diebus elui sineret. Quo magis falluntur, qui per omnia iucundam eius disciplinam esse contendunt. * His enim vlterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit: (* Et is enim) primis verò tortoris vicem exhibuit. Ego autem medicamentorum dari potiones, & aluum duci non nisi rarò debere, concedo. Et id non ideo tamen agendum, vt ægri vires conuellantur, existimo: quoniam * ex imbecillitate summum periculum est. (* & ex) Minui ergo tantam materiam superantem oportet, quæ naturaliter * digeritur, vbi nihil noui accedit. (* detrahatur.) Itaque abstinendus à cibo primis diebus est, in luce habendus æger, nisi infirmus interdiu est, quoniam corpus ista quoque digerit, isque cubare quàm maximo conclaui debet. Quod ad sitim verò somnumque pertinet, moderandum est, vt interdiu

diu vigilet: noctu, si potest, conquiescat: ac neque potet, neque nimium siti crucietur. Os etiam eius elui potest, vbi & siccum est, & ipsi fœtet, quamuis id tempus aptum potioni non est. Commodeque Erasistratus dixit, sæpe inferiore parte humorem non requirente, os & fauces requirere, neque ad rem malè haberi ægrum pertinere. Ac primò quidem sic tenendus est. Optimum verò medicamentum est, opportunè cibus datus, qui quando primùm dari debeat, quæritur. Plerique ex antiquis tardè dabant, sæpe quinto die, sæpe sexto, & id fortasse vel in Asia, vel in Aegypto cæli ratio patitur. Asclepiades vbi ægrum triduo per omnia fatigârat, *quarto die cibo destinabat. At Themison nuper, non quando cœpisset febris, sed quando desisset, aut certè leuata esset, considerabat, & ab illo tempore expectato die tertio, si non accesserat febris, statim: si accesserat, vbi ea vel desierat, vel, si assiduè inhærebat, si certè se inclinauerat, cibum dabat. Nihil autem horum vtique perpetuum est. Nam potest primo die primus cibus dandus esse, potest secundo, potest tertio, potest non nisi quarto, aut quinto, potest post vnam accessionem, potest post duas, potest post plures. Refert enim qualis morbus sit, quale corpus, quale cælum, quæ ætas, quod tempus anni. Minimeque in rebus multum inter se differentibus, quod intermittendum non est, perpetuum esse præceptum temporis potest. In morbo qui plus virium aufert, celeriùs cibus dandus est, itemque eo cælo quo magis digerit. Ob quam causam in Aphrica nullo die æger abstinere rectè videtur. Maturiùs etiam puero, quàm iuueni; æstate, quàm hyeme dari debet. Vnum illud & semper & vbique seruandum est, vt ægri vires subinde assidens medicus inspiciat, & quamdiu supererunt, abstinentia pugnet: si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subueniat. Id enim eius officium est, vt ægrum neque superuacua materia oneret, neque * imbecillitatem * fame perdat. Idque apud Erasistratum quoque inuenio, qui quamuis parùm docuit, quando venter, quando corpus ipsum exinaniretur, dicendo tamen hæc esse vincenda, & tum cibum dandum, cùm corpori * deberetur: satis ostendit,

*q. d. cibum al. quartum diem cibo.

* imbecillum

* fami prodat.

* demeretur:

ostendit, dum vires superessent, dari non oportere: ne deficerent, consulendum esse. Ex his autem intelligi potest ab vno medico multos non posse curari, eumque (si artifex est) idoneum esse, qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæstui seruiunt, quoniam is maior ex populo est, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ sedulitatem non exigunt, vt in hac ipsa re. Facile est enim dies, vel accessiones numerare his quoque, qui ægrum raro vident. ille assideat necesse est, qui quod solum opus est, visurus est, quando nimis imbecillus futurus sit, nisi cibum acceperit. In pluribus tamen ad initium cibi dies quartus aptissimus esse consueuit. Est autem alia etiam de diebus ipsis dubitatio, quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque, tanquam tunc de ægris iudicaretur, κρισίμους nominabant. Hi erant dies tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, quartusdecimus, vnus & vigesimus, ita vt summa potentia septimo, deinde quartodecimo, deinde vni & vigesimo daretur. Igitur sic ægros nutriebant, vt dierum imparium accessiones expectarent, deindepostea cibum quasi leuioribus accessionibus instantibus, darent, adeo vt Hippocrates, si alio die febris desisset, recidiuam timere sit solitus. Id Asclepiades iure vt vanum repudiauit, neque in vllo die, quia par, imparve esset, his vel maius, vel minus periculum esse dixit. Interdum enim peiores dies impares fiunt, & opportunius post earum accessiones cibus datur. Nonnunquam etiam in ipso morbo, dierum ratio mutatur, fitque grauior, qui remissior esse consueuerat, atque ipse quartusdecimus par est, in quo esse magnam vim antiqui fatebantur. Qui cum octauum primi naturam habere contenderent, vt ab eo secundus septenarius numerus inciperet, ipsi sibi repugnabant, non octauum, neque decimum neque duodecimum diem * sumendum quasi potentiorem. Plus enim tribuebant nono & vndecimo. Quod cum fecissent sine vlla probabili ratione, ab vndecimo non ad tertiumdecimum, sed ad quartumdecimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei quem septimus dies liberaturus sit, quartum esse grauissimum. Ita illo quoque

Dies impares.

* sumendo

auctore in die pari & grauior febris esse potest, & certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quemque diem, vt in vtrumque efficacissimum apprehendit, id est, quartum, septimum, vndecimum, quartumdecimum, decimum septimum, in quo & ab impari ad paris rationem transit: & ne hoc quidem propositum conseruauit, cùm à septimo die vndecimus, non quartus, sed quintus fit: adeò apparet quacunque ratione ad numerum respeximus, nihil rationis sub illo quidem auctore reperiri. Verùm in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt, cùm hîc quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri, & ex his coniectare, quando dandus cibus sit. Illud autem magis ad rem pertinet, scire, túmne oporteat dari, cùm iam bene venæ conquieuerunt, aut etiam num manentibus reliquiis febris. Antiqui enim quàm integerrimis corporibus alimentum offerebant. Asclepiades inclinata quidem febre, sed adhuc tamen inhærente. In quo * vanam rationem secutus est, non quò non sit interdum maturiùs cibus dandus, si maturè timetur altera accessio: sed quò scilicet quàm sanissimo dari debeat. Minus enim corrumpitur quod integro corpori infertur. Neque tamen* verum est, quod Themisoni videbatur, si duabus horis integer futurus esset æger, satius esse tunc dare, vt ab integro corpore potissimum diduceretur. Nam si diduci tam celeriter posset, id esset optimum. Sed cùm hoc breue tempus non præstet, satius * esse principia cibi à decedente febre, quàm reliquias ab incipiente excipi, ita, si longius tempus secundum est, quàm integerrimo dandus est: si breue, etiam antequam ex toto integer fiat. Quo loco verò integritas est, eodem*est remissio, * quæ maximè in febre continua potest esse. At hîc quoque quæritur, vtrum tot horæ expectandæ sint, quot febrem habuerunt, an satis sit, primam partem earum præteriri, vt ægris iucundius * insidat, quibus interdum * non vacat. Tutissimum est autem ante totius accessionis tempus præterire, quamuis vbi longa febris fuit, potest indulgeri ægro maturius, dum tamen antè minimè pars dimidia prætereatur.

Marginal notes:

Sed si octauus primi naturam habet: vndecimus quartus, non quintus erit.

* vnam

* non vanum est,

* est

* &

* siqua *al.* quanta maxima

* accidat,

* minimũ v.

tur. Idque non in ea sola febre, de qua proximè dictum est, sed in omnibus ita seruandum est.

ENARRATIO.

QVANQVAM ea sit medicinæ conditio, vt naturam ducem sequens præproperam festinationem, vt quæ periculosa sit, semper exosam suspectámque habeat, & grauißimis nonnunquam (vt monet Hippocrates) ægrotantes doloribus afficiat, puta quum aut secanda, incidenda adurendáve sit aliqua particula corporis: tamen si quis Asclepiadis hoc dictum penitiùs limitetur, non est quòd aut festinationem aut voluptatem incusare poßit; quum securitas illa, quam celeritati atque voluptati comitem esse voluit, maturitatem quandam denotet. Nam, per deum immortalem, quis non desideret medicum, qui primis morbi insultibus quàm ocyßimè resistens, morbum statim & citra molestiam, hoc est, tutò & iocundè repellat? adeò, vt quamuis alia ferè omnia, præter rationem & dixisse, & fecisse sciamus Asclepiadem; hoc certè ceu diuinum quoddam oraculum enunciasse credamus, dignum quod quiuis artem medicam professurus pectori insculpat, quod secum obmurmuret quotidie, atque inter quotidianos sermones vsurpet; sicut Octauius Augustus (quemadmodum docet Aulus Gellius Noctium Atticarum libro x. cap. XI.) suum illud Festina lentè, quod non secus ac Asclepiadeum hoc, Citò, tutò, & iocundè, moderationem quandam & maturitatem in capessendis exequendísque consiliis denotat.

Et ante omnia quæritur, primis diebus.

PRIMOS *dies vocat morbi principium.*

Antiqui medicamentis.

HANC *methodum obseruârunt, Hippocrates, Galenus, & qui eos sequuti sunt veræ illius atque antiquæ medicinæ cultores. Nam in longis morbis semper ante materiæ purgationem, medicamentis quibusdam datis fluxibiliorem reddiderunt, & concoctionem eiusdem moliti sunt. In acutis etiam rarò in principio non præparata ad expulsionem materia purgabant, & nisi admodùm turgeret, concoctionem adiuuabant. in quem vsum Galenus etiam in principio acutorum morborum, si occasio ferat, decoctum origani, tragorigani, hyssopi & similium exhibendum docet; idq; Hippocratis auctoritate, qui concocta medicari, & mouere; non cruda præcepit. Verùm de his si quis plura desideret, primam Aphorismorum sectionem consulat, vbi varios in hanc sententiam Aphorismos reperiet.*

Asclepiades medicamenta sustulit.

ASCLEPIADES *hic, vt præcedente libro dictum est, Pompeij Magni ætate floruit, è rhetore factus repentè medicus: omnia ferè placita veterum subuertit, totamq; medicinam ad causam reuocando, coniecturam fecit; negauítque cibos à natura in ventre & partibus corporis confici, sed crudos in corpus digeri contendit. Aceruos illos atomorum & vacuum Epicuri recepit, diuisit substantias rerum, & consensum partium abstulit. Quare quando, vt tertio Crisium monet Galenus, quòd ea quæ sunt in corpore concoquantur, vel non concoquantur, Hippocratis non Asclepiadis sit dogma, rectè Celsus medicamenta ea potißimùm quæ concoctionem adiuuant, eundem sustulisse auctor est, quum eadem cruda, & à natura priùs non confecta in corpus distribui contendat.*

aluum non toties.

QVANDO *& in quibus ducenda sit aluus, præcedente libro abundè dictum est: quare non est opus eadem repetere.*

Conuellendas ægri vires.

QVAM *fuerit ſibi per omnia ſimilis, hoc eſt vanus Aſclepiades, vel hinc coniicere licet, quòd quum medici officium eſſe dixerit, vt celeriter, vt tutò & iocundè curet, nunc iucunditatis illius, quam ſecuritati cum celeritate comitem eſſe voluit, planè immemor, carnificem potiùs quàm medicum primis agit diebus, atque nihil minùs quàm iocundè curet: adeò fallaces ſunt atque vani, auræ popularis cupidi homines.*

Itaque abſtinendus à cibis.

PRÆCEDENTE *quoque libro cibandi tempora diſtinximus: quare qui loci huius pleniorem explanationem flagitat, in eundem librum noſtras legat Enarrationes, & Galeni therapeuticen methodum conſulat, vbi multis argumentis, & prolixè admodum contra methodicos & diatritarios agit.*

Quod ad ſitim.

QVANDOQVIDEM *naturæ miniſter eſt medicus, ſui officij eſſe conſequens eſt, vt naturæ functiones muniáque promoueat in melius, ita vt ſi quæ ſuo tempore, aut modo non obeantur, ad priſtinum reducat ſtatum: & quoniam natura ita conſtitutum eſt, vt nox requiei, dies vigiliis dicata ſit, in hoc totus eſſe debet medicus, vt ſomnum nocte conciliet; ita enim fiet, vt materia peccans quodammodo concoquatur, & faciliùs per halitum diſcutiatur: quanquam ſi contra naturæ ductum contingat interdiu ſomno opprimi, atque nocturnas vigilias infeſtare, non ſuaſerim ſubitò diurnum illum ſomnum interrumpere: verùm conſiderandum moneo iuxta Hippocratis præſcriptum, laborem faciat nec ne: nam ſi dolor ſubſequatur & grauitas, malus profectò hic erit ſomnus; ſin leuiter ferat, promouendus eſt, vt qui natura duce obitur.*

Os etiam elui poteſt.

NON *ſolùm eluendum os aqua frigida eſt, ſed & interdum eadem potui danda eſt: nam, vt* XI. *Methodi Galenus, frigida potio febribus aptiſſima eſt; etenim qui ſani adhucdum frigidæ potioni aſſueuerunt, ſi febrientes eam bibant, ſummum leuamen conſequuntur; præſertim quum caloris febrilis copia quaſi munimen quoddam ſit contra frigidæ noxam: tutò igitur in febribus exhibebitur, niſi obſtructio, putríſue humor non concoctus obſtet, aut niſi in principe aliqua particula tumor aliquis cõſiſtat, ex phlegmonis, œdematis aut ſcirrhi genere: nam hiſce frigidæ potio omnino contraria eſt; vt quæ tumores, atque obſtructiones augeret. atque huc reſpexiſſe Celſum veriſimile eſt, dum oris fœtorem & ſiccitatem ſuſpectam habet; adeò rectè Eraſiſtratus pronunciatum reliquit, inferiore parte non requirente humorem, os faucéſque eundem deſiderare: quamquam Galenus* X. *Methodi potione frigidæ phlegmonem augere mauult, quàm ſinere hominem hecticam incurrere.*

Optimum verò medicamentum.

CIBVS *importunè exhibitus, morbum non modò non tollit, ſed eundem auget; & ſi non fuerit, eiuſdem cauſa exiſtit: in principiis enim abſtinendum monet* Hippocrates; *& non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.*

Nihil autem horum perpetuum eſt.

EST *quando primo ſtatim die cibandi ſunt ægri: nam ſi qui ex inedia, ardore ſolis, ira, labore, ſiccitatéve in febres inciderunt, his nequaquam famem præſcribemus: ſed ſtatim cum cibo frigidam propinabimus. Eſt etiam quando in ſecundum aut tertium diem differenda ſit cibatio: nam, vt octauo Methodi Galenus, ſunt naturæ quibus aut non magnopere, aut nihil incommodet tridui inedia.*

Refert enim qualis morbus ſit, quale corpus.

IVXTA *ſecundum primæ ſectionis Aphoriſmum, inſpicere oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus*

conueniat,

conueniat, aut non: siquidem quando vires legitimum robur suum adhuc habent, & morbi summus vigor maturè expectatur, tenuissimo victu vti licet sine graui noxa; sed adiicere ad nutrimenta tantum oportet, quantum est de robore virium imminutum.

Maturiùs etiam puero.

HIPPOCRATES *sectionis primæ Aphorismo* XIII. *Senes, inquit, facillimè ieiunium ferunt: secundo loco qui consistentem ætatem habent; minùs adolescentes; omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores, quòd videlicet (vt sequente hunc Aphorismo docet) plurimum caloris innati habeant qui crescunt, ac proinde quo plus habeant natiui caloris, tanto plus alimenti desiderent, & plus appetant, plúsque longis inediis afficiantur.*

æstate quàm hieme dari debet.

NISI *iam antè dixisset in Africa nullo die ægrum abstinentiam tolerare posse, parua dictionum metathesi locum sic mutarim:* hieme quàm æstate: *quòd videlicet, quum ventres hieme & vere natura calidissimos, somnósque longissimos dicat Hippocrates, vnde & plus appetant, & sumptos cibos meliùs conficiant, consequens quoque videatur, vt hieme quàm æstate maturiùs cibemus. Verùm quum æstate acuti morbi magis inuadant, atque ij potissimùm qui vires prosternunt (quando & calore ambientis nos aëris natiuus ille calor, vitæ nostræ assiduus fomes, dissipetur) maturiùs quidem, sed tenuius parciusq. quàm hieme cibandum est, conseruandarum virium causa.*

Vnum illud.

CONIECTARE *(inquit Hippocrates sectione prima Aphorismorum,) oportet, an æger cũ victu sufficiat perdurare donec morbus consistat; & numquid priùs ille deficiat, nec possit cùm victu perdurare, vel morbus antè deficiat atque hebescat.*

Est autem alia etiam.

DECRETVM *aliquando fuerat hîc Hippocrati, contra Asclepiadem & Celsum nostrum, patrocinari; præsertim quando hodie nonnulli reperiantur qui his subscribere malint (quum non considerent quàm sit propria quædam dierum decretoriorũ natura) quàm Hippocrati, viro, vt scitè dicit Galenus, admodum veraci, & in dierum decretoriorum natura admodum versato. verùm quoniam argumentum hoc à Galeno abunde tractatum est, libro præsertim De diebus decretoriis, de crisibus & suis in Epidemion libros & Aphorismos commentariis, consultum putauimus lectorem eò relegare, atque locos quos hic auctor citat adscribere.*

eosque tamquam tunc de ægris.

DIES *alios* κρισίμους *seu decretorios, alios contemplabiles seu* θεωρητοὺς *vocant: decretorios quidem appellabant, vbi subitò turbatio in morbo orta salutem aut exitium portendant; Contemplatorios seu indices nominat Hippocrates, & Galenus in quibus aliquod signum appâret futuræ indicationis, indicatiuum in altero aliquo indicantium dierum, quos Hippocrates, tum in Aphorismis, tum in Prognosticis vnamquamque septimanam in duas diuidens partes, in quaternarios digessit: Septenorum, inquit, quartus est index; alterius septimanæ octauus principium: est autem & vndecimus contemplabilis; ipse enim quartus est alterius septimanæ: Rursus verò & decimus septimus contemplabilis est; ipse enim quartus est à decimoquarto, septimus verò ab vndecimo.*

ita vt summa potentia septimo.

PVLCHERRIMA *allusione Galenus libro De diebus decretoriis, diem septimũ regi, sextúmque tyranno comparat, quòd septimus, Hippocrate teste, perfectissimè indicet; sextus imperfectè, ac recidiuam minetur. Ac rursum, quòd septimus clementior tanquam bonus aliquis princeps, iis quos iudicat, vel supplicij partem adimit vel illustrat victoriam; sextus contra vel pernicie illius*

illius quem iudicandum suscepit gaudet, vel salute dolet, quærítque vbi animum expleat, & malè ægrum tractet, tum longa pernicie exerceat.

Igitur sic ægros nutriebant.

SECTIONIS primæ Aphorismo XI. ait Hippocrates, In accessionibus à cibo abstinere oportet; siquidem cibum dare nocuum est: & si qui per circuitum accessiones obtinent morbi, in ipsis accessionibus cibum fugere conuenit, quòd natura non sufficiat, & morbo & cibo oblato; atque adeò quòd, quum natura à materia morbi ad cibos distrahatur, humores morbum efficientes adaugeat.

adeò vt Hippocrates.

FEBRICITANTEM, inquit Hippocrates, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare. & Aphorismorum quarto, Aphorismo XXXVI. Sudores febricitantibus si euenerint, tertio die, & quinto & septimo, & nono, & vndecimo, & decimoquarto, & decimoseptimo, & XX, & XXVII, & XXXI, & XXXIIII, boni sunt; ij enim sudores morbos indicant; qui autem secus eueniunt, laborem significant longitudinémque morbi, & recidiuam. Similiter & primo Prognosticon: Sudores, inquit, saluberrimi censentur ij in omnibus acutis morbis, si diebus indicatoriis oriantur, febrémque finiant; contrà inutiles, qui id efficere non possunt.

Nonnunquam etiam in ipso morbo.

ID non tam ratione ipsius morbi, quàm eorum quæ exteriùs accidunt vitio contingit: nam fit vt incuria medici, ingluuie, aut ægroti intemperantia, astantium importunitate, aut alio quouis modo dierum ratio mutetur.


atque ipse quartusdecimus par est.

QVANDOQVIDEM vsque adeò vrget Celsus, & neque omnino à ratione aliena esse videantur iis qui Galenum non satis legerint, aut non intellexerint, operæprecium fore duxi, hîc periodos nonnullas ex Ioanne Morisoto, quòd Hippocratis in hac re fidissimus assertor extiterit, & Galeni omnia tamquam in compendium redegerit, ascribere. Scribit autem in hunc modum in enarratione aphorismi LIX segmenti quarti vbi ex professo locū hunc explanandum sibi proponit. Prima, inquit, omnium quæ fiunt principia sunt duo, ἄτακτον siue inordinatum, & quod ordine semper ornatúque procedit: illud ex ista mundi materia proficiscitur; hoc è cælestibus originem ducit. Cælestium verò sol veluti rex est, qui & præsens diem, & absens noctem, & altus æstatem, & humilis hiemem, & mediocriter obliquus vtrumque solstitium facit. Luna verò vt princeps inter illum & nos medius, reliquos planetas vicinitate superat, & cuiusque mensis dies disponit, ex solis aspectu mutandi facultatem consecuta. Eius enim tanta portio illucescit, quantam sol aspicit: hinc decem illæ figuræ (vt tradunt Mathematici quidam) gena, ortus, surgens in cornua, ἡμίτομος, διχότομος, πανσέληνος: rursus semidiuisa, diuisa, surgens in cornua, & coitus: vel, vt alij volunt, vndecim, vt qui τῇ πανσελήνῃ siue plenilunio subiiciant πλησιφαῆ, quum & πλησιοσέληνον appellitant; quanquam alij malint septem tantùm esse; alij coitum etiam adiiciant, atque octo statuunt: nos octo sequemur, vt dies decretorios commodiùs demonstrare possimus. Surgit ergo in cornua, quum LX partes abest à sole; diuidua est quum nonaginta; gibbosa quum CXX; plena quum CLXXX; rursus fit gibbosa quum CXX; diuidua quum XC; surgit in cornua quum LX; exiens quum sub limine solis fertur, quæ & silens dici solet. Prima figura est in sexangulo mundi schemate, siue, vt alij loquuntur, in aspectu sextili, die ferè quarto; secunda in quadrangulo schemate, siue aspectu quadrato, die septimo; tertia in triangulo schemate, siue aspectu trino die XI; quarta in diametro siue oppositione die XIIII; quinta in eodem

eodem schemate cum tertia, XVII *die; sexta in eodem schemate cum secunda die* XX; *septima in eodem schemate cum prima, die* XXIIII; *octaua in coniunctione die* XXVII.

ASCENSVS.

ORIENS.



OCCIDENS.

DESCENSVS.

Sunt igitur indicatorij, quartus, septimus, XI, XIIII, XVII, XX, XXIIII *&* XXVII. *nam si nec quicquam externum (sunt autem externa, medicus, ægrotus, famulus, domus, vicinia, negotia, atque item alia sexcenta) nec internũ (cuiusmodi sunt, morbi, eorum causæ, & accessiones) naturam concitârint, acuti morbi his indicantur, sequuntur enim motum lunæ celerrimum, vt solis tarditate diuturni. Sunt & alij decretorij, nempe* XXXI, XXXIIII, XXXVII, XL: *nec mirum est quod ex* XXXI *secundi mensis quartum, ex* XXXIIII, *septimum; & ex* XXXVII, *vndecimum; ex quadragesimo decimumquartum colligere possimus. Quanquam Hippocrates eos in quaterniones & hebdomadas distinguat: & ex ternis septimanis circuitum facit absolutum: in menses tamen diuidere placuit, vt ex natura cælestium vis eorum omnino perspiceretur. Reliquum igitur est, vt qua ratione numerentur ij dies, ostendamus. Hippocrates Præsagiorum segmento tertio in hunc modum scribit: Igitur accessiones ipsæ ex acutissimis morbis per quatuor in viginti auctæ finiuntur: sed nihil horum potest diebus integris annumerari; nec enim annus nec menses, integris diebus natura numerari queunt. Vt igitur, inquit Galenus, annus ad trecentos sexaginta quinque dies particulam diei maiorem quarta adiectam habet, tum mensis ad* XXX *dies absoluendos vnius dimidium desiderat;*

desiderat; sic & septimana, sexta maximè diei parte, vt septem integros habeat indiget. Quamobrem tres septimanæ non vnum & viginti dies integros, sed minùs ferè tota vnius dimidia parte consequuntur. Quod vt facilius intelligi queat, rem paulo altiùs repetemus. Motiones quæ in corporibus nostris accidunt; duæ traduntur: vna propria quæ ex circuitu zodiaci nascitur; communis altera, quæ ex menstruo tempore progignitur: ex hoc si tres coitus dies sustuleris, quod reliquum erit tempus manifestæ apparitionis atque efficacis dicetur: constat autem ex diebus viginti sex & dimidio. Signiferi verò circuitus, intra viginti septem dies, & tertiam vnius partem expletur. hos porrò dies si coniunxeris, deinde in duas æquales partes diuiseris, viginti sex dies & horas duas & viginti esse dimidium inuenies. Quòd si in partes æquales rursus distribuas, facies hebdomadas quatuor ex senis diebus & denis septenis horis, & horæ dimidio. Tres igitur septimanæ ex XX diebus & horis quatuor, atque vnius horæ dimidio constabunt. vnde fit vt prima septimana seiuncta sit à secunda; secunda contrà cum tertia cohæreat: nam si prima cum secunda coniungeretur, κρίσις in decimumnonũ; si rursus disiunctæ essent, in XXI incideret. Est autem hæc periodus absoluta: siquidem quadragesimum, LX, LXXX, centesimum, & centesimum & vigesimum vigesimo sæpiùs aucto fieri videmus; ac nec septimus id præstare potest, nec decimusquartus: nam ille vigesimum primum, vigesimũ octauum, XXXV, XLII, hic similiter XXVIII, & XLII si augeatur constituit: qui dies vt non sunt decretorij, ita nec septimus est perfectus circuitus nec decimusquartus. Est igitur duplex periodus; perfecta & inchoata. sed & perfecta ex ternis inchoatis conflata est, vt inchoata ex binis quaternionibus: atque ita si perfectam diuidas, quaterniones senos inuenies; non aliter vtique quàm sunt sex periodi perfectæ. Hucusque Morisotus indicatoriorum dierum rationem ex lunæ motu doctißimè descripsit: cui quum & ipsa experientia (quam non minoris, quàm ipsam rationem hîc facit Galenus) indices accedat, non est quòd Asclepiadem aut ei succedentem Celsum audiamus.

Est etiam apud Hippocratem.

HIPPOCRATES segmenti quarti Aphorismo LXXI: Quibus septimo die indicatur morbus, iis quarto die nubeculam habet vrina rubicundam, & alia signa proportione; vt antè diximus septimi quartum esse indicem seu contemplabilem.

Verùm in his.

DE Pythagoricis numeris permulta Macrobius in commentariis quos edidit in Somnium Scipionis: In summa, Pythagoras omnem philosophiæ rationem ad numeros traxit: quem sequutus Plato, in Timæo præsertim, obscuram admodum reddidit, atque nebulas offudit, locumq́ue prouerbio præbuit, vt auctor est Cicero, Platonis numero obscurius.

Illud autem magis ad rem.

TRIA vniuersim sunt capita, quibus victus ratio comprehenditur: vnum, quod ad qualitatem; alterum, quod ad quantitatem; tertiúmque, quod ad vsus modum attinet. Qualitatem quidem ac quantitatem variare par est pro morbi differentia. Ac quod ad vsus quidem modum (vt XI methodi Galenus;) aptißimum in febribus quæ intermittunt & repetunt tempus est, quum exhalare cœperit febrilis calor. statim enim corpus ad nutrimentum præparant; huius quoque opportuno tempore ex duplici coniectato respectu, nempe summo accessionis præcedentis vigore, & futuræ principio. Ad hæc nanque spectantes operam dabimus, vt quàm longissimè ab vtroque nutriamus. Ergo si spatium quod inter summum prioris accessionis vigorem, & sequentis principium interuenit, satis sit amplum, facile est idoneum tempus inuenire; sin exiguum id fuerit, alterum facias necesse est, vt aut ægrum adhuc admodùm calentem nutrias, aut sequentis accessionis inuasione iam iam affutura. Quo magis præsagio medici huiusmodi febris indiget, qui primis statim diebus quanto spatio

duratura

duratura sit febris, coniiciet. Quippe si continens fuerit, constat breui finiendam. Si igitur vltra septimum progressura non videtur, prorsus à cibo continendus est æger, vtique si virtutem non defecturam coniicimus: Sin ad nonum aut vndecimum, aut decimumquartum vsque progressura videtur, aut etiam in septimo finienda, cæterùm æger vires infirmiores habere, quàm vt in tantum tempus sufficiat; necesse erit nutrire, ac deligere sicut in re ancipiti conuenit, quod minus sit noxium, distinguendo id discernendóque ab eo quod magis sit nociturum.

CAPVT V.

De febrium speciebus, & singularum curationibus: & primò, quando cibus febricitantibus dandus sit.

HAEC magis per omnia genera febrium perpetua sunt, nunc ad singulas earum species descendam. Igitur si semel tantùm accessit, deinde desiit, eaque vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex æstu, aliáve simili re fuit, sic vt interior nulla caussa metum fecerit, postero die cùm tempus accessionis ita transiit, vt nihil mouerit, cibus dari potest. At si ex alto calor venit, & grauitas vel capitis vel præcordiorum secuta est, neque apparet quid corpus confuderit, quamuis vnam accessionem secuta integritas est, tamen quia tertiana timeri potest, expectandus est dies tertius: & vbi accessionis tempus præteriit, cibus dandus est, sed exiguus, quia quartana quoque timeri potest. Et die quarto demum, si corpus integrum est, eo cum fiducia vtendum. Si verò postero, tertióve, aut quarto die secuta febris est, scire licet morbum esse. Sed tertianarum, quartanarumque, quarum & certus circuitus est, & finis integer, & quia liberaliter quieta tempora sunt, expeditior ratio est: de quibus suo loco dicam. Nunc verò eas explicabo, quæ quotidie vrgent. Igitur tertio quoque die cibus ægro commodissimè datur, vt alter febrem minuat, alter viribus subueniat. Sed * his dari debet, si quotidiana febris est, quæ ex toto desinat, simul atque corpus integrum factum est, * si quamuis non accessiones, febres tamen iunguntur, & quotidie quidem increscunt, sed sine integritate tamen remittunt, cùm corpus ita se habet, vt maior remissio non expectetur.

*is
* sin

pectetur. Si altero die grauior, altero leuior accessio est, post grauiorem. Ferè verò grauiorem accessionem leuior nox sequitur: quò fit, vt grauiorem accessionem nox quoque tristior antecedat. At si continuatur febris, neque leuior vnquam fit, & dari cibum necesse est, quando dari debeat, magna quidem dissensio est. Quidam, quia ferè remissius matutinum tempus ægris est, tunc putant dandum. Quod si respondet, non quia manè est, sed quia remissio est ægris, dari debet. Si verò ne tunc quidem vlla requies ægris est, hoc ipso peius id tempus est, quòd cùm sua natura melius esse debeat, morbi vitio non est, simulque insequitur tempus meridianum: à quo cùm omnis æger ferè peior fiat, timeri potest, ne ille magis etiam, quàm ex consuetudine vrgeatur. Igitur alii vespere tali ægro cibum dant. Sed cùm eo tempore ferè * pessimi sint, qui ægrotant, verendum est, ne si quid tunc mouerimus, fiat aliquid asperius. Ob hæc ad mediam noctem * decurro, id est finito iam grauissimo tempore, eodemque longissimè distante, secuturis verò antelucanis horis, quibus omnes ferè maximè dormiunt: deinde matutino tempore, quod natura sua leuissimum est. Si verò febres vagæ sunt, quia verendum est, ne cibum statim subsequantur, quandocunque quis ex accessione leuatus est, * tunc debet assumere. At si plures accessiones eodem die veniunt, considerare oportet, paresne per omnia sint, (quod vix fieri potest) an impares. Si per omnia pares sunt, post eam potius accessionem cibus dari debet, quæ non inter meridiem & vesperum desinit. Si impares sunt, considerandum est, quo distent. Nam si altera grauior, altera leuior est, post grauiorem dari debet: si altera longior, altera breuior, post longiorem: si altera grauior, altera longior est, considerandum est, vtra magis affligat, illa vi, an hæc tempore, & post eam dandus est. Sed planè plurimum interest, quantæ, qualesque inter eas remissiones sint. Nam si post alteram febrem motio manet, post alteram integrum corpus est: integro corpore, cibo tempus aptius est. Si semper febricula manet, sed alterum tamen longius tempus remissionis est, id potius eligendum est, adeò vt vbi accessiones continuan-

* pessimè
* decurso,
Febres vagæ.
* hunc

continuantur, protinus inclinata priore dandus cibus sit. Etenim perpetuum est, ad quod omne consilium dirigi potest, cibum quàm maximè semper ab accessione futura reducere, & hoc saluo, dare quàm integerrimo corpori. Quod non inter duas tantùm, sed etiam inter plures accessiones seruabitur. Sed cùm sit aptissimum tertio quoque die cibum dare, tamen si corpus infirmum est, quotidie dandus est: multóque magis si continentes febres sine remissione sunt, quanto magis corpus affligunt, aut si duæ plurésve accessiones eodem die veniunt. Quæ res efficit, vt & à primo die protinus cibus dari quotidie debeat. Si protinus venæ conciderunt, & sæpius eodem die, si inter plures accessiones subinde vis corpori deest. Illud tamen in his seruandum est, vt post eas febres minus cibi detur, post quas, si per corpus liceret, omnino non daretur. Cùm verò febris instet, incipiat, augeatur, consistat, decedat, deinde in decessione consistat aut finiatur, scire licet, optimum cibo tempus esse febre finita: deinde cùm decessio eius consistit: * tertium, si necesse est, quandocunq. de- * tertio
cedit, cætera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem necessitas vrget, satius esse consistente iam incremento febris aliquid offerre, quàm increscente. Satius esse instante, quàm incipiente: cum eo tamen, vt nullo tempore is qui deficit, non sit sustinendus. Neq. hercule satis est, ipsas tantùm febres medicum intueri, sed etiam totius corporis habitum, & ad eum dirigere curationẽ, seu supersunt vires, seu desunt, seu quidam mali affectus interueniunt. Cùm verò semper ægros securos agere cõueniat, vt corpore tantùm, non etiam animo laborent, tum præcipuè, vbi cibum sumpserunt: * at- * itaque
que si qua sunt, quæ exasperatura eorum animos sunt, optimum est, * ea dum ægrotant eorum notitiæ subtrahere. Si id * eadem ægrotantium notitiæ sub.
fieri non potest, sustinere tamen post cibum * vsque somni * adusque
tempus, & cùm experrecti sunt, tum exponere.

ENARRATIO.

EPHEMERAS *seu diarias* Hippocrates *simplicissimas vocare solet, quòd breuissimæ, leuissimæ, mitissimæq; sint ac minimè maleficæ, cum securitatis indiciis, sine malis accidentibus, vt plurimùm diem integrum non excedunt, ob id quòd materia in*

qua consistunt, nempe spiritus facillimè discutitur. Mala autem accidentia easdem comitari non solent; siquidem calor in blando vapore mitis ac suauis est. quo fit vt Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem, febricitantes ex diaria statim ad balneas visitatamq; victus rationem ducendos suadeat, quòd ex longiore inedia, febres & accenderentur & redderentur acriores, atque adeò in putridas facilè degenerarent.

eaque, vel ex inguine.

IN *bubonibus, inquit* Hippocrates, *febres omnes malæ, præter diarias. Celsus suo more* ex inguine, *pro inguinum bubone dicere maluit; fortè quòd suspectas habuerit febres ex bubone ortas, quòd hæ videlicet ex delitescente intùs causa (vtputa viscerum inflammatione, plenitudine humorum, aut malignitate, aut pestilenti etiam humore) ortus sui causam habeant; ac proinde, non in diariarum, sed putridarum genere potiùs recensendæ sint. Quo fit vt* Aetius *quoque febrientibus ex inguinum inflammatione venam statim tundat priusquam materia putrescat, & febrem putridam accendat. Verùm quandoquidem (vt de febrium differentiis cap.* VII. *Galenus) sunt nonnullæ febres ex bubone in genere diariarum, vtpote quæ ex euidentibus causis ortum habent (euidentes causas voco, hulcus, dolorem, ictum, & similia quæ iuxta magnas venas vel arterias existunt) vt cruris quidem, si in inguine; manuum verò, si in alis; quemadmodum & capitis, si secundum aures affectus sit: rectè Celsus inter diarias eas quoque quæ ex inguine sunt, constituit; easque potiùs quàm quæ sub alis aut secundum aures consistunt asscripsit, quòd iisdem frequentiores sint.*

vel ex lassitudine.

AETIVS *breuissimam & exactissimam diaria febricitantium victus rationem præscribit. Dicit autem: Diæta in febribus diariis omnibus communem scopum habet, vt sit ex edulis boni succi, & quæ omnino concoquuntur, & nusquam circa meatus detinentur. His quidem qui ex ardore aut ira febriunt, quæ simul frigefaciunt & humectant, frigefactis verò minùs alentia & moderatè calefacientia: His autem qui vigilârunt aut tristes fuerunt, aut curis vexati, humidus aut somnificus cibus congruit; fatigatis autem plurimus & maximè nutriens. At quibus intemperatura corporis calidior & siccior facta est, eos oportet aliquando circa principium exacerbationis impetum nutrire.*

vt interior nulla caussa.

ITA *enim suspicio esset repetituram accessionem, atque adeò aut putridam aut hecticam in periculo esse.*

At si ex alto calor venit.

HOC *iam manifestam atque euidentem viscerum inflammationem, atque adeò innalescentem febrem denotat: nam neque ex alto veniet calor, nisi admodùm extraneo calore accenso corde, neque præcordiorum grauitas subsequetur, nisi eorundem inflammatio orta sit, aut per consensum hepar cordi coafficiatur: & in summa, capitis grauitas non aderit, nisi calore cordis atque hepatis petitum caput, eisdem condolescat.*

exspectandus est dies tertius.

CELSVS *hîc passim methodicos sequutus, diatrito plus satis tribuit, carnificis potiùs hac in re, vt docet Galenus, officium, quàm medici, exercens: nam præterquam quòd commodi nequicquam afferat febrientibus exacta mirificáque diatritos, etiam ex longiore inedia acerrimas acutissimásque parit febres, à quibus promptus est in hecticas transitus, atque ab his rursum in torridum marasmum, aut si os ventriculi facilè iniuriis patet, eum qui συγκοπὴ, id est animi defectum, infert. Cæterùm de hac diatrito qui plura desiderat, quartum, octauum vndecimumq; Methodi Galeni libros consulat. Porro cibandi methodus ex primo Aphorismorum petenda est: nam vbi peracutus est morbus, inquit, statim etiam extremos habet labores, & extremè tenuissima victus*

ratione vti necesse est; vbi verò non, sed plenius licet reficere, tantum indulge, quanto morbus extremis est mollior; vbi morbus in vigore consistit, viuendi ratione tenuißima tunc vti necesse est. Obseruare autem oportet etiam ægrotantem, an sit huic victus rationi ad morbi vigorem vsque suffecturus, & an priùs defecturus sit, & non suffecturus præscripto victui, an morbus antè sit defecturus, ac futurus hebes. Quibus ergo statim vigor est, statim eos tenuiter refice; quibus autem vigor erit posteà, his & in ipso vigore, & paulo ante illum auferendum, sed antè vberius reficere, vt sit suffecturus ægrotans. Vsque adeò perpetuum ac firmũ nihil est, quin vsu ac ratione interdum id variari non contingat: nam quis in hoc rigido septemtrione ægrotis (nihil minùs quàm inediæ assuetis) triduanam illam cibi potúsque abstinentiam præscribat? quis pueros voraces admodùm, à cibis, nisi omnino carnifex, abstinere cogat? quis in summa æstate, & vere eandem victus rationẽ præscribere audeat? quis peracutos acutósque & ex decidentia acutos dictos, eâdem victus normâ sustentet?

Ferè verò grauiorem accessionem.

SENTENTIA sumpta est ex Hippocratis secundo Aphorismorum: Quibus crisis, id est, indicatio fit, iis nox grauis ante accessionem; quæ verò subsequitur, magna ex parte lenior fit. neque id mirum est, quum indicationem præcedant deliria, spirandi difficultas, oculorum caligo, temporum grauitas, & alia innumera, natura se ipsam à supernacuis humoribus corpus molestantibus exonerante: quò fit vt & quæ sequitur dies, aut nox lenior quoque sit.

At si continuatur.

CONSVETVDINIS hîc potißima habenda ratio est: nam si quo consueuerunt tempore cibum assumere, cibaueris; opportunißimè id feceris: nam & tum ipsi ægroti tolerantißimè eosdem acceperint. Quarè non vsque adeò magnipendendum est, vespertinum ne an matutinum, meridianum an pomeridianũ tempus sit; quum ipsa ægroti tolerantia & anteactæ vitæ consueta ratio, vt rectè monet Celsus, in continentibus & similibus, quæ vnicam tantùm accessionem habent, si vires inediam non ferant, tempus opportunum cibationi denotent.

Si verò febres vagæ sunt.

FEBRES vagas videtur eas intelligere, quæ incertas habent accessiones, neque certum aliquem materiæ motum; vt quas neque simpliciter tertianas, nec quotidianas dicere poßis: quarum natura ferè talis esse solet, vt interim eodem die duas aut plures accessiones faciant, interim etiam post aliquot dies, non habito certo aliquo ordine, quemadmodum in tertianis & aliis intermittentibus fieri consueuit. Fiunt autem ob victus rationem non rectè institutam, aut quia varij in variis corporis partibus humores putrescunt; hos siquidem humores partes quædam citiùs, aliæ tardiùs accendũt, ex quibus etiam alij vt accendantur promptiores sunt, alij minùs proni. Cæterùm quando hîc cibandum sit, & ipsa morbi constitutio & consuetudo & ægri vires docebunt; si etenim constent vires, alternis tantùm diebus tenuiter quidem, non tamen in extremo, quòd frequenter in longum protrahantur tempus, nutricabimus. Id interim curandum est, quemadmodum auctor noster docet, vt statim vbi ad infebricitationem ventum est, cibemus; ne videlicet cibationem noua statim subsequatur accessio.

At si plures accessiones.

SEMITERTIANAS intelligit: hæ etenim vti nunquam febre vacans tempus relinquunt, ita plures interdum eodem die accessiones faciunt; quarum altera quidem longior iugísque ferè est, altera breuior quidem, verùm vehementior. Porro cibationis tempus hîc quoque, vt in præcedentibus, à consuetudine, virium robore, & morbi constitutione petendum est, limitatione habita, quemadmodum auctor noster docet: vt si per omnia pares sint accessiones, post eam

potius cibus detur, quæ non inter meridiem & vesperam desinit, quod satius aliquanto sit aut prandij tempore, aut paulo ante illud cibasse, obseruata nimirum hypothesi quæ à consuetudine sumitur, quam inter omnes maximi semper faciendā docet Hippocrates.

Etenim perpetuum est.

EIVS medicinæ partis quæ victui medetur (inquit Hippocrates libro De ratione victus in morbis acutis) maximum est, febrium tum intentiones, tum declinationes, non in acutis modò, verùm & in longis quoque, obseruare, vt tempora quibus cibi offerendi non sunt, & tutò, & quibus offerendi existunt, cognoscas, atque adhuc quando plurimum ab intentione aberint. Cognoscemus autem in acutis morbis nutricandi tempus ex pedum caliditate: nam, vt eodem libro testatur Hippocrates: Quum purgaueris, sorbitionibus quibusdam vtitor, obseruatis ita febrium accessionibus, vt nunquam quum adsint, neque quum futuræ sunt, exhibeas; sed vel quum cessent, vel quieuerint, & maximè à principio recesserint. frigentibus ergò pedibus, neque potum neque sorbitionem, neque aliud quippiam huiusmodi dabis, sed maximum æstimato, si id tantisper obseruaueris, donec valdè incaluerint, deinde ita quod confert exhibe. Frigiditas siquidem pedum parte plurima febris accessuræ signum existit: quo tempore si quid porrigas, prorsus peccabis; nempe & morbum non parum augebis. At verò quum febris desierit, pedes reliquo corpore calidiores fiunt; nempe quum augetur, pedes refrigerat, incensaque ex thorace ad caput flammam mittit. Calore igitur toto ad supernas partes concurrente, atque ad caput expirante, non absque causa pedes frigescunt, vtpote qui natura & carne vacent & neruis abundent: præterea & à calidißimis separati locis refrigerantur, sese ad thoracem colligente calore.

Sed cùm sit aptissimum.

EX hoc colligere licet Celsum nostrum diatrito methodicorum multum tribuere solitum, sed ita tamen vt eadem lacessendas ægri vires haud quaquam censuerit: siquidem si vires non constent, atque corpus infirmum sit, non habita mirifica illius diatriti ratione, quotidie cibat.

Si protinus venæ conciderunt.

SIGNVM hoc exhausti exuccique corporis est, quòd per inediam ad tabem facillimè deduceretur. Sic Galenus x. Methodi, iuueni (qui re ita postulante plus itineris confecerat) horrenti iam ac febricitanti proximo, in ipso horrore dilutum panem exhibuit: atque ita non solùm horrorem, sed ingruentem etiam febrem compescuit; idq; experientia à se compertum affirmat, atque eò securiùs inhiberi febrem, quanto citiùs eosdem cibaueris.

si inter plures accessiones.

VNICVS fere in morbis nutricationis scopus est, virium robur: nam frustrà in peracutis, nisi cum virium robore, summè tenuem victum præscribemus; virium siquidem imbecillitas sæpius quidem, sed paulatim cibandum dictat; sed & corpus benè difflabile ad cibationem stimul[illegible]t, & quod tenues habet succos, id cibandum indicat.

deinde in decessione.

EXEMPLAR Tornæsium, contrà quàm reliqua exemplaria, decessione habet; idq; meliùs: quemadmodum rectè annotauit Pantinus.

Si tamen propter &c.

CONSISTENS incrementum febris, non ipsum vigorem propriè dictum, sed particularem ipsius augmenti statum, appellat; sic vt quiuis paroxysmus in quatuor tempora distinguatur, principium dico, augmentum, statum, & declinationem; quod innuisse videtur, quum consistens incrementum ab increscente distinxit: nam alioqui Hippocratis theorematis paulo antè recitatis planè repugnantia dixerit; siquidem is in morbi vigore omnino abstinendum suasit.

neque

Neque hercule ſatis eſt.

HIPPOCRATES *libro* De *morbis acutis: Coniicere oportet & robur & morbi cuiuſque ſpeciem, hominis item naturam, atque ægrotantis in victu conſuetudinem, non in cibis ſolùm, verùm etiam in potionibus.*

Cùm verò ſemper ægros ſecuros.

HÆC *ſunt quæ Hippocrates* τ' ἔξωθεν *ſine externa vocare ſolet: atque ea quidem quam vim atq. efficaciam habeant in ægris, auctor eſt Hippocrates tum primo Aphoriſmorum, tum ſexto* Epidemion: *nam quum affectus animi tales ſint, vt valens corpus alterare poßint, & diariam ſtatim concitare; quomodo eadem valetudinarium, & febribus ſubiectum non afficient, ac cibandi omnem occaſionem, ſi non ſurripient, ſaltem ſubuertent; quum & cibi concoctionem impediant, & nouo paroxyſmo iter ſternant?*

CAPVT VI.

Quando potiones febricitantibus dari expediat.

SED de cibo facilior quidem cum ægris ratio eſt, quorum ſæpe ſtomachus hunc reſpuit, etiam ſi mens concupiſcit. De potione verò ingens pugna eſt, eoque magis, quo maior febris eſt. Hæc enim ſitim accendit, & tum maximè aquam exigit cùm illa periculoſiſſima eſt. Sed docendus æger eſt, vbi febris conquieuerit, protinus ſitim quoque quieturam, longioremque acceſſionem fore, ſi quod ei datum fuerit alimentum. Ita celerius eum deſinere ſitire, qui non bibit. Neceſſe eſt tamen quanto facilius etiam ſani famem, quàm ſitim ſuſtinent, tanto magis ægris in potione, quàm in cibo indulgere. Sed primo quidem die nullus humor dari debet, niſi ſubito ſic venæ conciderunt, vt cibus quoque dari debeat. Secundo verò, cæteriſque etiam, quibus cibus non dabitur, tamen ſi magna ſitis vrgebit, potio dari poteſt. Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum ratione caret, vbi aut bilis ægrum, aut cruditas malè habet, expedire quoque per medicas potiones miſceri nouam materiam corruptæ. Illud videndum eſt, vt qualia tempora cibo leguntur, talia potioni quoque: vbi ſine illo datur, * deligantur, aut cùm ægrum dormire cupiemus. Quod ferè ſitis prohibet. Satis autem conuenit, cùm omnibus febricitantibus nimius humor

* delig. cùm

mor

mor alienus ſit, tum præcipuè eſſe fœminis, quæ ex partu in febres inciderunt. Sed cùm tempora cibo potioniq́ue febris & remiſſionis ratio det, non eſt expeditiſſimum ſcire quando æger febricitet, quando melior ſit, quando deficiat. Sine quibus diſpenſari illa non poſſunt. Venis enim maximè credimus fallaciſſimæ rei, quia ſæpe iſtæ * leniores, celerioreśve ſunt, & ætate & ſexu & corporum natura. Et plerunque ſatis ſano corpore, ſi ſtomachus infirmus eſt, nonnunquam etiam incipiente febres ſubeunt & quieſcunt, vt imbecillus is videri poſſit, cui facile laturo grauis inſtat acceſſio. Contrà ſæpe eas concitat, & reſoluit ſol, & balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus, adeò, vt cùm primùm medicus venit, ſolicitudo ægri dubitantis quomodo * ille ſe habere videatur, eas moueat. Ob quam cauſſam periti medici eſt, non protinus vt venit apprehendere manu brachium, ſed primùm reſidere hilari vultu, percunctariq́ue quemadmodum ſe habeat, & ſi quis eius metus eſt, eum probabili ſermone lenire, tum deinde eius corpori manum admouere. * Quas venas autem conſpectus medici mouet, quàm facilè mille res turbant. Altera res eſt, cui credimus, calor, æquè fallax. Nam hic quoque excitatur æſtu, labore, ſomno, metu, ſolicitudine. Igitur intueri quidem etiam iſta oportet. Sed his non omnia credere, ac protinus quidem ſcire non febricitare eum, cuius venæ naturaliter ordinatæ ſunt, teporq́ue talis eſt, qualis eſſe ſanis ſolet. Non protinus autem ſub calore motuq́ue febrem * ſeſe concipere, ſed ita, ſi ſumma quoque arida inæqualiter cutis eſt, ſi calor & in fronte eſt, & ex * imis præcordiis oritur, ſi ſpiritus ex naribus cum feruore prorumpit, ſi color aut rubore, aut pallore nouo mutatus eſt, ſi oculi graues, & aut perſicci, aut ſubhumidi ſunt, ſi ſudor cùm fit, inæquális eſt, ſi venæ non æquis interuallis mouentur. Ob quam cauſſam medicus neque in tenebris, neque à capite ægri debet reſidere, ſed illuſtri loco aduerſus eum, vt omnes notas ex vultu quoque cubantis * perſpiciat. Vbi verò febris fuit, atque decreuit, * expectari oportet, num tempora, parteśve corporis aliæ paulum madeſcant, quæ ſudorem

Venarum pulſus.

* lentiores,

* illi

Officium medici.

* Quàm

* poſſe

* intimis

* percipiat.

* expectare

dorem venturum esse testentur. Ac si qua nota est, tunc demum dare potui calidam aquam, cuius salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit. Huius autem rei caussa continere æger sub veste satis multa manus debet, eademque crura, pedesque contegere, qua malè plerique ægros in ipso impetu febris, pessimeque vbi ardens ea est, malè habent. Si sudare corpus cœpit, linteum tepefacere oportet, paulatimque singula membra detergere. At vbi sudor omnis finitus est, aut si is non venit, vbi quàm maxime* potuit, idoneus esse cibo æger videtur, sub veste leniter vngendus est, tum detergendus, deinde ei cibus dandus. Cibus autem febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certè quàm proximus, vtique ex materia quàm leuissima, maximeque sorbitio, eaque si magnæ febres fuerunt, quàm tenuissima esse debet. Mel quoque despumatum huic rectè adiicitur, quo corpus magis nutriatur: sed id, si stomachum offendit, superuacuum est, sicut ipsa quoque sorbitio. Dari verò in vicem eius potest, vel intrita ex aqua calida, vel alica elota, si firmus est stomachus: & compressa aluus ex aqua mulsa: si vel ille languet, vel hæc profluit, ex posca. Et primo quidem cibo ita satis est: secundo verò aliquid adiici potest, ex eodem tamen genere materiæ vel olus, vel conchylium, vel pomum. *Et dum febres quidem increscunt, hic solus idoneus cibus est. Vbi verò aut desinunt, aut leuantur, semper quidem incipiendum est ab aliquo ex materia leuissima: adijciendum verò aliquid ex media, ratione habita subinde & virium hominis & morbi.* Ponendi verò ægro varii cibi (sicut Asclepiades præcepit) tũ demũ sunt, vbi fastidio vrgetur, neq. satis vires sufficiunt, vt paulum ex singulis degustando famem vitet. At si neque vis, neque cupiditas deest, nulla varietate solicitandus æger est, ne plus assumat, quàm concoquat. Neque verum est, quod ab eo dicitur, facilius concoqui cibos varios: *eduntur enim faciliùs, ad concoctionem autem materiæ, genus & modus pertinent. Neque inter magnos dolores, vt neque increscente morbo tutum est ægrum cibo impleri, sed vbi inclinata iam in melius valetudo est. Sunt

*tepuit,

*Ac

*Apponendi

*educuntur

 aliæ

aliæ quoque obſeruationes in febribus neceſſariæ, atque id quoque videndum eſt, quod quidam ſolum præcipiunt, an aſtrictum corpus ſit, an profluat: quorum alterum ſtrangulat quod continet, alterum digerit. Nam ſi aſtrictum eſt, ducenda aluus eſt, mouenda vrina, eliciendus omni modo ſudor. In hoc genere morborum ſanguinem etiam miſiſſe, concuſſiſſe vehementibus geſtationibus corpus, in lumine habuiſſe, imperaſſe famem, ſitim, vigiliam prodeſt. Vtile eſt etiam

* inducere * ducere in balneum, prius demittere in ſolium, tum vngere, iterum ad ſolium redire, multaque aqua fouere inguina, interdum etiam oleum in ſolio cum aqua calida miſcere, vti cibo rarius & ſerius tenui, ſimplici, molli, calido, exiguo, maximeque oleribus, qualia ſunt lapathum, vrtica, malua, vel iure etiam concharum, muſculorúmve, aut locuſtarum, neque danda caro, niſi elixa eſt. At potio eſſe debet magis liberalis, & ante cibum, & poſt hunc, & cum hoc vltrà quàm ſitis co-

* ius ping. get. Poteritque à balneo etiam * pinguius aut dulcius dari vinum, poterit ſemel aut bis interponi Græcum ſalſum. Contrà verò ſi corpus profluet, ſudor coërcendus, quies adhibenda erit, tenebris, ſomnoque quandocunque volet vtendum, non niſi * leui geſtatione corpus agitandum, & pro genere mali ſubueniendum. Nam ſi venter fluit, aut ſi ſtomachus non continet, vbi febris decreuit, liberaliter oportet aquam tepidam potui dare, & vomere cogere, niſi aut fauces, aut præcordia, aut latus dolet, aut vetus morbus eſt. Si verò ſudor exercet, duranda cutis eſt vel nitro, vel ſale, quæ cum oleo miſcentur. At ſi leuius id vitium eſt, oleo corpus vngendum eſt: ſi vehementius, roſa vel melino, vel myrteo cui vinum auſterum ſit adiectum. Quiſquis autem fluore æger eſt, cùm venit in balneum, prius vngendus, deinde in ſolium demittendus eſt. Si in cute vitium eſt, frigida quoque, quàm calida aqua meliùs vtetur. Vbi ad cibum ventum eſt, dari debet * is valens, frigidus, ſiccus, ſimplex, qui quàm minimè corrumpi poſſit, panis toſtus, caro aſſa, vinum * aſperum, vel certè ſubauſterum. Si venter profluit, calidum: ſi ſudores nocent, vomituſque ſunt, frigidum.

[Margin notes: * leni (beside "leui geſtatione"); * his (beside "is valens"); * auſterum, (beside "aſperum")]

ENAR-

ENARRATIO.

NON mirum si famem faciliùs ferant febrientes quàm sitim: quando nausea cibiq; fastidium communia quædam accidentia sint omnium in ventriculo redundantium humorum. Sitis autem quoniam duplici de causa fiat; altera videlicet ob humiditatis inopiam; altera ob caliditatis redundantiam; in febribus maximè molesta est, quum in iisdem vtraque causæ affligant: caliditas enim in illis multa est, & siccitas, vt docet Aëtius, succedit, multa humiditate per violentiam febris consumpta. Siquidem igitur sine detrimento bibere possent quando vellent, hanc sanè sitis medelam amplecterentur statim. quandoquidem verò & mensuram & tempora potus decernere oportet, lenimenta quædam sitis excogitanda sunt: nam intempestiuè sumptus potus, non solùm sitim non extinguit, sed eandem etiam interdum auget. In principiis enim exacerbationum, omnes materiæ febrem accendentes, ad profundum declinant, & propterea sitim intendunt. Datus igitur in illo tempore potus, à materiæ multitudine superatur, & simul vitiatus, accessio fit mali. Quare in principiis & augmentis potus exhibitionem prohibere conuenit; deinde declinatione incipiente potum dare, in remissione verò etiam nolentes aliquando coguntur potum assumere, vt ne humore indigi ad exacerbationis accessionem delati, resiccentur atque exurantur.

Sed primo quidem die.

COLLAPSÆ venæ summam siccitatem & calorē indicant. quare si marasmum subterfugere mens est, consultum est huiusmodi non solùm potu reficere, sed etiam, vti præcedente capite dictum est, pleniùs quàm morbi ratio postulat, & maturiùs cibare oportet.

Ac ne illud quidem ab Heraclide.

TARENTINVS hic Heraclides Empiricorū posterior atque probabilior omnium apud suos inuenitur, vt auctor est Cælius Siccensis. Cæterùm quod is dicebat (vt hîc infert Celsus) potionibus medicis nouam materiam misceri corruptæ, id quidem non omnino à ratione alienum est in iis febribus quæ originem suam humorum cruditati tantùm acceptam ferunt. In iis autem quas bilis solummodò concitauit, & quæ macilentum strigosúmque quodammodo corpus sortitæ sunt, non solùm non materiam peccantem augebimus, sed eandem & imminuemus, & eiusdem calorem refrenabimus.

Satis autem conuenit.

QVAMQVAM dicat alio loco Hippocrates victum humidum febricitantibus conuenire, non tamen malè hîc infert Celsus, omnibus febrientibus alienum esse nimium humorem; quum tantum detrimenti ipsa humoris copia sit allatura, quantum ipsa qualitas commodi. Ac proinde quòd mulieribus quæ ex partu febricitant, inimicißimus sit nimius humor, mirum non est, quando febres originis suæ causam acceptam ferè ferant interceptis humoribus, qui alioqui toto puerperij tempore expurgari solebant. Hîc autem obiter admonere lubet, locum hunc non citra mendi suspicionem legi: nam pro τῷ esse mulieribus, hisce mulieribus legere malim.

Sed cùm tempora.

HIC quoque locus mendosus esse videtur; siquidem quantum coniicere possum, negatiua non, redundat: Sed cùm tēpora cibo potioniq. febris & remissionis ratio det, est expeditissimum scire quando æger febricitet. nam nisi ita legamus, sibi ipsi statim contradicet, quum ait, Sine quibus illa dispensari non possunt.

Venis enim maximè credimus.

VENAS hîc suo more cum arteriis confundit,

fundit, quamquam rectiùs arterias, aut vasa spiritus, sicut Hippocrates, dixisset; quas non immeritò fallaces appellat Celsus : nam etiamsi quàm maximè certa sit de pulsibus disciplina, ei præsertim, qui Galeni de iisdem libros degustàrit, tamen singulorum ægrorum, ad quos accedit medicus pulsuum differentias exactè diiudicare non poterit, nisi sanorum priùs probè & exactè exploratum pulsum habuerit : atque ita tandem discernere poßit, quantum à sani pulsu discedat ac discrepet : quod Galenus libro De præsagiis ex pulsibus faciendũ suadet : Nam omnium, inquit, alterationum quæ corpori accidunt, certißimam assequimur in illis corporibus cognitionem, quorum noscimus naturam.

quomodò ille se habere videatur.

RECTE *hîc legendum monet Pantinus, illi pro* ille.

quàm facilè mille res turbant.

CÆSARIVS *in alio quodam exemplari legi dicit,* cui facile adhuc laturo.

Altera res est.

BENE *monet Celsus fallacem, si quem alium, esse calorem : nam præterquam quòd is in febribus, aliàs mitis, aliàs mordax, aliàs increscens sit, ita nonnunquam oritur ex aliis causis, quas Cornelius noster hîc recitat: nam etiamsi quàm maximè ab æstu, sole, labore, & similibus excitetur calor, nisi à corde in totum corpus diffundatur dispergatúrque, atque actiones lædat, febrilis calor nequaquam dici poterit.*

Igitur intueri.

GALENVS *De arte curatiua ad Glauconem primo : Maxima signa & præcipua in febricitantibus omnibus ex pulsibus & vrinis petuntur : nam partes quas febres maximè occupant, sunt cor, arteriæ, & venæ. Itaque præcipuæ in febribus notæ ex harum partium actione læsa, & excrementis petuntur; hoc est ex pulsibus, vrinis & excrementis. Alia omnia signa, quæ hîc ex Hippocrate Celsus asscribit, obscura, & tanquam minus præcipua vocare solent; quanquam & hæc quoque singula consideranda moneat Galenus, quòd nimirum morbi magnitudinem aut contrà denotent.*

Non protinus autem.

CELSVS *hîc multa diuersáque inter se signa confundit : nam neque omnibus commune est cutim inæqualiter aridam esse, sed tertianis nonnullis tantùm febribúsque potissimùm hecticis; siquidem quotidiana febris, vt originem suam à pituita habet, corporaq; aut pituitosa natura, aut studio, ocio, victúsque intemperantia phlegmatica reddita, inuadit, ita cutim aridam non efficiet statim. Et neque arteriarum pulsus inæqualis, omnibus febribus communis est : nam vt ex Galeno Aëtius, est etiam in tertianis febribus ordo pulsuum exquisitus, & æqualitas: excitatur autem in progreßibus exacerbationum pulsus ipse ad vehementiam, magnitudinem ac densitatem. In quotidianis autem febribus in pulsibus manifesta ordinis confusio & inæqualitas adest; tempore irruptionis, exacerbationis præsertim, & velocitas ac vehementia motus ipsis non adest. Et rursus tertianariis spiritus ex naribus magni ac densi cum feruore quodammodo prorumpunt, ac velut flammam quandam efflant, quando sitim, si quæ alia febris, hæc inducat, idq; maximè in vigore, hominémque exurat, adeò vt se denudet, & abiiciat vestitum. Quotidiana autem neque densam respirationem, neque crebras efflationes excitat. Atque ita de reliquis pronunciandum censeo : quamquam si quis omnia hæc signa coniuncta velit, marasmodi febri optimè conuenire dixerimus.*

Ob quam caussam.

IDQVE *ex præscripto Hippocratis, qui singula momenta in ægrotis perspicienda dicit.*

Vbi verò febris fuit.

SVDORIS *procreationem breuißimè clarißiméque describit Hippocrates libro De*

flatibus, & De morbis; dicit autem : Sudor fit hac de causa, quicunque morbi in indicatoriis diebus indicantur, & febrilis ignis dimittit, in his de pituita & bile quod tenuißimũ est eliquatur & secernitur, & secedit, partim extra corpus, partim intùs, & isthic quod in corpore relinquitur, partim præ caliditate attenuatur, & vapor fit, & cum spiritu permixtum foras procedit; atque hæc quidem huiusmodi fiunt, & ab his sudor generatur. Celsus ad proliciendum sudorem, calidam potui dat, quòd hæc humorum repletionem per halitum quodammodo digerat, atque excalfaciat.

Si sudare corpus cœpit.

NE *videlicet sudore iam quodammodo concreto atque frigefacto pori obstruantur, atque adeò naturæ motus interturbetur intercipiatúrque.*

At vbi sudor omnis.

QVOD *nimirum aduersus vim febris, humiditas quæ vnctione comparatur remedio sit: nam etsi Hippocrates libro De diæta, vnctionem humectare, calefacere, & mollire dicat, intelligendum tamen est, nõ vsque adeò calefactoriam esse, vt hinc periculum aliquod expectandum sit, quando idem senex quarto Acutorum, febrientibus quibus inter initia tenues fuerant vrinæ, non purgabat, sed quieti permittebat, inungebat, & æqualiter contegebat, mulsámque aquosam bibendam & ptisanæ cremorem sorbendũ dabat: quam curandi methodum hic auctor noster expreßisse videtur; nisi quòd pro aquosa mulsa, calidam aquam suo more substituerit, eámque potui det. Ac proinde, vt eò deueniamus vnde digreßi sumus, non solùm quòd humectet, febrientibus vtilis censetur vnctio, sed quòd demulceat ac leniat; quibus maximè opus est his quæ concoquuntur maturantúrque; adhæc quòd modico calore humoribus vaporibusq. discutiendis sit idonea.*

Cibus autem febricitantibus humidus.

FEBRICITANTIBVS *(inquit Hippocrates sectione prima Aphorismorum, Aphorismo* XVI.) *omnibus victus humidus conuenit; maximè verò pueris, & iis qui tali victu vti consueuerunt: si etenim febris calida, & sicca paßio est, victus humidus, qui huic ex diametro opponitur, optimè conueniet. humidum autem victum vocat, sicut rectè monet Fuchsius, eum potißimùm qui potentia talis sit: quanquam si actu quoque humidus ac liquidus sit, plus proderit. Quod Celsum quoque voluisse verisimile est, quum dicit,* aut humori certè quàm proximus. *Proderit autem talis victus nõ solùm ea ratione quòd humectet, sed etiam quòd facilè concoquatur ac distribuatur. Ciborum autem facultates sigillatim hic recensere longius esset, quàm præsens exigat locus. quare si quis eorundem pleniorem explanationem desideret, nostras in præcedentem librum Enarrationes consulat.*

ratione habitâ subinde & virium.

CONIECTVRARI *enim, vt docet Hippocrates, oportet an æger cum victu sufficiat perdurare donec morbus consistat, & numquid priùs ille deficiat, nec poßit perdurare cum victu, vel morbus antè deficiat atque hebescat.*

Ponendi verò ægro varii, &c.

CONCEDO *varietatem ciborum, si eisdem oculos tantùm pascamus, ac varietate ciborum illecti, vnius alicuius appetitu teneamur: nam alioqui nihil alienius à natura, quæ simplicißimis contenta est, quàm ferculorum opsoniorúmque varietas: siquidem, vt auctor est Galenus commento in Hippocratem De ratione victus in morbis acutis, cibi multiplices, & præsertim qui facultate dißimiles sunt, magnam in ventre progignunt perturbationem; quæ ad cibi concoctionem nihil aduersatur magis.*

vt neque increscente morbo.

RECTE *dicit impleri cibo; quando antè moderationem præscripserit pro ratione virium hominis & morbi: nam certum est quòd*

quòd ad indicationem vsque aliquid subtrahendum sit cibo; si vires ferant, tenuißimo extremè victu in acutißimis morbis vtendum est.

atque id quoque videndum est.

Hoc *ex methodicorum placitis sumptum est, vt docet Galenus primo De morbis & symptomatibus; illi etenim meatuum obstructioni, atque eorundem resolutioni, ac laxitati omnes morbos acceptos ferebant: quod quàm sit à ratione alienum, facilè intelliget qui in Galeno vtcunque versatus est.*

Nam si astrictum est.

Obstrvctio *citatiore aluo aut vrinæ subitanea eruptione, aut sudore aut sanguinis etiam mißione, nonnunquam discutitur. Cæterùm an cōcußio vehemens eidem prodesse queat, nondum satis assequor: nam si in febribus obstructio molesta sit, concußio aut agitatio vehemens adeò nihil profecerit, vt fomitem febrili calori potiùs addat, atque materiam crudam adhucdum distributioni non satis idoneam in venas totúmque corpus rapiat, atque adeò obstructionem potiùs augeat. Quæ de fame, siti vigiliáque subiungit, antè explicata sunt. De balneo autem quamquam præcedente libro abundè dictum sit, hoc tamen dixisse conueniebat, quòd obstructionibus præsentißimo sit remedio: nam laßitudinem soluit; præsertim si calidum sit, & humorum repletionem per halitum digerit, ac poros cutis obstructione liberat.*

Contrà verò si corpus, &c.

Qvies *& somnus concoquunt, purgationes tam arte quàm spontè prouenientes reprimunt; motus contrà easdem exagitat: nam, vt in Aphorismis Hippocrates, quoties magis purgare volueris helleborum, moueto corpus. indicat autem nauigatio turbatione moueri corpus.*

Nam si venter fluit.

Vetvs *axioma est, fluxum fluxu sedari; sic fluxa aluo laborantibus materiam auertimus, & vomitorium exhibemus; quanquam id non semper & vbique tutum sit: nam inflammatione vexatis præcordiis aut latere (ita enim præcordia dolentia intelligit Celsus) inflammatio vomitus exagitatione augeretur, & neque tepidæ potio sufficiens erit ad compescendū malum, quum stomachum planè subuertat: quare & in his quibus nihil continet stomachus, tepida nihil alienius est, vt præcedente libro dixi.*

rosâ vel melino.

Rosacei *irroratio aut irrigatio non solùm sudorem cohibet, sed & quodammodo sitim mitigat: nam, vt auctor est Aëtius, Inunctio rosacei, melini aut myrtini olei sudores cohibet, non solùm sua frigiditate & astrictione; sed & emplastica qualitate vi præditum est. Rosam autem hîc aliísque locis Celsus pro rosaceo ponit.*

Capvt VII.

Quomodo pestilentes febres curari debeant.

Desiderat etiam propriam animaduersionem in febribus pestilentiæ casus. In hanc minimè vtile est, aut fame, aut medicamentis vti, aut ducere aluum. Si vires sinunt, sanguinem mittere optimum est, præcipueque si cum dolore febris est. Si id parum tutum est, vbi febris aut tenuata est, aut leuata est, vomitu pectus purgare. Sed in hoc maturius,

turius, quàm in aliis morbis, ducere in balneum opus est, vinum calidum & meracius dare, & omnia glutinosa. Inter quæ quoque carnem generis eiusdem. Nam quo celeriùs eiusmodi tempestates corripiunt, eo maturiùs auxilia, etiam cum quadam temeritate rapienda sunt. Quòd si puer est qui laborat, neque tantum robur eius est, vt sanguis mitti possit, siti ei vtendum est, ducenda aluus, vel aqua, vel ptisanæ cremore, tum demum is leuibus cibis nutriendus. Et ex toto, non sic pueri vt viri curari debent. Ergo, vt in alio quoque genere morborum, parciùs in his agendum est. Non facilè sanguinem mittere, non facilè ducere aluum, non cruciare vigilia, fame've, aut nimia siti, non vino curare satis conuenit. Vomitus post febrem eliciendus est, deinde dandus cibus ex leuissimis, tum is dormiat: postero quoque die si febris manet, *abstineatur. Tertio ad similem cibum redeat. Dandaque opera est, quantum fieri potest, vt inter opportunam abstinentiam cibosque opportunos, obmissis cæteris nutriatur. Si verò ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio est, sed in ipsis accessionibus, oleo & aqua refrigerandus est, quæ miscenda manu sunt donec albescant, & conclaui tenendus, quò multum & purum aërem trahere possit, neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum leuibus tantùm velandus est. Possunt etiam super stomachum imponi folia vitis in aqua frigida tincta. Ac ne siti quidem nimia vexandus est, alendus maturius est, id est, à die tertio, & ante cibum iisdem perungendus. Si pituita in stomacho coit, inclinata iam accessione, vomere cogendus est, & tunc dandum frigidum olus, aut pomum ex his; quæ stomacho conueniunt. Si siccus manet stomachus, protinus vel ptisanæ, vel alicæ, vel oryzæ cremor dandus est, cum quo recens adeps cocta sit. Cùm verò in summo incremento morbus est, vtique non ante diem quartum magna siti antecedente, frigida aqua copiose præstanda est, vt bibat etiam vltra satietatem: & cùm iam venter & præcordia vltra modum repleta, satisque refrigerata sunt, vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt, sed ipsa aqua frigida tantùm ad satietatem data pro medica-

*absti-neat.

medicamento vtuntur. Vbi vtrumlibet factum eſt, multa veſte operiendus eſt, & collocandus vt dormiat. Fereq́ue poſt longam ſitim & vigiliam, poſt multam ſatietatem, poſt infractum calorem plenus ſomnus venit, per quem ingens ſudor effunditur, idq́ue præſentiſſimum auxilium eſt. Sed in his tamen in quibus præter ardorem, nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens, vel in thorace, vel in pulmone, vel in faucibus, non vlcus, non * deiectio, non profluuium alui fuit. Si quis autem in huiuſmodi febre leuiter tuſſit, is neque vehementi ſiti conflictatur, neque bibere aquam frigidam debet, ſed eo modo curandus eſt, quo in cæteris febribus præcipitur.

* defectio,

ENARRATIO.

IN peſtilentibus, inquit Aëtius, & carbunculoſis febribus venæ quidem ſectionem adhibemus ſtatim in principio; non autem cibi contractionem: fames enim peiorem materiam facit, & vires in his conſcindit quas integras ſeruare volumus, maximè in peſtilentibus.

aut medicamentis.

NESCIO *quàm rectè Celſus in peſtilentibus febribus vereatur medicamentis ſollicitare aluum, præſertim quando Galenus, Ægineta, Aëtius, & quotquot ſunt alij, plenum corpus vacuant, impurum purgant, ſicca humectant, vdáque exiccare non verentur; ſiquidem, vt rectè docet Ruffus, ventris ſumma habenda ratio eſt, itémque per vrinas & ex toto corpore facta purgatio, aliæque in hoc caſu vtiles ſunt. Quanquam ſi ex debilitate virium malum aliquod in periculo ſit, non admodùm tuta erit alui per medicamenta purgatio, quemadmodū etiam ſi ex intemperie medicamenti purgantis plus periculi immineret, quàm leuaminis ex materiæ peccantis ablatione. legimus enim in Epidemiis quā fuerit multis pernicioſa aluus fluxa. Quare, conſultiſſimum erit, ventrem aſtrictiorem mollire (vt vocat Hippocrates) ſorbitionibus attractoriis, ac cauere à vehementioribus illis pharmacis.*

præcipueq́ue ſi cum dolore.

PER dolorem, *vt iam ſæpiùs dictum eſt, inflammationem aut tenſionem alicuius partis intelligere oportet.*

Si id parùm tutum eſt.

QVANDO *tutum ſit venam tundere, præcedente libro dictum eſt; ac quòd in morbis conſtitutionibúſque pituitoſis non admittatur ſanguinis miſſio, antè meminimus, & quòd ſtomachus pituita fluctuans vomitu expurgandus ſit, primo libro docuit Celſus, & ſequenti capite demonſtrat, quum dicit, Si pituita in ſtomacho coiit inclinata iam acceſſione, vomere cogendus eſt: neque id iniuriâ; quando videamus in peſtilentibus febribus, ſponte vomitiones non ſolùm pituitoſas, ſed & bilioſas fieri. non ſunt tamen ad vomitum leui de cauſa vrgendi.*

Sed in hoc maturiùs quàm in aliis.

QVOD *nimirum ſudores foras euocant, ac materiam venenoſam ab interioribus ad exteriora eliciant: quanquā & non inutilia*

futura

futura ſint balnea, ſi leui fluxione vexetur aluus; ſicuti inidonea ſunt, quibus eadem valdè fluxa eſt, & qui ex ſudoris copia animo facilè deficiunt.

vinum calidum & meracius.

NESCIO *qua ratione in peſtilentibus febribus vinum calidum & meracius dare præcipiat; quando alij omnes ſi ardore æſtuet æger, & flamma vſque ad pectus pertingat, potionē frigidam offerant; idq́ non in parua quantitate, nam magis hoc pacto accenditur febrilis calor, verùm confertim, vt flammam extinguat. niſi fortè Celſum noſtrum ad arcendam vlteriorem putredinem conſeruandaſq́ vires meracum propinare dicamus, ſicuti primo libro in conſeruatione à peſte, idem alternis diebus modò aquam, modò vinum præſcribit. Verùm etſi quàm maximè hoc concedamus, non poterimus tamen negare, quin vino materia febrilis augeatur intendaturque; adeò vt ſi deliria phrenitidéſque non præceſſerint, ſtatim ſubſequutura conſtans ſuſpicio ſit: auctor enim eſt Galenus, nonnullos ob meraci vini potum liberaliorem in cauſon incidiſſe. Quare ſi in febribus aliquo modo conſeruandarū virium gratia exhibendum ſit, id erit tenue & oligophorum; neque enim quæ in prophylactice bono ſunt, in morbi curatione ſemper locum habent.*

& omnia glutinoſa.

GLVTINOSA *omnia carnem quoque eius generis exhibent, quòd in ſtomacho non ita facilè corrumpantur; præſtaret tamen hîc exhibere quæ parua mole multum nutriunt, vt ita robori virium conſultum foret, & ne copia cibi vires, ceu ad graue aliquod onus fatiſcerent.*

Nam quo celeriùs.

CELSVS *hîc eam quæ ex anni tempeſtatibus oritur, peſtem tantùm videtur intellexiſſe: quæ, ſi Galeno credimus, inter omnes periculoſiſſima eſt, ac extremos habet labores; ac proinde extremè exquiſitè remedia efflagitat: adeò vt non oblata commoda occaſione, non habita morbi ratione, intempeſtiuum nonnunquam temerariúmque remedium (ne vi morbi ſuffocetur æger) experiri ſatius ſit quàm nullum.*

Quòd ſi puer eſt.

QVOD *in pueris ſanguinem mittere liberum non ſit, dictum eſt: at quòd iiſdem peſtilenti febre correptis ſitis iniungenda ſit, non omnino veriſimile videtur; præſertim quando Hippocrates febrientibus victum humidum, idq́ maximè pueris & qui tali victu vti conſueuerunt, vtilem dixit. Niſi fortè quis Celſum pueros ſiti laceſſendos dixiſſe dicat, quòd quum temperie humidiore ſint, egeant conuerſione quadam in diuerſum, quod & calor ipſe febrilis, & abſtinentia potus facillimè efficiant. Penes alios tamen iudicium eſto, ſitíſne an moderata potio iiſdem præſcribenda ſit: nam & paulo pòſt, nimiā ſitim in pueris ſuſpectam habet.*

ducenda aluus.

PTISANÆ *viſcoſitas, vt auctor eſt Hippocrates, lenis eſt, continua, iocunda, lubrica, & mediocriter humens, ſitim minimè infert; & ſi quid ablui debet, probè abluit; neque aſtringit, neque malè turbat, neque in ventre tumeſcit. Benè ergò Celſus ptiſanæ cremorem vt medicamentum & cibum propinat; neque enim vehementiora tulerint, quum ſubſtantia eorum continuè diffletur. Rectè etiam parciùs in eis agendum eſt, tum ob vitæ anteactæ conſuetudinem, tum ob vires, tum ob corporis conſtitutionem: nam quum ad ſomnum propenſi ſint, vigilias non ferent; & quum natura voraces ſint, inediam famémue nullo modo tulerint: nam qui creſcunt, vt ait Hippocrates, plurimum habent calidi innati, pluríque indigent alimento. & alio loco, Senes, dicit, optimè ieiunium ferunt; ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent; minùs adoleſcentes; omnium minimè pueri, præſertim qui inter ipſos ſunt viuidiores.*

non vino curare satis conuenit.

NIHIL pueris æquè aduersatur quàm vinum; adeò vt Galenus vinum pueris datum æquiparet oleo quod igni infunditur. Vomitum autem prouocandum post febres dicit, tum vt si quæ cruditatis suspicio in ventriculo sit, per vomitum expellatur; tum vt biliosa, quæ stomachi villis adhærere solent, vnà reiiciantur.

Si verò ardens febris.

PANTINVS hîc mendum subesse suspicatus, si verò febris ardens exercet legendum censet: ego sanè (vt cum bona eius venia dicam) quemadmodum meum habet exemplar, extorret legere malim, quòd τὰ τοῦ καύσου συνεδρεύοντα, (vt sunt linguæ ariditas, craßities & nigredo, deiectiones pallidæ, sitis vehemens, ventriculi rosio, vigiliæ deliriúmque) torrefactionem quandam præ se ferant.

nulla medicamenti danda potio.

PRIMA in ardente febre auxilia sunt, vt ex Philumeno Aëtius, decubitus in locis frigidis qui ad purum aërem patent ac perflantur, stratum molle ac sæpius renouatum, amicula aßiduè permutata, & satis gracilia non sordida; lectus sit abunde amplus, quò poßint membra calefacta subinde ad alias atque alias eius partes transferri; & per flabellum aër ignauior concitetur: epithemata pectori ac stomacho conueniunt imposita, palmulæ cum vino aut rosaceo aut melino tritæ. sunt & frigefacientia cõmoda; velut sunt pampini vitis triti, seris, polygonum, plantago, ramenta cucurbitæ, rumex acutus. Singulis autem admisceantur micæ panis præmadefactæ, aut polentæ. oportet tamen aßiduos horum vsus vitare. Celsus conclaui in quo liberum aërem trahere poßit, contentus, lecti, cuius non parua habenda est ratio, non meminit.

alendus maturiùs est.

MATVRAM cibationem vocat, non præproperam, sed quæ cum præmeditatione in tempore, hoc est, post elapsos dies indicatorios, ni virium robur impedimento sit, fiat. sic Hippocrates sorbitionem, nisi dies indicatorij transierint, non dat.

si pituita in stomacho coit.

CELSVS hîc per pituitam non quamuis sed salsam tantùm quæ ardentis febris nonnunquam origo est, intellexisse videtur. Sic Hippocrates non solum si pituita in stomacho coiit, sed & si os amarum fuerit, clysteres & vomitiones conferre dicit, quòd videlicet quæ os amarum reddit, vomitione & enematibus expurgetur.

& tunc dandum.

SCILICET vt expurgato illo salso humore, robur ventriculo addatur, obtundatúrque salsedo, & ne vomitione inanitus ventriculus exiccetur.

Si siccus manet stomachus.

NIHIL est quod exuccis exhaustisque partibus magis commodet quàm cremor ptisanæ hordeaceæ, quum mediocriter humidus sit, lubricus & viscosus; cui recentẽ adipem admiscendum suadet, ad maiorem humectationem.

Cùm verò in summo incremento.

SOLO frigidæ potu extinxisse se ardentißimas in totũ febres, auctor est Æginetæ. Tempus autem exhibitionis frigidæ est, instante vigore totius morbi. Cauendum tamen est ne principalius aliquod viscus afficiatur, vt docet Galenus libro Methodi; exhibendúmque est quantum æger bibere poterit: nam, vt docet Hippocrates, huic aquæ mulsæq; coctæ, & aquosæ quantum voluerit bibendum da: siquidem (vt Galenus De differentiis febrium primo XII. capite) in hecticam febrem ferè incidunt ex acuta ardentíque febre plærique eorum qui malè curantur, maximéque qui frigidam aquam vbi postulassent, adeò nihil eiusmodi biberũt;

vt nec

ut nec vllum aliud infrigidans remedium thoraci aut hypochondriis adhiberetur.

& cùm iam venter.

AQUA *quòd natura frigida sit tardè penetrat; & quum quàm plurimo tempore in præcordiis maneat, corrumpitur, atque obstructiones parit: quare Celsus post perfectam refrigerationem, ne obstructione vexetur hepar aliáque viscera, vomitionem præscribit. Aëtius, si quid sit quod frigidæ potionem vetat, eandem temperat cũ quintuplo aquæ calidæ, aut cum modico olei rosacei: Nam ipsum, inquit, rosaceum, non valdè frigefacit, & oleositas eius corporibus intus oblita, non permittit ipsa à frigida aqua lædi; & simul firmitatem quandam exhibet ventri rosaceum, & lubricitatem propter oleaginositatem.*

Vbi vtrumlibet factum est.

VT *ardens febris perfectè soluatur, è duobus alterutrum fieri necesse est: aut enim extinguendus ardor est; aut biliosi humores excernendi sunt: excernuntur autem vomitione, sudore, & alui excretione. Sudorem hîc mouendum dicit Celsus febre in vigore existente, aut concoctionis signis in vrina apparentibus; si non sit visceris alicuius inflammatio, aut tumor: quamquam & id quoque balneo tentasse proderit; nam præterquam quòd sudores prouocat balneum, quibusdam etiam per aluum biliosas deiectiones mouet.*

Si quis autem in huiusmodi febre.

CELSUS *hîc Hippocratis Aphorismum quodammodo innertit: nam is sectione quarta Aphorismo* LIIII. *Quibus, inquit, plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multùm siti infestantur: neque id mirum est, vt docet Galenus: nam si tusses eiusmodi fiant, aut ob humidam intemperiem instrumentorum respirationi inseruientium, aut ob tenuem aliquem paucumq́; humorem in faucium asperitates distillantem, necessum est tussim paruam esse, madefactis locis quæ ad asperam arteriam pertinent. frustrà ergo Celsus monet hosce non grauandos vehementi siti, nec propinandam frigidam, quòd per se ipsi, vt rectiùs monuit Hippocrates, siticulosi omnino non sint, & fauces affectæ frigidam non admittant. Quo fit vt suspicer periodon hanc à sciolo quodam assutam potiùs, quàm à Celso ita pronunciatam; præsertim quando Pinzanum exemplar eam omittat.*

CAPVT VIII.

Curatio semitertianæ febris, quæ hemitritæos dicitur.

AT vbi id genus tertianæ est, quod hemitritæon Medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat. Habet enim plerunque frequentiores accessiones, decessionesque, vt aliud morbi genus videri possit. * porrigitque febris inter horas vigintiquatuor & trigintasex, vt quod idem est, non idem esse videatur. Et magnopere necessarium est, neque dari cibũ, nisi in ea remissione, quæ vera est: & vbi ea venit, protinus dari, plurimique sub alterutro curantis errore subitò moriuntur:

* porrigaturque f. l. h.

tur: ac niſi magnopere aliqua res prohibet, inter initia ſanguis mitti debet, tum dari cibus, qui neque incitet febrem, & tamen longum eius ſpatium ſuſtineat.

ENARRATIO.

DE ſemitertianæ natura, prolixè admodùm contra Agathinũ libro De differentiis febrium ſecundo, capitibus VIII, IX, X, *&* XI. *agit Galenus. Eſt autem duplex modus generationis eius, aut duabus exacerbationibus vno tempore incidentibus, aut ſtatim ab initio vtriſque inter ſeſe permixtis. Quando igitur tertiana præpollet febris, magis horrifica efficitur febris, & rigoris etiam nonnihil per acceßionem aſſumit; quando autem quotidiana ſuperat, perfrictiones quidem ſumma exercent, pauci verò horrores. At vbi æquales magnitudine fuerint & tertiana intermittens & quotidiana continua, inuaſio exacerbationis cum horrore contingit, vocatúrque ſemitertiana exquiſita: Hippocrates horrificam vocare ſolet, quòd per totam ferè acceßionem producatur horror; dicit enim: Febres horrificæ, continuæ, acutæ omnino non intermittentes; modus erat ſemitertianus, vno die leniores, altero grauius iterum inuadentes.*

Et magnopere neceſſarium eſt.

GALENVS *vndecimo methodi ſub finem, cibandi opportunißimum tempus in omnibus febribus deſcribit. Scribit autem in hunc modum: Porro aptißimum in febribus quæ intermittunt & repetunt, tempus eſt, quum exhalare iam cœperit febrilis calor; ſtatim enim corpus ad nutrimentum præparant. Huius quoque opportuno tempore ex duplici coniectato reſpectu, nempe ſummo præcedentis acceßionis vigore, & futuræ principio. ad hæc namque ſpectantes operam dabimus, vt quàm longißimè ab vtroque nutriamus. Ergo ſi ſpacium quod inter ſummum prioris acceßionis vigorem, & ſequentis principium interuenit, ſatis ſit amplum; facile eſt idoneum tempus inuenire. ſin exiguum id fuerit, alterum facias neceſſe eſt, vt aut ægrum admodùm adhuc calentem nutrias, aut ſequentis acceßionis inuaſione iam iam affutura.*

Ac niſi magnopere aliqua res prohibet.

SEMITERTIANA *quando ex tertiana intermittente & quotidiana continua fit, curationem mixtam quodammodo ſortitur: nam neque tantùm refrenandæ bilis acrimoniæ, atque calori incumbendum eſt, quantùm in tertianis exquiſitis; neque vſque adeò incidentibus atque ſecantibus medicamentis, vt in quotidianis opus eſt: ſed iis quæ medio quodam ordine inter hæc ſituata ſunt. quare rectè inter initia, quando videlicet in non intermittentibus febribus phlebotomamus, niſi quid obſtet, ſanguinem mittendum monet. Nam etſi ſanguinis mißio in tertianis exquiſitis à Galeno parum probetur propter bilis acrimoniã, in ſemitertianis tutò adhibetur, quòd bilis aliqua ex parte refrenata ſit, acceßione pituitoſæ materiæ.*

CAPVT IX.

Curatio lentarum febrium.

NONNVNQVAM etiam lentæ febres ſine vlla remiſſione corpus tenent, ac neque cibo, neque vlli remedio locus eſt. In hoc caſu medici cura eſſe debet, vt morbum mu-

tet. Fortaſſe enim curationi opportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui oleum ſit adiectum, corpus eius pertractandum eſt, quoniam interdum ſic euenit, vt horror oriatur, & fiat initium quoddam noui motus, exque eo, cùm magis corpus incaluit, ſequatur etiam remiſſio. In his frictio quoque ex oleo, & ſale, ſalubris videtur. At ſi diu frigus eſt, & torpor, & iactatio corporis, non alienum eſt in ipſa febre dare mulſi tres aut quatuor cyathos, vel cum cibo vinum bene dilutum. Intenditur enim ſæpe ex eo febris, & maior ortus calor, ſimul & priora mala tollit, & ſpem remiſſionis in ea curatione oſtendit. Neque hercules iſta curatio noua eſt, qua nunc quidam traditos ſibi ægros (qui ſub cautioribus medicis trahebantur) interdum contrariis remediis ſanant. Siquidem apud antiquos quoque ante Herophilum & Eraſiſtratum, maximeque poſt Hippocratem fuit *πέτρων quidam, * Petro qui febricitantem hominem, vbi acceperat, multis veſtimentis operiebat, vt ſimul calorem ingentem, ſitimque excitaret. Deinde vbi paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat: ac ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum iudicabat: ſi non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, & tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberauerat, protinus ſuillam aſſam, & vinum homini dabat. Si non liberauerat, decoquebat aquam ſale adiecto, eamque bibere cogebat, vt mouendo ventrem purgaret. Et intra hæc omnis eius medicina erat. Eaque non minus grata fuit his, quos Hippocratis ſucceſſores non refecerant, quàm nunc eſt his quos Herophili, vel Eraſiſtrati æmuli, diu tractos non expedierunt. Neque ideo tamen non eſt temeraria iſta medicina, quia plures, ſi protinus à principiis excepit, interemit. Sed cùm eadem omnibus conuenire non poſſint, ferè quos ratio non reſtituit, temeritas adiuuat. Ideoque eiuſmodi medici melius alienos ægros, quàm ſuos nutriunt. ſed eſt circumſpecti quoque hominis, & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere: quia curationem vbi id quod eſt non recipit, poteſt recipere id quod futurum eſt.

ENARRATIO.

PER lentas febres hoc loco Celsus quotidianas continuas intelligit; eæ enim si reliquis comparentur, accessiones lentas magis faciunt, & in longius tempus protrahuntur: ac proinde quando quotidiana continua, præterquam quòd iugi paroxysmorum insultu vires prosternat, ac medcamentis cibationique tempus nullum concedat, & in longius quàm vires citra refectionem ferant, protrahatur tempus, medico inprimis id conandum suadet, vt morbus immutetur; ita videlicet, vt ex continuâ intermittens procreetur: sic enim fiet, vt & cibationi & remedio locus sit.

Sæpe igitur ex aqua frigida.

VERVM quidem est horrore superueniente posse sanari febrem continuam: siquidem, vt ait Galenus libro De sympt. causis II. cap. VII. ardentem febrem rigor succedens soluit, auctore Hippocrate, quòd bilis quæ interim in venis continebatur, à natura per carnes ad cutim indicatoriè excutiatur. & secundo libro Crisium cap. III. dicit, In adurentibus febribus singulæ accessiones ad integritatem non perueniunt, quoniam qui earum causa est humor, non expurgatur, sed vnà cum sanguine in venis continetur. verùm quando in iis bilis vehementiùs agitatur, ac veluti efferuescit, quúmque à natura inualescente impellitur, tum rigor superuenit, & febris soluitur; idq; eò magis si signa concoctionis præcesserint, & die critico fiat: nam alioqui Hippocrates suspectos habet rigores, atque indicium difficile afferre dicit, qui diebus paribus fiunt. Et vt ad auctoris nostri sententiam veniamus, nondum induci possum vt credam, laudandum rigorem, qui ex pertractatione frigidæ oritur in continuis febribus, quando is horror fiat potiùs ex repercußione quadam contactu frigidæ, quàm ab expulsione materiæ febrilis ad exteriora. Laudarim igitur frictionem magis ex oleo tenui, vt quæ poßit cutim relaxare, & per halitum digerere.

non alienum est in ipsa febre.

QVI mulsi, febriúmque naturam perspectam habuerit, satis intelliget quàm conueniat in ipso febris insultu cyathos tres aut quatuor mulsi propinare: sed nec in ipsa febre tutum erit cibum exhibere, eíque admiscere vinum admodum dilutum, quanquam consultius fuerit (si modò alterutrum concedendum sit) dilutum vinum exhibere, quàm mulsum. quare si reliqua quæ sequuntur ordine methodum aliquam præ se ferrent, pro mulso, mulsam substituerem, acutè febrientibus non inconuenientem: verùm quoniam quæ subiungit, omnia ferè à vera methodo quàm alienißima sunt, nihil immutare statuimus; vt videant quibus aliquid iudicij superest, quàm liberè quondam (quod & nunc quoq; nonnulli agyrtæ cum maxima impunitate factitant) aliorum periculis experimenta conquisiuerũt. Nam quis nisi amens sitim per se alioqui satis molestam excitabit in febribus? quis cyathos aliquot mulsi febrilis caloris fomitem in ipso febris impetu ingeret? quis demum vinum, & suillam assam ex febribus conualescenti propinare audeat? Quare si quis exactiorem curandi febres methodum desiderat, Galenum consulat: neque enim consultum est, morbum augere, febrésque accendere; sed veri medici est, ardorem ipsum, febrémque demulcere, atque obuiam ire morbo, nec quoquo modo eundem exagitare, ne morbi violentia vires collabantur.

CAPVT

CAPVT X.

Remedia in febribus ad capitis dolorem, & præcordiorum inflammationem, & ariditatem & scabritiem linguæ.

CONSIDERANDVM etiam est febre'sne solæ sint, an alia his quoque mala accedant: id est, num caput doleat, num lingua aspera, num præcordia intenta sint. Si capitis dolores sunt, * rosam cum aceto miscere oportet, & in id * ingerere, deinde habere duo pitacia, quæ latitudinem frontis longitudinemque æquent. Ex his inuicem alterum in aceto & rosa habere, alterum in fronte, aut intinctam iisdem lanam succidam imponere. Si acetum offendit, pura rosa vtendum est. Si rosa ipsa lædit, oleo acerbo: si ista parum iuuant, teri potest vel iris arida, vel nuces amaræ, vel quælibet herba ex refrigerantibus. Quorum quidlibet ex aceto impositum dolorem minuit, sed magis aliud in alio. Iuuat etiam panis cum papauere iniectus, vel cum rosa, cerussa, spumáve argenti. Olfacere quoque vel serpyllum, vel anethum non alienum est. At si in præcordiis inflammatio & dolor est, primò superimponenda sunt cataplasmata reprimentia, ne si calidiora fuerint, plus eò materiæ concurrat. Deinde vbi prima inflammatio se remisit, tunc demum ad calida & humida veniendum est, vt ea quæ remanserint, discutiant. Notæ verò inflammationis sunt quatuor, rubor & tumor, cum calore, & dolore. Quo magis errauit Erasistratus, qui febrem nullam sine hac esse dixit. Ergo si sine inflammatione dolor est, nihil imponendum est. Hunc enim statim ipsa febris soluit. At si neque inflammatio, neque febris, sed tantùm præcordiorum dolor est, protinus calidis & siccis fomentis vti licet. Si verò lingua sicca est, & scabra, detergenda primùm penicillo est ex aqua calida. Deinde vngenda mistis inter se rosa & melle. Mel purgat, rosa reprimit, simulque siccescere non sinit. At si scabra non est, sed arida, vbi penicillo detersa est, vngi ros. debet, cui ceræ sit paulum adiectum.

*ros. id est, rosaceum

*ingerere duo pitacia.

ENARRATIO.

HIC semel monendum est, vniuersalia dicta remedia, particularia semper præcedere debere. Quare nihil applicandum etiam maximè dolenti capiti, nisi post conuenientem materiæ euacuationem, & in accessionum declinationibus; ac tum quidem commodissimè rosam, hoc est oleū rosaceum, fronti temporibúsque applicabimus; digerit enim atque repellit: atque ei tutò admiscebimus acetum, tum quòd genuina quadam facultate, capitis doloribus sedandis accommodum sit, tum quòd rosaceum oleum sua tenuitate ad interiora deducat. exhibemus autem hæc si æstas sit, & febris calida, frigida; sin hiems, neque adurens febris, calida aut tepida.

vel iris arida.

QVOD iris capitis dolores sedet, auctor est præter alios Dioscorides; qui eandem cum rosaceo & aceto capite dolentibus vtiliter illini dicit: Pliniúsque, qui illam cum cotoneis & struthiis illinit. Verùm an rectè frigidis asscripserit herbis, alij diiudicent: clarum siquidem est ex ordine calefacientium irim esse. Hîc etiam expendendum moneo, num satis rectè amaram nucem inter refrigerantia collocârit; quando omnes quotquot sunt, (solo Auerrrhoe excepto) amara calida esse pronunciârint.

Iuuat etiam panis.

ID tantùm faciendum est si dolor vehementiùs ingruat, & si æstas sit: nam, vt docet Aëtius, si dolor capitis vehementiùs incumbat, hyoscyami folia viridia, aut papaueris cum micis panis conueniunt.

Olfacere quoque.

QVOD serpillum capite dolentibus rectè applicetur, docet Dioscorides: Serpillum, inquit, capitis dolores sedat coctum, adiecto rosaceo, & aceto madefactum, potum & illitum. atque idem planè testatur Plinius & Aëtius, ac Paulus ex Æginâ medicus. At quòd anetho non solùm discutiendi, sed & somnum conciliandi facultas insit, priore libro dictum est.

At si in præcordiis inflammatio.

QVID sit inflammatio, & quæ eiusdem notæ, docet Galenus initio XIII. Methodi Therapenticæ; & quòd hæc non solùm febres subsequatur, sed & easdem pariat, præsertim si viscera occupat, clarius est quàm vt longiore egeat enarratione. Adhibemus autem in principio inflammationis reprimentia, quòd fluxum materiæ impediant, atque ipsius inflammationis impetum compescant. In augmento post principia, reprimentibus discussoria sunt admiscenda, vti in vigore, dum vehementissimi sunt dolores, mitigatoria applicamus; in declinatione verò ea quæ discutiendi vim habent. Celsus primò cataplasmata reprimentia ponit, deinde ad ea quæ calida & humida sunt venit, vt eadem inflammationis reliquias discutiant.

Ergo si sine inflammatione.

HIPPOCRATES ait: Quibus circa præcordia dolor fit absque inflammatione, iis febris superueniens morbum soluit: flatuosus enim spiritus, aut inæqualis intemperies, quæ doloris causa fuerat, calore febrili dissipatur.

At si neque.

CALEFACERE præcordia, cataplasmatibus, irrigationibus aut fomentis, non semper tutum est; sed in iis tantùm in quibus nulla superfluitas in corpore oberrat.

Si verò lingua sicca.

LINGVA in febribus, vt docet Aëtius, aliquando siccatur, & opus habet humectatione; aliquando verò exasperatur magis aut minùs, aut diffringitur, aut nigrescit, aut carbonis speciem induit, quod à viscerum inflammatione

inflammatione contingere solet. Paulus non solùm deterget & inungit linguam, sed sternutationes prouocandas dicit, quòd linguas quouis alio plenius humectent. Decubitum praetereà in latus conuenire docet: nam supinus cubitus exiccat. adhaec iubet vt conniuente ore iaceat; hiatus enim maiorem absumit.

Caput XI.

Remedia contra frigus, quod febrem praecedit.

SOLET etiam ante febres esse frigus, idque vel molestissimum morbi genus est. Vbi id expectatur, omni potione prohibendus aeger est. Haec enim paulo antè data, multum mali adiicit. Item maturius veste multa tegendus est: admouenda partibus his, pro quibus metuimus, sicca & calida fomenta, sic, ne statim vehementissimi calores incipiant, sed paulatim increscant. Perfricandae quoque eae partes manibus vnctis ex vetere oleo sunt, eique adiiciendum aliquid ex calefacientibus. Contentique medici quidam vna frictione etiam ex quolibet oleo sunt. In harum febrium remissionibus, nonnulli tres aut quatuor sorbitionis cyathos, etiam num vltrà manente febre dant. Deinde, ea bene finita, reficiunt stomachum cibo frigido, & * leni. Ego tum hoc puto tentandum, cùm parum cibus semel, & post febrem datus prodest. Sed curiose perspiciendum est, ne tempus remissionis decipiat. Saepe enim in hoc quoque genere valetudinis iam minui febris videtur, & rursus intenditur. Itaque ei remissioni credendum est, quae etiam immoratur, & iactationem foetoremque quendam oris (quem ὄζην Graeci vocant) minuit. Illud satis conuenit, si quotidie pares accessiones sunt, quotidie paruum cibum dandum: si impares, post grauiorem, cibum; post leuiorem, aquam mulsam.

* leui.

Enarratio.

QVOD *ante frigus, & in ipso frigore ab omni potione abstinendum sit, capite sexto dictum est.*

aliquid ex calfacientibus.

QVALIA *sunt, piper, castoreum, calchry, chamaemelum, & id genus alia.*

Saepe enim.

EXEMPLARIA *hic variant: nam omnia ferè* iam minimi *legunt:* Pinzanum *reliquis meliùs* iam minui febris *habet.*

CAPVT XII.

Curatio horroris in febribus.

HORROR autem eas ferè febres antecedit, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur. Ideoque tutissimæ sunt * maximè quæ curationes admittunt. Nam vbi incerta tempora sunt, neque alui ductio, neque balneum, neque vinum, neque medicamentum aliud rectè datur. Incertum est enim quando febris ventura sit: ita fieri potest, vt si subitò venerit, summa in eo pernicies sit, quod auxilij caussa sit inuentum. Nihilq́ue aliud fieri potest, quàm vt primis diebus bene abstineat æger, deinde sub decessu febris eius, quæ grauissima est, cibum sumat. At vbi certus circuitus est, faciliùs omnia illa tentantur, quia faciliùs proponere nobis & accessionum & decessionum vices possumus. In his autem cùm veterauerint, vtilis fames non est. Primis tantummodò diebus ea pugnandum est, deinde diuidenda curatio est, & antè horror, tum febris discutienda. Igitur cùm primùm aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam aquam, subsalsam, & vomere eum cogere. Nam ferè talis horror ab his oritur, quæ biliosa in stomacho resederunt. Idem faciendum est, si proximo quoque circuitu æquè cessit. Sæpe enim sic discutitur. Iamq́ue quod genus febris sit, scire licet. Itaque sub expectatione proximæ accessionis, quæ instare tertia potest, deducendus in balneum est, dandaque opera est, vt per tempus horroris in solio sit. Si ibi quoque senserit, nihilominus idem sub expectatione accessionis quartæ faciat, siquidem eo quoque modo sæpe * id discutitur: si nec balneum quidem profuit, ante accessionem allium edat, aut bibat calidam aquam cum pipere, siquidem ea quoque assumpta calorem mouent, qui horrorem non admittit. Deinde eo modo, quo in frigore præceptum est, antequàm inhorrescere possit, operiatur. Fomentisq́ue protinus validioribus totum corpus circundare conuenit, maximeq́ue inuolutis extinctis testis & titionibus. Si nihilominus hor-

*maximeque cur.

Vomitus.

* ita

nus horror perrupit, multo oleo calefacto inter ipsa vestimenta perfundatur, cui æquè ex calefacientibus aliquid sit adiectum, adhibeaturque frictio, quantam is sustinere poterit, maximeque in manibus & * pedibus, & spiritum ipse contineat, neque desistendum est etiam si horror est. Sæpe enim pertinacia iuuantis, malum corporis vincit. Si quid euomuit, danda aqua tepida, iterumque vomere cogendus est, vtendumque eisdem est, donec horror finiatur. Sed præter hæc, ducenda aluus est, si tardiùs horror quiescit: siquidem id quoque exonerato * corpori prodest. Vltima quoque post hæc auxilia sunt, gestatio & * frictio. Cibus autem in eiusmodi morbis maximè dandus est, qui mollem aluum prestet, caro glutinosa, vinum, cùm dabitur, austerum.

*cruribus. *corpore *vectatio. al. itio vel deambulatio.

ENARRATIO.

IAM *sæpiùs dictum est Celsum indifferenter, horrorem, pro rigore ac horrore febrili ponere: Hic autem semel dixisse conuenit nec frigori, nec rigori qui crisis ratione prouenit occurrendum, nec eius vehementiam obtundendam; verùm ei tantùm qui ex frigidissima copiosissimáque pituita oritur.*

Ideoque tutissimæ sunt.

RECTE *Pantinus hîc mendum subesse dicit, legendúmque* maximeque: *nam notus est Hippocratis Aphorismus, Febres quocunque modo intermittentes minùs periculosæ.*

In his autem.

IVXTA *illud Hippocratis, Victus tenuis in morbis longis semper periculosus.*

Primis tantummodò diebus.

CIBATIONIS *tempora capite sexto abundè explicauimus.*

Igitur cùm primùm.

AN *vomitus biliosus horrori magnopere conducat, deliberandum censeo: præsertim quando materia horrifica non in stomacho sed in venis potiùs consistat, vt cuiuis, qui rigoris horrorísque originem perspectam habet, planum est: rigor siquidem fit, vbi à venis per insensiles partes, bilis veloci motu ad exteriora fertur.*

Itaque sub expectatione proximæ accessionis.

AVDI *quæso Galenum an vbique conueniat balneum: scribit enim in hunc modum libro decimo Methodi: Horroris sanè causam esse dico rodentium excrementorum confertim actorum citatiorem motum. Proinde quibus est horum abundantia, caro verò ac cutis densa, siue balneum sint ingressi, siue steterint in sole, siue quoquo modo vel gestati vel perfricti vel exercitati fuerint, vel vehementiùs dimoti, vtique iis horror incidet. Contrà quibus hæc pauca sunt, & corporis habitus vt remittatur laxetúrque à balnei calore promptus, ij non modò non horrent, sed etiam meliores redduntur; vtpote excrementis ob id vacuatus. Quo rationabilius est, nec in febrilis significationis principio, nec in incremento quisquam ægrotantem lauet: Quippe densata est hoc tempore coarctatáque & cutis ipsa, & quæ sub hac habetur carnea substantia. Frustrà igitur sub expectatione tertiæ aut quartæ accessionis in*

nis in balneum deducendus eſt æger, niſi morbus ipſe iam inclinauerit, ac cutis ipſa rara ac perſpiratu facilis ſit, atque humores tales ſint, qui nec copia, nec qualitate motum naturæ aliquo modo impediant.

ante acceſſionem allium edat.

QVOD de balneo iam diximus, idem de allio quoque & aliis quæ ſubiungit Celſus, pronunciandum cenſeo: nam ſi cutis aſtricta ſit, atque ante totius morbi remiſſionem, aut allium aut ſimile quid propines, quod materiam ad exteriora propellat, non ſolùm non curabis horrorem, ſed eundem augebis; ex horrore rigorem faciens, materia confertim illuc lata: huc adde, qualitate ipſius allij calida, febrilem calorem augeri. Satius igitur fuerit ante acceſſionem cutem abrotano, calamintha arida, thymbra tum floribus, tum foliis, vel coſto vel pyrethro, vtroq. quidem horum cum oleo perfricuiſſe; id namque optimè conueniet, vt teſtatur Galenus, tum quòd poros aperiat atque reſeret, tum quòd leuiter materiam peccantem euocet atque eliciat, & corporis ſuperficiem viuido quodam colore perfundat.

CAPVT XIII.

Curatio quotidianæ febris.

HAEC ad omnes circuitus febrium pertinent: diſcernendæ tamen ſingulæ ſunt, ſicut rationem habent diſſimilem. Si quotidiana eſt, triduo primo magnopere abſtinere oportet, tum cibis altero quoque die vti. Si res inueterauerit, poſt febrem experiri balneum & vinum, magiſque ſi horrore ſublato hæc supereſt.

ENARRATIO.

CELSVS hîc ſuo more diatrito plus ſatis tribuit: nam quantumuis attenuantem victum deſiderent quotidiana febre laborantes, triduanam tamen inediam non facilè ſuſtulerint. Danda igitur opera eſt, vt non ſolùm tenuem, ſed & inciſorium præſcribamus; deinde ſub ſtatum vomitoriis & pituitam purgantibus medicamentis vtendum eſt; ac demum, ſi nulla ſuperſit cruditatis ſuſpicio, morbúſque ipſe in longius protrahatur tempus, non fuerit inconſultum experiri balneum ſiccum, vt auctor noſter oſtendit.

CAPVT XIIII.

Curatio tertianæ febris.

SI tertiana verò, quæ ex toto intermittit, aut quartana eſt, mediis diebus & ambulationibus vti oportet, aliiſque exercitationibus & vnctionibus. Quidam ex antiquioribus medici

dicis Cleophantus, in hoc genere morborum, multò ante accessionem caput ægri multa calida aqua perfundebat, deinde vinum dabat. Quod quamuis pleraque eius viri præcepta secutus est Asclepiades, rectè tamen præteriit. Est enim anceps. Ipse, si tertiana febris est, tertio die post accessionem dicit aluum duci oportere, quinto post horrorem vomitum elicere, deinde post febrem (sicut illi mos erat) adhuc calidis dare cibum, & vinum. Sexto die in lectulo * detineri. * detinere. Sic enim fore, ne septimo die febris accedat. Id sæpe fieri posse verisimile est. Tutius tamen est vt * ipso ordine vtamur. * hoc ipso Tria remedia, vomitus, alui ductionis, vini potus per triduum, id est, die tertio, & quinto, & septimo tentare, nec vinum nisi post accessionem die septimo bibat. Si verò primis diebus discussus morbus non est, inciditque in vetustatem, quo die febris expectabitur, in lectulo se contineat, post febrem perfricetur, tum cibo assumpto bibat aquam: postero die, quo * cibo vacat & ab exercitatione vnctioneque, aqua * à cibo tantùm contentus conquiescat. Et id quidem optimum est. Si verò imbecillitas vrgebit, & post febrem vinum, & medio die paulum cibi debebit assumere.

ENARRATIO.

*L*EVES *obambulationes, & quæ citra laborem defatigationemque obeuntur, in febribus intermittentibus concedi possunt; si tamen vehementiores sint, ac laßitudinis sensum quodammodo inducant, periculo non vacant; potißimùm quando quies, vt quæ humectet, febrientibus optimè conueniat: nam, vt in Epidemiis testatur* Hippocrates, *somnus & quies concoquunt.*

Quidam ex antiquioribus.

VIDETVR *hîc contrarium quodammodo innuere quã* Hippocrates *segmento Aphorismorum* VII. *vbi in hunc modum scriptum reliquit: Si febris non ex bile nata sit, aqua copiosa ac calida affusa bilem soluit. nam eo Aphorismo* Hippocrates *(vt scitè docet* Philotheus*) putridas febres quæ in humoribus consistunt, bilem pro reliquorum humorum exemplo ponens, secludit: atque vtile dicit balneum, diariis hecticisque febribus, & iis quæ ex laßitudine, vstione, obstipatione cutis in febrem incidunt. Non nego tamen esse putridas in quibus concedatur balneum, sicut rectè dicit* Galenus*; sed tum habenda ratio est, vt putridi omnes noxiique humores priùs expurgati sint; ac tum quidem hortandi sunt ægroti, vt quantum eius fieri potest, in balneo morentur. Sed neque aberrauerimus, si bis lauerimus eos qui balneum amant, eique aßueti sunt. Esto autem balneum ex aqua potabili & calida; tale enim bilis aliquid educit, & humectat, atque facultate refrigerat.*

deinde vinum dabat.

Vinvm priuſquam morbus concoquatur (inquiunt Galenus, Aëtius & Ægineta) ex toto circumcidendum eſt, ſimulatque concoqui cœperit: tenue aquoſum modicum primò exhibendum eſt; prope ſolutionem verò uberius. quò alluſiſſe videtur Celſus, dum niſi die ſeptimo poſt acceßionẽ concedendum dicit quando in tertianis concoctionis puris manifeſta ſigna apparere ſolent.

Tria remedia.

Qvæ in ſupremum ventrem confluunt, conſultum eſt per vomitum euacuare, in ipſo acceßionis initio, vt auctor eſt Galenus libro Quos purgare oporteat, quòd ſub id tempus natura illuc bilem protrudat. Quæ verò per infernum ſubeunt, ſimiliter per infernam excretionem in acceßionis remißione, quòd natura tunc humorem peccantem, aut ad cutem, aut ad inferiora pellat: tentabimus autem id potiùs enematibus, quàm catharticis per ſuperiora ingeſtis, ne violentiâ purgantis medicamenti augeatur febris. Omiſit autem hîc Celſus ſudores, & vrinæ excretionem, quæ ſola nonnunquam à febribus liberant: quare & diuretica exhibenda ſunt, & ſudor omnibus quo ad fieri poteſt modis eliciendus eſt.

aqua tantùm contentus conquieſcat.

Istvd quidem ſi nulla ſuſpicio ſit inflammationis obſtructioniſve alicuius viſceris, non prorſus alienum erit, vt quod inflammationem arceat: verùm quoties alterutra iam inuaſerit, non ſine periculo ſumetur. Rectiùs ergo ptiſanæ cremorem aut acetum mulſum exhibueris.

Capvt XV.

Curatio quartanæ febris.

Eadem in quartana facienda ſunt. Sed cùm hæc tardè admodùm finiatur, niſi primis diebus diſcuſſa eſt, diligentiùs ab initio præcipiendum eſt, quid in ea debeat fieri. Igitur ſi cui cum horrore febris acceſſit, eaque deſiit, eodem die, & poſtero tertioque continere ſe debet, & aquam tantummodò calidam primo die poſt febrem ſumere, biduo proximo, quantum fieri poteſt, ne hanc quidem. Si quarto die cum horrore febris reuertitur, vomere, ſicut antè præceptum eſt: deinde, poſt febrem modicum cibum ſumere, vini quadrantem. Poſtero tertioque die abſtinere, aqua tantummodo calida (ſi * ſitiet) aſſumpta: ſeptimo die balneo frigus præuenire, abſtinere, continere ſe debet, & aqua * tantummodò calida, ſi ſitiet: ac tum ita * ſeptimo die balneo frigus præuenire: ſi febris redierit, ducere aluum: vbi ex eo corpus conquieuerit, inunctione vehementer perfricari, eodem modo ſumere cibum, & vinum, biduo proximo ſe abſtinere, frictione ſeruata: decimo die rurſus balneum experiri: & ſi po-

*ſitis eſt)

*vti tant.

* nono al. octauo

ſtea febris acceſſit, æquè perfricari, vinum copioſiùs bibere: ac ſi proximum eſt,* quies tot dierum, vt abſtinentia cum cæteris quæ præcipiuntur, febrem tollant. Si verò nihilominus remanet, aliud ex toto ſequendum eſt curationis genus. Idque agendum, vt quod diu ſuſtinendum eſt, corpus facilè ſuſtineat. Quominus etiam curatio probari Heraclidis Tarentini debet, qui primis diebus ducendam aluum, deinde abſtinendum vſque in ſeptimum diem dixit. Quod vt ſuſtinere aliquis poſſit, tamen etiam febre liberatus vix refectioni valebit. Adeò ſi febris ſæpiùs acceſſerit, concidet. Igitur ſi tertiodecimo die morbus remanebit, balneum neque ante febrem, neque poſt eam tentandum erit, niſi interdum iam horrore diſcuſſo. Horror ipſe per eadem quæ ſuprà præſcripta ſunt, expugnandus. Deinde poſt febrem oportebit vngi, & vehementer perfricari, cibum & validum & fortiter aſſumere, vino vti quantum libebit, poſtero die cùm ſatis quieuerit, ambulare, exerceri, vngi, perfricari fortiter, cibum accipere ſine vino. Tertio die abſtinere. Quo die verò febrem expectabit, antè ſurgere, & exerceri: dareque* operam non oportet, vt in ipſam exercitationem tempus febris incurrat. Sic enim ſæpe illa diſcutitur. At ſi in opere occupauit, tum demum ſe recipere. In eiuſmodi valetudine medicamenta ſunt, oleum, frictio, exercitatio, cibus, vinum. Si venter aſtrictus eſt, ſoluendus eſt. Sed hæc facilè validiores faciunt, *ſi imbecillitas occupauit, pro exercitatione geſtatio eſt. Si ne hanc quidem ſuſtinet, adhibenda tamen frictio eſt: ſi hæc quoque vehemens onerat, intra quietem, & vnctionem, & cibum ſiſtendum eſt; dandaque opera eſt, ne qua cruditas in quotidianam id malum vertat. Nam quartana neminem iugulat, ſed ſi ex ea facta quotidiana eſt, in malis æger eſt. Quod tamen niſi culpa vel ægri vel curantis* nonnunquam fit.

* vt q. t. d. & abſt.

* operam opor.

* ſin

* nunquã

ENARRATIO.

QVANTVM hîc paßim à vera methodo deuiet Celſus, qui aliqua ex parte in Galeno verſatus eſt, facilè intellexerit: nam præterquam quòd diatriton quandam hîc, vt in aliis, ſtudeat inculcare, totam etiam methodum inuertit, ac præpoſteram quandam

quandam curandi rationem inuehit; in ea præsertim febre, quæ summam diligentiam exactißimúmque indicium, & maximam in morbis exercitationem requirit: quum quartana talis sit, vt leniter blandéque tractari velit, quòd nimirum humor qui eam efficit, difficilè medicamentis obtemperet: ægrè enim per initia, & antequam concoctionem sit expertus, trahens medicamentum sequitur; tum propter craßitiem ac frigiditatem; tum quòd vias angustas per quas transit obstruat; tum quòd in carnoso genere resideat, & infarctus meatibus sit. Non sunt igitur quartanarij excruciandi inedia in principiis: & neque post decimum quartum diem crasso cibo atque eo fortiter assumpto (vt paulo pòst dicit) reficiendi; verùm per initia (sic tamen vt in acceßionibus abstineamus) adhibendus est cibus boni succi, omnis flatus expers, quique vires quæ longitudini morbi sufficiant seruet augeátque, atque sanguinem sua substantia augeat. In vigore tamen morbi, vt in reliquis omnibus febribus, tenuiore victu vtendum est, iubendiq; sunt ægri diu quiescere, tantũ abest vt exercitia hic quicquam prosint. Cæterùm quod de calidæ propinatione dicit, id quidem nonnunquam, si natura ad vomitum procliuiores sint, à cibo faciendum est, vt vnà cum ingesto cibo per vomitum noxius humor educatur.

Septimo die balneo frigus præuenire.

GALENVS De arte curatiua ad Glauconem primo, A frictionibus, inquit, balneis, ambulationibus, aliisque consuetis arcendi penitus non sunt; verùm si à balneis abstinere omnino possent, solis contenti frictionibus, plurimum iuuarentur, quòd videlicet, quatenus refrigerent, balneæ obsunt; quatenus autem foras euocant, obstructionis periculum afferunt, maximéque si corpus redundat excrementis crudis.

si febris redierit, ducere aluum.

QVVM atra bilis, quæ quartanæ origo est, aliàs ad cutim feratur, nunc ad stomachum, nonnunquam etiam in venis visceribúsque, liene præsertim, delitеat; diuersos purgandi scopos requirit. Bene igitur adhibetur frictio ad euocandum si quid ad cutim latum sit: nec inconsultum est propinare medicamẽta purgantia, vt si quid per aluum expurgari poßit, purgetur. Verùm an id à septimo statim die faciendum sit, non possum induci vt credam; præsertim quando, vt iam dictum est, humor non sit expurgandus ante concoctionem, contumaciórque sit quàm vt tantillo temporis interuallo incidi atque expulsioni idoneus reddi poßit.

Deinde post febrem oportebit vngi.

QVAMVIS Galenus loco iam antè citato, frictiones, ambulationes, & id genus alia consueta, non penitus intermittenda dicat; non tamen admittit vehementiores obambulationes aut frictiones, quòd obstructionis periculum faciant: verùm permittendas tantùm dicit, idq; minùs quàm per sanitatem consueuerimus: neque enim tam crebrò támque vehementer fricare, ambulare, aut alio quouis modo corpus exercere licet, quàm per sanitatem; & neque id statim post febrem tentandum est, sed inter acceßiones, & quàm potest fieri ab iisdem longißimè.

vinum.

CVIVS generis est tenue, album, mediocriter calidum; hoc enim sua tenuitate, crassitudinem humoris melancholici extenuat, caloris mediocritate, corpus humore melancholico refrigeratum sic satis calefacit, & vrinas prouocat. Crassum verò & calidum humiditatem resoluit, crassum humorem gignit, atque difficulter concoquitur.

Horror ipse.

IN hunc vsum Galenus exhibet theriacen, & medicamen quod ex liquore Cyrenaico fit.

dandaque opera est.

PER quotidianam quæ ex quartana facta sit, hoc & secundo ab hoc capite, intelligere

videtur quartanam continuam; eam etenim quod quotidie inuadat, atque accessiones suas faciat, quotidianam nominat.

Nam quartana.

QVARTANA *quidem si simplex sit, atque nullius visceris obstructionem cōcomitetur, simplex est & neminem iugulat: nam, vt auctor est Hippocrates primo Epidemion, quartana omnium est securissima, longissima, facillima; hæc enim non est ipsa per se tantùm talis, sed etiam magnis aliis vindicat malis; verùm si obstructionem aut lienis aut hepatis subsequatur, non solùm non mitis est, sed & subinde sæuissima superinducit accidentia; qualia sunt, respirationis difficultas, & incurabilis hydrops.*

CAPVT XVI.

Curatio duarum quartanarum.

AT si duæ quartanæ sunt, neque hæ, quas proposui, exercitationes adhiberi possunt, aut ex toto quiescere opus est: aut, si id difficile est, leuiter ambulare, considere diligenter inuolutis pedibus & capite. Quoties febris accessit & desiit, cibum modicum sumere & vinum: reliquo tempore, nisi imbecillitas vrget, abstinere. * Aut si duæ febres penè iunguntur, post vtranq. cibum sumere. Deinde vacuo tempore & moueri * aliquid, & post vnctionem cibo vti. Cùm verò vetus quartana rarò, nisi vere soluatur, vtique eo tempore attendendum est, ne quid fiat, quod valetudinem impediat. Prodestque in vetere quartana mutare subinde victus genus, à vino ad aquam, ab aqua ad vinum, à lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes transire, esse radicem, deinde vomere, iuréve pulli gallinacei ventrem resoluere, oleum ad frictiones adiicere, calefacientia ante accessionem sorbere, vel aceti cyathos duos, vel vnum sinapis, cum tribus Græci vini salsi, vel mista paribus portionibus, & in aqua diluta, piper, castoreum, laser, myrrham. Per hæc enim similiaque corpus agitandum est: vt moueatur ex eo statu quo detinetur. Si febris quieuit, diu meminisse eius diei conuenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem. Facilè enim reuertitur, nisi à sano quoque aliquandiu timetur.

* At

* aliquantum,

ENARRATIO.

Bene admodùm hîc maiorem quietem iniungit, quòd corpus maiore humectatione opus habeat, & quòd quies ipsa per se duorum dierum continuatis accessionibus, recreandis viribus summè sit necessaria.

Cùm verò vetus quartana.

INTER *anni tempora autumnus, si quis alius, quartanæ procreandæ idoneus est: quare quæ extra autumnum quartanæ inuadere solent, rarò in longius tempus protrahuntur; nam & æstiuæ quartanæ breues sunt, vt antè dictum est, autumnales verò longæ, & maximè quæ hiemem attingunt, neque ante ver soluuntur, & si vere non finiantur, in integrum annum prorogantur: Nam, vt docet Hippocrates, qui vere gignuntur morbi, eos in autumno solutum iri expectandum est; autumnales morbos vere terminari necesse est. Bene igitur sub ver cauendum monet Celsus, ne quid attentemus quod valetudini nocuum sit: nam & leuißima causa naturam crisi morbi intentam in officio retardauerimus, & inceptam iam crisin impediemus, morbúmque non solùm annuum (præsertim si duplex quartana sit,) sed & exitialem prorsus faciemus.*

Prodestque in vetere quartanâ.

VICTVS *ista alteratio non omnino aliena erit, si incisoria attenuánsque, ac nullius lentoris sit particeps: nam hîc vnicè studendum est, vt præcedente capite dictum est, vt materia expulsioni alioqui rebellis ac contumax, quouis modo incidatur attenuetúrque.*

à vino ad aquam.

NESCIO *quàm sit hæc mutatio à vino ad aquam libera, ei præsertim qui longa quartana detinetur, cui magna ex parte solet esse comes visceris alicuius obstructio, frigidam (si quod aliud) respuens.*

Si febris quieuit.

QVARTANÆ *origo est melancholia, quæ vt tardè accenditur atque accessiones facit, nonnunquam etiam dies aliquot intùs delitescit, febrisq́ue suspicionem omnem amouet; ita vt nisi conueniente victus ratione vtatur patiens, post multos dies regredi soleat.*

CAPVT XVII.

Curatio quotidianæ febris, quæ ex quartana facta sit.

* initio — At si ex quartana quotidiana facta est, cùm id* vitio inciderit, per biduum abstinere oportet, frictione vti, aquam tantummodo vesperi potui dare. Tertio die sæpe fit, ne febris accedat: sed siue fuit, siue non fuit, cibus post accessionis tempus est dandus: at si manet, per biduum abstinen-
* maxima — tia, quanta* maximè imperari corpori potest, fricatione quotidie vtendum est.

ENARRATIO.

QVARTANA continua, si quæ alia febris, perniciosa esse solet, quòd accessionum continuo insultu vires labascant, neque perdurare possint dum morbus consistat. Cæterùm an hîc biduana illa abstinentia, quam nusquam non Celsus noster inculcat, conueniat; & an frictio sit ex re, nondum induci possum vt credam; præsertim quando Galenus in breuibus quidem quartanis frictiones admittat, in longis autem, quales continuæ esse solent, non vsque adeò commendet. Cibandum igitur quotidie, quantum vires ac morbus efflagitat, frictionibúsque vtendum non quotidie, sed quando naturam expulsionem moliri coniectura est.

CAPVT XVIII.

De tribus insaniæ generibus, & primò de eius curatione, quæ à Græcis φρενῖτις dicitur.

ET febrium quidem * ratio exposita est. Supersunt verò alii corporis affectus, qui * huic superueniunt, ex quibus eos, qui certis partibus * assignari non possunt, protinus iungam. Incipiam ab insania, primamque huius ipsius partem aggrediar, quæ & acuta, & in febre est, Græci φρενῖτιν appellant. Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione ægros desipere, & loqui aliena. Quod non quidem leue est, neque incidere potest, nisi in febre vehementi, non tamen æquè pestiferũ est. Nam plerunque breue esse consueuit, leuatoque accessionis impetu, protinus mens redit. Neque id genus morbi remedium aliud desiderat, quàm quod in curanda febre præceptum est. Phrenitis verò tum demum est, cùm continua dementia esse incipit, aut cùm æger, quamuis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit: perfecta est, vbi mens illis imaginibus addicta est. Eius autem plura genera sunt. Siquidem ex phreneticis alii hilares, alii tristes sunt, alii faciliùs continentur, & intra verba desipiunt, alii consurgunt, & violenter quædam manu faciunt: atque ex his ipsis alii nihil nisi impetu peccant, alii etiam artes adhibent, summamque spem sanitatis in captandis maiorum operum occasionibus præbent, sed exitu deprehenduntur.

* curatio
* his
* assig. pos. sunt.

Phrenitis.

Ex his autem eos qui intra verba desipiunt, aut leuiter etiam manu peccant, onerare asperioribus coërcitionibus superuacuum est. Eos verò qui violentiùs se gerunt, vincire conuenit, ne vel alteri vel sibi noceant. Neque credendum est, si vinctus aliquis, dum leuari vinculis cupit, sanum iam se fingat, quamuis prudenter & miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est. Ferè verò antiqui tales ægros in tenebris habebant, eò quòd eis contrarium esset exterreri, & ad quietem animi tenebras ipsas conferre aliquid iudicabant. At Asclepiades, tanquam tenebris ipsis terrentibus, in lumine habendos esse dixit: neutrum tamen perpetuum est. Alium enim lux, alium tenebræ magis turbant, reperiunturque in quibus nullum discrimen deprehendi vel hoc, vel illo modo possit. Optimum itaque est vtrunque experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce, eum qui lucem, in tenebris. At vbi nullum tale discrimen est, æger si vires habet, loco lucido, si non habet, obscuro continendus est. Remedia verò adhibere, vbi maximè furor vrget, superuacuum est: simul enim febris quoque increscit. Itaque tum nihil nisi continendus æger est. Vbi verò res patitur, festinanter subueniendum est. Asclepiades perinde esse dixit, his sanguinem mitti, ac si trucidentur: rationem hanc secutus, quòd neque insania esset, nisi febre intenta: neque sanguis, nisi in remissione eius rectè mitteretur. Sed ipse in his somnum multa frictione quæsiuit, cùm & intentio febris somnum impediat, & frictio non nisi in remissione eius vtilis sit. Itaque hoc quoque auxilium debuit præterire. Quid igitur est? Multa in præcipiti periculo rectè fiunt, aliàs omittenda. Et continuata quoque febris habet tempora, quibus & si non remittit, non tamen crescit. Estque hoc, vt non optimum, sic tamen
*tempus. secundum remedii * genus. Quod si vires ægri patiantur, sanguis quoque mitti debet. Nec minus deliberari potest, an aluus ducenda sit: tum interposito die conuenit caput ad cu-
* radere. tem * tondere, deinde aqua fouere, in qua verbenæ aliquæ
* aliud ex decoctæ sint, vel * ex reprimentibus: aut prius fouere, deinde tondere & iterum fouere, ac nouissimè rosa caput naresque implere,

implere, offerre etiam naribus rutam, ex aceto contritam, mouere sternutamenta medicamentis * in id efficacibus. Quæ tamen facienda sunt in his, quibus vires non desunt. Si verò imbecillitas est, rosa tantùm caput, adiecto serpyllo, similique aliquo madefaciendum est. Vtiles etiam in quibuscunque viribus herbæ duæ sunt, Solanum & Muralis, simul ex vtraque succo expresso caput impleatur. cùm se febris remiserit, frictione vtendum est, parciùs tamen in his, qui nimis hilares, quàm in his qui nimis tristes sunt. Aduersus omnium autem sic insanientium animos, gerere se pro cuiusque natura necessarium est. Quorundam enim vani metus leuandi sunt, sicut in homine prædiuite famem timente * accidit, cui subinde falsæ hæreditates nuntiabantur. Quorundam audacia coërcenda est, sicut in his fit, in quibus continendis plagæ quoq. adhibentur. Quorundam etiam intempestiuus risus & obiurgatione & minis prohibendus est. Quorundam discutiendæ tristes cogitationes, ad quod symphoniæ, & cymbala, strepitusque proficiunt. Sæpius tamen assentiendum, quàm repugnandum est, paulatimque & non euidenter ab his, quæ stultè dicentur, ad meliora mens eius abducenda est. Interdum etiam elicienda ipsius intentio, vt fit in hominibus studiosis litterarum, quibus liber legitur, aut rectè, si delectantur, aut perperam, si idipsum eos offendit. Emendando enim, conuertere animum incipiunt. Quinetiam recitare, si qua meminerunt, cogendi sunt. Ad cibum quoque quosdam non desiderantes reduxerunt hi, qui inter epulantes eos collocauerunt. Omnibus verò sic affectis, somnus & difficilis, & præcipuè necessarius est. Sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id, atque etiam ad mentem ipsam componendam, crocinum vnguentum cum irino in caput datum. Si nihilominus vigilant hi, quidam somnum moliuntur potui dando aquam, in qua papauer, aut * hyoscyamos decocta sit: alii mandragoræ mala puluino subiiciunt: alii vel amomum, vel sycamini lacrymam fronti inducunt. Hoc tamen apud medicos reperio. Sed cùm Græci morum sycaminum appellant, mori nulla lacryma est. Sic verò significatur

* ad id

* incidit,

* hyoscyamus d.[illegible]

lacryma arboris in Aegypto naſcentis, quam ibi * moroſycon appellant. Plurimi decoctis papaueris corticibus, ex ea aqua ſubinde ſpongia os, & caput fouent. Aſclepiades ea ſuperuacua eſſe dixit, quoniam in lethargum ſæpe * conuerterent. Præcipit autem vt primo die à cibo, potione, ſomno abſtineretur, veſpere ei daretur potui aqua, tum frictio admoueretur lenis, ita vt ne manum quidem qui fricaret, vehementer imprimeret: poſtero deinde die iiſdem omnibus factis, veſperi ei daretur ſorbitio * ex aqua, ruſuſque frictio adhiberetur. Per hanc enim nos conſecuturos, vt ſomnus accedat. Id interdum fit, & quidem adeò, vt illo confitente nimia frictio etiam lethargi periculum afferat. Sed ſi ſic ſomnus non acceſſit, tum demum illis medicamentis accerſendus eſt, habita ſcilicet eadem moderatione, quæ hîc quoque neceſſaria eſt, ne quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſſimus. Confert etiam aliquid ad ſomnum * Silanus iuxtà cadens, vel geſtatio poſt cibum & noctu, maximeque ſuſpenſi lecti motus. Neque alienum eſt, ſi neque ſanguis antè miſſus eſt, neque mens conſtat, neque ſomnus accedit, occipitio inciſo cucurbitulam admouere. Quæ quia leuat morbum, poteſt etiam ſomnum facere. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda. Nam neque implendus æger eſt, ne inſaniat, neque ieiunio vtique vexandus eſt, ne imbecillitate in cardiacum incidat. Opus eſt autem cibo infirmo, maximeque ſorbitione, potione aquæ mulſæ, cuius ternos cyathos bis hieme, quater æſtate dediſſe ſatis eſt. Alterum genus inſaniæ eſt, quod ſpatium longius recipit, quia ferè ſine febre incipit, leues deinde febriculas excitat, & conſiſtit in triſtitia, quam videtur bilis atra contrahere. In hac vtilis detractio ſanguinis eſt. Si quid hanc prohibet, prima eſt abſtinentia, ſecunda per album veratrum vomitumque purgatio, poſt vtrumlibet adhibenda bis die frictio eſt. Si magis valet, frequens etiam exercitatio. In * ieiuno vomitus, cibus ſine vino dandus ex media materia eſt. Quam quoties poſuero, ſcire licet etiam ex infirmiſſima dari poſſe, dum ne ea ſola quis vtatur, * valentiſſima tantummodo eſſe * remouenda. Præter hæc ſeruanda aluus

* ſycomoron
* compellerent.
* & aqua
* ſaliens. *Georgius Val. Silanum pro riuo exponit.*
* ieiunio
* valentiſſimam
* remouendam.

da aluus est quàm tenerrima, remouendi terrores, & potius bona spes afferenda, quærenda delectatio ex fabulis ludisque, quibus maximè capi sanus assueuerat. Laudanda si qua sunt ipsius opera, & ante oculos eius ponenda. Leuiter obiurganda vana tristitia. Subinde admonendus in his ipsis rebus, quæ solicitant, cur non potius lætitiæ, quàm solicitudinis caussa sit. Si febris quoque accessit, sicut aliæ febres, curanda est. Tertium insaniæ genus est ex his longissimum, adeò vt vitam ipsam non impediat, quod robusti corporis esse consueuit. Huius autem ipsius species duæ sunt. Nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem insanientem Aiacem vel Orestem poëtarum fabulæ ferunt: quidam animo desipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia videndum est, tristes an hilares sint. In tristitia nigrum veratrum deiectionis caussa, in hilaritate album, ad vomitum excitandum dari debet. Idque si in potione non * accepit, pani adiiciendum est, quo facilius fallat. Nam si bene se purgauerit, ex magna parte morbum leuabit. Ergo etiam si semel datum veratrum, parum profecerit, interposito tempore iterum dari debet. Neque ignorare oportet, leuiorem esse morbum cum risu, quàm seriò insanientium. Illud quoque perpetuum in omnibus morbis, vbi ab inferiore parte purgandus aliquis est, ventrem eius antè soluendum esse: vbi à superiore, comprimendum. Si verò consilium insanientem fallit, tormentis quibusdam optimè curatur. Vbi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, plagis coërcendus est. Cogendus est & attendere, & ediscere aliquid, & meminisse. Sic enim fiet, vt paulatim metu cogatur considerare quid faciat. Subitò etiam terreri & expauescere, in hoc morbo prodest. Et ferè quicquid animum vehementer perturbat. Potest enim quædam fieri mutatio, cùm ab eo statu mens in quo fuerat, abducta est. Interest etiam si ipse sine caussa subinde rideat, an mœstus, * dimissusque sit. Nam dementis hilaritas terroribus his (de quibus suprà dixi) melius curatur. Si nimia tristitia est, prodest lenis, sed multa bis die frictio. Item per caput aqua frigida infusa, * demissumque corpus in aquam & oleum. Illa communia

*accipit.

*demissusque

*demittique

communia ſunt, inſanientes vehementer exerceri debere, multa frictione vti, neque pinguem carnem, neque vinum aſſumere, cibis vti poſt purgationem ex media materia quàm leuiſſimis. Non oportere eſſe vel ſolos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant, mutare debere regiones, &c, ſi mens redit, annua peregrinatione eſſe iactandos. Rarò, ſed aliquando tamen, ex metu delirium naſcitur. Quod genus inſanientium *ſpecie ſimiliq́ue victus genere curandum eſt, præterquàm quòd in hoc inſaniæ genere ſolo rectè vinum datur.

*ſp. ſimile, ſimili vict.

ENARRATIO.

CELSVS inſaniæ ſpecies inter ſe confundit; primò tamen de phrenitide mentionem facit, quòd hæc acuta ſit; & cum febribus (quarum comes eſſe ſolet) quippiam commune habet. Eſt autẽ phrenitis membranarum cerebri inflammatio; ſic vt ipſum quoque cerebrum, eodem modò conflictetur, modò calore remoto æſtuet. Cauſa morbi eſſe ſolet vel ſanguis ſuperans, velblioſus humor, nonnunquam etiam flaua bilis perusta.

Illud ante omnia ſcire oportet.

HOC nemo rectè phrenitin appellârit aut inſaniam, quũ vnica acceſſione, & nonnunquam ante paroxyſmi ſolutionem finiatur.

Eius autem plura genera ſunt.

PLVRA quidem ſunt phrenitidis genera: attamen Galenus libro De locis affectis quarto, tres tantùm ponit phrenitidos differentias: Nam ſunt quidam, inquit, phrenitici, qui de iis quæ oculis offeruntur (quantum ad ſenſitiuam notitiam pertinet) indicant, cogitando verò à naturali indicio aberrant. Alij verò cogitatione falluntur minimè, ſenſibus tamen difformiter mouentur. Sunt præterea qui ſimul & ſenſus, & cogitationis vitio laborant.

alij hilares.

QVIBVS ſanguineus humor morbum facit, cum riſu inſaniunt; quibus flaua bilis, ferociter; quemadmodum quibus atra vitium contraxit, tam immaniter ſæuiunt, vt coërceri nequeant, omniũ quæ dicunt faciúntve obliuiſcuntur.

Ex his autem eos.

LENITER enim blandéque tractandi ſunt atque alloquendi; quanquam ſi ita non proficimus, acerbiùs nonnunquam increpandi ſint.

Eos verò qui violentiùs ſe gerunt.

NON ſolùm vinciendi ſunt, ne ſe aut alios lædant, ſed vt in quiete, quoad fieri poteſt, contineantur: nam inordinata motio vires conuellit. Pedes autem non ob hanc tantummodò cauſam deuinciendi ſunt, ſed & vt deligaturis conſtrictionéque humores deorſum reuellantur: quapropter non inconſultum fuerit extremas quoque eorundem particulas manibus contrectaſſe.

Ferè verò antiqui.

INTER hos fuit Heraclides Tarentinus Empiricus, is etenim phreniticum obſcuro loco iacere iubebat; ſiquidem luce, inquit, eorum mens exaſperatur.

At Asclepiades.

HOC *quidem rectè, si quid aliud, Asclepiades: id enim curandum est, ut docet Trallianus, ut domus in qua æger decumbit, neque crassum, neque flatulentum, neque vaporosum aërem recipiat; sed & cauendum monet, ne idem frigidus admodum sit, quòd constipet; neque adeò calidus, ut caput tentet; verùm studendum ut quasi in medio utrorumque redactus sit, quo frigidior spiritus euadat, & remittatur temperie. Nam quantumuis alij ferè omnes amicorum ad patientem confluxum admittant, Trallianus tamen eorundem quantumuis maximè necessariorum frequentiam suspectam habet, quòd nimirum hominum frequentia aërem turbet ac crassiorem reddat. Non negauerim tamen esse nonnullos (ut benè hîc subiungit Celsus) qui tenebris meliùs afficiantur, alićsque qui libero aëre rectiùs habeant; atque in his mutandas intentiones curatorias. quare qui ad lucem efferantur, ut auctor est Aëtius, in tenebricosa domo decumbant; qui verò ad lucis splendorem resipiscunt, in lucida domo degant.*

Asclepiades perinde esse dixit.

ASCLEPIADES *hîc eos qui cum dolore fuerant ægrotantes phlebotomabat, alios omnes à phlebotomia alienissimos esse dicit, & magis specialiter phreneticos: quod quàm sit verum, norunt qui Hippocratis aliorúmque scripta excusserint: nam quòd in phreniticis statim in initio, nisi aliud quid obstet, mittendus sit sanguis, auctores sunt Galenus, Paulus, Aëtius & Trallianus; idq; aut ex cubito faciendum suadent, aut ex vena quæ in medio frontis est. Cauendum tamen est ne ad animi usque deliquium sanguinẽ mittamus: nam satius est minus quàm oportet detrahi, propter plurimam in illis ex vehementi motu factam resolutionem.*

tum interposito die.

ID *quoque superuacuum dixit Asclepiades: Accurrit enim, inquit, incisuris capillorum materies, & pori denique & capilli post tonsuram crassescunt, atque fortiores fiunt: quapropter etiamsi homines, si post cibũ totonderint, tussicula, atq. catarrho vel lippitudine vexãtur; dehinc si lanis caput post tonsuram tegere curamus, quanto meliùs si naturali tegmine capillorũ lateat obtectum? quasi verò ea vitia non sint potius accepta ferenda crapulæ, quæ tonsuram statim antevertit, quàm ipsi tonsuræ, quæ poros aperit, cutimq; perspiratu facilem reddit. Et etiamsi quammaximè per se nihil prodesset, eo tamen nomine commendata esse debebat, quòd sine illa localia commodè adhiberi non possint.*

Deinde aqua fouere.

FOMENTA *hæc non usque adeò tuta sunt quòd partes subiectas refrigerent: quare si quando eorundem usus sit necessarius, cautio adhibenda est, ne qua pars frigore afficiatur.*

offerre etiam naribus rutam.

ID *quoque non in omni phrenitide tentandum est, sed in ea tantùm quæ cum virium robore in longius protrahatur tempus; ita enim fiet ut crassi vapores faciliùs transpirent.*

Si verò imbecillitas est.

HIC *variant exemplaria τὸ* rosa tantùm capite adiecto. *Pyuzanũ ac Tornesium* caput *(idq; aliis rectius) legunt. Cæterùm in phreniticis oxyrrhodino efficacius nihil exhiberi potest, cui si serpillum quoque addas, discussorium magis medicamen efficies: curandum autem est ut si quando applicetur, actu tepidum sit, quòd cerebri membrana, quam μηνιγγα vocant, frigiditatem rosacei non admittat; constat enim frigidum densare, ac prohibere ne superfluitates è capite exhalent. At si actu calidum sit, & id quoque noxium erit, quòd calorem atque adeò inflammationem adaugeat duplicétque. Exactè igitur tepidum adhibendum est rosaceum, æstate quidem cum modico aceti, hieme verò moderatè calidum.*

Vtiles etiam in quibuscunque.

MVRALIS *ſeu perdicium, vim habet abſtergendi, ac refrigerandi: quare phlegmones omnes inter initia & in augmento vſque ad ſtatum ſanat; idq́; potiſſimum calidas, vt auctor eſt Galenus. Quo fit vt rectè in omnibus adhiberi dicat auctor noſter: ſicuti etiam ſolanum quod hortenſe vocant; id nanque à Celſo tantummodò intellectum exiſtimo, refrigerat ſiquidem & aſtringit, & capitis dolores illitum per ſe ſanat.*

cùm ſe febris remiſerit.

LONGA *frictione, inquit præcedente libro, neque in acutis morbis, neq. in increſcentibus uti conuenit; præterquam quum phreniticis ſomnus ea requirit: parciùs tamen in his fricandum qui nimis hilares ſunt, quòd periculum ſit ne frictione ſanguis exagitetur, atque ad locum affectum regurgitet.*

Quorundam enim vani metus leuandi.

HIC Pinzanum exemplar perperam lauandi *legit.*

ad quod ſymphoniæ & cymbala.

CÆLIVS *Methodicus, Vtuntur etiam, inquit, decantationibus tibiarum varia modulatione, quarum alteram Phrygiam vocant, quæ ſit iocunda, atque excitabilis eorum qui ex mæſtitudine in furore noſcuntur: Aliam diram, vel quæ occupata mente pudorem ſuadeat, iniecto rigore, vt in bello, quam Δώρειον appellant, in his qui riſu vel puerilibus cachinnis afficiuntur, quum cantilenæ ſonus caput impleat; vt etiam rectè valentibus apertiſſimè videatur, vel rectè, vt plerique memorant, accendant aliquos in furore, quo ſæpe vaticinantes deum accepiſſe videantur. Sic Pythagoras, quemadmodum in Miſcellaneis noſtris meminimus, ebrium adoleſcentem ſub Phrygij modi ſono incitatum, ſpondæi incentu reddidit mitiorem, & ſui quodammodo compotem.*

& præcipuè neceſſarius.

NECESSARIVM *dicit, quòd duplici compendio phreniticis proſit, ſomno enim humectatur & refrigeratur cerebrum; quibus accedit quòd quiete ad ſeſe quadammodò redeant laborantes.*

Si nihilominùs vigilant.

ISTVD *non tentandum eſt in omni phrenitide, ſed vehementi tantùm, neque quouis tempore, ſed ſolummodò in declinatione exacerbationis. ſi enim datum fuerit in vigore, prouocat quidem ſomnum, cæterùm febris excitatur: quo fit vt æger ad ambo partitus grauius ferat quod contingit. Auctores ſunt Poſſidonius & Aëtius.*

Aſclepiades ea ſuperuacua eſſe dixit.

NON *immeritò ſtupefacientium, pharmacorum videlicet, potionum, illitionum, irrigationumq́; vſum ſuſpectum habuit; præſertim ſi aſſiduus continuuſque ſit: facillimè enim in his qui immodicè refrigerãtur, tranſitus eſt à phrenitide in lethargum, quem ſæpenumerò interitus ſubſequi ſolet.*

Præcipit autem.

ASCLEPIADES, *etſi quammaximè ſub veſperum acceſſiones augeri fateatur (veſperum enim, inquit, ob aëris craſſitudinem denſata inflat corpora, atque initium generat acceſſionis) præter omnem tamen rationem, ſub veſperam cibat, fricat, atque geſtationem adhibet; quum neque ſanis à cibo frictio aut geſtatio conueniat.*

Confert etiam aliquid ad ſomnum.

IOHANNES *Cæſarius in annotationibus ſuis in hunc modũ ſcribit:* Erat quando *hîc* ſaliens riuus *legendum putarem: ac ſanè hoc loco* Silanus, ſaliens riuus *ſubſtituiſſem; niſi fortè fortuna incidiſſem in Sextum Pompeium libro* XVIII. *vbi ſic legitur:* Tullios alij dixere Silanos:

quem ex Sexto repetit Georgius Valla, & Silanum pro vino exponit.

Neque alienum est.

NON solùm si sanguis non sit missus, sunt adhibendæ cucurbitulæ; verùm etiam post phlebotomiam, si facies rubicunda & incontracta, occipitio ante exacerbationem easdem affigemus, ac moderata scarificatione facta sanguinis quod satis est auferemus; auertunt enim, vt auctor est Trallianus, per partem diuersam materiam ad superiora tendentem.

Moderatio in cibo.

CIBVS esto humectans & frigefaciens, tantùmque nutriens quantum conseruationi virium opus: videndum tamen est, ne aut in accessionibus aut vigore eundem exhibeamus; cauendáque omnibus modis inedia est, quòd vires prosternat, ac corpus exiccet ac biliosum reddat, quo alienius in phreniticis nihil est.

Alterum genus insaniæ.

ALTERVM genus insaniæ vocat, quam nos melancholiam dicimus; ea siquidem magna ex parte sine febre fit, & consistit in tristitia, timore ac sollicitudine. Nam quum melancholicus humor per se ater sit, rationis locum non secus ac tenebræ obumbrat, ac timores mœstitiámque generat: sicuti videmus pueris in profundis tenebris accidere. Sunt autem, vt docet Galenus & Aëtius, melancholica deliria multiformia, ob particulares corruptas imaginationes. In genere tamen à venæ sectione auspicanda curatio est, si totum corpus sanguine melancholico abundet; quod si minus fiat, eadem opus non erit, sed alia via aliáque ratione eisdem subueniendum est: nam aut purgandi sunt per veratrum, aut hieram dictam; aut abstinentia coërcendi sunt, vt terreus ille humor tandem absumatur. frictio, motus exercitiumque ante cibum admodùm conuenientia censentur, & si ventriculus non probè concoquat, non fuerit inconsultum vti balneis.

In ieiuno vomitus.

RVFFVS, Vomant, inquit, ex longioribus internallis, etiam à cibis; verùm à raphano, aut thymo, aut origano ieiuni. Non tamen fortioribus vomitoriis vtendum est, sunt enim talia his nociua, ærumnam ventri ac stomacho addentia iam antea ex morbo afflicto; videntur enim aliqui ex efficacioribus vomitoriis melancholia correpti.

cibus sine vino.

ADMITTITVR tamen vinum quod ὀλιγοφόρον vocant Græci, hoc est tenue & album, & quod non sit admodùm vetus. Cæterùm qualiscunque tandem potus sit, moderatè exhibendus est, ne cibus in ventre fluctuet.

Tertium insaniæ genus.

PER tertium insaniæ genus videtur accipere eam quam nos simpliciter insaniam aut maniam vocare solemus: nam ea quoque bifariam dispescitur; siquidem in omnibus læditur imaginatio & ratio, integra seruata memoria: rident namque alij immodicè, versantibus ipsis ob oculos imagunculis risu dignis; alij etiam sanguine illo magis adusto reddito, terrores & spectra quædam somniãt, sicuti Orestes Electræ furiales vultus expauisse dicitur. Rursus sunt alij ab his planè diuersi quos animo desipere dicit; atque hi quidem ferina quadam dementia detinentur, quod accidit quoties bilis fuerit superassata, & crassior facta, atque adeò substantiæ cerebri eiusque membranarum visci instar agglutinata.

Neque ignorare oportet.

SVMPTA est hæc sententia ex sexto Aphorismorum Hippocratis, vbi sic dicit: Deliria quæ cum risu accidunt, tutiora; quæ verò seriò, periculosiora: nam quæ cum risu fiunt, à solo sanguine paululum adusto aut sola caliditate siue vitioso humore oriuntur; quæ seriò fiunt, ab atra vel flaua bile superassatis nascuntur.

Illud quoque perpetuum.

HOC quoque ex Hippocratis Aphorismis mutuatum est: siquidem Hippocrates sectionis VII. Aphorismo LXVII. Corpora, inquit, vbi quis purgare voluerit, oportet

fluida facere; & si per superiora, aluum sistere; si verò per inferiora, humectare.

fame.

METHODICVM id est: suspicabantur enim illi fame compesci insanientes, non secus ac bruta animantia inediâ cicuramus; quod à vera curandi ratione longè alienissimum est, quum periculum sit ne inedia prastratis viribus, eadem ferendæ morti longitudini impares reddantur, ac æger ipse succumbat: adde quòd nouimus multos insanientes, quibus cibus omnis suspectus est, & qui nisi coacti edant.

vinculis.

SATIVS tamen esset, si res familiaris admitteret, famulorum aut astantium opera in officio detineri, quòd deuinctæ partes quodammodo concutiantur. Quanquam non inconsultum sit in omni insaniæ specie, vt iam antè dixi, extremos artus vinculis constringere ad auertendam materiam.

Cogendus est.

EANDEM ferè curandi methodum habet Cælius Methodicus libro Chronion; verùm paulo prolixiùs. quam & hîc asscribere operæprecium visum fuit. dicit autem: Tunc acopis & malagmatis veterum, quæ nulla nimietate percutiant, motum quoque gestationis adhibentes: & primò gestatoria sella, tunc vehiculo manibus acto, atque toto fortificato corpore, erunt in deambulationem cogendi, & vocis exercitium quod cuique conuenerit. Nam literalis etiam lectio adhibenda est, & quæ sit aliqua falsitate culpata, quo interiùs mentem exerceant ægrotantes. Quapropter interrogationibus quoque erunt fatigandi, vt nunc mendacij causa, nunc promendi quod quærimus exerceri videantur. Tunc sibi dimittendi, data lectione, quæ non sit intellectu difficilis, ne plurimo labore vexentur. Hæc enim si supra vires fuerint, non minùs afficiunt, quàm corporis immodicæ gestationes. Item post lectionem aliqua composita vel mimica sunt offerenda, si mœstitudine furentes laborent; aut rursum tristitiam vel tragicum timorem habentia, si puerili luxu furentes afficiantur. Oportet enim contrarietate quadam alienationis corrigere qualitatem, quo animi quoque habitus, sanitatis mediocritatem agnoscat. Tunc proficiente curatione erunt pro possibilitate meditationes adhibendæ, vel disputationes; nunc quoque similiter ordinatæ, vt principia leni voce promantur; narratio verò & demonstrationes exteniâ atque maiore; tunc epilogus demissa & indulgenti: sicut hi qui de exercenda voce, quam ἀναφώνησιν Græci vocant, tradiderunt. Adhibendi denique auditores sunt ægrotanti assueti, qui fauore quodam atque laude dicta prosequentes, dicentis animũ laxent. Etenim iocunda exercitamenta corporis adiuuant sanitatem. Tunc post meditationem vel disputationem deducendus mox est atque perungendus leniter ægrotans, & deambulatione leni mouendus. Ei autem qui literas nesciat, immittendæ quæstiones erunt, quæ sint eius artis propriæ, vt rustico rusticationis, gubernatori nauigationis; ac si ex omni parte iners fuerit curandus, erunt vulgaria quædam quæstionibus tradenda, vel calculorum ludus, habet enim quiddam quod animum exerceat, & magis si peritior ægrotanti colludat. Tunc post requiem adhibita deambulatione, erunt diligentiùs perungẽdi; & primò parua atque simplici defricatione mulcendi, dehinc profectu apparente, etiam deuexo ductu post humeros atque colla defricatione potiore ac leni deductione, quam Græci καταπασμὸν vocant: vltimò fricandum etiam caput; quod si fuerit releuatum, lauacrum erit adhibendum. Hæc Cælius ille Siccensis. Verũ quòd Celsus dicit insaniẽtes omnes multa frictione esse exercendos, quàm sit verum, antè dictum est; & quòd tenuis vini potio concedatur, diximus: illis tamen magis ex vsu erit, qui flatibus distentis hypochondriis in vitium inciderint.

CAPVT XIX.

Cardiaci morbi curatio.

HVIC morbo præcipuè contrarium eſt id genus, quod Cardiacum à Græcis nominatur, quamuis ſæpe ad eum phrenetici tranſeunt. Siquidem mens in illis labat, in hoc conſtat. Id autem nihil aliud eſt, quàm nimia imbecillitas corporis, quod ſtomacho languente, immodico ſudore digeritur. Licetque protinus ſcire id eſſe, vbi venarum exigui, imbecillique pulſus ſunt. Sudor autem ſupra conſuetudinem, & modo & tempore, ex toto thorace & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo & cruribus ſiccioribus atque frigentibus. At vbi id morbi genus eſt, curatio prima eſt, ſupra præcordia imponere quæ reprimant cataplaſmata: ſecunda, ſudorem prohibere. Id præſtat acerbum oleum vel roſa, vel melinum aut myrteum. Quorum aliquo corpus leuiter perungendum, ceratumque ex aliquo horum tum imponendum eſt. Si ſudor vincit, delinendus homo eſt, vel gypſo, vel argenti ſpuma, vel cimolia creta, vel etiam ſubinde horum puluere reſpergendus. Idem præſtat puluis ex contritis aridi myrti vel rubi foliis, aut ex auſteri, & boni vini arida fæce. Pluraque ſimilia ſunt, quæ ſi deſunt, ſatis vtilis eſt quilibet ex via puluis iniectus. Super hæc verò, quo minus corpus inſudet, leui veſte debet eſſe contectus, loco non calido, feneſtris patentibus, ſic, vt perflatus quoque aliquis accedat. Tertium auxilium eſt imbecillitati iacentis, vino ciboque ſuccurrere. Cibus non multus quidem, ſed ſæpe tamen nocte ac die dandus eſt, vt nutriat, neque oneret. Is eſſe debet ex infirmiſſima materia, & ſtomacho aptus. Niſi autem neceſſe eſt, ad vinum feſtinare non oportet. Si verendum eſt ne deficiat, tum & intrita ex hoc, & hoc ipſum auſterum quidem, ſed tamen tenue meracum. Egelidum ſubinde & liberaliter dandum eſt adiecta polenta, ſi modò is æger parum cibi aſſumit. Idque vinum eſſe debet, neque nullarum virium, neque ingentium: recteque tota die ac no-

*duas, vel ᵭte, * vel tres heminas æger bibet. Si vaſtius corpus eſt, plus etiam. Si cibum non accipit, perunctum antè perfundere aqua frigida conuenit, & tum dare. Quòd ſi ſtomachus reſolutus parum continet, & ante cibum & poſt eum ſponte vomere oportet, rurſuſque poſt vomitum, cibum ſumere. Si ne id quidem manſerit, ſorbere vini cyathum, interpoſitaque hora ſumere alterum: ſi id quoque ſtomachus reddiderit, totum corpus bulbis contritis ſuperillinendum eſt. Qui vbi inaruerunt, efficiunt, vt vinum in ſtomacho contineatur, exque eo toti corpori calor, veniſque vis redeat. Vltimum auxilium eſt, in aluum ptiſanæ vel alicæ cremorem ex inferioribus partibus * indere, ſiquidem id quoque vires tuetur. Neque alienum eſt, naribus quoque æſtuantis admouere, quod reficiat, * id eſt roſam, & vinum. Et ſi qua in extremis partibus frigent, vnctis & calidis manibus fouere. Per quæ ſi conſequi potuimus, vt & ſudoris impetus minuatur, & vita prorogetur, incipit iam tempus ipſum eſſe præſidio. Vbi in tuto eſſe videtur, verendum eſt tamen, ne ad eandem imbecillitatem citò recidat. Itaque vino tantùm remoto, quotidie validiorem cibum debet aſſumere, donec ſatis virium corpori redeat.

* iniicere,

* vt eſt roſa,

ENARRATIO.

CARDIACVS morbus, ſi affectum locum ſpectes, & mentem, quæ ferè conſtat, inſaniæ contrarius morbus dici poteſt: nam ſicut omnes inſaniæ ſpecies, præter eam quæ hypochondriaca dicitur, cerebro primariò affecto originem ſuam acceptam ferunt, ita cardiacus ore ventriculi (quem καρδίαν veteres Græci vocârunt) affecto accidere conſueuit; vt auctor eſt Hippocrates, qui eundem καρδιωγμὸν ſolet nominare. Fuêre tamen alij quibus opinio hæc ſuſpecta eſſet, atque aliam loci affecti ſedem conſtituerent: nam Eraſiſtratus, & Aſclepiades, cor (ipſius morbi magnitudine, & καρδίας nomine, quod cor quoque ſignificat, decepti) in cardiacis pati dixerunt; alij membranam quæ cor circumambit, περικάρδιον vocant; nonnulli, diaphragma; alij iecur; nonnulli etiam pulmonem. Porro cognoſcemus eos qui cardiaci dicuntur, vt docet Aëtius, quum acuta febre & maximè æſtuoſa affliguntur, hoc modo: Pulſum ſi inuenero denſum & obſcurum (Celſus imbecillum & exiguum vocat) & extremarum partium frigiditatem, ſudores circa faciem & ad pectus vſque glutinoſos, & odorem corporis terreſtrem nares vſque percellentem, & pulſus circa ipſum & vehementiores & magnos, & ad hæc accedant deſperatio, angor animi, corporis iactatio. Os verò ventris primum eſt quod in ipſis afficitur, per aſſenſum vehementer oblædens cor ipſum, propter vicinitatem.

Si ſu-

Si ſudor vincit.

IMPRIMIS verò thoraci, collo, ac locis ſub alis atque inguinibus ſunt adhibenda.

gypſo.

GYPSVM, ſi quod aliud, ſiccatoriæ atque obducentis meatus facultatis eſt: quare non ſolùm ſudori compeſcendo, ſed & ſanguinis fluoribus cum oui candido commodè adhibetur. Argenti quoque ſpuma, quam lithargyron vocant, ſiccat: qua ratione ſudoribus reſtringendis erit accommodiſſima, præſertim ſi cum cimolia, amylo aut oui candido circumlinatur.

Super hæc verò.

MEDICI ſtudium in cardiacis eſt, vt cutis denſetur ac refrigeretur: quapropter aërem frigidum domus paramus, frigidos ventorum flatus inducentes; aut ſi id non poſſimus, ventilatione corpus frigefacientes, pauimenta ſternentes, irrorantéſque iis quæ aſtringente, & frigida facultate prædita ſunt: quare in vmbroſis & ſubterraneis locis collocandos docet Soranus. Atque in ſumma, ſi ſudoribus exoluatur corpus, ſtragula ipſa tollere oportet, & operimẽta ipſa, quibus teguntur, mollia eſſe debent, & vſu priore detrita, hoc eſt, vt dicit Celſus, leuia, ita vt leuia non ſolùm ad pondus, ſed & ad qualitatem referatur. Lecti etiam latitudo atque ſpatium probatur, quantum ſufficiat ægro alterna conuerſatione alterius loci frigus accipere.

Tertium auxilium eſt.

CIBVS in morbi remiſſione incunctanter offerendus eſt qui corruptioni quàm maximè aduerſetur, & qui nutriat, non oneret ſtomachum; in quem vſum ſummè commendantur pedes ſuilli, ac mala punica.

Niſi autem neceſſe.

ACRES ſiquidem humores qui os ſtomachi vellicant, vino magis exaſperarentur: quare non niſi ſumma vrgente neceſſitate vinum exhibemus; id nimirum quod auſterum ſimul & dilutum ſit, vt aſtrictioni pariter, & virium robori ſtudeamus. Neque fuerit inconſultum, polentam, panem, oryzam, halicam aut quiduis aliud eius generis infuſum vino (id enim per intrita intelligit) exhibere, quòd vires maximè recreent atque reficiant, ſtomachúmque roborent; adeò vt memoriæ proditum ſit Democritum his intritis ab orco quodammodò reuocatum.

recteque tota die ac nocte.

COTVLA vel hemina continet vini vncias decem: quo fit vt nimis quàm conueniat liberalis, Celſi hæc moderatio eſſe videatur.

Si cibum non accipit.

NAM perunctione blanda & moderata totius corporis frictione eliditur cibi faſtidium, vt auctor eſt Ægineta.

Quòd ſi ſtomachus reſolutus.

ANTE cibum ſollicitandus vomitus eſt, vt materiam ſtomacho innatantem, ac eius ſubuerſionem facientem educamus, ac deinde poſt cibum iterum vomitum ciet, vt quod iam tenaciùs ſtomacho adhærebat, vnà cum cibo expellatur: vinum autem poſtmodùm dat, quod ſubauſterum ſit & mediæ ætatis; hoc ſiquidem ſtomachum roborat, &, ſi quod aliud, amicum eſt. Cæterùm quod de bulbis ſcribit, animaduerſione dignum eſt: neque enim vſquam legiſſe memini tantum prærogatiuæ iiſdem aſſcriptum eſſe: nam quantumuis Eudemus, Aſclepiades, Themiſon, aliíque eius farinæ, cataplaſmata ex bulbis, pipere, cachri & ammoniaco prodeſſe dixerint; non tamen bulbos eo quo Celſus noſter elogio extulerunt. Nam quum ea ſit bulborum natura, vt in cataplaſmatis glutinent ſimul & ſiccent, rectè languenti ſtomacho (quamuis id neget Siccenſis Cælius) adhibet: verùm an tantæ ſint efficaciæ, vt quum inaruerint, vinum in ſtomacho contineri faciant, nondum experientia comprobare contigit.

Vltimum auxilium.

ETSI præter vulgi opinionem eſſe videatur, alimentum per poſticum ſuggeri poſſe, ratione tamen & authoritate comprobari

probari

probari potest: nam si enema quod vigorosius sit (vt secundo De medicamentorum compositione, & XIII. Methodi ostendit Galenus) reuellendo non solùm ventriculum & meseræon euacuat, verùm etiam simam hepatis expurgat; cur alimentorum facultates per aluum iniectæ in ventriculum atque hepar non subibunt, natura ipsa attractricem facultatem sollicitante? quod & post Galenũ Abenzoar libro I. tract. X. cap. XVIII. fieri posse demonstrat. Rectus, inquiens, & certus & verax est ex præfatis causis gulæ paralysi affectos nutriendi modus, vt priùs intestina cũ clysteribus abstersiuis purges, & vesicam capræ lacte, aut decocta ex tritico sorbitione refertam, per cannulam argenteam eius collo alligatam, annúque insertam manu coarctatam totam exprimas, quòd mutua successione per intestina vis ventriculi attractrix & intestinorum alimenti auida, ad stomachi fundum vsque alliciet. Idem quoque Oribasius libro VIII. cap. XXXVIII. indicatum voluit: Alia calamitas quandoque contingit, inquit; ad quam tollendam clysteribus est opus: nonnulli tam vehementer ab alimentis abhorrent, vt periculum consequatur, ne ob alimoniæ defectionem pereant, quibus clysteres ij sunt idonei, qui alere corpus possunt: quales ij sunt, ptisanæ cremor, aut tritici aut farinæ ablutio, aut halicæ cremor, aut res quæ sunt generis eiusdem: Debet autem cornu clysteris, si vsquam alibi, tum hoc loco esse quàm longissimum, & manibus compellendus magna vi clyster est, vt ad remotas supernásque partes quàm maximè conscendat. Cælius tamen Methodicus hîc ptisanam suspectam habet quòd intestina lubrica facit: Nam si omnis spes, inquit, fuerit absumpta, erit per clysterem cibus iniiciendus; sed neque ptisanæ, aut cuiusquam labilis qualitatis, quòd facilè lubrica faciat intestina: est enim hoc in cardiacis perniciosissimum; quippe fastidio attestante ventris fluorem commouere. quapropter erunt hæc ex lenticula adhibenda, & primò paruissima: tunc vino cum aqua panis attritus & expressus. sic enim corpori fiet additio, atque vires resurgent, & stomachus iamdudum supinus roborabitur. Nos felici admodùm successu non semel tentauimus cum contuso pulli, & iure carnium, in quo dissoluta essent oui lutea.

Neque alienum est.

ID, si quod aliud, in cardiacis faciendum est; siquidem si accessionũ vehementia cibationem prohibeat, hoc tutò obiri potest.

Et si qua in extremis partibus.

NON solùm calidis manibus extremas partes fouendas docet Aëtius, sed & illinendas (si duriora corpora sint) pipere, bulbis, pyrethro, sulphure vino, & similibus: nam mollibus corporibus sufficere testatur inunctiones ex glaucino aut sycionio cum multa frictione.

Vbi in tuto.

VINUM si austerum sit, nulla ratione remouendum est; verùm aqua potiùs attemperandum: id enim, si quod aliud, vires totius corporis auget, atque stomachum roborat.

CAPUT XX.

De Lethargo, & eius curatione.

ALTER quoque morbus est, aliter phrenetico contrarius. In illo difficilis somnus, prompta ad omnem audaciam mens est: at in hoc marcor, & inexpugnabilis pænè dormiendi necessitas (λήθαργον Græci nominant) atque id quoque

quoque genus acutum eſt, & niſi ſuccurritur, celeriter iugulat. * Hos ægros quidam ſubinde excitare nituntur, admotis his, per quæ ſternutamenta euocantur, & his, quæ odore fœdo mouent, qualis eſt pix * cruda, lana ſuccida, piper, veratrum, caſtoreum, acetum, allium, cepa, iuxtà etiam galbanum incendunt, aut pilos, aut cornu ceruinum. Si id non eſt, quodlibet aliud. Hæc enim cùm comburuntur, * odorem fœdum mouent. Tharrias verò quidam acceſſionis eſſe id malum dixit, leuarique cùm ea deceſſit. Itaque eos qui ſubinde * excitant ſine vſu, malè habere. Intereſt autem in deceſſione expergiſcatur æger, an cùm febris non leuetur, aut leuata quoque ea ſomnus vrgeat. Nam ſi expergiſcitur, adhibere ei vt ſopito ſuperuacuum eſt. Neque enim vigilando melior fit, ſed per ſe, ſi melior eſt, vigilat. Si verò continens ei ſomnus eſt, vtique excitandus eſt, ſed his temporibus quibus febris leuiſſima eſt, vt & excernat aliquid, & ſumat. Excitat autem validiſſimè repente aqua frigida infuſa poſt remiſſionem. Itaque perunctum oleo multo corpus tribus aut quatuor amphoris totum per caput perfundendum eſt. Sed hoc vtemur, ſi æqualis ægro ſpiritus erit, ſi mollia præcordia. Sin aliter hæc erunt, ea potiora, quæ ſuprà comprehenſa ſunt. Et quod ad ſomnum quidem pertinet, commodiſſima hæc ratio eſt. Medendi autem cauſſa caput radendum, deinde poſtea fouendum eſt aqua, in qua laurus aut ruta decocta ſit. Altero die imponendum caſtoreum, aut ruta ex aceto contrita, aut lauri baccæ, aut hedera cum roſa & aceto. Præcipueque proficit & ad excitandum hominem naribus admotum, & ad morbum ipſum depellendum capiti frontive impoſitum ſinapi. Geſtatio etiam in hoc morbo prodeſt, maximeque opportunè cibus datus, id eſt in remiſſione, quanta * maximè inueniri poterit. Aptiſſima autem ſorbitio eſt, donec morbus decreſcere incipiat: ſic, vt ſi quotidie grauis acceſſio eſt, hæc quotidie detur. Si alternis, poſt grauiorem ſorbitio, poſt leuiorem, mulſa aqua. Vinum quoque cum tempeſtiuo cibo datum, non mediocriter adiuuat. Quòd ſi poſt longas febres eiuſmodi tor-

*Hoc

*vſta, & lana

*odore fœdo mouēt, *nempe ſternutamenta.*

* exercitantur

*maxima

por corpori accessit, cætera eadem seruanda sunt. Ante accessionem autem tribus quatuórve horis castoreum (si venter astrictus est) mixtum cum scammonea: si non est, per seipsum cum aqua dandum est. * Si præcordia mollia sunt, cibis vtendum est plenioribus. Si dura, in iisdem sorbitionibus subsistendum, imponendumque est præcordiis, quod simul & reprimat, & emolliat.

*Et si

Enarratio.

VETERNVM *vocant Latini, quem Græci* ληθαργὸν. *Est autem lethargus, si morbi causam & accidentia consideres, phrenitidi prorsus contrarius: sin affectum locum spectes, contrarium nequaquam rectè dixeris; quum in vtroque cerebrum rationis sedes afficiatur. Sunt autem contrariæ causæ: nam in phrenitide febris acuta est, membranarum cerebri inflammatio atque calor; Lethargum contrà febris lenta comitatur, fitq́; quoties pituita sua frigiditate & humiditate cerebrũ imbuerit: vnde pro materiæ peccantis varietate ac differentia, æquum est inter se discrepare accidentia; siquidem in lethargo sopita, pigra, atque ad omnes quodammodò actiones inepta membra conspicimus; in phrenitide agitationem, concußionémque totius ferè corporis percipimus: in vtrisque tamen ratiocinatricis animæ noxa est.*

Hos ægros quidam subinde excitare nituntur.

ID *faciebat Asclepiades. Præstat tamen ab odoramentis incipere; deinde, si hæc non proficiant, consultum erit ad sternutamenta venire ex pipere, struthio, veratro: cæterùm eadem crebrius adhibenda nõ sunt, vt quidam temerè faciunt, quòd concußione atque exagitatione ægrorum vires prosternantur, atque suffocentur, ac longè plus periculi indè expectandum sit, quàm commodi ex materiæ peccantis euacuatione: quare quum laborandum sit, vt materia expellatur, & locus affectus corroboretur, in ipsis morbi primordiis oxyrrhodinum in quo castoreum, pulegium, nepita, aut aliud quid eius generis decoctum sit, capiti infundunt; id siquidem caput plurimùm confortat, & dum reprimit, humorum confluxum arcet, & incisoriam facultatem nanciscitur per ea quæ incoquuntur. Hoc non inferius est quod Galenus faciendum suadet, dum in aceto origanum, pulegium, aliáque id genus incidendi facultate prædita decoquit, atque naribus odoranda exhibet, vt vapor ad cerebrum delatus craßitudinem humorum dissecet.*

Itaque eos qui subinde excitant.

SENSILES *enim atque delicatæ admodùm sunt cerebri membranæ facilliméque afficiuntur: videndum igitur est vt* ἐν τῷ καιρῷ *quod facto opus est faciamus: nam sicuti morbus præceps admodùm est atque acutus, ita tempus & occasionem exhibendorum remediorũ valdè præcipitem habet: nam quantumuis intentio medici esse debet, vt* XIII. *Therapeuticæ methodi docet Galenus, excitare naturam, ac noxij humoris craßitudinem dissecare; id tamen nulla violentia tentandum est: sed primùm à mitioribus pedetentim, natura morbóque ita exigente, ad vehementiora deueniendum est.*

vt & excernat.

INIECTIS *videlicet acribus enematis. Cibandum autem est post statum solummodo, nisi diuturnior sit morbus, atque vires debilio-*

debiliores. *Cibus autem talis esto qui simul incidat, resiccet, & vires conseruet.*

Excitat autem.

IDEM *suadet Soranus: verùm vtrum ægrotantibus ex vsu fuerit, nondum induci possum vt credam; potissimùm quando in confesso sit, frigidum densare, atque meatus obstruere: nam quantumuis repentina illa frigidæ affusio ægrum possit excitare, nihil tamen de morbo tollit.*

Itaque perunctum.

IN *hunc vsum commodissimum erit sycyonium, aut aliud quoduis simile oleum; quanquam ante perfusionem aut inunctionem præstiterit perfricuisse coxendices extremosque artus.*

Medendi autem causa.

ID *Soranus affirmabat; Asclepiades hîc, vt in nephriticis quoque, suspectum habuit; Alexander Trallianus tondendum caput dicit, si morbus perniciosus admodùm & atrox & diuturnus sit.*

deinde posteà fouendum.

LAVDAVIT *id Heraclides Tarentinus, & neque in simplici aqua decoquebat, sed in posca, vt esset tenuiorum partium: Aëtius quoque atque Ægineta parti affectæ infusiones & cataplasmata adhibent, quod Tralliano quodammodo suspectum est: nam etiamsi balneum conuenire dicat, quòd humores qui cutem obsederunt, eò facillimè discutiantur; cauendum tamen monet, ne caput ægrotantis aqua perfundatur: nam si id factum fuerit, dicit, tantum abest vt tantillum opis sentiat, vt longè maioribus cruciatibus infestetur, quàm si calidum nunquam vidisset.*

Gestatio etiam.

VBI *morbus inclinare cœperit, gestatio continua vtilis est: atque hanc ita vehementem esse volebat Soranus, vt ad viginti vel* XXX. *stadia agitaretur.*

Aptissima autem sorbitio.

QVALIS *est tum ptisana, tum ipsius cremor; proderit etiam sorbitiunculas præparare quæ incisoriæ sint facultatis, vtpote in quibus aut hyssopum aut pulegium, aut simile quippiam decoctum sit; hæq; modò quotidie, modò alternis diebus dandæ sunt.*

Vinum quoque.

VINVM *esto subaquosum, tenue, album, & subastringens, quod in declinatione tantùm vtile esse docet Trallianus.*

Ante accessionem autem.

HOC *in vehementibus tantùm lethargis faciendum suadent alij, exhibebantq; ante vnam accessionis horam, vt vult Trallianus; Celsus tribus aut quatuor ante accessionem horis propinat. Est autem calefaciens & extenuans castoreum, marcescentémque ac molestantem in corpore pituitam arefacit. Addebant autem eidem dacrydium aut scammonium, si astrictior esset aluus & corpus cacochymum; ita vt duobus castorei scrupulis dacrydij ϶. ß. commiscerent: sic enim fieri, vt materia expulsioni rebellis citra molestiam subsequatur.*

CAPVT XXI.

De Aqua inter cutem, hoc est Hydropico morbo.

SED hic quidem acutus est morbus. Longus verò fieri potest eorum, quos aqua inter cutem male habet, nisi primis diebus discussus est, ὑδρωπα Græci vocant. Atque eius tres species sunt. Nam modò ventre vehementer inten-

to, creber intus ex motu ſpiritus ſonus eſt. Modò corpus inæquale eſt, tumoribus aliter aliterq́ue per totum id orientibus. Modò intus in* vnum aqua contrahitur, & moto corpore ita mouetur, vt impetus eius conſpici poſſit. Primum τυμπανίτην, ſecundum λευκοφλεγματίαν vel ὑποσάρκα, tertium ἀσκίτην Græci nominant. Communis tamen omnium eſt humoris nimia abundantia, ob quam ne vlcera quidem in his ægris facilè ſaneſcunt. Sæpe verò hoc malum per ſe incipit. Sæpe alteri vetuſto morbo, maximeq́ue quartanæ ſuperuenit. Faciliùs in ſeruis, quàm in liberis tollitur, quia cùm deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longamq́ue patientiam, promptiùs his ſuccurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas eſt. Sed ne hi quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur. Ideoq́ue non ignobilis medicus, Chryſippi diſcipulus, apud Antigonum regem, amicum quendam eius notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo implicitum negauit poſſe ſanari. Cumq́ue alter medicus Epirotes Philippus ſe ſanaturum polliceretur, reſpondit illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cùm ſumma diligentia non medici tantummodo, ſed etiam regis cuſtodiretur, tamen malagmata ſua deuorando, bibendoq́ue ſuam vrinam in exitium* ſe præcipitauit. Inter initia tamen non difficillima curatio eſt, ſi imperata ſunt corpori, quies, ſitis, inedia. At ſi malum inueterauerit, non ſine magna moleſtia diſcutitur. Metrodorum tamen Epicuri diſcipulum referunt, cùm hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret neceſſariam ſitim, vbi diu abſtinuerat, bibere ſolitum, deinde euomere. Quòd ſi redditur quicquid receptum eſt, multum tædio demit: ſi à ſtomacho retentum eſt, morbum auget. Ideoque in quolibet tentandum non eſt. Sed ſi febris quoque eſt, hæc in primis ſubmouenda eſt per eas rationes, per quas huic ſuccurri poſſe propoſitum eſt. Si ſine febre æger eſt, tum demum ad ea veniendum eſt, quæ ipſi morbo mederi ſolent. Atque hîc quoque quæcunque ſpecies eſt, ſi nondum nimis occupauit, iiſdem auxiliis opus eſt. Multum

* vterum

* ſeſe

ambulandum, currendum * aliquando est. Superiores ma- *aliquid
ximè partes sic perfricandæ, vt spiritum ipse contineat, euo-
candus est sudor, non exercitatione tantummodo, sed etiam
in arena calida, vel laconico vel clibano, similibusque aliis,
maximeque vtiles naturales & siccæ sudationes sunt, quales
super Baias habemus in myrtetis: balneum atque omnis hu-
mor alienus est. Ieiuno rectè catapotia dantur facta ex ab-
sinthii duabus, myrrhæ tertia parte. Cibus esse debet ex me-
dia quidem materia, sed tamen generis durioris. Potio non
vltrà danda est, quàm vt vitam sustineat, optimaque est, quæ
vrinam mouet. Sed idipsum tamen molliri cibo, quàm me-
dicamento melius est. Si tamen res coget, * ex his aliquid, * vt ex his aliquid detur, præstanter id decoquendum,
quæ id præstent, erit decoquendum, eaque aqua potui dan-
da. Videntur autem hanc facultatem habere iris, nardum,
crocum, cinnamum, amomum, cassia, myrrha, balsamum,
galbanum, ladanum, œnanthe, panace, cardamomum, he-
benus, cupressi semen, vua tyminia, quam σταφίδα ἀγρίαν
Græci nominant: abrotanum, rosæ folia, acorum, amaræ nu-
ces, tragoriganum, styrax, * costum, iunci quadrati, & rotun- *costus,
di semen, illud cyperon, σχοῖνον hoc Græci vocant. Quæ
quoties posuero, non quæ hîc nascuntur, sed quæ inter aro-
mata afferuntur, significabo. Primò tamen quæ * leuissima *lenissima
ex his sunt, id est rosæ folia, vel nardi spica, tentanda sunt. Vi-
num quoque vtile est & * austerum, sed quàm tenuissimum. *lene & aust.
Commodum est etiam lino quotidie ventrem metiri, & qua
comprehendit aluum, notam imponere, postero die videre,
si plenius corpus sit, an extenuetur. Id enim quod tenuatur,
medicinam sentit. Neque alienum est metiri & potionem
eius & vrinam. Nam si plus humoris excernitur, quàm assu-
mitur, ita demum secundæ valetudinis spes est. Asclepiades
in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat, se abstinentia
bidui & frictione vsum, tertio die iam & febre & aqua libera-
to, cibum & vinum dedisse, memoriæ prodidit. Hactenus
communiter de omni specie dici potest. Si vehementius
malum est, diducenda ratio curandi est. Ergo si * inflamma- *inflatio
tio & ex ea dolor creber est, vtilis quotidianus aut * alterno *altero

quoque die post cibum vomitus est. Fomentis siccis, calidisque vtendum est. Si per hæc dolor non finitur, necessariæ sunt sine ferro cucurbitulæ. Si ne per has quidem tormentum tollitur, incidenda cutis est, & tum his vtendum. Vltimum auxilium est, si cucurbitulæ nihil profuerunt, per aluum infundere copiose aquam calidam, eamque recipere. Quinetiam quotidie ter quatérve opus est vti frictione vehementi, cum oleo & quibusdam calefacientibus. Sed in hac frictione à ventre abstinendum est. Imponendum verò in eum crebrius sinapi, donec cutem erodat, ferramentisque candentibus pluribus locis venter exhulcerandus est, & seruanda vlcera diutius. Vtiliter etiam scilla cocta delinitur cutis, sed diu post has* inflammationes abstinendum est ab omnibus inflantibus. At si id vitium est, cui leucophlegmatias nomen est, eas partes quæ tument, subiicere soli oportet, sed non nimium, ne febricula incidat: si is vehementior est, caput velandum est, vtendumque frictione madefactis tantùm manibus aqua, cui sal & nitrum & olei paulum sit adiectum, sicut aut pueriles, aut muliebres manus adhibeantur, quo mollior earum tactus sit. Idque si vires patiuntur, ante meridiem tota hora, post meridiem semihora fieri oportet. Vtilia etiam sunt cataplasmata, quæ reprimunt, maximeque si corpora teneriora sunt. Incidendum quoque est super talum quatuor ferè digitis ex parte interiore, qua per aliquot dies frequens humor feratur, atque ipsos tumores incidere altis plagis oportet. Concutiendumque multa gestatione corpus est: atque vbi inductæ vulneribus cicatrices sunt, adiiciendum & exercitationibus est, & cibis, donec corpus ad pristinum habitum reuertatur. Cibus valens esse debet, & glutinosus, maximeque caro. Vinum (si per stomachum licet) dulcius. Sed ita, vt inuicem biduo triduóve, modò aqua, modò id bibatur. Prodest etiam lactucæ marinæ (quæ grandis iuxta mare nascitur) semen, cum aqua potui datum. Si valens est qui id accipit, ei scilla cocta (sicut suprà dixi) delinitur. Auctoresque multi sunt inflatis vesicis pulsandos tumores esse. Si verò id morbi genus est, quo in vterum multa aqua contrahitur, ambulare,

*inflationes

bulare, sed magis modicè oportet, malagma quod digerat impositum habere, idque ipsum super imposito triplici panno, fascia non nimium tamen vehementer astringere. Quod à Tharria profectum, seruatum esse à pluribus video. Si iecur aut lienem affectum esse manifestum est, ficum pinguem contusam adiecto melle superponere. Si per talia auxilia venter non siccatur, sed humor nihilominus abundat, celeriore via succurrere, vt is per ventrem ipsum emittatur. Neque ignoro Erasistrato displicuisse hanc curandi viam. Morbum enim hunc iocinoris putauit. Ideoque * ita illum esse sanandũ, frustraque aquam emitti, quæ vitiato illo subinde nascatur. Sed primùm non huius visceris vnius hoc vitium est. Nam splene affecto, & in totius corporis malo habitu fit: deinde, vt inde cœperit, tamen aqua nisi emittitur, quæ contra naturam ibi subsistit, & iocinori & cæteris * interioribus partibus nocet. Conuenitque corpus nihilominus esse curandum. Neque enim sanat emissus horror, sed medicinæ locum facit, quam intus inclusus impedit. Ac ne illud quidem in controuersiam venit, quin non omnes in hoc morbo sic curari possint, sed iuuenes robusti, qui vel ex toto carent febre, vel certè satis liberales intermissiones habent. Nam quorum stomachus corruptus est, quíve ex atra bile huc deciderunt, quique malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non sunt. Cibus autem quo die primùm humor emissus est, superuacuus est, nisi si vires desunt. Insequentibus diebus & his vinum meracius quidem, sed non ita multum dari debet, paulatimque euocandus æger est ad exercitationes, frictiones, solem, sudationes, * nauigationes, & idoneos cibos, donec ex toto conualescat. Balneum rarum res amat, frequentiorem in ieiunio vomitum. Si æstas est, in mare natare commodum est. Vbi conualuit aliquis, diu tamen alienus ei Veneris vsus est.

* antea *al.* non ita

*inferioribus

* fatigationes,

ENAR-

ENARRATIO.

ASCLEPIADES Hydropa acutum vocauit, non qui citò finiretur (vt rectè hîc acutum morbum definit Celſus) ſed qui repente conſtituitur; vt tardum, qui cum tarda paßione vexat; rurſúſque hydropem alium cum febribus, atque alium ſine iiſdem definiuit.

Atque eius tres ſpecies.

DIOCLES tamen tantùm duplicem eſſe hydropem dixit, hypóſarcam videlicet, & aſciten: vanum nanque eſſe & intellectu carens ſine vllo humore ſuperfluo laborantem hydropem vocare. Demetrius tamen Herophili ſectator, aliũ hydropem ſine vllo humore conſtitui dixit, ſed ſola inflatione turgente, alium ex alio humore, & eum quidem nunc per totum corpus diffundi, nunc inter peritonæum & inteſtina. Idem aſſerere videtur Hippocrates libro De ratione victus in morbis acutis, dicens: Hydropum duæ ſunt naturæ; quorum alter ſub carne ſi fieri aggreditur, ineuitabilis eſt; qui verò cum inflationibus fit, multa bona fortuna habet opus, maximè autem ærumnis & temperantia. Galenus locum hunc ſuſpectum habet, & Hippocratis eſſe negat. Proculus aliter hydropis differentias confundebat: Initium enim aquæ intercutis eſſe dicebat leucophlegmatiam, quum videlicet ſecundum carnem fieri mutationes viderimus; ſtatum verò tympanitem, quando ſumma tenſio ſecundùm ventrem fuerit facta; declinationem verò aſcitem, quum quadam indulgentia inflatio fuerit relaxata. Dura admodùm nec ſatis conueniens collatio: nam quantumuis aliquis ſtatui appoſitè tympanitem, vt qui reliquis moleſtior & periculoſior ſit, collatum dixerit; aſſequi tamen non poſſum, cur aſciten declinationi, anaſarcámque principio comparârit.

Communis tamen.

IN tympanite tamen eſt flatulenti potiùs humoris abundantia: ob quam cauſam Hippocrates quarta ſectione Aphoriſmorum, eandem ſiccam aquam inter cutem vocauit.

ob quam.

ID in anaſarca potißimùm, deinde in aſcite, locum habet: nam ſi, vt ait Hippocrates, vlcera non priùs ad cicatricem perducuntur, quàm ſufficienter exiccata ſint, in anaſarca, in qua totius corporis miſcella, ſpongiæ inſtar, humida & laxa exiſtit; & in aſcite, in qua inter peritonæum & inteſtina potißimùm copioſus humor aquoſus continetur, vlcera difficillimè cicatricem admittent: quibus ſi addas totius ſanguinis vitium (cuius, ſi quod aliud, bonitas requiritur ad inducendam cicatricem, atque ſubſtantiam deperditam reſtaurandam) nihil difficilius erit in omnibus etiam hydropis ſpeciebus, quàm vlcera carne implere, ac iiſdem cicatricem obducere; adeò rectè ex Hippocrate hîc infert Celſus, aqua inter cutem laborantibus, vlcera quæ in corpore fiunt, non facilè ſanari.

Sæpe verò hoc malum.

HEPATIS nimirum functione primariò vitiata, quum gignendo ſanguini parùm valet: vnde in alienam quandam ſubſtantiam mutato ſucco, alendo corpori vſui eſſe non poteſt; quem dum in ſubiectas ac maximè vicinas partes reiicit, in vaſtum tumorem corpus attolli neceſſe eſt, ſecundum ventrem præſertim & viſcera.

Sæpe alteri vetuſto morbo.

MVLTI enim ex podagra aut coxendicum dolore, alij ex orthopnœa, nonnulli ex peritonæi aut vuluæ in mulieribus ſcirrho, aut duricie, alij ex dyſenteria, plurimi etiam ex arquato, & malo corporis habitu in hydropem inciderunt; vti etiam multi ex menſibus hæmorrhoïdibúſque ſuppreßis; facilè enim aliis viſceribus, puta lieni, pulmoni ventriculóque, coafficitur hepar.

maximeque quartanæ.

QVARTANA ſi longior ſit, ferè in aquam

aquam inter cutem, vt antè dictum est, degenerat, quòd in ea magna sit lienis obstructio.

Faciliùs in seruis quàm in liberis tollitur.

ISTHUC quàm sit verum, docet Antonius Beniuenius capite XIII. Siquidem is à rustico quodam interrogatus, qua potissimùm ratione à morbo iam inueterato liberari posset, subridens respondit, opus esse non vltrà biberet, quàm vt vitam sustineret. Discessit ille, ac toto anno ab omni potu abstinens, reuertitur ad Beniuenium, rogátque an vlteriore potus abstinentia opus esset. Admiratus ille hominis constantem abstinentiam, iussit paulatim vino assuescere; ac ita tandem curiosa potione vsus pristinæ sanitati restitutus est.

Inter initia tamen.

SI leuis tantùm obstructio sit hepatis, citra scirrhosam aliquam duriciem, facilè inter initia citóque curatur hydrops; præsertim si quiete ad concoquendos cibos sufficiente, siti, atque inedia ægrotantem detineamus; ita enim fiet, vt & aquosus humor dissipetur, exiccetúrque, & vires ex ingesto cibo reficiantur; alioqui semper in longissimum tempus producetur, & difficillimè medicamentis cedet.

Quòd si redditur.

VOMITUS si quo modo prouocari potest, in hydropicis commodissimus est: quare in incipiente hydropisi omnibus modis sollicitandum monet Aëtius. Non mirum igitur, si Methrodorus ille Epicureus ex aqua quam vomitu reiecit, leuamen sensit, vt puta quæ simul & sitim sopierit, & vomitione peccantis materiæ portionem aliquam expurgârit.

Si febris quoque.

AB aqua inter cutem, inquit Hippocrates, non valdè fortis febris, neque diuturna oritur: nam igni non valdè bonum alimentum ex aqua præbet. studendum tamen est, vt si qui hydropici febricitent, febris intermissione curentur; ac tum quidem, ab acrioribus, calidioribúsque cibis abstinendum est: quinetiam nocuum est, cataplasmata, inunctionésque calefacientes admouere præcordiis; neque tuta sunt cuiuscunque generis pharmaca acriora. In summa, ita actionem nostram moderari studebimus, vt vehementiori magísque vrgenti omnibus, quoad fieri potest, modis subueniamus.

Atque hîc quoque.

NON tamen omnes Hydropis species inter initia iisdem auxiliis opus habent: siquidem etsi purgationem omnes requirant; sola leucophlegmatia (potissimùm quæ suppressos aut menses, aut hæmorrhoides sequitur) sanguinis missionē ante omnia flagitat.

Multùm ambulandum.

HIPPOCRATES libro De morbis vulgaribus, etiam defatigandos laboribus dicit hydropicos; id enim exiccat, & cutem porósque, sicut frictio reliquáque quæ subiungit, laxiores reddit, ac serosos humores per sudores elicit. Frictio autem ipsa mediocris esse debet, vt docet Trallianus, vt humores faciliùs euaporent, & tanquam ex superficie summæ cutis extrahantur: nam alioqui si vehementior sit, violentia quadam materia ex imo raperetur.

Sed etiam in arena calida.

QUAM sit salubris post euacuationem Hydropicis arenæ suggestio, præcedente libro, vbi de insolatione egi, abundè declaratum est: multi etenim fatentur sese aqua inter cutem laborantes ad pristinū reduxisse statum, solius marinæ arenæ aggestione: ea autem ita facienda est, vt ægroti corpus defodiatur sub arena, ac eadem obruatur, solo excepto capite: quod tamen velatum esse conuenit, ne calore solis lædatur, porrigendáque ab astante ministro frequentiùs recens arena est; ita enim fiet vt sudor feliciùs subsequatur, & aquosus humor educatur. Si autem marina arena ad manum non sit, in eius locum substituere licet fluuiatilem, cui modicum salis admixtum sit; est tamen marina leuior & magis resiccans.

Potio non vltrà danda est.

PLVRIMVS *frequensq́; potus incommodus, vt qui maximè, est Hydropicis; neque enim (vt ait ille) sitim pellunt, nisi causa morbi. Dandum igitur tantum, quantum & ad sustentandam vitam, & infringendam sitim satis sit. Potus ergo esto vinum vetus, tenue & austerum; id enim non modò vrinam prouocat, sed & humiditatem superfluam exiccat: à dulcibus recentibúsque vinis in totum abstinendum est.*

Sed id ipsum.

NAM *præterquam quòd cibus familiarior naturæ est, etiam in propriam substantiam faciliùs alteratur; medicamenta verò omnia quatenus talia sunt, à natura aliena censentur; alia enim vesicam commouent, alia intestina lacerando vlcerant, alia tormina faciunt, alia stomachum subuertunt, fastidiúmque cibi generant, & sitim extendunt.*

iris.

EXTENVANDI *calefaciendique vim obtinet: succus autem eius maximè hydragogum medicamen est, si denariorum duorum pondere sumatur; vt multiplici experimento compertum est.*

nardum.

CALEFACTORIVM *& exiccans est, compositum ex substantia multùm astringente & acri, calida non multa, & quadam modica subamara; iecori amicum, atque vrinæ prouocandæ vtilißimum.*

crocum.

ID *quoque vrinam prouocat: einsdem planè energiæ sunt, cinamomū, amomum, casia, myrrha &c. atque id quidem alia aliis intensiùs.*

vua tyminia.

TAMINIA *legendum est: nam, vt ait Plinius, staphidagrian, aut staphin quidam falsò vuam taminiam vocant: maturescit cum vindemia, nigrescitque cùm taminiæ rubentes nouerit acinos. hæc Plinius. Prodest autem Hydropicis, quòd, si intùs sumatur, per vomitum crassam ac pituitosam materiam reiiciat. Cupreßi autē semen, quomodo hoc elogio celebrârit, non video; nisi fortè ideò prodesse dicat, quòd cum astrictione caliditatem quandam cōiunctam habeat; vnde & exiccet, & robur laxis particulis subministret.*

rosæ folia.

ROSARVM *vis ex aquea calida substantia, duabus aliis qualitatibus, astringente videlicet & amara mixta, composita est: quo fit vt & fluentem aluum compescant, præsertim si siccæ atque exuccæ fuerint; & vice versa, longo rerum vsu compertum habeamus, earundem succum, bilem & aquas expurgare: quanquam id veterum nonnulli non animaduerterint, aut saltem non meminerint.*

Neque alienum est.

NAM, *vt Hippocrates libro De indicationibus, in his qui hydrope detinentur, si aquositas per ventrem ad vesicam aut ventrem fit, solutio fit; & si à pituita alba occupato alui profluuium vehemens acciderit, solutio fit: nam etiamsi copiosa mictio morbo nihil adimat, quod tamen ferè facit; indicat tamen bonam concoctionem: nam, vt in Aphorismis Hippocrates, mictio noctu plurima facta, paruam significat fore deiectionem.*

Asclepiades in eo.

LONGIOR *ac difficilior ex quartana est hydrops, quàm vt tantillo negocio curari posse credam.*

Ergo si inflammatio.

HIC *variant exemplaria: nam Pinzanum* inflatio *legit; reliqua malè, vt bene annotauit Pantinus,* inflammatio *substituerunt; ita vt per inflationem hydropem tympanitem intelligamus: huic etenim fomenta sicca calidáque optima sunt, & cucurbitulæ sæpiùs repetitæ præsentißimo sunt remedio, siue cum scarificatione, siue absque eâdem affigantur.*

Vltimum auxilium est.

SI *simplicem aquam iniicias, parùm profeceris;*

profeceris; sin discutientia eidem adieceris, plurimùm adiuueris.

Quin etiam quotidie.

CVR *totum corpus, solo excepto ventriculo, qui flatibus maximè distenditur, fricari velit, mirandum est, aliis contrarium longè asserentibus, ac dicentibus ventrem tantisper perfricandum aspero linteo, dum viuido quodam colore cutis efflorescat, atque rubore suffundi incipiat: neque id iniuria; nam si frictio conniuentes meatus aperit, humores desiccat, flatus discutit, extenuat, disiicit, rectè eidem parti quæ maximè afficitur adhibebitur, ac nisi adhibeatur, obstructis meatibus flatuosi spiritus peritonæum ipsúmque ventrem magis distendent; quod sentiens Celsus, sibi per omnia non satis constans ventri sinapismos applicat, candentibus plumbis exulcerandum ventrem pluribus locis admonet, eadémque vlcera diu aperta seruanda docet: quo fit vt omnino inducar vt credam, locum hunc non citra mendi suspicionem legi, atque sic, ni quid obstet, restituendum:* Sed in hac frictione, à ventre abstinendum non est, imponendumque in eum crebrius sinapi. *quanquam si quis aliam lectionem seruare malit, per me integrum est; præsertim quando ex antedictis constet satis Celsum hinc inde, modò ex empiricorum, nunc methodicorum placitis sine ordine in suum volumen redegisse.*

Vtiliter etiam scilla.

QVOMODOCVNQVE *vtamur, scilla maximi vsus est: nam quum acris sit & tenuium partium, extrinsecus apposita, cutim quodammodo exulcerat; in vino autem ad tertias decocta, cochlearis vnius aut alterius mensura sumpta, citra molestiam aquosum humorem euacuat.*

At si id vitium.

LEVCOPHLEGMATIAM *modò anasarcam, nunc hyposarcam & hyposarcidion nominant.*

eas partes quæ tument.

Non solùm velandum caput est, si sol calidior sit, sed totum etiam corpus ab insolatione arcendum est; periculum enim esset si supercalesceret corpus, ne febres accenderentur, vnáque cum ipsarum febrium generatione tumores duplicarentur, atque id multò magis, vt auctor est Aëtius, quum febres remittunt, ac tumores refrigerationem capiunt.

Vtilia etiam.

EA *videlicet quæ robur visceribus addunt, & resiccare simul possunt: qualia sunt quæ ex cotoneis, myrti baccis, malicorio, & similibus confiunt.*

Incidendum quoque est.

ISTHVC *præsentissimum esse in hydropicis remedium affirmabat Asclepiades, peracta incisione ea profunditate, qua venam secare solemus: nam posteaquam tenuis quidam aquosúsque sanguis effluxerit, sensim indesinentérque aquosus humor effluere incipit, qui non compescitur antequam totus euanuerit. Atque id quidem adeò necessarium nonnulli esse contenderunt, vt nisi statim fieret, aliis in locis, quæ breui intumescerent (puta scroto, & similibus) obeunda esset sectio.*

Concutiendumque.

ID *post inunctionem faciendum est, ac tum quidem si sudor premânet, linteis abstergendus est, ne obstipentur meatus.*

Cibus valens esse debet.

HOC *ex præscripto* Hippocratis *libro De ratione victus in morbis acutis facere videtur, qui suillas carnes hydropicis dandas dicit, vt aduersus arduas resistant obambulationes: quanquam id quoque non in omnibus faciendum suadeat Galenus; verùm in iis tantùm qui & validi sunt & florentes ætate: nam alioqui concoctioni repugnabunt, & viscerum obstructiones parient.*

Vinum (si per stomachum, &c.

DVLCIA *vina mulsúmque, si quod aliud, vitanda sunt, nisi eadem substantia tenuia sint, atque vrinam prouocent; siquidem*

dem hydropicis id tantùm vinum ex vsu est, quod tenue sit & pauciferum, quódque lotium cieat.

Auctorésque multi sunt.

AVCTORES *sunt Archigenes, & Herodotus, qui pulsandos tumentes locos vesicis bubulis, aut etiam aliis magnis ac probè inflatis ac vacuis asserebant; inde enim citra molestiam carnem condensari, neque dolore neque repercussione duriore resultante.*

Si verò id morbi genus.

CVR *in ascite, quàm tympanite aut anasarca, minùs ambulandum dicat, valdè demiror; præsertim quando hîc, si vsquam alibi, exercitium, vt quod exiccet, & poros reseret, vsui esse possit.*

malagma quod digerat.

ITA *ligamentis constringendus est æger, vt ab inferioribus partibus incipiamus, ac ligamentorum distributionem ad superiores partes faciamus, ita vt sæpe (sicut monet Aëtius) super ipsa ligamenta spongias posca imbutas iuxta tumefactas maximè partes imponamus.*

Si per talia.

HIPPOCRATES *sexto Epidemion,* ὑδερώδεας θᾶσσον τάμνειν, *hoc est hydropicos citiùs secare oportet: aut per* τὸ τάμνειν, *punctiones intelligens, quas Græci* παρακεντήσεις *nominant.*

Neque ignoro.

QVAMVIS *non solùm Erasistrato, sed & Ptolemæo & Thessalo atque Euenori eorúmque sectatoribus suspecta fuerit hydropis ascites per paracentesin curatio, quòd quum passionis causam dicant esse iecinoris duriciem, supercreatam verò humoris infusionem, paracentesis humorem detrahens passionem non minuat, siquidem non auferat causam ex qua humor sit creatus. Hippocrati tamen, Aëtio, Paulo Æginetæ, atque aliis summè semper commendata est: nam præterquam quòd tensionem difficultatémque spirandi amoueat, medicinæ etiam locum facit, dum euacuato humore, tutum sit localia medicamenta applicare, quæ alioqui irrita essent. Non ferunt tamen omnes hanc curandi rationem, verùm ij tantùm, qui & viribus polleant, & ætate floreant; tales enim sola paracentesi restitutos legimus.*

Nam splene affecto.

QVANQVAM *obstructionem splenis, malum corporis habitum, mensium aut redundantiam, aut suppressionem, & id genus alia innumera hydrops comitari soleat, ex simplici tamen lienis obstructione, cachexia, & similibus nunquam superueniet, nisi per sympathiam coaffecto hepate: quare bene Erasistratus hepar affectum esse dixit.*

Si æstas est.

LOCORVM *& aquarum mutatio est adhibenda, & peregrinatio magis maritima, inquit Cælius: est enim lacerantior, & corporis apertionibus magis efficax maritimus aër, ob salsedinem.*

CAPVT XXII.

De Tabe, & eius speciebus, & curationibus.

DIVTIVS sæpe & periculosiùs Tabes eos malè habet, quos inuasit. Atque huius quoque plures species sunt. Vna est, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, & nisi occurritur, tollit: ἀτροφίαν hanc Græci vocant. Ea duabus fere de causis incidere consueuit.

Aut

Aut enim nimio timore aliquis minùs, aut auiditate nimia plusquàm debet, aſſumit: ita vel quod deeſt, infirmat: vel quod ſuperat, corrumpitur. Altera tabis ſpecies eſt, quam Græci καχεξίαν appellant, vbi malus corporis habitus eſt, ideoque omnia alimenta corrumpuntur. Quod ferè fit, cùm longo morbo vitiata corpora, etiam ſi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt, aut cùm malis medicamentis corpus affectum eſt, aut cùm diu neceſſaria defuerunt, aut cùm inuſitatos & inutiles cibos aliquis aſſumpſit, aliquídve ſimile incidit. Huic præter tabem illud quoque nonnunquam accidere ſolet, vt per aſſiduas puſtulas aut vlcera ſumma cutis exaſperetur, vel aliquæ corporis partes intumeſcant. Tertia eſt, longeque periculoſiſſima ſpecies, quam Græci φθίσιν nominauerunt. Oritur ferè à capite, inde in pulmonem deſtillat: huic exulceratio accedit, ex hac febricula leuis fit, quæ etiam cùm quieuit, tamen & repetit. Frequens tuſſis eſt, pus exſcreatur, interdum cruentum aliquid. Quicquid exſcreatum eſt, ſi in ignem impoſitum eſt, mali odoris eſt. Itaque qui de morbo dubitant, hac nota vtuntur. Cùm hæc genera tabis ſint, animaduertere primùm oportet, quid ſit in quo laboratur. Deinde, ſi tantummodo non ali corpus apparet, cauſſam eius attendere: & ſi cibi minus aliquis quàm debet, aſſumit, adiicere, ſed paulatim, ne ſi corpus inſuetum, ſubita multitudine onerauerit, concoctionem impediat. Si verò plus iuſto quis aſſumere ſolitus eſt, abſtinere vno die, deinde ab exiguo cibo incipere, quotidie adiicere, donec ad iuſtum modum perueniat. Præter hæc conuenit ambulare locis quàm minimè frigidis, ſole vitato, per manus quoque exerceri. Si infirmior eſt, geſtari, vngi, perfricari, ſi poteſt, maximè per ſeipſum, ſæpius eodem die, & ante cibum & poſt eum ſic, vt interdum oleo quædam adiiciantur calefacientia, donec inſudet. Prodeſtque ieiuno prehendere per multas partes cutem, & attrahere, vt relaxetur, aut impoſita reſina & abducta ſubinde idem facere. Vtile eſt etiam interdum balneum, ſed poſt cibum exiguum. Atque in ipſo ſolio rectè cibi aliquid aſſumitur, aut ſi ſine hoc frictio fuit, poſt eam

protinus. Cibi verò esse debent ex his, qui facilè concoquuntur, qui maximè alunt. Ergo vini quoque, sed austeri necessarius vsus est, mouenda vrina. At si malus corporis habitus est, primùm abstinendum est, deinde aluus ducenda, tum paulatim cibi dandi, adiectis exercitationibus, vnctionibus, frictionibus. Vtilius his frequens balneum est, sed ieiunis etiam vsque ad sudorem. Cibis verò opus est copiosis, variis, boni succi, quique etiam minùs facilè corrumpantur, vino austero. Si nihil reliqua proficiunt, sanguis mittendus est, sed paulatim quotidieque pluribus diebus, cum eo, vt cætera quoque eodem modo seruentur. Quòd si mali plus est, & vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est. Neque enim facilè is morbus cùm inueterauerit, euincitur. Opus est, si vires patiuntur, longa nauigatione, cæli mutatione, sic, vt densius quàm id est, ex quo discedit æger, petatur. Ideoque aptissimè Alexandriam ex Italia itur. Fereque id posse inter principia corpus pati debet, cùm hic morbus ætate firmissima maximè oriatur, id est ab anno * duodecimo ad annum quintum & trigesimum. Si id imbecillitas non sinit, naue tamen non longè gestari commodissimum est. Si nauigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimouendum est, tum à negotiis abstinendum est, omnibusque rebus, quæ sollicitare animum possunt; somno indulgendum, cauendæ destillationes, ne si quid cura leuaret, exasperetur, & ob id vitanda cruditas, simulque sol & frigus. Os obtegendum, fauces velandæ, tussicula suis remediis finienda, & quàm diu quidem febricula incursat, huic interdum abstinentia, interdum etiam tempestiuis cibis medendum. Eoque tempore bibenda aqua. Lac quoque, quod in capitis doloribus, & in acutis febribus, & per eas facta nimia sitis, siue præcordia tument, siue biliosa vrina est, siue sanguis fluxit, pro veneno est, in phthisi tamen, sicut in omnibus longis difficilibusque febribus, rectè dari potest. Quòd si febris aut nondum incursat, aut iam remisit, recurrendum est ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes, item lenes frictiones. Balneum alienum est. Cibus esse debet

* duodeuicesimo

bet primò acer, vt allium, porrum, idque ipsum ex aceto, vel ex eodem intubus, ocymum, lactuca. * Dein lenis, vt sorbitio ex ptisana, vel ex alica, vel ex amylo, lacte adiecto. Idem oryza quoque, & si nihil aliud est, far præstat. Tum inuicem, modò his cibis, modò illis vtendum est. Adiiciendaque quædam ex media materia, præcipueque vel ex aprugna, cerebellum, vel pisciculus, & his similia. Farina etiam cum seuo ouillo, caprinóve mista, deinde incocta, pro medicamento est. Vinum assumi debet lene, austerum. Hactenus non magna mole pugnatur. Si vehementior noxa est, ac neque febricula neque tussis quiescit, tenuarique corpus apparet, validioribus auxiliis opus est. Exulcerandus est ferro candenti, vno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammam vtramque: item sub imis ossibus scapularũ (quas ὠμοπλάτας Græci vocant) sic ne sanescere vlcera sinamus, nisi tussi finita. Cui per se quoque medendum esse, manifestum est. Tunc ter quaterque die vehementer extremæ partes perfricandæ, thorax leui manu pertractandus, post cibum intermittenda hora, & perfricanda crura, brachiaque. Interpositis denis diebus demittendus est æger in solium, in quo sit aqua calida, & oleum: cæteris diebus bibenda aqua, tum & vinum: si tussis non est, potui frigidum dandum: si æstas est, egelidum. Vtile est etiam cibos in remissionibus quotidie dari, frictiones, gestationesque similiter adhiberi: * itemque acria quarto aut quinto die sumere, interdum herbã sanguinalem ex aceto, vel plantaginem esse. Medicamentum etiam est, vel plantaginis succus, per se, vel marrubium ex melle concoctum, ita vt illius cyathus sorbeatur, huius cochleare plenum paulatim delingatur, vel inter se mista & incocta resinæ terebenthinæ pars dimidia, butyri & mellis pars altera. Præcipua tamen ex his omnibus sunt victus, vehiculum, & nauis, & sorbitio. Aluus cita vtique vitanda est. Vomitus in hoc morbo si frequens est, perniciosus est, maximeque sanguinis. Qui meliusculus esse cœpit, adiicere debet exercitationes, frictiones, cibos, deinde ipse se, suppresso spiritu, perfricare, diu abstinere à vino, balneo, Venere.

* Deinde

* eadem acria

ENARRATIO.

QVÆ Latinis tabes vocatur, Græcis φθίσις aut φθοὴ dicitur: ea autē quanquam varias causas diuersósq; morbos subsequatur, ferè pulmonis vlcerationem adiunctam habet: nam siue sanguinis spuitiones, siue empyicos, siue peripneumonicos, seu etiam pleuriticos subsequatur tabes; vnus tamen idémque morbus est, atque eandem sedem affectam habet. Quare impropriè admodùm malum corporis habitum & nutrimenti cessationem, quam ἀτροφίαν vocant, inter tabis species recensuit Celsus: rectiùs congeneres, vt qui longa strigosáque macie corpus consumant, vicinásque phthisi passiones dixisset: quo loco haberi etiam posset empyema, peripneumonia, atque pleuritis; vt quæ, nisi rectè curentur, in eandem, vt dixi, degenerent.

Ατροφίαν.

AB accidenti nomen sumpsit malum; estq; potiùs morbi symptωma quàm morbus dicendus, quum longis morbis succedere soleat.

Altera tabis species.

VITIVM hoc aquæ interculi potiùs quàm phthisi asscripseris, quum tota corporis miscella laxior, mollior ac fungosior, in modum leucophlegmatici, quodammodo reddatur; quin & si diutiùs perseuerauerit vitium, in aquam intercutē conuerti solet.

Tertia est.

PERICVLOSA dicitur tabes ex vlcere pulmonis, tum quòd pharmacorum vires ad vlcus peruenire nequeant, priùs quàm in ventre permutentur; tum quòd propter continuum pulmonis motum vlcera difficillimè conglutinentur, sed tußiendo quodammodo lancinentur: nam quum pulmo aliàs expurgari nequeat, quàm per screatum aut tußim, fit vt tußis vehementia labra vlceris quæ iam quodammodo cohærebant, iam iterum diuellantur, atque disrumpantur: quin etiam (quod rarius tamen fit) si diuturna pulmonis vlcera curationem admittant, perfectam tamen cicatricem nunquam obduxeris, sed quæ fistulosa quodammodo sit, & quam leuißima occasione refricueris.

Quicquid exscreatum est.

EXTREMAM enim humorum putrefactionem qui in pulmone sunt denotat. Sumpta est sententia ex quinta sectione Aphorismorum Hippocratis, vbi sic scriptum reliquit: Si iis qui tabe infestantur, sputum quod tußiendo exscreant, grauiter olet carbonibus impositum, & capilli à capite defluunt, lethale est. Celsus defluuij capillorum non meminit; quod non secus ac ipsum sputum considerandum monet Galenus, vt quod alimenti defectionem, & humorum corruptionem denotet.

Deinde, si tantum modò.

TRANSGREDITVR ad atrophian; cuius curationem optima methodo prosequitur.

sole vitato.

CONTRARIVM asserebat Themison, quanquam malè, qui loco igneo vel feruenti, atque sole torrente, præfatigatos, sudoribúsque dissolutos fricari vult.

Prodestque ieiuno.

IN hunc vsum dropacibus, malagmatísque, & articulorum lenibus complicationibus vtebantur.

mouenda vrina.

ID rectè adhiberi docet Pantinus, in atrophia orta à copia alimenti.

At si malus corporis habitus.

CACHECTICI, si viriosi humores in causa sunt, statim in principio purgandi sunt: frustrà ergò hîc Celsus Methodicorum Cyclum inculcat; siquidem quorsum hîc

hîc (vbi, si vsquam aliàs, opus est viribus) primis diebus inediam præscripserit?

tum paulatim cibi dandi.

VICTVS *tenuis sit & siccus, cum moderata deambulatione, vociferationes, gestationes, frictionésque siccæ per linteola ex lino crudo, deinde per inunctionem ex oleo, cui quadam quæ humorem resiccant, sint infarta, cachecticis vtilißima sunt, vt quæ vires restaurant atque recreant.*

Vtilius his frequens balneum.

HOC *ad laßitudinis curationem adhibendum docet Aetius, efficaciúsque energiam suam exeret, si ex aquis aluminosis, sulphurulentis, aut alioqui nitrosis sit.*

Cibis verò opus.

VARIETAS *ciborum in morbi tantùm declinatione conceditur.*

Si nihil reliqua proficiunt.

NON *semper differenda est sanguinis mißio, dum reliqua nihil proficiunt; sed est vbi statim in ipso principio à sanguinis missione curationem ordimur; puta si ex mensium, hæmorrhoidúm ve suppreßione ortum sit malum, aut si plenitudo vllo modo molesta sit.*

Ideoque aptissime Alexandriam.

NAVIGATIO *maritima, vti vehemens est exercitatio, ita phthisicis parum conueniens; quum eisdem exercitia mediocria, latentésque, vt sic dicam, motus concedantur tantùm: quo fit vt etsi quammaximè cœli mutationem concedamus, eam quàm minima fieri potest corporis concitatione promouendam dicamus: quare & litorariæ nauigationes, & quæ in vicina porticu fiunt, commendantur. Inter reliqua tamen primas obtinent lecti pensiles, vt qui insensili aßiduóque, & sibi per omnia simili motu corpus moueant, atque adeò concoctionem adiuuent.*

id est ab anno.

LOCVM *hunc præcedente libro explicauimus, vbi singularum ætatum morbos enarrauimus. Cæterùm Celsus hîc iterum non veretur ab Hippocratis sententia nonnihil recedere, quum à duodecimo anno ad trigesimum quintum tabem in periculo esse dixit: nam Hippocrates libro quinto Aphorismorum, Tabes, ait, fiunt maximè ætatibus à decimo octauo anno vsque ad trigesimum quintum. & libro tertio:* Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν αἵματος πτύσιες, φθίσιες, *&c. vbi per* τοὺς νεηνίσκους *Galenus intelligi docet eam ætatem, quæ inter pubertatem & consistentem media est, quæ sub decimum octauum annum magna ex parte incipit, non* XII. *aut* XIII. *aut alioqui* XIIII. *anno.*

cauendæ distillationes.

QVVM *caput, vt auctor est Hippocrates De internis affectionibus, pituita impletum ægrotârit, calórque accesserit, pituita in capite computrescit, vt quæ moueri non potest, vt decedat, posteà quum crassefacta & putrefacta fuerit, & superexpletæ venulæ, fluxio in pulmonem fit, & vbi pulmo suscepit, statim ægrotat, vt qui à pituita mordetur, quæ salsa est ac putrida. Non iniuria igitur cauendas docet distillationes Celsus, vt quæ morbi causa existunt: quare & caput iisdem purgandum est, pharmaco ad nares posito.*

Lac quoque.

PETITVS *est locus ex quinto Hippocratis Aphorismorum segmento, vbi sic ait: Lac dare caput dolentibus & febricitantibus malum est; & quibus hypochondria sublata murmurant, ac sitibundis. Nocet etiam quibus in acutis febribus biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi detractio facta est. Prodest autem tabidis qui non admodum febricitant, & in febribus diuturnis debilibus, si nullum prædictorum signorum affuerit; & præter rationem extenuatis. Prodest autem tabidis lac, quòd pus, si quod in pulmone est, abstergat, vlceráque eius agglutinet, atque ægros nutri-*

triat. *Veteres, vt quinto Methodi docet Galenus, phthoë laborantibus mulierem lactantem aſtare voluerunt, tum quòd id familiare nobis eſſe cenſuerint, tum quòd ſumi voluerint, antequam ab aëre nos ambiente refrigeraretur. Quare & hodie à medicis obſeruatum video, vt recens mulctum lac, aſtante etiam animale, reliquis magis commendatum habeant, atque id vſu ita exigente bibendum dent; cui modò ſalem, vt libro De alimentorum facultatibus docet Galenus, modò mel admiſcent.*

Cibus eſſe debet.

CAVENDVM *tamen eſt ne nimis acer cibus ſit: nam, vt Hippocrates, cibaria & opſonia dentur neque pinguia, neque nidoroſa, neque valdè acria. Porrum tamen alliúmque pulmonis vlceribus conueniunt, propter abſtergendi vim aliquam, quâ pectoris exſcreationes eliciunt. Præſtiterit tamen eadem, vt docet Paulus, exhibere poſteaquam chondri & ptiſſanæ iure macerata contabuerint.*

apruna.

BENE *monet hic Pantinus legendum eſſe* aprugna.

cum ſeuo ouillo.

HIS *non inefficacior erit adeps ceruinus recens in ſorbitionibus eliquatus.*

Exulcerandus eſt ferro candenti.

CAVENDVM *tamen eſt ne pus confertim effluat; periculum enim eſſet, vt ſexto Aphoriſmorum Hippocrates, ne interirent aut vitam cum morte commutarent: nam, ſicut idem libro De internis affectionibus docet, Si pus in thoracem prorumpat, quà tibi monſtrare videtur, illîc potiſſimùm ſecans aut vrens, primùm id exiguum puris emittito.*

ſcapularum.

PERPERAM *hîc Pinzanum exemplar* omoτidas *legit: verùm, ſicut reliqua exemplaria habent,* ὠμοπλάτας *legendum eſt.*

ceteris diebus bibenda aqua.

CÆLESTIS *potiſſimùm aqua, ſi qua alia, danda eſt, atque inde confecta mulſa.*

Medicamentum etiam eſt.

INTER *reliqua omnia medicamentum hoc exaſperata lenit, fluxus cohibet, ac diuulſa conglutinat.*

Aluus cita vitanda.

HIPPOCRATES *ſeptimo Aphoriſmorum: A puris ſputo tabes & fluor; quum verò ſputum retinetur, moriuntur. & ſectione quinta, XII. Aphoriſmo: Quibuſcunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, iis alui profluuium ſuperueniens lethale.*

CAPVT XXIII.

De Comitialis morbi curationibus.

INTER notiſſimos morbos eſt etiam is, qui Comitialis, vel maior nominatur. Homo ſubitò concidit, ex ore ſpumæ mouentur, deinde interpoſito tempore ad ſe redit, & per ſeipſum conſurgit. Id genus ſæpiùs viros quàm fœminas occupat, ac ſolet quidem etiam longum eſſe, vſque ad mortis diem, & vitæ non periculoſum. Interdum tamen cùm recens

cens est, hominem consumit; & sæpe eum, si remedia non sustulerunt, in pueris veneris, in puellis menstruorum initium tollit:* modò cum distentione membrorum aut neruorum prolabitur aliquis, modò sine * illa quidem. Hos quoque iisdem, quibus lethargicos excitare conantur: quod admodum superuacuum est, & quia ne lethargicus quidem his sanatur, & quia cùm possit iste nunquam expergisci, atque ita fame interire, hic ad se vtique reuertitur. Vbi concidit aliquis, si nulla neruorum distentio accessit, vtique sanguis mitti debet. Si accessit, non vtique mittendus est, nisi alia quoque hortantur. Necessarium autem est ducere aluum, vel nigro veratro purgare, vel vtrumque facere, si vires patiuntur: tunc caput tondere, oleoque & aceto perungere, cibum post diem tertium, simul cùm transit hora, qua concidit, dare. Neque sorbitiones autem his, aliique molles & faciles cibi, neque caro, minimeque suilla conuenit; sed mediæ materiæ. Nam & viribus opus est, & cruditates cauendæ sunt, cum quibus fugere oportet solem, balneum, ignem, omniaque calefacientia: item frigus, vinum, venerem, loci præcipitis conspectum, omniumque terrentium, vomitum, lassitudinem, solicitudines, negotia omnia. * Vbi tertio die cibus datus est, intermittere quartum, & inuicem alterum quenque, eadem hora cibi seruata, donec quatuordecim dies transeant. Quos vbi morbus excessit, acuti vim deposuit. At si manet, curandus iam vt longus est. Quòd si non quo die primùm id incidit, medicus accessit, sed is qui cadere consueuit, * ei traditus est, protinus eo genere victus * habito, qui suprà comprehensus est, expectandus est dies, quo prolabatur, vtendumque tum vel sanguinis missione, vel ductione alui, vel nigro veratro, sicut præceptum est. Insequentibus deinde diebus per eos cibos quos proposui, vitatis omnibus, quæ cauenda dixi, nutriendus. Si per hæc morbus finitus non fuerit, confugiendum erit ad album veratrum, ac ter quoque aut quater eo vtendum, non ita multis interpositis diebus: sic tamen, ne iterum vnquam sumat, nisi conciderit. Mediis autem diebus vires eius erunt nu-

* ac modò
* illa. Quidam hos
*: & vbi
* pôst ei
* dabitur.

triendæ, quibusdam, præter ea quæ * scripta sunt, adiectis. Vbi manè experrectus est, corpus eius leuiter ex oleo vetere, cum capite (excepto ventre) permulceatur, tum ambulatione quàm maximè longa & recta vtatur: post ambulationem loco tepido vehementer & diu, ac non minus ducenties, nisi infirmus erit, perfricetur: deinde per caput multa aqua frigida perfundatur, paulum cibi assumat, conquiescat, rursus ante noctem ambulatione vtatur, iterum vehementer perfricetur, sic vt neque venter, neque caput contingatur, post hæc cœnet, interpositisque tribus aut quatuor diebus, vno aut altero acria assumat. Si ne per hæc quidem fuerit liberatus, caput radatur, vngatur oleo vetere, adiecto aceto & nitro, perfundatur aqua salsa, bibat ieiunus ex aqua castoreum, nulla aqua nisi decocta potionis causa vtatur. Quidam iugulati gladiatoris calido sanguine epoto, tali morbo sese liberarunt. Apud quos miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecit. Quod ad medicum verò pertinet, vltimum est iuxta talum, ex vtroque crure paulum sanguinis mittere, occipitium incidere, & cucurbitulas admouere, ferro candente in occipitio quoque & infra, quà summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, vt per ea perniciosus humor euadat. Quibus si finitum malum non fuerit, prope est, vt perpetuum sit. Ad leuandum id tantummodo vtendum erit exercitatione multa, frictione, cibisque his, qui suprà comprehensi sunt, præcipuèque vitanda omnia, quæ ne fierent, excepimus.

* suprà scripta

ENARRATIO.

COMITIALIS morbus varias atque inter se differentes omnino sortitus est denominationes: siquidem modò Sacer appellatur, vel quòd diuinum quid eidem inesse crediderit antiquitas, vel quòd magnus ac vehemens sit, maiora siquidem vulgus Sacra vocare solet: sic Sacrum mare, Sacram domum dicimus. Apuleius autem ἱερὸν νόσον, hoc est sacrum morbum à Græcis dictum esse vult, quòd animæ partem rationalem, quæ longè diuinissima est, violet. Ἐπιληψία autem dicitur, quòd sensum ac mentem simul apprehendat: Puerilis verò morbus, quòd eidem ætati familiaris: Herculeus autem, vel ab ipsa morbi magnitudine; vel quòd Herculem eidem morbo obnoxium fuisse fama sit: Comitialis ideò nominatus est, quòd si quis illo correptus in comitiis concidisset, eadem interrumperentur: Lunaticus autem vocatur, quòd siqui interlunio

interlunio concepti aut nati sunt, eodem morbo ferè corripiãtur: de quo Sammonicus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est
Quòd fieri nobis suffragia iusta recuset,
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit,
Ipse deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit.

ex ore spumæ.

EA *oriri solet ex motus agitationisque vehementia.*

Id genus sæpiùs viros.

ISTHVC *an verum sit ambigo; præsertim quando mulieres viris temperie sint humidiore ac frigidiore, morbusque sit pituitosus & in pituitosis consistens naturis, ut docet* Hippocrates.

Interdum tamen.

VT *si acutas admodum faciat accessiones: nam tum ferè hominem consumere, atque lethalis esse solet, nisi magna adhibeatur diligentia, atque impetus morbi refrenetur.*

in pueris.

HIPPOCRATES *Aphorismorum sectione secunda, Aphorismo* XLV. *Quicunque, ait, iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur. & libro quinto Aphorismo* VII. *Quicunque morbi comitiales ante pubertatem eueniunt, mutationem capiunt; quibus autem vigesimo quinto, iis magna ex parte commoriuntur. Solet namque hic affectus pubertatis tempore, siue nouæ in fœminis purgationis, aut primi partus puerperio aboleri, critica quadam atque naturali expurgatione peccante materia educta.*

Vbi concidit aliquis.

THESSALVS *statim in principio phlebotomandos asserebat, alij in tertium diem differendam phlebotomiam censuerunt. Soranus alios statim in initio, ut si morbus urgeret, neque ciborum cruditas obstaret, sanguinis eductione curabat; aliis quibus cibos crudos & inconcoctos adhucdum inesse putabat, tertio tantùm die tundendam venam arbitratus est. Ægineta post accessiones, si nihil prohibeat, sanguinem è cubito mittit.*

Neque sorbitiones.

VICTVS *enim incidens attenuansque epilepticis conuenit: quare neque qui facilè corrumpitur aut in alienam qualitatem transmutatur, neque crassi succi cibus, neque qui flatulentus est, iisdem conuenit.*

Balneum.

PAVLVS *tamen Ægineta, ubi satis purgati sunt, balneo eosdem credit.*

Venerem.

NIHIL *æquè epilepticis nocuum est, atque concubitus seu Venus; quam non immeritò quidam paruam epilepsiam vocauerunt, quòd similem faciat membrorum motum, diuersò contractu, anhelatione & sudore attestante, & oculorum conuersione, cum rubore vultus, ac deinde post effectum displicere faciat sibimet, corpus cum pallore & quadam debilitate vel mœstitudine.*

loci præcipitis conspectum.

NON *solùm præcipites loci, sed & gurgites rapidique fluuij, ac rotarum circumagitationes nocuæ sunt, sicuti omnis strepitus, terror, nimia perfrictio, odores aut nimis boni, aut mali, quorum aliqui suffitu epilepticos statim concidere faciunt, ut est bitumen, gagates, cornu cerui, bdellium, storax, atque id genus alia.*

Vbi tertio die.

ET *hic suam diatriton obseruat, quum tamen iam opus esse viribus dixerit: sed neque si decimumquartum transgrediatur diem, acuti vim deposuerit, quum & vigesimo & quadragesimo indicari possit, atque absolutè curari. Talis enim non est epilepsia, ut inter acutos simpliciter, quos Hip-*

pocrates in xiiij. diebus finiri docet, recenseri debeat; verùm potiùs inter acutos ex decidentia: quanquam interdum, licet rariùs, eosdem etiam ante decimumquartum diem finiri videamus.

tum ambulatione.

NON *solùm obambulationes, sed & omnis generis exercitationes in palæstra, & gestationes quæ equo fiunt, vtiles sunt, si ante cibum fiant: incipiendum tamen semper à blandioribus mitioribúsque exercitiis, sensimq; ad vehementiora deueniendum est; terminus autem seu finis obambulationis exercitationísve sit anhelitus alteratio.*

deinde per caput multa aqua frigida.

ID *suspectum habet Alexander Trallianus: Nam si quando, inquit, in solium descendit, neque caput identidem immergat, neque larga aqua madefaciat; verùm semel atque iterum, seu tertiò ad summum.*

sic vt neque venter.

FRICTIONIS *ratio hæc sit: Primùm à brachiis auspicandum est; secundò ad pectus descendendum, & ad ventrem; deinde ad coxendices: sit autem valida frictio, vt aliquid caloris corpori accedat, atque humores euocentur. postremò quando particulis robur aliquod aut firmitas affuerit, caput quoque, sed leuius, perfricandum est; periculum enim esset ne si primò à capite frictionem ordiamur, omnis materia confertim eò confflueret. Ventrem autem quare intactum esse voluerit Celsus, nondum assequor.*

castoreum.

CALEFACIT, *exiccat, extenuandique vi praditum est castoreum, neruis laborantibus, affectibúsque ex copia humorum ortis vtiliter exhibetur.*

Quidam iugulati.

HIC *Plinium videre licet, apud quem eadem fere quæ hîc dicit Celsus, leguntur in præfatione libri XXVIII. Sanguinem, inquit, quidam gladiatorum bibunt, vt bibentibus populis procul sint comitiales morbi, quod spectare facientes eadem arena feras quoque horror est. Scribonius Largus idem tribuit hepati gladiatoris iugulati.*

CAPVT XXIIII.

De Regij morbi curatione.

*: quemq; AEQVE notus est morbus, quem interdum Arquatum, interdum Regium nominant. * Quem Hippocrates ait, si post septimum diem febricitante ægro superuenit, tutum esse, mollibus tantummodò præcordiis substantibus. Diocles ex toto, si post febrem oritur, etiam prodesse: si post hunc febris, occidere. Color autem eum morbum detegit, maximè oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum. Soletque accedere & sitis, & dolor capitis, & frequens singultus, & præcordiorum dextra parte durities, & vbi corporis vehemens motus est, spiritus difficultas, membrorumque resolutio, atque vbi diutiùs manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit. Primo die abstinere

ægrum

ægrum oportet, ſecundo ducere aluum, tum ſi febris eſt, eam victus genere diſcutere. Si non eſt, ſcamoneam potui dare, vel cum aqua betam albam contritam, vel cum aqua mulſa nuces amaras, abſinthium, aniſum, ſic vt pars huius minima ſit. Aſclepiades aquam quoque ſalſam, & quidem per biduum, purgationis cauſſa bibere cogebat, iis quæ vrinam mouent reiectis. Quidam ſuperioribus omiſſis, per hæc & per eos cibos, qui extenuant, idem ſe conſequi dicunt. Ego vbique, ſi ſatis virium eſt, validiora, ſi parum, imbecillia auxilia præfero. Si purgatio fuit, poſt eam triduo primo modicè cibum oportet aſſumere ex media materia, & vinum bibere græcum, ſalſum, vt reſolutio ventris maneat; tum altero triduo validiores cibos, & carnis quoque aliquid eſſe; intra aquam manere, deinde ad ſuperius genus victus reuerti, cum eo, vt magis ſatietur, omiſſo græco vino, bibere integrum auſterum: atque ita per hæc variare, vt interdum acres quoque cibos interponat, interdum ad ſalſum vinum redeat. Per omne verò tempus vtendum eſt exercitatione, frictione, ſi hyems eſt, balneo; ſi æſtas, frigidis* nationibus: lecto etiam & conclaui cultiore clauſo loco* vti, ludis, laſciuia, per quæ mens exhilaretur. Ob quæ Regius morbus dictus videtur. Malagma quoque quod digerat, ſuper præcordia datum prodeſt, vel arida ibi ficus impoſita, ſi iecur aut lienis affectus eſt.

*natationibus

* vt & ludis

ENARRATIO.

VARIA *item nomina & hic morbus ſortitus eſt: nam nunc Icterus dicitur, à ſimilitudine ad animalculum quod* ἴκτις *appellatur, ſiue viuerra, hoc eſt muſtela ſylueſtris, quæ auricolores habet oculos, vt habet Aëtius; vel potiùs, ſicut* Plinio *placet, ab ictero aue, quæ, vt idem dicit, à colore ſic vocatur: quæ ſi ſpectatur, ſanari id malum tradunt; auem autem mori. hanc putat Latinè vocari* Galgulum. *Arquatus verò à cæleſtis arcus ſimilitudine: Aurigo autem ab auri pallore, quem bilis per vniuerſum corpus diſperſa repræſentat, dictus eſt.* Regius autem ſignatur nomine morbus, *ait Serenus Sammonicus,* Molliter hic quoniam celſa curatur in aula; *hoc eſt, quòd mulſi potione, quæ in regum erat deliciis, curetur.*

Quem Hippocrates ait.

HIPPOCRATES *ſectione quarta Aphoriſmorum: Quibus in febribus regius morbus ante diem ſeptimum accidit, malum eſt. & paulo pòſt: Quibus in febribus ſeptimo, vel nono vel* XI, *vel* XIIII. *morbus regius ſucceſſerit, bonum; niſi dextrum hypochon-*

hypochondrium durum fuerit: Celsus molliciem præcordiorum adesse voluit, quod idem est: nam vt duricies hepatis, si in dextero latere; lienis, si in sinistro, inflammationem denotat; ita mollicies securitatem ab eadem pollicetur.

Diocles.

IDEM *Plinius & Auerrhoës senserunt, qui etiam ante septimum diem, superuenientem in febribus icterum non formidauerunt.*

Color autem.

SIC *Plinius libro XXVI, Morbum regium, inquit, in oculis præcipuè nritari est, tenuitatem illam densitatémque tunicularum felle subeunte.*

præcordiorum dextrâ parte.

NON *semper sequitur præcordiorum dextra parte duricies: neque enim semper (vt De locis affectis docet Galenus) in morbo regio locus affectus est hepar: siquidem videmus nonnunquam iecinore nequaquam affecto, per morbi indicationem effundi ad cutim bilem pallidam; quo modo abscessus quoque aliqui euenire consueuerunt. Videmus etiam aliquando citra morbi indicationem, sanguinem ab extraneâ aliquâ occasione corruptum, biliosum effici; qualis etiam à feris mordentibus fieri solet. Accidere etiam potest, vt iecinoris secundum naturam temperatura mutata, humores huiuscemodi vitio afficiantur, & quidem citra obstructionem, aut inflammationem, aut scirrhum. Quinetiam manifestè quandoque videmus, vniuersum corpus herbis candenti pallore similari; interdum plumbeum, aut etiam magis fuscum colorem referre, interdum etiam alias quasdam ineffabiles colorum proprietates, quæ iecore suo munere non fungente accidere solent. Sic ob splenis quoque vitia huiusmodi colores eueniunt, sed multo nigriores quàm ab hepate. Hæc Galenus.*

secundo ducere aluum.

IN *principio tamen, vt rectè monet Aëtius, purgandum non est, sed statim deoppilantibus vtendum; bilisque attenuanda est, ac quodammodo ad intestina reducenda; atque tum demum medicamento forti ducenda aluus est: qua ratione & scammoneam potui dandam auctor est Celsus.*

lecto etiam & conclaui.

SIC *vt iam dixi, Serenus Sammonicus,* Regius est, *inquit*, signatus nomine morbus, Molliter hic quoniam celsa curatur in aula. *Varro autem ac Plinius quòd mulsi potione, quæ in regnum erat deliciis, curaretur, Regium morbum dictum voluit.*

CAPVT XXV.

De Elephantiæ curatione.

IGNOTVS autem penè in Italia frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem ἐλεφαντίασιν Græci vocant, isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita vt ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem conuertitur. Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisque; quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt.

Vbi

Vbi vetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum hominem consumit. Protinus ergo inter initia sanguis per* biduum mitti debet, aut nigro veratro venter solui, adhibenda* tum quanta sustineri potest, inedia est; paulum deinde vires reficiendæ, & ducenda aluus: post hæc, vbi corpus leuatum est, vtendum est exercitatione, præcipueque cursu, sudor primùm labore ipsius corporis, deinde etiam siccis sudationibus euocandus, frictio adhibenda, moderandumque inter hæc, vt vires conseruentur, balneum rarum esse debet. Cibus sine pinguibus, sine glutinosis, sine inflantibus. Vinum præterquàm primis diebus, rectè datur. Corpus contrita plantago, & illita, tueri optimè videtur.

*triduum
*tamen

ENARRATIO.

PLINIVS Historiæ Naturalis libro XXVI. Diximus, inquit, elephantiasin, ante Pompeij Magni ætatem non accidisse in Italia; & ipsam in facie sæpiùs incipientem, in nare prima veluti lenticula, mox inualescente per totum corpus maculosa variis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura seu scabie aspera, ad postremum verò nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibúsque. Ægypti peculiare hoc vitium; & quum in reges incidisset, populis funebre; quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam. Galenus Satyriasin appellat, quòd eo morbo affecti faciem habeant Satyris similem; nasum videlicet simum, & labia crassa: alij Leontiasin nominare maluerunt. Auicennas, vt ante Fuchsium doctißimè disserit Ioannes Mainardus, lepram nominat; sicuti etiam ad vnum omnes Arabes elephantiasin Græcorum in suam lepram conuerterunt, ita vt certum sit longè aliam esse Græcorum elephantiasin, ab elephantiasi Arabum; & rursus aliud esse Arabum lepram, aliud Græcorum.

aut nigro veratro.

ID interpositis aliquot diebus post sanguinis mißionem faciendum est, neque semel tantùm, sed bis, ter, & ampliùs; sic tamen vt intermedio tempore, conueniente victus ratione, ægroti vires reficiantur.

adhibenda.

IDQVE potißimùm vt tota corporis miscella immutetur.

Vinum.

PAVLVS à vino & Venere per totum morbi curriculum, abstinendum docet; si tamen vires à purgatione superflua labascant, ad easdem refocillandas pauxillum vini tenuis ac diluti dumtaxat concedit.

CAPVT XXVI.

De Attonitis, & eorum curatione.

ATTONITOS quoque raro videmus, quorum & corpus & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum

 morbo,

morbo, ἀποπληξίαν hunc Græci appellant. His ſanguis mittendus eſt. Veratro quoque albo, vel alui ductione vtendum. Tum adhibendæ frictiones, & ex media materia minimè pingues cibi, quidã etiam acres, & à vino abſtinendum.

ENARRATIO.

ATTONITI modò dicuntur qui tonitru aut fulminis ictu obſtupeſcunt; eaq́ eſt nominis propria ſignificatio: interdum etiam dicuntur ij qui morbo (quem ἀποπληξίαν Græci vocant; quòd tanquam ex lethali percuſſione repentinũ faciat caſum) correpti, motu & ſenſu particularum totius corporis priuati ſunt; idq́ quando commune neruorum principium, nempe cerebrum, affectum eſt.

His ſanguis mittendus eſt.

POTISSIMVM ſi à ſanguinis copia confertim in cerebrum irruentis, apoplexia orta ſit; ac tum quidem tantum ſanguinis detrahendum eſt, quantum vires citra iacturam ferre poſſint: commouere enim tantùm oportet, non exoluere vires, aut innatum calorem extinguere. Inſpiciendus enim ægri pulſus & faciei color, & reſpiratio in euacuatione, & ſi nihil mali ex viriũ imbecillitate ſubſequatur, non verebimur iam iteratò venam tundere.

Veratro quoque albo.

HELLEBORVM album exhibet ad educendum, ſi fieri poteſt, per ſuperiora, hoc eſt, per vomitionem. Per alui autem deiectionem eam intelligit quæ per enemata obitur.

Tum adhibendæ frictiones.

NON modò adhibendæ ſunt frictiones, ſed & inunctiones illitionéſve, ac magnæ cucurbitulæ.

& ex media materiam.

CVIVSMODI erit qui mollis ac lenis eſt, nec diſtributioni rebellis, & qui ſimul calidus ſit, ac exterſoria vi præditus. A vino autem in totum abſtinendum; locóque eius mulſa, aut ſimile quid propinandum eſt.

CAPVT XXVII.

De reſolutione neruorum, quæ Apoplexia vel παράλυσις dicitur.

AT reſolutio neruorum, frequens vbique morbus eſt. Sed interdum tota corpora, interdũ partes infeſtat. Veteres auctores illud Ἀποπληξίαν, hoc Paralyſin nominauerũt. Nunc vtrumque Paralyſin appellari video. Solent autem qui per omnia membra vehementer reſoluti ſunt, celeriter rapi, ac ſi* correcti non ſunt, diutius quidẽ viuunt, ſed raro tamen ad ſanitatem perueniunt, & plerunque miſerum ſpiritum trahunt, memoria quoque amiſſa. In partibus verò nunquam acutus, ſæpe longus, fere * ſanabilis morbus eſt. Si omnia membra vehementer reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus, vix vnquam ſanitatem

*correpti

*inſanabilis

tatem restituit, sæpe mortem tantùm differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem, si non redit & motus & mens, nihil spei superest. Si redit, sanitas quoque prospicitur. At vbi pars resoluta est, * proderit malo corporis, vel sanguis missus, vel aluus ducta. Cætera eadem in vtroque casu facienda sunt. Siquidem vitare præcipuè conuenit frigus, paulatimque ad exercitationes reuertendum est, sic, vt ingrediatur ipse protinus, si potest. Si id crurum imbecillitas prohibet, vel gestetur, vel motu lecti concutiatur, tum id membrum, quod deficiet, si potest, per se: si minus, per alium moueatur, & vi quadam ad consuetudinem suam redeat. Prodest etiam * torpentis membri summam cutem exasperasse, vel vrticis cæsam, vel imposito sinapi, sic vt vbi rubere cœperit corpus, hæc remoueantur. Scilla quoque contrita, bulbique contriti cum thure rectè imponuntur. Neque alienum est, resina cutem tertio quoque die diutius vellere, pluribus etiam locis, aliquando sine ferro cucurbitulas admouere. Vnctioni verò aptissimum est vetus oleum, vel nitrum aceto & oleo mistum. Quinetiam fouere aqua calida marina, vel si ea non est, tamen salsa magnopere necessarium est. At si quo loco vel naturales, vel etiam manu factæ tales natationes sunt, iis potissimùm vtendum est, præcipuéque in iis agitanda membra, quæ maximè deficiunt. Si id non est, balneum tamen prodest. Cibus esse debet ex media materia, maximeque ex venatione: potio sine vino aquæ calidæ. Si tamen vetus morbus est, interponi, quarto vel quinto die purgationis caussa vinum Græcum salsum prodest. Post cænam vtilis vomitus est. Interdum verò etiam neruorum dolor oriri solet. In hoc casu non oportet vomere, non medicamentis vrinam mouere, * non sine exercitatione sudores, vt quidam præcipiunt, expedit. Bibenda aqua est bis die. In lectulo leniter satis diu corpus perfricandum est, deinde retento * spiritu, ab ipsa exercitatione potius superiores partes mouendæ, balneo raro vtendum, mutandum subinde peregrinationibus cælum. Si dolor est, ea ipsa pars sine oleo nitro ex aqua perungenda est, deinde inuoluenda, &

* prouidet *al.* pro vi & m. c. v. s. mittendus, v. a. ducenda.

* torpentibus membris

* non exer.

* spiritu, exer.

da, & subiicienda pruna lenis, & sulphur, atque ita id suffumigandum, idque aliquandiu faciendum. Sed ieiuno, cùm bene iam concoxerit, cucurbitulæ quoque sæpe dolenti parti admouendæ sunt, pulsandusque leuiter inflatis vesicis bubulis is locus est. Vtile est etiam seuum miscere cum hyoscyami & vrticæ contritis seminibus, sic, vt omnium par modus sit, idque imponere, fouere aqua, in qua sulphur decoctum sit. Vtriculi quoque rectè imponuntur aqua calida repleti, aut bitumen cum hordeacea farina mixtum, atque in ipso potissimum dolore vtendum gestatione vehementi est, quod in aliis doloribus pessimum est. Tremor autem neruorum æquè vomitu, medicamentisque vrinam mouentibus* intenditur. Inimica etiam habet balnea, assasque sudationes. Bibenda aqua est, acri ambulatione vtendum, item vnctionibus, frictionibusque maximè per seipsum, pila, similibusque superiores partes dimouendæ, cibo quolibet vtendum, dummodo concoctioni vtique studeatur. Secundùm cibum curis abstinendum. Rarissima Venere vtendum est. Siquando quis in eam prolapsus est, tum oleo* leuiter diuque in lectulo perfricari manibus puerilibus potiùs, quàm virilibus debet. Suppurationes autem, quæ in aliqua interiori parte oriuntur, vbi notæ fuerint, primùm id agere oportet per ea cataplasmata quæ reprimunt, ne coitus inutilis materiæ fiat. Deinde, si hæc victa sunt, per ea malagmata quæ digerunt, dissipentur. Quod si consecuti non sumus, sequitur vt euocetur, deinde vt maturescat, omnis tunc vomicæ finis est, vt rumpatur. Indiciumque est, pus vel aluo, vel ore redditum: sed nihil facere oportet, quominus quicquid est puris excedat. Vtendum maximè sorbitionibus est & aqua calida. Vbi pus* fieri desiit, transeundum ad faciles quidem, sed tamen validiores & frigidos cibos, frigidamque aquam, sic vt ab egelidis tamen initium fiat, primoque cum melle quædam edenda, vt nuclei pinei, vel Græcæ nuces, vel auellanæ. Postea submouendum idipsum, quo maturius induci cicatrix possit. Medicamentum eo tempore vlceri est succus assumptus, vel porri, vel marrubii, & omni cibo porrum ipsum adiectum.

* impeditur.

* leniter

* ferri

Oporte-

Oportebit autem vti in his partibus, quæ non afficiuntur, frictionibus, item ambulationibus lenibus. Vitandum erit, ne vel luctando, vel currendo, vel alia ratione ſaneſcentia vlcera exaſperentur. In hoc enim morbo pernicioſus, ideoque omnimodo cauendus ſanguinis vomitus eſt.

ENARRATIO.

In quo differat apoplexia à neruorum reſolutione, quæ παράλυσις *dicitur, docet Galenus libro tertio De locis affectis: nam in apoplecticis ſenſus & motus ſimul deperditur; in paralyticis motus tantùm: ſiquidem,* Μάλιστα μὲν οὖν *inquit,* ἡ παράλυσις ἐπὶ τῇ τῆς κινήσεως ἀπωλείᾳ λέγεται: *& ſoluta apoplexia creberrimè ſuccedere ſolet paralyſis, ſenſu videlicet recuperato, motúque abolito. Non negauerim tamen nonnunquam apud veteres, atque adeo ipſum Hippocratem, denominationes has confundi: nam is ſegmento ſeptimo Aphoriſmorum, Aphoriſmo* XL: Ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται. *hoc eſt: Si lingua ſubitò infirma fiat, aut pars aliqua corporis reſoluatur, hoc à melancholico humore accidit. Clarius tamen eſt quàm vt longiore egeat explicatione, aliud eſſe Hippocrati apoplexiam, aliud reſolutionem vel paralyſin. Themiſon autem capitis vel in capite paralyſin cum mentis impedimento propriè apoplexiam vocabat: Diocles verò, Praxagoras, ac Titienſis quidam Aſclepiades, dicebant apoplectos toto corpore vitiatos paralyſi, paraplectos verò particulis. At quòd paralyſis & pro reſolutione, & pro ſideratione dicta vſurpetur, nondum apud quenquam, quod ſciam, præter Celſum noſtrum, legiſſe contigit.*

Solent autem.

SENTENTIA *hæc de apoplectis potiùs quàm paralyticis intelligenda eſt: nam quantumuis ſenſus motúſque priuationem paralyticis concedamus, rarò admodum, aut nunquam cerebrum, animæ principem, in eiſdem affici concedemus.*

Si omnia membra.

HABITA *tamen ratione plenitudinis: nam niſi hæc infeſtet, ab humorum purgatione curationem ordiri expedit. Cæterùm oportet moderatam eſſe, ſi quando fiat, ſanguinis detractionem; ne dum prodeſſe ſtudemus, ægrotum iugulemus nimia perfrictione, quæ ex ſuperflua, aut copioſa alioqui ſanguinis profuſione, facilè ſubſequeretur: quod voluiſſe Celſum veriſimile eſt, dum dicit* vel occîdit vel liberat. *occîdit enim ſi plus iuſto auferatur, aucto morbo nimia perfrictione; ſolet enim frigiditas coniuncta aut ſiccitati, aut humiditati affectionem inducere; vnde & paulo pòſt frigus ſummè vitandum dicit.*

At vbi pars reſoluta.

AB *incolumiore parte ſemper detrahendus ſanguis eſt.*

Scilla quoque contrita.

EFFICACIOR *erit, ſi* XL. *diebus in oleo vetere in ſole macerata fuerit.*

pluribus etiam locis.

SI *plures partes reſolutæ fuerint, pluribus etiam locis, diſtinctiſque poſt purgationem applicandæ ſunt cucurbitulæ; ſin paucæ, vni tantùm: ſed neque eas ſine ferro, hoc eſt ſine ſcarificatione, vt hîc infert Celſus, verùm grandes primò cum cutis inciſione, vt multum ſanguinis attrahant, ac deinceps moderatiores, vt docet Aëtius, adhibebimus. Cæterùm ſunt affigendæ partibus affectis, ſi aptæ ſunt; ſi minùs, vicinis.*

præcipueque in iis.

NIHIL *æquè inſtrumentales partes roborat,*

borat, ac exercitium: nam & ad actiones reddit fortiores, & ut affectionibus potenter resistant, præparat: nam, ut Galenus libro methodi sanitatis tuendæ, Exercitationibus firmitas quædam membris accedit; quum & naturalis calor accenditur, & ex partium inter se attritu, duritia quædam indolentiáque comparatur. sic sexto Epidemion Hippocrates: *Labor, inquit, articulis & carnibus; cibus verò ac somnus visceribus prodest.*

potio sine vino aquæ calidæ.

QVOD *vinum resolutis donec morbus desierit, inconueniens sit, notum est: at quòd iisdem ex usu sit aqua calida, non ita receptum puto. Nam quum morbus mali originem ad frigiditatem ac humiditatem referat, parum hîc proderit aqua calens, nisi ad prouocandum vomitum eâdem utaris. Quo fit ut nesciam, cur hîc, & paulo post, bis in die aquã potui dandam dixerit: rectiùs mulsam, cui aut saluia, aut cinamomum, aut simile quippiam incoctum sit, exhibuerit.*

non medicamentis vrinam mouere.

AETIVS *tamen alimentis admiscenda monet quæ vrinam mouent.*

pulsandusque leuiter.

ALII *cucurbitulas corneas in hunc vsum commendârunt, quòd ore sugentes ex alto humores citra tensionem aliquam, aut inflammationem euocent.*

atque in ipso potissimùm dolore.

VERVM *est quòd labor aut vehemens exercitatio neruosis partibus conueniat: at vtrum eadem expediat in neruorum doloribus, nondum induci possum vt credam; præsertim quando immodica illa agitatio facillimè defluxum materiæ ad partes dolentes concitârit.*

Tremor autem neruorum.

VARIIS *ex causis oritur tremor; vt auctor est* Galenus libro De tremore *& palpitatione; quas vt varias diuersásque sortitur, ita variam atque eam diuersam curationem postulat: si tamen à valido violentóque frigore occupante oriatur, eandem omnino curationem cum paralysi efflagitat.* Porrò per *assam sudationem, nisi eam intelligamus quam Vitruuius concameratam nominat, (in qua erat fornacula quam Græci κλίβανον vocant) & quam* Cicero *in alterum apodyterij angulum promouet, ac nonnulli παρὰ τὸ πνίγειν, hoc est à stipando suffocandóque,* Propnigeon *dictum volunt; non scio quomodo tremori neruorum obesse posit; præsertim quando præcedente libro* ex Aëtio *ischiadicis, sideratis resolutísque sudationes, quæ per insolationem, aut calidæ arenæ aggestionem fiunt, non inutiles pronunciauerimus: nisi ex stipatione illa ac suffocatione plus exspectemus incõmodi, quàm vtilitatis ex transpiratione.*

Suppurationes autem.

ADDVBITO *vehementer num quæ hîc subsequuntur, antedictis cohæreant: mihi certè fini* XXII. *capitis annectenda videntur, quòd eodem capite de tabidis, & pulmone suppuratis agat.*

Indiciumque est pus.

HIPPOCRATES *septimo Aphorismorum: A tuberculi intus ruptione, exolutio aut vomitio, aut animi defectio fit. in cuius Aphorismi explanatione Galenus dicit suppurationum ad intestina ruptiones, puris facere deiectiones.*

AVRE-

AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER QVARTVS,

A BALDVINO RONSSEO *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

CAPVT I.

De humani corporis interioribus sedibus.



ACTENVS reperiuntur ea genera morborum, quæ in totis corporibus ita sunt, vt iis certæ sedes assignari non possint. Nunc de iis dicam, quæ sunt in partibus. Facilius autem omnium interiorum morbi curationesque in notitiam venient, si prius eorum sedes breuiter ostendero. Caput igitur, eaque quæ in ore sunt, non lingua tantummodo, palatoque terminantur, sed etiam quatenus oculis nostris exposita sunt. In dextra sinistraque circa guttur venæ grandes, quæ σφαγίτιδες nominantur, itemque arteriæ (quas * parotidas vocant) sursum procedentes vltra aures feruntur. Atque in ipsis ceruicibus glandulæ positæ sunt, quæ interdum cum dolore intumescunt. Deinde duo itinera * incipiunt. Alterum asperam arteriam nominant, alterum stomachum. Arteria exterior ad pulmonem: Stomachus interior ad ventriculum fertur. Illa spiritum, hic cibum recipit: à quibus cùm diuersæ viæ sint, qua coëunt, exigua in arteria sub ipsis faucibus lingua est, quæ cùm spiramus attollitur, cùm cibum potionemque assumimus, arteriam claudit. Ipsa autem arteria, dura,

*carotidas

*excip.

Stomachus hic pro ipsa gula accipitur, vt & infra libro 4. c. 5. quamuis aliquando & pro ventriculi parte inferiori stomachi vocabulo vtatur Celsus, vt cùm ait, stomachus verò intestinorum præcipuum est.

dura, & cartilaginosa in gutture assurgit, cæteris partibus *residet. Constat ex circulis quibusdam compositis ad imaginem earum vertebrarum, quæ in spina sunt: ita tamen, vt ex parte exteriore aspera, ex interiore stomachi modo læuis sit, eaque descendens ad præcordia cum pulmone committitur. Is spongiosus, ideoque spiritus capax & à tergo spinæ ipsi iunctus in duas fibras vngulæ bubulæ modo, diuiditur. Huic cor annexum est, natura musculosum in pectore, sub sinisteriore mamma situm, duosque quasi ventriculos habet. At sub corde atque pulmone transuersum ex valida membrana septum est, quod à præcordiis vterum diducit æquè neruosum, multis etiam venis per id discurrentibus à superiore parte, non solùm intestina, sed iecur quoque lienemque discernit. Hæc viscera proxima, sed infrà tamen posita dextra sinistraque sunt. Iecur à dextra parte sub præcordiis ab ipso septo ortum, intrinsecus cauum, extrinsecus gibbum, quod prominens leuiter ventriculo insidet, & in quatuor fibras diuiditur. Ex inferiore verò parte ei fel inhæret, at lienis sinistra non eidem septo, sed intestino innexus est, natura mollis & rarus, longitudinis, crassitudinisque modicæ, isque paulum à costarum regione in vterum excedens ex maxima parte sub his conditur, atque hæc quidem iuncta sunt. Renes verò diuersi, qui lumbis sub imis coxis inhærent, à parte earum resimi, ab altera rotundi, qui & venosi sunt, & ventriculos habent, & tunicis supèr conteguntur. Ac viscerum quidem hæ sedes sunt. Stomachus verò, qui intestinorum principium est, neruosus à septimæ spinæ vertebra incipit, ac circa præcordia, cum ventriculo committitur. Ventriculus autem, qui receptaculum cibi est, constat ex duobus tergoribus, isque inter lienem & iecur positus est, vtroque ex iis paulum super eum ingrediente. Suntque etiam membranulæ tenues, per quas inter se * tria ista connectuntur, iunguntur que ei septo, quod transuersum esse suprà posui. Inde ima ventriculi pars paulum in dexteriorem partem conuersa, in summum intestinum coarctatur. Hanc iuncturam πυλωρὸν Græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes, ea quæ

*residit.

Renes.

Stomachus.

Ventriculus.

*omnia

quæ excreturi ſumus, emittit. Ab ea ieiunum inteſtinum incipit, non ita implicitum: cui tale vocabulum eſt, quia nunquam quod accipit, continet: ſed protinus in inferiores partes tranſmittit. Inde tenue inteſtinum eſt, in ſinus vehementer implicitum. Orbes verò eius per membranulas ſinguli cum inferioribus connectuntur, qui in dexteriorem partem conuerſi, & è regione dexterioris coxæ finiti, ſuperiores tamen partes magis complent. Deinde id inteſtinum cum craſſiore altero tranſuerſo committitur, quod à dextra parte incipiens, in ſiniſteriorem peruium & longum eſt, in dexteriorem non eſt, ideoque cæcum nominatur. * Ad id quod peruium eſt, latè fuſum atque ſinuatum, minuſque quàm ſuperiora inteſtina neruoſum ab vtraque parte huc atque illuc volutum, magis tamen ſiniſteriores inferioreſque partes tenens, contingit iecur atque ventriculum. Deinde cum quibuſdam membranulis à ſiniſtro rene venientibus iungitur, atque hinc dextra recuruatum in imo dirigitur quà excernit, ideoque id ibi rectum inteſtinum nominatur. Contegit verò vniuerſa hæc omentum ex * interiore parte leue & * ſtrictum, ex ſuperiore mollius. Cui adeps quoque innaſcitur, quæ ſenſu, ſicut cerebrum quoque & medulla, caret. At à renibus ſingulæ venæ colore albæ ad veſicam feruntur, ἐρητῆρας Græci vocant, quòd per eas inde deſcendentem vrinam in veſicam deſtillare concipiunt. Veſica autem in ipſo ſinu neruoſa & duplex, ceruice plena atque carnoſa, iungitur per venas cum inteſtino, eoque oſſe, quod pubi ſubeſt. Ipſa ſoluta atque liberior eſt, aliter in viris atque in fœminis poſita. Nam in viris iuxta rectum inteſtinum eſt potius in ſiniſtram partem inclinata. In fœminis ſuper genitale earum poſita eſt, ſuperque *elapſa ab ipſa vulua ſuſtinetur. Tum in maſculis iter vrinæ ſpatioſius, & compreſſius à ceruice huius deſcendit ad colem. In fœminis breuius & plenius ſuper vuluæ ceruicem ſe oſtendit. Vulua autem in virginibus quidem admodum exigua eſt. In mulieribus verò, niſi vbi grauidæ ſunt, non multo maior, quàm vt manu comprehendatur. Ea recta continuataque ceruice (quem canalem vocant) contra mediam

Ieiunum inteſtinum.

Tenue inteſtinum.

*At id

Cæcum inteſtinum.

Rectum inteſtinum.

Omentum.

*inferiore

*adſtrictum.

*illapſa

Canalis.

aluum orsa, inde paulum ad dexteriorem coxam conuertitur, deinde super rectum intestinum progressa, iliis fœminæ latera sua innectit. Ipsa autem ilia inter coxas & pubem imo ventre posita sunt, à quibus ac pube abdomen sursum versus ad præcordia peruenit, ab exteriore parte euidenti cute, ab interiori læui membrana inclusum, quæ omento iungitur, περιτόναιος autem à Græcis nominatur.

BALDVINI RONSSEI

ENARRATIO.

itemque arteriæ (quas parotidas, &c.

PAROTIDES glandulæ sunt iuxta aures sitæ, carotides confirmantes: quo fit vt hîc mendum subesse suspicer, substituendúmque carotides: *siquidem quum experientia compertum sit, arterias has aliquo modo pressas, ligatas, aut complicatas, veternosum somnum, & torporem quendam apoplecticum, quem κάρον Græci vocant, afferre; carotides appellârunt: alij apoplecticas nominare maluerunt.*

Stomachus.

IOANNES *Cæsarius suis in Celsum annotationibus, sic scriptũ hîc reliquit: Aduertas, inquit, hîc lector, stomachi vocabulum non pro ventriculo accipi, vt ferè vulgo solet, nec pro extrema gulæ parte, vt apud Plinium libro* XI. *capite* XXXVII. *sed pro ipsa gula; vt & infrà libro* IIII. *capite* V. *quum dicit:* Stomachus verò intestinorum præcipuum est. *Qua in significatione accipitur & à Galeno libro* The*rapenticæ methodi, vbi scilicet quum ventris & splenis, & stomachi mentionem fecisset, ita protinus subiungit:* Λέγω δὲ νῦν στόμαχον, ὅνπερ δὴ καὶ κυρίως ὀνομάζουσι. ἐνίοτε γὰρ οὕτω καλοῦσι καὶ τὸ στόμα τῆς γαστρός: *quod sic Linacer vertit:* Voco *autem hoc loco stomachum, gulam; quam stomachum propriè Græci appellant: nonnunquam etiam & ita vocatur & os ventris. Nec minus tamen stomachi vocabulo, infrà pro ventriculi parte inferiore abutitur Celsus; quum ait:* Stomachus verò intestinorum præcipuum est. *huc vsque Cæsarius.*

longitudinis crassitudinisque modicæ.

Vide ne non hîc mendum sit, atque legendum latitudinis crassitudinisque modicæ. *siquidem quum splenis innata figura sit oblonga, non dixeris eam longitudinis crassitudinisque modicæ.*

& tunicis.

RENES *peritonæo iunguntur; eóque crasso satis: non deest tamen præter peritonæi velamẽ propria renibus tunica, ad quam paruus neruulus à sexta neruorum syzygia peruenit.*

Hanc iuncturam.

CONFVNDIT *hîc duodenum intestinum cum pyloro, quod tamen initiũ ecphyseos seu duodeni intestini est; similiter & rectum intestinum cum colo. Leonarthus Fuchsius libro tertio Paradoxorum, capite primo, locum hunc ex professo excutit, atque auctorem nostrum erroris conuincere nititur.*

CAPVT II.

De curationibus morborum, qui naſcuntur à capite: & primò de eius dolore, deinde de morbo, qui circa faciem naſcitur, tum de linguæ reſolutione, poſtremò de deſtillatione, ac grauedine.

HIS veluti in conſpectum quendam (quatenus ſcire curanti neceſſarium eſt) adductis, remedia ſingularum laborantium partium exequar, orſus à capite: ſub quo nomine nunc ſignifico eam partem, quæ * capillo tegitur. Nam oculorum, aurium, dentium dolor, & ſi quis ſimilis eſt, aliâs erit explicandus. In capite autem interdum acutus & peſtifer morbus eſt, quem κεφαλαίαν Græci vocant. Cuius notæ ſunt horror * calidus, neruorum reſolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, ſic vt vox ſupprimatur, vel ſanguinis ex naribus curſus, ſic vt corpus frigeſcat, anima deficiat. Præter hæc dolor intolerabilis maximè circa tempora, vel occipitium. Interdum autem in capite longa imbecillitas, ſed neque grauis neque periculoſa, per hominis ætatem eſt. Interdum grauior dolor, ſed breuis, neque tamen mortiferus, qui vel vino, vel cruditate, vel frigore, vel igne, aut ſole contrahitur. Hique omnes dolores modò * in febre, modò ſine hac ſunt, modò in toto capite, modò in parte, interdum ſic, vt oris quoque proximam partem excrucient. Præter hæc etiam vnum inuenitur genus, quod poteſt longum eſſe, vbi humor cutem inflat, eaque intumeſcit, & prementi digito cedit, ὑδροκέφαλον Græci appellant. Ex iis, id quod ſecundo loco poſitum eſt, dum leue eſt, qua ſit ratione curandum dixi, cùm perſequerer ea, quæ ſani homines in imbecillitate partis alicuius facere deberent. Quæ verò auxilia ſint capitis, vbi cum febre dolor eſt, eo loco explicitum eſt, quo febrium curatio expoſita eſt. Nunc de cæteris dicendum: Ex quibus id quod acutum eſt, & id quod ſupra conſuetudinem intenditur, idque quod ex ſubita cauſſa, & ſi non peſtiferum, tamen

* capillis

* validus,

* cum

vehemens eſt, primam curationem habet qua ſanguis mittatur. Sed id, niſi intolerabilis eſt dolor, ſuperuacuum eſt. Satiuſque eſt abſtinere à cibo: ſi fieri poteſt, etiam à potione. Si non poteſt, aquam bibere. Si poſtero die dolor remanet, aluum ducere, ſternutamenta euocare, nihil aſſumere, niſi aquam. Sæpe enim dies vnus aut alter totum dolorem hac
*& ratione diſcutit, vtique ſi ex vino * vel cruditate origo eſt. Si verò in iis auxilii parum eſt, tonderi oportet ad cutem: deinde conſiderandum eſt, quæ cauſſa dolorem excitarit: ſi calor,
Aqua frigida. aqua frigida multa perfundere caput expedit, ſpongiam concauam imponere ſubinde in aqua frigida expreſſam, vngere roſa & aceto, vel potius iis tinctam lanam ſuccidam imponere, aliaque refrigerantia cataplaſmata. At ſi frigus nocuit, caput oportet perfundere aqua calida maritima, vel certè ſalſa, aut in qua laurus decocta ſit, tum caput vehementer perfricare, deinde calido oleo implere, veſte velare. Quidam etiam id deuinciunt. Alii ceruicalibus veſtimentiſque onerant, & ſic leuantur, alios calida cataplaſmata adiuuant. Ergo etiam vbi cauſſa incognita eſt, videre oportet, refrigerantia magis, an calefacientia leniant, & iis vti, quæ experimentum approbarit. At ſi parum cauſſa diſcernitur, perfundere caput primum aqua calida, ſicut ſuprà præceptum eſt, vel ſalſa, vel ex lauro decocta, tum frigida poſca. Illa in omni vetuſto capitis dolore communia ſunt, ſternutamenta excitare, inferiores partes vehementer perfricare, gargarizare iis, quæ ſaliuam mouent, cucurbitulas temporibus & occipitio admouere, ſanguinem ex naribus detrahere, reſina ſubinde tempora peruellere, & impoſito ſinapi exulcerare ea quæ malè habent, an-
*erodat: tè linteolo ſubiecto, ne vehementer * arrodat: candentibus
* ſemper modicum ferramentis, vbi dolor eſt, vlcera excitare, cibum * permodicum cum aqua ſumere: vbi leuatus eſt dolor, in balneum ire, ibi multa aqua prius calida, deinde frigida per caput perfundi. Si diſcuſſus ex toto dolor eſt, etiam ad vinum reuerti, ſed poſtea ſemper antequam quicquam aliud, aquam bibere. Diſſimile eſt id genus quod humorem in caput contrahit. In hoc tonderi ad cutem neceſſarium eſt. Deinde imponere
ſinapi,

ſinapi, ſic vt exulceret. Si id parum * profluit, ſcalpello vtendum eſt. Illa cum hydropicis communia ſunt, vt exerceatur, inſudet, vehementer perfricetur, cibis potionibuſque vtatur, vrinam præcipuè mouentibus.

* profuit,

ENARRATIO.

In capite autem interdum.

ACVTVM vocat propter vehementes exacerbationes; nam alioqui, ſi morbum ipſum, ac tempus conſideres, longum potiùs quàm acutum dixeris; quando, vt docet Galenus, cephalæa inueteratus & ægrè cedens capitis dolor appellatur, qui ex facili occaſione maximas exacerbationes habet; adeò vt neque ſtrepitus, neque vocem vehementiorem, neque lumen ſplendidum, neque vini potum, neque odoramenta caput replentia tolerare poßit.

ſic vt vox ſupprimatur.

RARO admodum aut nunquam in cephalicis id conſpicitur: nam quantumuis inter morbos qui caput infeſtent, ab Hippocrate talis annumeretur, in quo ſtatim vox intercipiatur, non tamen ſequetur in cephalæa vocis priuationem ſequi; quum nec Galenus, nec Aëtius, nec Paulus, nec quiſquam alius præter Celſum noſtrum, aphonias cephalææ aſcripſerit.

Præter hæc dolor.

CVM cephalæa cephalalgiam, hemicraniam reliquoſque capitis dolores confundere videtur: ſiquidem vbi circa tempora, vel occipitium tantùm dolorem eſſe dicit, hemicraniam ſubintelligit; quæ in hoc à cephalæa tantùm differt, quòd in illa altera tantùm capitis pars excruciari videatur, in hac autem totum caput.

Interdum autem in capite.

HIC cephalalgiam intelligit, quæ modò ex ſola corporis intemperie, modò ex humorum copia; interim ex vtraque cauſa oritur: Nunc verò ex primitiua & foris incidente cauſa alia, nempe ſolis æſtu, frigore, ebrietate, aut ictu &c.

Præter hæc etiam.

MALVM hoc ab aquoſo humore in capite collecto denominationem ſortitum eſt: plerunque autem aquoſus humor qui colligitur, aut fæculentus eſt, aut cruentus; ſemper verò lentus exiſtit: fitq; aut ab obſcura, aut manifeſta cauſa, vt auctor eſt Aëtius: peculiare malum, vt docet Ægineta libro ſexto, pueris iam primùm in lucem editis, capite à nutricibus parùm dextrè preſſo.

Sed id, niſi &c.

SANGVINIS tamen miſſio etiamſi quammaximè non ſit intolerabilis dolor, intermittenda non eſt, præſertim ſi venæ amplæ ſunt, & ex ſanguine ortum habeat malum; nam tunc nullum eſt præſentius remedium, quanquam etiam nulla infeſtante plethora, ſanguinis miſſio vt reuulſorium medicamentum, maximè neceſſaria ſit.

vngere roſa & aceto.

INTELLIGIT, vt iam antè ſæpè dictum eſt, per roſam, roſaceum oleum: porrò id efficacius erit, ſi ex oleo crudo confectum, neque nimium vetus ſit.

vel potiùs iis tinctam.

HOC enim, vt auctor eſt Galenus De medicamentis ſecundum loca, mitigatiuum eſt auxilium, quum vehementer infeſtet dolor, vnà cum hoc quòd ſubiectæ commodet affectioni.

Illa in omni vetusto.

HÆC curandi methodus ab Archigene desumpta est, vt docet Galenus secundo medicamentorum localium libro, vbi ad examen singula vocat. Dicit autem sic Archigenes: Quòd si affectio perseueret, venæ sectione à naso aut fronte, aut cucurbitis ad caput affixis vtitor, aut sternutatorio quopiam concutito, aut per nares purgato. At verò in vehementer inueteratis, sinapi, vt moris est, adhibe, & perure: quod in materia frigida & humida plurimùm prodesse Galenus quoque affirmat; in calidis verò, & siccis temperaturis, plurimùm obesse testatur. Cucurbitulas autem occipitio adhibet, tanquam reuulsorium medicamen, vt humores ad oculos, aut anteriorem capitis partem ferri consuetos auertere conemur.

Dissimile est id genus.

CAVENDVM tamen monet Aëtius si sub temporum musculis collectio fiat, ne antè hydrocephalices incidamus, quàm humor redundat; esset enim periculum ne musculus incideretur: ac post collectionem quidem iam factam à lateribus musculi sectionem facit.

De morbo qui circa faciem nascitur, quem Græci κυνικὸν σπασμὸν vocant.

CIRCA faciem verò morbus innascitur, quem Græci κυνικὸν σπασμὸν nominant. Is cum acuta ferè febre oritur. Os cum motu quodam peruertitur, ideoque nihil aliud est, quàm distentio oris. Accedit crebra coloris in facie totoque corpore mutatio. Somnus in promptu est. In hoc sanguinem mittere, optimum est. Si finitum eo malum non est, ducere aluum: si ne sic quidem discussum est, albo veratro vomitum mouere: præter hæc necessarium est vitare solem, lassitudinem, vinum. Sed si discussum iis non est, vtendum est cursu, frictione, in eo quod læsum est, leni & multa, in reliquis partibus breuiore, sed vehementi: prodest etiam mouere sternutamenta, caput radere, idque perfundere aqua calida, vel marina, vel certè salsa, sic vt ei quoque sulphur adiiciatur: post perfusionem iterum perfricari, sinapi manducare, eodemque tempore affectis oris partibus ceratum, integris* idem sinapi, donec* arrodat, imponere. Cibus aptissimus ex media materia est.

*item
*erodat,

ENARRATIO.

SPASMVM cynicum hodie torturam oris vocant; est autem musculorum mandibularum resolutio: conueniunt ei omnia medicamenta, quæ resolutis vtilia esse diximus: quo fit, vt, nisi quid prohibeat, à sanguinis missione auspicandum sit: exhibenda

exhibendæ purgationes, & alia quæ capite de resolutione enarrauimus. Cæterùm quod ad topica seu localia dicta remedia attinet, ea resolutæ adhibenda sunt parti, vt docet Aëtius, non oppositæ, quòd decipiantur qui mandibulam ab opposita parte distrahi contendant.

De resolutione linguæ.

AT si lingua resoluta est, quod interdum per se, interdum ex morbo aliquo fit, sic vt sermo hominis non explicetur, oportet gargarizare ex aqua, in qua vel thymum, vel hyssopum, vel nepeta decocta sit, aquam bibere, caput, & os, & ea quæ sub mento sunt, & ceruicem vehementer perfricare, lasere linguam ipsam linere, manducare quæ sunt acerrima, id est sinapi, allium, cepam, magna vi luctari, vt verba exprimantur, exerceri retento spiritu, caput sæpe aqua frigida perfundere, nonnunquam multam esse radiculam, deinde vomere.

ENARRATIO.

caput, & os.

NON *solùm his vtendum est, sed & post purgationem expedit venas sub lingua latentes tundere, cucurbitulásque sub mento adhibere.*

caput sæpe aqua.

QVAM *sit isthuc ex vsu, nondum satis intelligo; præsertim quando epithemata illitionésque acres, & sinapismos magis commendatos sciamus. Vereor itaque ne hic mendum subsit: at quomodo restituendus sit locus, valdè dubito; potissimùm quando simpliciter calidæ aquæ perfusio, nisi eadem acris sit, vtilis esse non possit.*

De Destillatione ac Grauedine.

DESTILLAT autem humor ex capite interdum in nares, quod leue est: interdum in fauces, quod peius est: interdum etiam in pulmonem, quod pessimum est. Si in nares destillat, tenuis per has pituita profluit, caput leuiter dolet, grauitas eius sentitur, frequentia sternutamenta sunt. Si in fauces, has exasperat, tussiculam mouet. Si in pulmonem, præter sternutamenta & tussim, est etiam capitis grauitas, lassitudo, sitis, æstus, biliosa vrina. Aliud autem (quamuis non multum distans malum) Grauedo est. Hæc nares claudit,

dit, vocem obtundit, tuſſim ſiccam mouet, ſub eadem ſalſa eſt ſaliua, ſonant aures, venæ mouentur in capite, turbida vrina eſt. Hæc omnia κορύζας Hippocrates nominat. Nunc video apud Græcos in grauedine hoc nomen ſeruari, deſtillationes καταστaγμοὺς appellari. Hæc* autem & breuia, &, ſi
* autem breu. neglecta ſunt, longa eſſe conſueuerunt. Nihil peſtiferum eſt, niſi quod pulmonem exulcerauit. Vbi aliquid eiuſmodi ſenſimus, protinus abſtinere à ſole, balneo, vino, Venere debemus. Inter quæ vnctione, & aſſueto cibo nihilominus vti licet, ambulatione tantùm acri, ſed tecta vtendum eſt, & poſt eam caput atque os ſupra quinquagies perfricandum. Raróque fit, vt ſi biduo, vel certè triduo nobis temperauimus, id vitium non leuetur. Quo leuato, ſi in deſtillatione craſſa fa-
minus cta pituita eſt, vel in grauedine nares magis patent, balneo vtendum eſt, multáque aqua prius calida, poſt egelida fouendum os, caputque, deinde cum cibo pleniore vinum bibendum. At ſi æquè tenuis die quarto pituita eſt, vel nares æquè clauſæ videntur, aſſumendum eſt vinum amineum, auſterum, deinde rurſus biduo aqua, poſt quæ ad balneum & ad conſuetudinem reuertendum eſt. Neque tamen illis ipſis diebus, quibus aliqua omittenda ſunt, expedit tanquam ægros agere, ſed cætera omnia quaſi ſanis facienda ſunt, præterquàm ſi diutius aliquem & vehementius iſta ſolicitare conſueuerunt. Huic enim quædam curioſior obſeruatio neceſſaria eſt. Igitur huic, ſi in nares vel in fauces deſtillauit, præter ea quæ ſuprà retuli, protinus primis diebus multum ambulandum eſt, perfricandæ vehementer inferiores partes, leuior frictio adhibenda thoraci erit, leuior capiti, demenda aſſueto cibo pars dimidia, ſumenda oua, amylum ſimiliáque,
* quantum maxima quæ pituitam faciunt craſſiorem. Siti *quanta maximè ſuſtineri poteſt, pugnandum eſt. Vbi per hæc idoneus aliquis balneo factus, eoque vſus eſt, adiiciendus eſt cibo piſciculus, aut caro, ſic tamen ne protinus iuſtus modus cibi ſumatur. Vino meraco copioſius vtendum eſt. At ſi in pulmonem quoque
* multo mag. deſtillat,* multoque magis & ambulatione, & frictione opus eſt, eademque adhibita ratione in cibis, ſi non ſatis illi proficiunt,

ciunt, acrioribus vtendum est, magis somno indulgendum, abstinendumque à negotiis omnibus aliquando, sed serius, & balneum tentandum. In grauedine autem primo die quiescere, neque esse, neque bibere, caput velare, fauces lana circundare, postero die surgere, diu abstinere à potione, aut si res coëgerit, non vltra heminam aquæ assumere. Tertio die panis non * ita multum ex parte interiore cum pisciculo, vel * tam
*leni carne sumere, aquam bibere. Si quis sibi temperare non * leui
potuerit, quo minus pleniore victu vtatur, vomere. Vbi in balneum ventum est, multa aqua calida caput & os fouere vsque ad sudorem, tum ad vinum redire: postquæ vix fieri potest, vt idem incommodum maneat. Sed si manserit, vtendum erit cibis frigidis, aridis, leuibus, humore quàm minimo, seruatis frictionibus, exercitationibusque, quæ in omni tali genere valetudinis necessariæ sunt.

ENARRATIO.

VIDETVR Celsus noster paulo aliter distillationum species distinxisse, quàm Galenus: siquidem Celsus distillationem modò ad nares fieri contendit, quæ κορύζα appellatur; interim ad fauces, quæ βράγχος; nunc ad thoracem vel pulmonem, quæ φθόη vel φθίσις nominatur. Galenus autem libro De sanitate tuenda sexto, & tertio De morborum symptomatis, capitis excrementa ad os & nares promptissimè ferri auctor est. Cæterùm excrementi in os decursum, tum gulam, tum asperam arteriam excipere: ac proinde quoties ad os excrementum defluxit, distillationem; & grauedinem seu coryzam, quoties nares occupet; raucitatem vocat, quoties distillatio in fauces procumbat: nam quum in faucibus opportunissimè se exhibeat ad suscipiendas distillationes summa asperæ arteriæ pars, quam larynga vocant, fit vt is decidentibus ex capite humoribus madefactus, primò quidem raucam vocem (est enim larynx instrumentum vocis) deinde procedente tempore paruam faciat; & si longius prorogetur malum, eandem intercipit: siquidem & cum larynge ipsa quoque arteria humectatur. Quòd si acris quoque fluxio sit, non solùm ad vocem inepta fit cum larynge arteria; sed etiam grauissima quædam erosio eis accidit; quæ talis est naturæ, quales sunt quas subinde in cute citra externam causam læsa, factas videmus. Ita verò & pulmo his exulceratur, & morbus tabes dicitur, Græcè φθόη: Celsus & cum eo Cælius Methodicus eam distillationis speciem quæ ad os fertur, sub ea quæ in fauces procumbat, comprehenderunt; quanquam id non satis propriè.

Hæc autem & breuia.

PESTIFERVM omnino est quod pulmonem exulcerauit: nam, vt ait Galenus libro Therapeuticæ methodi quinto, Si vas aliquod in pulmone ruptum non conglutinetur, protinus antequam phlegmon procreatus sit, id sanabile non foret. Neque enim possunt quæ in pulmone continentur, citra tussim expelli; & si tussim excitaueris, lacerauerís

ceraueris atque exacerbaueris ipsum vlcus: quibus accedit, quòd iugi respiratione agitetur pulmo, & quòd medicamenta curandis vlceribus accommoda, contingere vlcus, sicut in ventriculo, non possint.

Vbi aliquid eiusmodi.

HÆC *enim, vt libro primo capite secundo auctor noster docet, sunt quæ distillationes pariunt.*

ambulatione tantùm.

HÆC *tantùm in distillatione ex materia frigida, quum calefaciant, conueniunt: nam, vt* Hippocrates *libro* De veteri medicina, *Omnibus quidem liberatio hæc est (de distillationibus sermonem faciens) vt ex frigiditate quidem affecti percalefiant; ex ardore verò perfrigerentur: atque hæc breui accedunt, & concoctione nulla opus habent. quò alludens* Celsus, *rarò fieri dicit, vbi nobis temperauerimus, vt intra triduum non leuetur malum.*

balneo vtendum est.

S I *quidem materia calida sit, balnea calida potabilium & dulcium aquarū conuenient; ita enim temperatura in melius transmutatur, & generati in capite vapores discutiuntur; sin frigida est materia distillationem faciens, tum balnea aquarum natura sua calidarum conuenient; neque fuerit inutile oleo irino aut simili aliquo caput illinere.*

Siti quanta maximè.

SIQVIDEM, *vt libro secundo inquit* Theodorus Priscianus, *procurata sitis plurimùm confert; & sitiendo, vt inquit* Cælius Siccensis, *siccantur.*

Si non satis illi proficiunt.

QVOMODO *acriores cibos hic commendet, non intelligo: præsertim quando acria omnia hic cane peius & angue fugiēda sint.*

Sed seriùs & balneum tentandum.

IOHANNES *Cæsarius*, sed seriùs balneum tentandum est, *legendum existimat. Pantino lectio hæc non satis placuit, sed τὸ* tentandum *in τὸ* ientandum *conuertendum suspicatus est.*

CAPVT III.

De ceruicis morbis, curationibúsque.

A CAPITE transitus ad ceruicem est, quæ grauibus admodum morbis obnoxia est. Neque tamen alius importunior, acutiorque morbus est, quàm is qui quodam rigore neruorum, modò caput scapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam & immobilem ceruicem intendit. Priorem Græci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, vltimum τέτανον appellant, quamuis minus subtiliter, quidam indiscretis his nominibus vtuntur. Ea sæpe intra quartum diem * tollunt. Si hunc euaserunt, sine periculo sunt. Omnia eadem ratione curantur, idque conuenit. Sed Asclepiades vtique mittendum sanguinem credidit. Quod quidam vitandum esse dixerunt, eò quòd maximè tum corpus calore egeret,

*tollit. ex *Hippoc.*

isque esset in sanguine. Verùm hoc quidem falsum est. Neque enim natura sanguinis est, vt vtique caleat, sed ex his, quæ in homine sunt, is celerrimè vel calescit, vel refrigescit. Mitti verò necne debeat, ex iis intelligi potest quæ de sanguinis missione præcepta sunt. Vtique autem rectè datur castoreum, & cum hoc piper vel laser. Deinde opus est fomento humido & calido. Itaque plerique aqua calida multa ceruices subinde perfundunt. Id in præsentia leuat, sed opportuniores neruos frigore reddit. Quod vtique vitandum est. Vtilius igitur est cerato liquido primùm ceruicem perungere, deinde admouere vesicas bubulas, vel vtriculos oleo calido repletos, vel ex farina calidum cataplasma, vel piper rotundum cum fico contusum. Vtilissimum tamen est humido sale fouere. Quod quomodo fieret, iam ostendi. Vbi eorum aliquid factum est, admouere ad ignem, vel si æstas est, in sole, ægrum oportet, maximeque oleo vetere, si id non est, syriaco, si ne id quidem est, adipe quàm vetustissima ceruicem, & scapulas, &* spinas perfricare. Frictio cùm omnibus in homine vertebris vtilis sit, tum iis præcipuè, quæ in collo sunt. Ergo die noctéque, interpositis tamen quibusdam temporibus, hoc remedio vtendum est. Dum id intermittitur, imponendum malagma aliquod ex calefacientibus. Cauendum verò præcipuè frigus. Ideóque in eo conclaui, in quo cubabit æger, ignis continuus esse debebit, maximeque tempore antelucano, quo præcipuè frigus intenditur. Neque inutile erit, caput attonsum habere, idque irino vel cyprino calido madefacere, & superimposito pileo velare, nonnunquam etiam in calidum oleum totum descendere, vel in aquam calidam, in qua fœnum græcum decoctum sit, & adiecta olei pars tertia. Aluus quoque ducta sæpe superiores partes resoluit. Si verò etiam vehementius dolor creuit, admouendæ ceruicibus cucurbitulæ sunt, sic, vt cutis incidatur, * exdem aut ferramentis, aut sinapi * adurendæ. Vbi leuatus est dolor, moueriq́ue ceruix cœpit, scire licet cedere remediis morbum. Sed diu vitandus cibus, quisquis mandendus est. Sorbitionibus vtendum, itemque ouis sorbilibus, aut * à pullis mol-

*spinam

* eadem

* adurenda

* hapális, i. moll.

lis mollibus ius aliquod assumendum. Id si bene processerit, iamque ex toto rectè se habere ceruices videbuntur, incipiendum erit à pulticula, vel intrita bene madida. Celerius tamen etiam panis mandendus, quàm vinum gustandum. Siquidem huius vsus præcipuè periculosus, ideoque in longum tempus differendus est.

Enarratio.

Neque tamen alius.

QVEM Græci tetanum vocant, Celsus rigorem, Cælius Methodicus distentionem, vti hodiè ferè appellatur, dicere maluit. Procreatur autem tetanus musculis corporis, præsertim spinæ, gelu modo concretis, frigido nimirum humore, vt auctor est Æginetа, à foris & intùs, partes eas astringente; ideóque hoc malo occupati flectere sese nequeunt. Sunt autem variæ distentionis species; siquidem quoties particulæ corporis antrorsum distenduntur, emprosthotonus affectio appellatur; quum retrorsum, opisthotonus; atque quoties in vtranque partem, tetanus seu rigor.

Ea sæpe intra quartum.

QVICVNQVE tetano corripiuntur, inquit in Aphorismis Hippocrates, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt. Reddit causam Galenus in Commento, quoniam tetanus morbus peracutus sit, vt qui compositus est ex emprosthotono & opisthotono; & propterea citius in eo fit indicatio, non ferente natura longiore tempore tensionis laborem.

Sed Asclepiades.

NON semper probabat venæ sectionem Asclepiades; siquidem, vt auctor est Cælius Siccensis, aiebat cucurbitulam vtilem magis quàm phlebotomiam probari huic passioni: Nisi febres, inquit, prohibuerint materiæ detractionem; vel in venis plurima fuerit plenitudo: tunc enim erit phlebotomia adhibenda in ipsa vehementiæ summitate. Hæc ex Asclepiade Cælius Methodicus.

Quod quidam vitandum.

ETSI Galenus curationem distentorum aut conuulsorum, à sanguinis missione auspicandam dicat, modò non penitus à sanguine secretus pituitosúsque fuerit succus redundans; tamen cum præcautione id faciendum monet, atque vnicè cauendum docet, ne sanguinis missione omnino prosternantur vires: quare non vniuersim, sed pluribus repetitis vicibus sanguinem extrahendum dicit: nam quantumuis morbus ipse (inquit) copiosam sanguinis missionem efflagitet, symptomatibus tamen aliquid relinquendum est.

Itaque plerique.

NON solùm opportuniores neruos frigori reddit; verùm etiam caput inde repletur, ac distentioni maiorem occasionem suppeditat.

Si verò etiam vehementius.

NON modò ceruicibus adhibendæ sunt cucurbitulæ; verùm etiam, & vtrique spinæ parti, vt docet Paulus: adhæc pectori, qua est musculosius, & præcordiis. Affigendæ autem sunt cum incisione aut scarificatione, quòd leues, vt idem testatur, noxam inferant.

Sed diu vitandus cibus, quisquis madendus est.

LEGENDVM hîc monet Pantinus quisquis mandendus est; *alij, meo quidem indicio,*

indicio, non omnino peiùs, quiſquis medendus eſt, *legere maluerunt.*

Sorbitionibus vtendum.

TVM *quòd faciliùs alterationem in corpore ſuſcipiant, tum quòd dentes propter conuulſionem aut diſtenſionem, ſolidiorem cibum non ferant.*

Celeriùs tamen etiam panis.

CIRCA *initia à vini potu omnino abſtinendum eſt; vbi tamen affectus benè proceſſerit, atque remediis ceſſerit, licebit eo vti; in parua tamen quantitate, quòd & humores attenuet, & calefaciendo conferat. cauendum interim eſt, ne ſua quantitate aliquo modo obſit: nam quemadmodum Galenus commento Aphoriſmi: Si ebrius quiſpiam de repente obmutuerit, &c. vinum ſua ſubſtantia copia neruis affert conuulſionem, rurſus ſua qualitate ſanat eam quam fecit diſpoſitionem, neruos calefaciendo, atque exiccando.*

CAPVT IIII.

De faucium morbis, ac curationibus, & primùm de Angina, deinde de Difficultate ſpirandi, vltimò de Tuſſi.

VT hoc autem morbi genus circa totam ceruicem, ſic alterum æquè peſtiferum acutumq. in faucibus eſſe conſueuit. Noſtri Anginam vocant, apud Græcos nomen prout ſpecies eſt. Interdum enim neq. rubor neq. tumor vllus apparet, ſed corpus aridum eſt, vix ſpiritus trahitur, membra ſoluuntur, id συνάγχην vocant. Interdum lingua fauceſque cum rubore intumeſcunt, vox nihil ſignificat, oculi vertuntur, facies pallet, ſingultus eſt, id ὡς συνάγχη vocatur. Illa communia ſunt, æger non cibum deuorare, non potionem poteſt, ſpiritus eius includitur. Leuius eſt, vbi tumor tantummodo, & rubor eſt, cætera non ſequuntur: id παρασυνάγχην appellant. Quicquid eſt, ſi vires patiuntur, ſanguis mittendus eſt, ſi non abundat, ſecundum eſt ducere aluum. Cucurbitula quoque rectè ſub mento, & circa fauces admouetur, vt id quod ſtrangulat, euocet. Opus eſt deinde fomentis humidis. Nam ſicca ſpiritum elidunt. Ergo admouere ſpongias oportet, quæ melius in calidum oleum, quàm in calidam aquam ſubinde demittuntur. Efficaciſſimuſque eſt hic quoque ſalis calidi ſuccus. Tum commodum eſt hyſſopum, vel nepeta, vel thymum, vel abſinthium, vel etiam furfures, aut

ficus aridas, aut mulſam aquam decoquere, eaque gargarizare: poſt hæc, palatum vngere vel felle taurino, vel eo medicamento, quod ex moris eſt, polline etiam piperis id rectè reſpergitur. Si per hæc parum proficitur, vltimum eſt incidere ſatis altis plagis ſub ipſis maxillis ſupra collum, & in palato
* circa *citra vuam, vel eas venas, quæ ſub lingua ſunt, vt per ea vulnera morbus erumpat. Quibus ſi non fuerit æger adiutus, ſcire licet, malo victum eſſe. Si verò his morbus leuatus eſt, iamque fauces & cibum & ſpiritum capiunt, facilis ad bonam valetudinem recurſus eſt. At interdum natura quoque adiuuat, ſi ex anguſtiore ſede vitium tranſit in latiorem. Itaque rubore & tumore in præcordiis orto, ſcire licet fauces liberari. Quicquid autem eas leuauit, incipiendum eſt ab humidis, maximeque aqua mulſa decocta, deinde aſſumendi molles & non acres cibi ſunt, donec fauces ad priſtinum habitum reuertantur. Vulgo audio, ſi quis pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari, ſeruatumque eum ex ſale, cùm is morbus vrget, comburi, carbonemque eius contri-
*infriari, tum in aquam mulſam (quæ potui datur) *infricari, & prodeſſe. Id cùm idoneos auctores ex populo habeat, neque habere quicquam periculi poſſit, quamuis in monumentis medicorum non legerim, tamen inſerendum huic operi meo credidi.

ENARRATIO.

ANGINA ſeu ſynanche Græcis ſortita nomen eſt, à ſuſpendij ſimilitudine, quòd non aliter quàm laqueus præfocans interficiat: ἄγχονας enim laqueum, ſtrangulationem, aut etiam anginam vocare conſueuerunt. Auctor eſt Aurelius Methodicus Siccenſis, libro Celerum paßionum, varia nomina hanc affectionem ſortitam eſſe: nam modò κυνάγχην, à canibus, quos κύνας; modò λυκάγχην, à lupis, quos λυκοὺς; interim ὑάγχην, à ſuibus, quas ὕας nominauerunt; quòd frequenter canes, lupos, ſues, hoc vitium apprehendat, & quòd ſynanchici quum ſtrangulari cœperint, voces aut vlulatus caninis lupiniſque ſimiles edere ſolent. Alij ſynanchen dicere maluerunt, ἀπὸ τοῦ συνέχειν, quòd ſpiritum continendo ſpirationem præpediat. Galenus libro De locis affectis, quatuor anginæ ſpecies deſcribit: Primam videlicet, vbi fauces inflammantur; alteram, quum neque fauces, neque reliquæ oris partes, neque etiam externarum partium vlla inflammata videtur, laborans tamen ſuffocationis periculum in gutture ſentit: tertiam, vbi extrinſecus circa fauces inflammatio appâret: quartam, vbi gutturis partes tum externæ, tum internæ ſimiliter affectæ ſunt. Paulus Ægineta peculiaribus

nominibus

nominibus ita diſtinguit, vt angina quæ muſculis faucium interioribus inflammatis accidit, ſynanche appelletur; quæ exterioribus, paraſynache: Cynanche autem muſculorum gutturis interiorum vnà cum ambiente tunica inflammatio dicatur; Paracynanche verò exteriorum phlegmone. Aurelius autem Methodicus, poſt Aretæum ita diſtinguit: vt alia ſine manifeſto tumore dicatur, quam ſimpliciter anginam nominat; alia cum manifeſto tumore, qui ſi in vtraque parte interiorum muſculorum fuerit, cynanchen vocandam dicit, ſi quidem faciat difficultatem ſpirationis, atque oculorum prominentiam, & linguam procidentem, ſicuti canibus auidis ſæpè vſu venire videmus, quum ea quæ minimè tranſuorare poſſunt, admonente natura auiditate impauida minas contemnentes, inuadunt, quæ ſæpè faucibus inhærentia, atque ancipiti retentione tardata, neque percipere, neque reddere valuerunt. Porrò eam quæ in altera fuerit parte, paracynanchen, ſicuti in exterioribus atque vtraque parte tumore conſtituto hyanchen appellârunt, quòd ſuum colla his inflationibus ſæpiſſimè afficiantur. At ſi in internis atq. externis & in vtraque parte fuerit tumor, tunc proprio nomine ſynanchen nominant; & ſi in altera tantùm parte, paraſynanchen. Hæc Aurelius ille Siccenſis: Aurelius Priſcianus libro 2. cap. 6. Duplex, inquit, ſynanchicorum ſpecies. Celſus noſter tres tantùm ſpecies ponit: συνάγχην, ὡς συνάγχην, καὶ παρασυνάγχην. Hippocrates quoque de morbis, tres anginæ differentias deſcribit. Subiungit tamẽ quartam inſequente libro, quam παρασυνάγχην vocari dicit. Præterea libro De morbis vulgaribus ſexto, anginoſos ita partitur, vt quoſdam euadere, alios mortis periculum vix ſubterfugere dicat: nam qui ſolum, inquit, deglutire non poterant, his valdè mites ac toleratu faciles erant; qui verò inſuper obſcurè loquebantur, his moleſtiores ac diuturniores; quibus verò etiam venæ circa tempora & ceruicem attollebantur, his aliquantùm malæ erant; peſſimæ verò his οἷσι καὶ πνεῦμα ξυνεμετεωρίζετο, hoc eſt quibus & ſpiritus ſublimis coëleuabatur, quod Celſus noſter, quibus vix ſpiritus trahitur, reddidit.

Quicquid eſt, ſi vires.

HIPPOCRATES è venis primùm quæ in brachio ſunt ſanguinem mittendum dicit: ac ſimul per inferna ducendam aluum, libro De locis in homine. Cæterùm ſanguis ipſe non confertim ac vniuerſim ducendus eſt; ſed pluribus interpoſitis vicibus, ne videlicet confertim facta euacuatione animo deficiat æger; quo alienius in anginoſis nihil eſt.

Cucurbitula quoque.

EADEM rectè ceruici quoque applicabitur: quod ſtatim in ipſo principio faciendum ſuadet Hippocrates; quanquam alij tum primùm tentandum dicant, quum iam inueterauerit morbus. ſed & in eundem vſum iiſdem locis non inutiliter ſanguiſugas adhibebimus.

ſalis calidi ſuccus.

QVID per calidi ſalis ſuccum velit, non ſatis aſſequor; niſi ſalis intelligat ſpumam, quæ ſpumoſus quidam floſculus eſt, attenuantis ſimul, & diſcutientis facultatis; neque enim, ſicut ſal, denſat, nec vſque adeò compactæ ſubſtantiæ eſt.

vel felle taurino.

IDEM attribuit Galenus felli anſerino, cum elaterio & melle.

vel eo medicamento.

QVALE ſit id medicamentum diamoron quod illitioni gutturis aptum ſit, nondum legiſſe memini: nam quod in pharmacopoliis paſſim aſſeruatur, linctibus magis quàm illitionibus conueniens, parum cum felle, aut ſequenti medicamento conuenit.

Si per hæc parùm proficitur.

ISTHVC quamuis ex vſu ſit, atque Hippocraticum; methodicis tamen nequaquam placere potuit, quòd, vti dicunt, laqueus præfocet, & ſtrangulationis periculum afferat.

Vulgò

Vulgò audio.

Idem teſtatur Plinius libro XXX. *Naturalis Hiſtoriæ capite iiij: Sed efficaciores, inquit, ad omnia quæ ex hirundinibus monſtrantur, pulli ſylueſtrium: figura nidorum eos deprehendit. Multo tamen efficaciſſimè ripariarum pulli: ita vocant in riparum cauis nidificantes. Sunt qui cuiuſcunque hirundinis pullum comedendum cenſent, ne toto anno metuatur id malum. ſtrangulatos cum ſanguine comburunt in vaſe, & cinerem cum pane aut potu dant. Aëtius viuos, non deplumes nec ſtrangulatos, cum ſalis iuſta quantitate in nouum vas fictile benè obturatū, hirundinum pullos coniiciendos dicit, ac tantiſper ſuper prunas relinquendos, dum in cinerem conuertantur, vſúque exigente propinandos. Hodie non ſolùm pulli, atque eorundem cineres in vſu ſunt, ſed & eorundem nidi, cum oleo amygdalarum, roſarum, liliorum, aut ſimili aliquo in cataplaſmatis formam rediguntur; vnde ſummum quoque leuamen conſequuntur ægrotantes.*

De Difficultate ſpirandi.

Est etiam circa fauces malum, quod apud Græcos aliud atque aliud nomen habet, prout ſe intendit. Omne in difficultate ſpirandi conſiſtit. Sed hæc dum modica eſt, neque ex toto ſtrangulat, δύσπνοια appellatur. Cùm vehementior eſt, vt ſpirare æger ſine ſono & anhelatione non poſſit, ἆσθμα. Cùm acceſſit id quoque, ne niſi recta ceruice ſpiritus trahatur, ὀρθόπνοια. Ex quibus id, quod primum eſt, poteſt diutius trahi. Duo inſequentia acuta eſſe conſueuerunt. His cōmunia ſunt, quòd propter anguſtias, per quas ſpiritus euadit, ſibilum elidit, dolor in pectore præcordiiſq. eſt, interdum

* decedit, etiá in ſcapulis, iſque modò *decidit, modò reuertitur, ad hæc tuſſicula accedit. Auxilium eſt, niſi aliquid prohibet, in ſanguinis detractione. Neque id ſatis eſt, ſed lacte quoque venter ſoluendus eſt. Liquanda aluus, interdum etiam ducenda; quibus extenuatum corpus incipit ſpiritum trahere commodius. Caput autem etiam in lecto ſublime habendum eſt; thorax fomentis, cataplaſmatiſq. calidis, aut ſiccis, aut etiam humidis adiuuandus eſt, & poſtea vel malagma ſuperimponendum, vel certè ceratum ex cyprino vel irino vnguento. Sumenda deinde ieiuno potui mulſa aqua, cum qua vel hyſſopus cocta, vel contrita capparis radix ſit. Datur etiam vtiliter, aut nitrum aut naſturtium, *allium frictum, deinde contritum & cum melle miſtum, ſimulque coquantur mel, galbanum, reſina terebinthina, & vbi coierunt, ex his quod fabæ ma-

* aut all.

bæ magnitudinem habet, quotidie sub lingua liquatur, aut sulphuris ignem non experti * pondo & quadrans abrotani pondo in vini cyatho teruntur, idque tepefactum sorbetur. Est etiam non vana opinio vulpinum iecur, vbi siccum & aridum factum est, contundi oportere, polentamque ex eo potioni aspergi, vel eiusdem pulmonem quàm recentissimum assum, sed sine ferro coctum, edendum esse. Præter hæc sorbitionibus, & lenibus cibis vtendum est, interdum vino tenui austero, nonnunquam vomitu. Prosunt etiam quæcunque vrinam * augent, sed nihil magis quàm ambulatio lenta pæne vsque ad lassitudinem, frictio multa, præcipuè inferiorum partium, vel in sole, vel ad ignem & per seipsum, & per alios, vsque ad sudorem. In interiore verò faucium parte interdum exulceratio esse consueuit. In hac plerique extrinsecus cataplasmatis calidis, fomentisque humidis vtuntur. Volunt etiam vaporem calidum ore recipi, per quem molliores alii partes eas fieri dicunt, opportunioresque vitio iam hærenti. Sed si * bene sic vitari morbus potest, tuta illa præsidia. Si metus eius est, superuacua sunt. Vtique autem perfricare fauces periculosum est: exulcerat enim, neque vtilia sunt, quæ vrinæ mouendæ sunt apta, quia possunt dum transeunt, ibi quoque pituitam extenuare, quam supprimi melius est. Asclepiades multarum rerum, quas ipsi quoque secuti sumus, auctor bonus, acetum ait quàm acerrimum esse sorbendum: hoc enim sine vlla noxa comprimit vlcera. Sed id supprimere sanguinem potest, vlcera ipsa sanare non potest. Melius huic rei lycium est, quod idem quoque æquè probat, vel porri, vel marrubii succus, vel nuces Græcæ cum tragacantho contritæ, & cum passo mistæ, vel lini semen contritum, & cum dulci vino mistum. Exercitatio quoque ambulandi, currendique necessaria est. Frictio à pectore vehemens toti inferiori parti adhibenda. Cibi verò esse debent, neque nimium acres, neque asperi, mel, lenticula, tragum, lac, ptisana, pinguis quoque caro, præcipueque porrum, & quicquid cum hoc mistum est. Potionis quamminimum esse conuenit. Aqua dari potest, vel pura, vel in qua malum * cydonium,

*pondo denarij & quadrans, abrotani pondo denarij in vini

* agũt, *al.* vrgent,

* bene vit.

Asclepiades.

*cotoneũ.

nium, palmulæve decoctæ sunt. Gargarizationes quoque lenes: sin hæ parum proficiunt, reprimentes vtiles sunt. Hoc genus neque acutum est, & potest esse non longum, curationem tamen maturam, ne vehementer & diu lædat, desiderat.

ENARRATIO.

CONGENERES ferè paßiones sunt, suspirium, seu asthma, & orthopnœa, quibus spirandi difficultas comes esse solet. Est tamen vbi citra suspirium, aut rectam spirationem spiritus difficiliùs trahatur: idq́ue frequenter in aliis morbis accidit, ac tum quidem morbi symptωma est, dispnœa; verùm vbi aut à virium imbecillitate, aut viarum spiritus angustia, aut aliunde, nullo præcedente morbo spiritus difficilis fit, tum demum longus morbus esse consueuit, in quo albo etiam censentur asthma, ac orthopnœa: nam quantumuis acutos appellet auctor noster, id non de temporis breui spacio, sed de suffocationis potiùs periculo (quod quantumuis ægrotos diu traxerint, tandē minantur) intelligendum est: nam sicuti crassos & lentos humores originis suæ causam habent, sic non tum facilè, nisi strangulent, cedunt.

Auxilium est.

ID tamen non nisi vrgente neceßitate faciendum suadet Ægineta; ac tum quidem tantum sanguinis demendum quantum vires patiuntur. Galenus quarto De ratione victus in morbis acutis, id potißimùm audet in orthopnœa sicca, sine sputis vel tußi, citra puris collectionem. Post sanguinis mißionem ducenda aluus est, aut per clysmos, aut pharmaca: in quem vsum validiora medicamenta exhibent. quare an ad soluendam aluum lactis vsus suffecerit, alij viderint.

Sumenda deinde.

VT craßi videlicet, & viscosi humores incidantur atque consumantur.

aut nitrum.

AETIVS tamen nitri spumam magis in vsu esse dicit; & Ægineta aphronitri drachmas tres cum tribus hydromelitis cyathis, atque cardamomo subitò auxiliari auctor est.

Est etiam non vana.

EO quidem elogio celebratum vulpinum iecur, nondum legisse memini; pulmonem tamen suspiriosis prodesse, apud omnes in confesso est.

interdum vino tenui austero.

AVSTERVM hîc expungendum existimo: quando id nulla ratione anhelosis conueniat: ita vt tenue vinum appellemus, quòd & tenuium sit partium (qua ratione incîdet) & quòd oligophoron sit.

frictio multa.

EGO non minoris fecero frictionem thoracis, atque adeò agitationem brachiorum; vt humor facilius per poros ad exteriora euocetur.

In interiore verò.

ID accidit quoties fauces teneras defluxus humorum petiuerit: nam & tum exasperantur fauces, & spiritus qui easdem ingreditur, ad pectus vsque procedit, ac rursus effertur per eandem viam: quum autem spiritus ingrediens, in fluxum qui intùs est inciderit, tußis gignitur, & repellitur sursum pituita: quæ quum sic habent, fauces exulcerantur, exasperantur & inflammantur, attrahuntq́ue calefacta humorem de capite. caput autem ab aliis corporis partibus rursus attrahens, his transmittit: Auctor est Hippocrates libro De flatibus.

Melius huic rei.

LYCIVM ex diuersi generis substantiis coalitum est; altera tenuium partium, ac discussoria & calida; altera frigida & terrea, ex qua & moderatam astrictionem habet: unde non solùm glutinationi ulceris utile erit, verùm etiam incidendo humori. Reliqua deinceps quæ subiungit, purgabunt magis ulcera, atque viscosam materiam è pulmone educent.

De Tussi.*

** & sanguinis effluxio.*

TVSSIS verò ferè propter faucium exulcerationem molesta est, quæ multis modis contrahitur. Itaque illis restitutis ipsa finitur. Solet tamen interdum per se quoque malè habere, & vix cùm vetus facta est eliditur, ac modò arida est, modò pituitam citat. * Oportet hyssopum altero quoque die bibere, spiritu retento currere, sed minimè in puluere, ac lectione vti vehementi, quæ primò impeditur à tussi, pòst eam vincit, tum ambulare, deinde per manus quoque exerceri, & pectus diu perfricare. Post hæc quàm pinguissimæ ficus vncias tres supra prunas incoctas, esse. Præter hæc si humida est, prosunt frictiones validæ, cum quibusdam calefacientibus, sic, vt caput quoque siccum vehementer perfricetur. Item cucurbitulæ pectori admotæ, sinapi ex parte exteriore faucibus impositum, donec leuiter exulceret potio ex mentha, nucibusque Græcis & amylo, primoque assumptus panis aridus, deinde aliquis cibus lenis. At si sicca tussis est, cùm ea vehementissimè vrget, adiuuat vini austeri cyathus assumptus, dum ne amplius id interposito tempore aliquo, quàm ter aut quater fiat. Item laseris quàm optimi paulum deuorare opus est, porri vel marrubij succum assumere, scillam delingere, acetum ex ea, vel certè acre sorbere, aut cum spica alij contriti duos vini cyathos. Vtilis etiam in omni tussi est peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima, natationes. Cibus interdum mollis, vt malua, vel vrtica: interdum acer, vt lac cum allio coctum, sorbitiones quibus laser sit adiectum, aut in quibus porrum incoctum tabuerit, ouum sorbile sulphure adiecto, potus primùm aqua calida, deinde inuicem aliis diebus hæc, aliis vinum. Magis terreri potest aliquis, cùm sanguinem expuit. Sed id modò minus, modò

** Si arida est, oportet*

plus periculi habet. Exit enim modò ex gingiuis, modò ex ore, & quidem ex hoc interdum etiam copiose, sed sine tussi, sine vlcere, sine gingiuarum vllo vitio, ita vt nihil excreetur. Verùm vt ex naribus, sic ex ore aliquando prorumpit. Atque interdum sanguis profluit, interdum simile aquæ quiddam, in qua caro recens lota est. Nonnunquam autem is à summis faucibus fertur, modò exulcerata ea parte, modò non exulcerata, sed aut ore venæ alicuius adaperto, aut tuber-
* hisque culis quibusdam natis, ex * his sanguine erumpente. Quod
*quicquã ex vbi incidit, neque lædit potio aut cibus, neque * quicquam aut ex vlcere excreatur. Aliquando gutture & arteriis exul-
* extrudit. ceratis, frequens tussis sanguinem quoque * extundit. Interdum etiam fieri solet, vt aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex iocinore feratur. Sæpe fœminæ, quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc ex-
* vereresq. medici ferunt, spuunt, * auctoresque medici fuerunt, vel exesa parte aliqua sanguinem exire, vel rupta, vel ore alicuius venæ patefacto. Primam διάβρωσιν, secundam ῥηγμόχασμον, tertiam ἀναστόμωσιν appellant. Vltima minimè nocet, prima grauissimè. Ac sæpe quidem euenit, vti sanguinem pus sequatur: interdum autem qui sanguinem ipsum suppressit, satis ad valetudinem profuit. Sed si secuta vlcera sunt, si pus, si tussis est, prout sedes ipsa est, ita varia & periculosa genera morborum sunt. Si verò sanguis tantùm fluit, expeditius & remedium & finis est. Neque ignorari oportet, eis quibus fluere sanguis solet, aut quibus spina dolet, coxæve, aut post cursum vehementem vel ambulationem, dum febris absit, non esse inutile sanguinis mediocre profluuium, idque per vrinam redditum, ipsam quoque lassitudinem soluere. Ac ne in eo quidem terribile esse, qui ex superiore loco decidit, si tamen in eius vrina nihil nouabit. Neque vomitum huius afferre periculum, etiam cùm repetit, si antè confirmare & implere corpus licuit: & ex toto nullum nocere, qui in corpore robusto, neque nimius est, neq. tussim aut calorem mouet. Hæc pertinent ad vniuersum. Nunc ad ea loca quæ proposui veniam. Si ex gingiuis exit, portulacam manducasse satis est: si

ex ore, continuisse eo merum vinum: si id parum proficit, acetum: si inter hæc quoque grauiter erumpit (quia consumere hominem potest) commodissimum est, impetum eius admota occipitio cucurbitula, sic vt cutis quoque incidatur, auertere. Si id mulieri, cui menstrua non feruntur, euenit, eandem cucurbitulam incisis inguinibus eius admouere. At si ex faucibus, interioribúsve partibus processit, & metus maior est, & cura maior adhibenda: sanguis mittendus est, & si nihilominus ex ore processit, iterum, tertioque, & quotidie paulum aliquid. protinus autem debet sorbere vel acetum, vel etiam cum thure plantaginis aut porri succum, imponendaque extrinsecus supra id quod dolet lana succida ex aceto est, & id spongia subinde refrigerandum. Erasistratus horum crura quoque & femora, brachiaque pluribus locis deligabat. Id Asclepiades adeò non prodesse, vt etiam inimicum esset, proposuit. Sed id sæpe commodè respondere experimenta testantur. Neque tamen pluribus locis deligari necesse est, sed sat est infra inguina & super talos, summosque humeros, etiam brachia. Tum si febris vrget, danda est sorbitio, & potui aqua, in qua aliquid ex iis quæ aluum astringunt, decoctum sit: * ac si abest febris, vel elota alica, vel panis ex aqua frigida, & molle quoque ouum dari potest potui, vel idem quod supra scriptum est, vel vinum dulce, vel aqua frigida, sed sic bibendum erit, vt sciamus huic morbo sitim prodesse: præter hæc necessaria sunt quies, securitas, silentium. Caput huius quoque cubantis sublime esse debet, rectéque tondetur. Facies sæpe aqua frigida fouenda est. At inimica sunt vinum, balneum, venus, in cibo oleum, acriora omnia, item calida fomenta, conclaue calidum & inclusum, multa vestimenta corpori iniecta, etiam frications, vbi bene etiam sanguis conquieuit. Tum verò incipiendum est à brachiis, cruribusque à thorace abstinendum. In hoc casu per hyemem locis maritimis, per æstatem mediterraneis opus est,

* at

ENARRATIO.

FAVCES Græci φάρυγγα appellant, intelliguntq; locum illum intra os, ubi tum gulæ, tum asperæ arteriæ extrema conueniunt: quo fit ut aut necessum sit generalius faucium appellatione abusum Celsum, aut malè eundem tussis plerasque causas earundem exulcerationi asscripsisse: nam etiamsi quammaximè humore in fauces decumbente, aut iisdem exasperatis tussis oriatur: non rarò tamen eandem accidere videmus, ut docet Galenus libro secundo De symptomatum causis, si instrumenta respirationi seruientia, intemperie frigida detineantur: quin & stomachus ipse lumbricis infestatus, aut acri humore grauatus, tussis causa esse potest. Oribasius ita distinxisse videtur, ut tussis in alto nascatur, tussicula verò in faucibus.

spiritu retento currere.

CAVENDVM tamen est ne dum ultra modum cohibent, ac retinent spiritum ægrotantes, tussim potiùs exasperent atque alterent, quàm mitigent.

prosunt frictiones validæ.

VALIDAS frictiones pectoris admiserim; capitis autẽ temperie sicci nequaquam: nam valida frictione caput ipsum, alioqui natura siccum, cogetur, indurabitur, astringetúrque, & si quid humoris in inferioribus sit, frictione ad superiora allicietur, quod pro tempore quidem tussim leuabit, sed eandem rursus concitabit, capite humores rursus ad inferiores partes propulsante.

nucibusque Græcis.

QVID nuces Græcas vocet, nondum mihi certò constat: sunt enim qui easdem amygdalas esse putent, quas & Thasias dictas dicunt; in qua opinione Plinius fuisse videtur, qui libro Naturalis historiæ XV. capite XXII: Tertia, inquit, ab his natura amygdalis, tenuiore sed simili inglandium summo operimento; item secundo putaminis. Nucleus dissimilis latitudine, & acriore callo. Hæc arbor an fuerit in Italia Catonis ætate, dubitatur; quoniam Græcas nominat; quas quidam in inglandium genere seruant. Idem libro XXIII. cap. VIII, nuces Græcas ab amygdalis distinguit, atque amygdalis subiungit: nam posteàquam de utrisque amygdalis sermonem fecisset, Nucibus Græcis, cum apsinthij semine, inquit, ex aceto sumptis, morbus regius sanari dicitur: item illitis per se vitia sedis, & priuatim condilomata. item tussi & sanguinis reiectioni prodest. Quare siue amygdalas, siue alias nuces intelligat, alij iudicent.

At si sicca tussis.

SICCAM tussim vocat, ut docet Galenus, in qua nihil exspuitur: fit autem aliquando ob intemperiem instrumentorum, quæ inseruiunt respirationi; aliquando verò in faucium asperitate aliquo tenui, & pauco humore distillante: sed hæc tussis neque violenta esse solet, neque coacta; sed adeò exigua, ut & supprimi, & ne eueniat prohiberi possit, idq; vel in totum vel magna ex parte. Si igitur intemperies frigida siccam tussim excitat, spiritũ cohibere imperat Galenus: Nam spiritus retentione, inquit, nisi vehemens admodùm tussis fit, prohibetur, spiritu retento calorem in instrumentis spiritalibus augente. quibus accedit, quòd quum spiritus facilè abditissimas partes penetret, totam spiritualiũ membrorum compagem, ad iustam temperiem quàm ocyssimè reducat. Contrà si calida sit intemperies, proderit aërem frigidum recipere; tantum abest, ut vel austerum vinum, aut acida, aut acria in sicca tussi, uti facit Celsus, exhibeamus, quando iisdem magis irritandos ægros pro comperto habeamus, magisque reficiendos lenientibus, ac mordacitatem arcentibus.

Vtilis est etiã in omni tussi.

NAM si ex influxu humorum fiat, exercitio discutitur ac dissipatur materia pec-

cans;

cans; sin tussis sicca sit, mutatione loci ad contrarium sanitas recuperatur.

Magis terreri potest.

QVIA, vt docet Trallianus, vix est morbus periculosior, quàm sanguinis reiectatio aut sputio; non tam quòd per se ingi inanitione hominem exanimat, quàm quod exitialis atque chronica cum horrenda mentis vacillatione, nascitur affectio.

Exit enim modò ex gingiuis.

GALENVS reiectationis sanguinis differentias sic distinguit: Sanguis, inquit, qui ex pectore, aut pulmone, aut aspera arteria educitur, omnino cum tussi reiicitur; si verò ex locis circa fauces aut gurgulionem sanguis feratur, per excreationem excernitur; si verò ex aliquo loco oris aut gingiuarum, simpliciter expuitur. Aliquando autem & à capite, aut partibus gurgulionis delatus sanguis ad asperæ arteriæ extremum incidit, & tussim commouet, imaginationémque facit velut ex pectore educatur. Itaque si pluribus ex ordine diebus sanguinem exscreet & emungat, neque capitis dolore aut grauitate aliqua quæ etiamnum adsit, antegressis, aut plaga isthic illata, considerare oportet diligenter omnē narium meatum, atque etiam oris locum illum vbi nares ad palatum sunt perforatæ. contingit enim aliquando hæc accessio hirudine ad locum hunc affixa. Est præterea vbi ex iecore, liene, ventriculo, vena iecoraria aliisque partibus corporis sanguis expuatur. Solent tamen ita distinguere sputum à fluore sanguinis, vt sputio sanguinis dicatur, quoties pituitæ permiscetur, modicúmque ac congestum id est quod excernitur: Fluor autem quando sub quantitate multa sanguis expuitur, rutilans non congestus.

auctoresque medici.

SIC distinguunt Hippocrates, Galenus, Erasistratus, eorúmque sequaces. Bacchius quidam, vt auctor est Cælius Methodicus, quartam adiecit, quam expressionis, seu sudationis vocauit, asserens ex gingiuis expui sanguinem sine vlla vulneratione, aut vlceratione: vel in curationibus fracturarum, sæpè fasciolarum ligamenta maculis sanguinolentis aspersa reperiri.

vel excesâ parte.

PANTINVS rectè hìc restituit excesa aliqua parte: cùm anteà esset, ex eâ parte.

Neque ignorari oportet.

HIPPOCRATES septimo Aphorismorum Aphorismo XXXVII. Sanguinis, inquit, vomitus si sine febre est, salubrior est; cum febre verò, peior. curari verò hunc oportet cū astringentibus & refrigerantibus. Celsus hìc quod Hippocrates τὸ σωτήριον dixit, non inutile, quanquam non satis propriè, reddidit: nam quum antè Hippocrates sanguinem suprà emissum, qualiscunque tandem is fuerit, malum esse dixisset; nunc, vt distingueret quis fluxus sanguinis magis periculo vacaret, & quis faciliùs curaretur, hunc qui sine febre est, σωτήριον, hoc est magis salutarem, dixit. Quod autem de cruento lotio subiungit, quum nihil ad præsens negotium faciat, nescio cur asscripserit; neque enim sanguis cum vrina repentè redditus, tussim aut expuitionem sanguinis lenit, aut alioqui sequitur: verùm solet potius oriri, vt sectione quarta Aphorismo XLVIII. Hippocrates, vbi venulæ in renibus ruptæ sunt.

Nunc ad ea loca quæ proposui.

GALENVS libro De medicamentorum compositione secundum loca: Curatio, inquit, eius quæ ex apertione osculi alicuius vasis contingit, per obturationem fit oris dilatati; eius verò quæ ex vasis ruptura, per eiusdem conglutinationem; quemadmodum eius quæ ex erosione per renutritionem erosorum. Obturatur igitur osculum dilatatum per astringentia; conglutinatur autem ruptum, per eadem; & quæcumque ipsis in compositione miscentur citra mordicationem resiccantia, & glutinosum quid habentia.

bentia. Renutriuntur verò corrosa per cibos boni succi, & pharmaca carnem generantia, sarcotica dicta.

portulacam manducasse.

ASTRINGIT enim optimè portulaca comesta; atque eâ magis eiusdem succus; sicuti & acetum.

merum vinum.

ID astringens admodùm sit necesse est: nam alioqui prorsus erit alienum.

admota occipitio cucurbitula.

ALII id tantùm tentandum autumant, postquam iam omnino inueterauerit, ac sedes fixerit malum.

aut porri succum.

ETSI porrum cum ptisana coctum pectoris vitiis mederi dicat Dioscorides, per se tamen nunquam sanguinis reiectationes cohibuerit porri succus, quum extenuet, atque vrinam moueat: si tamen aliis quæ astrictoriæ sunt facultatis simul admisceatur, accommodissimum erit remedium. Sic etenim Dioscorides cum aceto, thure aut manna sanguinis profluuia sistere asseuerat; atque ea præsertim quæ è naribus fiunt. Et Celsus cum succo plantaginis aut thure dat.

Erasistratus horum crura.

ASCLEPIADES libro Parasceuasticon vituperabat, tanquam materiam imprimeret, & coërcendo in latum reuocaret; non intelligens per ligationes maximum emolumentum afferri, tum diuersione materiæ, tum quòd densitatem quandam facerent; sicuti contendebat Erasistratus.

vel vinum dulce.

NESCIO quàm conueniat hîc vinum dulce; quando certum sit astringentia omnia, hîc magis ex vsu esse: nam quantumuis aliquis dulce vinum sua crassitie commendatum habeat; mihi certè, vt quod calore excedat, nisi temperatum sit aqua, aut ni (quod Celsus noster frequenter inculcat) alternis vicibus modò aqua, modò vino vtatur æger; non satis placuerit.

sed sic bibendum erit.

OMNIMODAM sitim non probat hic, sed ita bibendum dicit, vt ne quid nimis: ac quod ad quantitatem attinet, modicus quidem sit potus; & quod ad facultatem, emplastica si fieri potest, eáque frigida, præditus sit.

In hoc casu per hiemem.

MIRVM admodùm est, cur in hoc casu per hiemem locis maritimis, per æstatem mediterraneis opus esse dicat. Nam si, vt libro Problematon scribit Aristoteles, hieme mare calidius est, atque æstate frigidius, ac proinde necesse esse, vt spiritus omnes maritimi æstate frigeant, hieme tepeant; contrà verò æstate caleat, hieme frigeat terra, etsi maritima loca propter tepentem spiritum concesserimus hieme; mediterranea certè parùm ex vsu erunt æstate, si conclaue calidum, aliáque calida suspecta sunt: quare cur æstate mediterranea, hieme maritima laudârit, alij coniiciant.

CAPVT V.

De stomachi morbis, & curationibus.

FAVCIBVS subest stomachus, in quo plura longa vitia incidere consueuerunt. Nam modò ingens calor, modò inflatio hunc, modò inflammatio, modò exulceratio afficit. Interdum pituita, interdum bilis oritur, frequentissimumque

est eius

est eius malum, quo resoluitur, neque vlla re magis aut afficitur, aut corpus afficit. Vt diuersa autem vitia eius, sic etiam remedia sunt. Vbi exæstuat, aceto cum rosa extrinsecus subinde fouendus est, imponendusque puluis cum oleo, & ea cataplasmata, quæ simul & reprimunt, & molliunt. Potui (nisi quid obstat) gelida aqua præstanda. Si inflatio est, prosunt admotæ cucurbitulæ: neque incidere cutem necesse est: prosunt sicca & calida fomenta, sed non vehementissima. Interponenda abstinentia est. Vtilis in *ieiuno potio est absinthij aut hyssopi, aut rutæ. Exercitatio primò lenis, deinde maior adhibenda est, maximeque quæ superiores partes moueat. Quod genus in omnibus stomachi vitiis aptissimum est. Post exercitationem opus est vnctione, frictione, balneo quoque nonnunquam, sed rarius, interdum alui ductione. Cibis deinde calidis, neque inflantibus, eodemque modo calidis potionibus, primò aquæ, pòst, vbi resedit inflatio, vini austeri. Illud quoque in omnibus stomachi vitiis præcipiendum est, vt quo modo se quisque æger refecerit, eo vt sanus vtatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi iisdem defendatur bona valetudo, quibus reddita est. At si inflammatio aliqua est, quam ferè tumor & dolor sequitur, prima sunt quies & abstinentia, lana sulphurata circundata, in *ieiuno absinthium. Si ardor stomachum vrget, aceto cum rosa subinde fouendus est, deinde cibis quidem vtendum est modicis. Imponenda verò extrinsecus quæ simul & reprimunt & molliunt: deinde his detractis, vtendum calidis ex farina cataplasmatis, quæ reliquias digerant. Interdum aluus ducenda. Adhibenda exercitatio, & cibus plenior. At si exulceratio stomachum infestat, eadem ferè facienda sunt, quæ in faucibus exulceratis præcepta sunt. Exercitatio, frictio inferiorum partium adhibenda. Adhibendi leues & glutinosi cibi, sed citra satietatem. Omnia acria atque acida remouenda. Vino, si febris non est, dulci: aut si id inflat, certè leni vtendum, sed neque præfrigido, neque nimis calido. Si verò pituita stomachus impletur, necessarius modò in ieiunio, modò post cibum vomitus est. Vtilis exercitatio, gestatio, naui-

*ieiunio

*ieiunio

gatio, frictio. Nihil edendum, bibendumque, nisi calidum, vitatis tantum his, quæ pituitam contrahere consueuerunt. Molestius est, si stomachus bile vitiosus est. Solent autem hi, qui sic tentantur, interpositis quibusdam diebus hanc, & quidem quod pessimum est, atram vomere. His rectè aluus ducitur, potiones ex absinthio dantur: necessaria gestatio, nauigatio, & (si fieri potest) ex nausea vomitus, vitanda cruditas, sumendi cibi faciles & stomacho non alieni, vinum austerum. Vulgatissimum verò pessimumque stomachi vitium est resolutio, id est cùm cibi non tenax est, soletque desinere ali corpus, ac sic tabe consumi. Huic generi inutilissimum balneum est. Lectiones, exercitationesque superioris partis necessariæ. Item vnctiones, frictionesque, hinc perfundi frigida, atque in eadem natare, canalibus eiusdem subiicere etiam stomachum ipsum, & magis etiam à scapulis, id quod contra stomachum est. Consistere in frigidis, medicatisque fontibus, quales cutiliarum * subcutiliarumque sunt, salutare est. Cibi quoque assumendi sunt frigidi, qui potius difficulter coquuntur, quàm facilè vitiantur. Ergo plerique, qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam coquunt. Ex quo colligi potest, neque auem, neque venationem, neque piscem dari debere, nisi generis durioris. Potui quidem aptissimum est vinum frigidum, vel certè bene calidum meracum, potissimum rheticum, vel allobrogicum, aliúdve, quod & austerum & resina conditum est: si id non est, quàm asperrimum, maximeque signinum. Si cibus non continetur, danda aqua, & eliciendus plenior vomitus est, iterúmque dandus cibus, & tum admouendæ duobus intra stomachum digitis cucurbitulæ, ibique duabus aut tribus horis continendæ sunt. Si simul & vomitus & dolor est, imponenda supra stomachum est lana succida, vel spongia ex aceto, vel cataplasma, quod refrigeret. Perfricanda verò non diu, sed vehementer brachia, & crura, & calefacienda. Si plus doloris est, infra præcordia quatuor digitis cucurbitula vtendum est, protinus dandus panis ex posca frigida. Si non continuit, post vomitum lene aliquid ex his, quæ non aliena stomacho sint. Si ne id qui-

* symbrui narumque *De aquis cutiliis, Plinius lib. 2. cap. 95. item lib. 31. cap. 2. & 6. de iisdem, & Vitruuius lib. 8. cap. 3.*

id quidem tenuit, singuli cyathi vini singulis interpositis horis, donec stomachus consistat. Valens etiam medicamentum est radiculæ succus, valentius acidi punici mali, cum pari modo succi, qui ex dulci punico malo est, adiecto etiam intubi succo & mentha, sed huius minima parte, quibus tantundem, quantum in his omnibus est, aquæ frigidæ quam optimè miscetur. Id enim plus quàm vinum ad comprimendum stomachum potest, supprimendus autem vomitus est, qui per se venit, * sic, si nausea est. Sed si coacuit intus cibus, aut computruit, quorum vtrumlibet ructus ostendit, eiiciendus est, protinusque cibis assumptis iisdem quos proximè posui, stomachus restituendus. Vbi sublatus est præsens metus, ad ea redeundum est, quæ suprà præcepta sunt. *sic, & si

ENARRATIO.

ETSI iam antè ex Ioannis Cæsarij annotationibus ostensum videatur, stomachum hîc pro gula accipi, varietas tamen ac differentia morborum quos Celsus eidem asscribit, stomachum non pro gula (quod bona venia doctißimi viri dixerim) sed pro ventriculo accipi demonstrat.

Vbi exæstuat.

SIC Galenus septimo Methodi multos quibus exæstuaret ventriculus, se curasse spacio vnius aut alterius diei auctor est, solius aquæ frigidæ aut fontanæ, aut eius quæ in niue refrigerata esset, exhibitione.

prosunt admotæ cucurbitulæ.

EAS ex Galeno, Paulus medio ventri cum copiosa flamma ita applicandas dicit, vt totum vmbilicum comprehendant; ita enim, vt XII. methodi Galenus, in flatuosis affectibus incantamenti quid simile obtinent admotæ cucurbitæ, siue in intestinis, siue in alia quauis corporis parte flatuosi spiritus collecti fuerint.

Interponenda abstinentia est.

NAM inedia actioni huic necessaria existit, vt ait Aëtius, præsertim vbi ex dissolutis in vaporem cibis, orta fuerit inflatio. Quòd si abstinentiam ferre non poßit æger, exhibendi sunt calidi, flatúsque discutientes cibi, quantitate exigua, & qui facilè alterentur, atque boni sint succi.

At si inflammatio aliqua.

STOMACHI inflammatio morbus compositus est in magnitudine, & intemperie, & in soluta continuitate: quo fit vt eam sequatur tumor præter naturam adeò magnus, vt à medico tactu percipi poßit, grauitas ac multi caloris sensus, & dolor vehemens circa partem affectam.

abstinentia.

SI vires admittant (est enim in ventriculi morbis virium maxima habenda ratio) accuratißimo omnino vtendum est victu in phlegmone ventriculi, vt docet Galenus XI. methodi Therapeuticæ, quia in ventriculo, æquè ac iecinore, alimentũ con-

coqui debeat: quod si non probè fiat, prætorquam quòd nō nutritur corpus, phlegmon etiam ipse augetur, & febres accenduntur.

lana sulphurata.

SVLPHVRATAM lanam Plinius pecori ipsi si cibi fastidio corripiatur, prodesse auctor est, non tamen inflammationi.

absinthium.

IDEM prorsus faciendum suadet Galenus XI. methodi Therapeuticæ: nam si vel minima suspicio sit, inquit, iecur ventriculúmve laborare, apsinthium protinus oleo incoquimus, atque eas particulas perfundemus. Vtendum autem semper pontico est.

Imponenda verò extrinsecus.

REPRIMENTIA astringentia vocat: siquidem quòd in inflammationibus ardoribúsque ventriculi, necessum sit astringentia relaxantibus immisceri, auctor est Galenus; periculum enim esset, ne si solis relaxantibus vteremur, animi deliquium subsequatur.

Interdum aluus ducenda.

ISTHVC tamen cum præcautione faciendum est, semper habita virium ratione, vt sub finem methodi Therapeuticæ Galenus.

cibus plenior.

COMPARATIONE videlicet eius quem in phlegmone præscripsit.

Adhibendi leues & glutinosi cibi.

IN cibis exhibenda modò sunt, quæ vlcera expurgant, vnde prisanæ mellis aliquid admiscere solent ad extersionem, nonnunquam etiam quæ dolores mitigant, & mordacitatem obtundunt. Post repurgationem verò quæ carne implent, ac postremum ea quæ ad cicatricem perducunt; qualia sunt quæ astringunt.

Si verò pituita.

STOMACHVM Galenus libro Methodi medendi duobus modis expurgari auctor est: siquidem si quid in eo molestum est, id modò per secessum, modò per vomitum educit. Celsus si quando stomachus pituita grauetur, eandem per superiora purgat, quòd ea si quando in stomacho supernatet fluctuétque, atque per se nauseam pariat, vomitorium medicamentum statim subsequatur. si tamen stomachi villis tenaciùs adhæserit, frustrà vomitoria tentauerimus; ac tum quidem naturæ ductum sequentes, per inferiora eandem ducere conabimur, medicamentis quæ modicè purgant, & quorum vis super ventris & intestinorum loca non ascendat.

Molestius est.

QVVM tres in ventriculo humores gignantur, qui bilis speciem præ se ferant (puta eum qui quòd porri colorem imitetur πρασοειδὴς nominatur; sicuti quoties æruginí similis est, ἰώδης, quasi dicas æruginosum; & quoties glasti glaucum colorem repræsentat, ἰσατώδης dicitur) per bilem non simpliciter χολὴν dictam intellexisse videtur; verùm vnam aliquam ex iam dictis, atque eam præsertim, quam æruginosam appellari diximus. Nam alioqui si simpliciter dictam bilem intellexisset, satius esset eam ex Hippocratis præscripto per superiora expurgare: siquidem si bilis natura calida & sicca sit, sursum rapitur, & facillimè per vomitum educetur. Quanquam si quis de alia bile, vt ex Herodoto infert Aëtius, intelligere velit, per me integrum est. Hoc tamen sciendum est, tum non per inferiora, sed superiora, siue ea atra, siue flaua sit, expurgandam: nam si flauæ bilis vomitiones accidant, accessiones mitigant; sin atra, soluunt.

interpositis.

NAM, vt habet Herodotus, accessiones cardiacis similes patiuntur.

Vulgatissimum pessimúmque.

PESSIMVM vitium dixit, quòd quum stomachus nihil retineat, venter interim suo officio non fungatur, atque astrictior solito sit.

sit. Nam etsi gratißima stomacho exhibueris edulia, post duos aut tres dies aluus inde astringetur. Balneum autem inutilißimum esse dicit, vt quod resoluat: si tamen imo ventri adhibeatur tantùm, & inferioribus partibus, non video quomodo non ex vsu esse poßit.

Quales cutiliarum subcutiliarumque, &c.

IOANNES *Cæsarius suis in Celsum annotationibus*, Cutiliarum subcutiliarumque *legendum existimat; non antem, vt hactenus*, subruinarum. *atque sic quidem & ipse Pantinus legisse videtur. Cæterùm de subcutiliis ita scribit Plinius: Sed subcutiliæ in Sabinis gelidißimæ, suctu quodam corpora inuadunt, vt propè morsus videri poßit; aptißimæ stomacho, neruis, vniuerso corpori. Cutiliarum antem, (Cælius Methodicus Cotilias dicere maluit,) alia temperies est: nam, vt idem Plinius, Bituminata aut nitrosa, qualis cutilia, vtilis est bibendo, atque purgationibus: plerique in gloria ducunt plurimis horis perpeti calorem earum, quod est inimicißimum; nanque paulo diutiùs quàm balneis vti oportet. Facit & Vitruuius libro octauo capite tertio, Cutiliarum mentionem, vbi de aquæductibus tractat. Si igitur*, Cutiliarum subcutiliarumque *legamus (neque enim subruinos fontes me vsquã legisse memini) ad diuersa respexisse Celsum verisimile est, ita vt frigidos fontes, quales subcutilij sunt, calidæ intemperiei; medicatos autem (in quo albo Cutilij censentur) frigidæ vtiles dixerit.*

Cibi quoque.

SATIVS *tamen est ex Galeni & Aëtij præscripto, olera ex oleo & garo condita, & alia quæ ventrem emollire solent, primùm exhibere; atque tum demum ad alia transire.*

& eliciendus plenior vomitus.

IVXTA *illud: Vomitus vomitu, & fluxus fluxu sedatur. sæpe etenim accidit, vt in ipso ventriculi sinu contentus humor vomitum exciret; qui quidem per vomitum expurgatus causa est, vt prior vomitio facilè quiescat & sedetur.*

Sed si coacuit intùs cibus.

NAM, *vt capite tertio libri primi auctor noster dicit: Vtilis est vomitus plenis & biliosis omnibus, si vel nimiũ sese repleuerint, vel parum concoxerint. Nam sine plus quàm quod concoqui poßit, periclitari ne corrumpatur non oportet; si verò corruptum est, nihil commodius est, quàm id qua via primùm expelli potest, eiicere.*

CAPVT VI.

De laterum doloribus.

STOMACHVS lateribus cingitur, atq. in his quoq. vehementes dolores esse cõsueuerunt, & initium vel ex frigore, vel ex ictu, vel ex nimio cursu, vel ex morbo est. Sed interdũ id malum intra dolorem est, isque modò tardè, modò celeriter soluitur: interdum ad perniciem quoq. procedit, oriturque acutus morbus, qui pleuriticus à Græcis nominatur. Huic dolori lateris febris, & tussis accedit, & per hanc excreatur: si tolerabilis morbus est, pituita: si grauis, sanguis.

* emolitur Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil * emollitur. Idque primo vitio grauius, secundo tolerabilius est. Remedium verò est magni & recentis doloris, sanguis missus. At siue * lenior, siue vetustior casus est, vel superuacuum, vel serum id auxilium est, confugiendumque ad cucurbitulas est, antè summa cute incisa. Rectè etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec vlcera pustulasque excitet, & tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Præter hæc circundare primùm oportet latus * ipsum lana sulphurata: deinde cùm paulum inflammatio se remisit, siccis & calidis fomentis vti. Ab iis transitus ad malagmata est. Si vetustior dolor remanet, nouissimè resina imposita discutitur. Vtendum cibis, potionibusque calidis, vitandum frigus. Inter hæc tamen non alienum, & extremas partes oleo & sulphure perfricare. Si leuata tussis est, leni lectione vti, iamque & acres cibos, & vinum meracius assumere. Quæ à medicis præcipiuntur, vt tamen sine his, rusticos nostros epota ex aqua herba trixago satis adiuuet. Hæc in omni lateris dolore communia sunt: plus negotij est, si acutus quoque morbus is factus est. In hoc præter ea quæ suprà posita sunt, hæc animaduertenda sunt, vt cibus sit quam maximè tenuis, & lenis, præcipueque sorbitio, eaque ex ptisana potissimum, aut ius in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit. Idque non nisi tertio quoque die detur, si tamen per vires licebit: potio verò aqua mulsa, in qua hyssopum aut ruta decocta sit. Quæ quibus temporibus danda sint, ex ratione vel adiectæ, vel leuatæ febris apparebit, sic vt in remissione quàm maxima dent, cum eo tamen, vt sciamus non esse eius generis tussi aridas fauces committendas. Sæpe enim, vbi nihil est quod * excreatur, continuatur, & strangulat. Ob quam caussam dixi etiam peius id genus esse tussis, quod nihil, quàm quod pituitam moueret. Sed hîc vinum sorbere, vt supra præcepimus, morbus ipse non patitur, in vicem eius cremor ptisanæ sumendus est. Vt his autem in ipso morbi feruore sustinendus æger est, sic vbi paulum is se remisit, alimenta pleniora & vini quoque aliquid dari potest, dum nihil detur, quod aut refrigeret corpus, aut

Marginal notes: * lenior, — *hapso lanæ sulphuratæ: — * excreetur,

pus, aut fauces asperet. Si in refectione quoque manserit tussis, intermittere oportebit vno die, posteroque cum cibo vini paulo plus assumere. Atque incipiente quoque tussi, tum non erit alienum (vt suprà quoque positum est) vini cyathos sorbere. Sed in hoc genere valetudinis dulce, vel certè lene commodius est. Si malum inueterauit, athletico victu corpus firmandum est.

ENARRATIO.

Per latera intelligit Celsus eas partes quæ costis circumscribuntur; non eas, quas Græci λαγόνας, καὶ κενεῶνας, veluti quidam intelligi voluerunt.

& initium vel ex frigore.

GALENVS *libro De locis affectis quinto cap. 11. sub finem, lateris dolores hoc modo distinguit: Sunt (inquit, postquam de pleuritide verba fecisset) præterea alij laterum dolores cum febre, per quos spirationem exiguam reddi necesse est, sed nullum redditur sputum, vt in ea re nihil à pleuritide sine sputo constante differre videatur: verùm hi facilè ab illis discerni possunt; in his enim nulla omnino tussis est; illi verò qui sine sputo pleuritide laborant, sicca tussi molestantur; deinde quòd neque duriciem neque tensionem vllam refert pulsus. Est & alius costalis morbus (vt capite vltimo octaui libri refert Aëtius) quoties crudi, crassi, glutinosiq; humores generantur in corpore ex cruditatibus plurimis, & cibis crassis atque pituitosis; atque ij quidem humores modò in vacuum thoracis locum sese repentè ingerunt, nonnunquam etiam in ipsum pulmonem, qui sua multitudine succingentem costas intrinsecus membranam distendentes inferunt dolorem, spiritúsque difficultatem inuehunt, adeò vt suspicionem veræ pleuritidis præbeant; hodie pleuritidem notham vocant. Cælius Methodicus lateritios dolores ita distinguit, vt modò sine febre sint, & longo tempore perdurent; interdum celer quidem passio sit, sine varietate tamen sputorum vel excrementorum, contrà quàm in pleuritide accidere solet.*

Si tolerabilis morbus est, pituita.

MIRVM *est hîc Celsum pleuritim eam in qua sanguis exspuitur, periculosiorem pronunciare ea in qua pituita expurgatur; quando Galenus Commento tertio De morb. vulgar. dicat eam pleuritidem esse mitem in qua cruenta exspuuntur sputa: adde quòd idem asserat omnes morbos qui à sanguine (vt pote omnium succorum mitissimo) fiunt, aliis qui à reliquis oriuntur humoribus esse mitiores. hinc lib. secundo De febrib. dicit febrem ex sanguine reliquis esse mitiorem, & simpliciorem. Quare, nisi metathesi duarum dictionum sic legamus,* Si tolerabilis morbus est, sanguis; si grauis, pituita: *dicendum erit Celsum hîc locum Hippocratis ex libro De locis in homine, in suam sententiam traxisse, vbi dicit sanguinem quando morbum facit, dolorem inferre vt plurimùm; pituitam verò grauitatem: ac proinde quanto dolor grauitate ipsa molestior ac grauior est, eo quoque pleuritidem sanguineã pituitosa perniciosiorem & acerbiorem esse, vt quæ vehementissimos inferat dolores; qualem Galenus magna ex parte lèthalem esse dixit.*

Remedium verò.

HIPPOCRATES *reuellit simul & euacuat sanguinis missione, si ad iugulum dolor extendatur; aut grauitas brachium vel mamillas, vel partes quæ supra septum transuersum*

uersum sunt, infestat. Nam alioqui si ad præcordia dolor pertigerit, medicamento purgat, cui contra Galenum astipulatur Trallianus; *is etenim propter perturbationem in pleuriticis medicamenta suspecta habet.* Dicit autem in libro De ratione victus *in morbis acutis sic* Hippocrates : *Si verò dolor ad claviculam pertigerit, aut molesta sit vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo transuerso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare expedit: neque verò, vt copiosè sanguis detrahatur, est cunctandum; sed eousque auferendus, donec rubicundior multo, vel pro puro rubidóque liuidus effluxerit: nam vtrumque contingit. Si verò eas quæ sub septo transuerso sunt partes dolor infestat, nullúmque ad claviculam signum fuerit, ventrem vel nigro veratro, vel peplio mollire oportet, &c.* Hodie lenientibus, *vel enematis, si astrictior sit aluus, etiam ante sanguinis missionem, non inutiliter aluum ducimus.*

vel superuacuum id.

FOMENTIS *enim non rarò sedatur.*

confugiendumque ad cucurbitulas.

SI *dolor post septimum diem consistat, neque minuatur, præsentissimum remedium afferent cucurbitulæ natibus affixæ, aut hypochondriis: quanquam etiam non inutiles erunt, vel in principio morbi, si ægrotus sanguine non abundet, aut ægri vires sanguinis missionem recusent.*

Rectè etiam sinapi.

ISTHVC *quàm sit ex vsu, non video, quòd periculum sit ne calore sinapis, materia potiùs recrudescat atque exasperetur: post suppurationem tamen, tanquam causticum, ad euocandam materiam non inutiliter adhibuerimus; sicut de pectore suppuratis dicit* Hippocrates.

Vtendum cibis.

CALIDIS *videlicet actu: quia semper per sudores, aut insensiles meatus resoluitur aliquid, quod sumptione frigidi cibi aut potus præpediretur; quando certum sit frigore poros densari.*

si acutus quoque morbus.

HVCVSQVE *de omni lateritio dolore sermonem fecisse videtur: nunc autem de eo qui propriè pleuritis. Est autem pleuritis exquisita, & propria inflammatio membranæ intrinsecus latera succingentis, dolorem pungitiuum vehementer inferens cum acutissima febre.*

Porrus cum pullo gallinaceo.

PORRVS *genere masculino vsurpat; sicut paulo post* cappari, *neutro. Est verò porrum ad omnia pectoris vitia efficax, multiplicique coctura vsui humano magis accommodum redditur, vt secundo libro diximus. Dioscorides, vti etiam Celsus, ptisanam in qua porrum incoctum sit, vitia pectoris sanare auctor est.*

Idque non nisi tertio.

SI *phlegmonem tantùm consideremus, triduana inedia non omnino inutilis erit: verùm quando (vt* x. Methodi *docet Galenus) vna salus tum pleuriticis, tum peripneumonicis, tum synanchicis, aut iecinore inflammatis sit virium robur, tantum cibi concedendum est, quantum viribus satis esse possit.*

In qua hyssopum.

SI *ferat tempus, ad incisionem non inutilis erit tum ruta, tum hyssopum: siquidem Galenus in Commento Aphorismi, concocta medicari & mouere, non cruda. in acutis etiam morbis, si detur occasio, decoctum tragorigani, hyssopi, origani, & similium non veretur exhibere. Exhibenda tamen maxima cum cautela sunt, ne videlicet acrimonia ipsorum, febrili calori fomes addatur.*

& strangulat.

HVIVS *rei causa est, vt libro* De ratione victus in morbis acutis *Hippocrates, quoniam priùs quàm dolor soluatur, pereunt; celeres siquidem fiunt respirationes: vnde viscosum & incoctum effectũ sputum, intùs retinetur;*

retinetur; quod intrò retentum est, prohibet aëris ad interna delationem, cogitque ipsam celeriter egredi: vnde cum difficultate spirandi, plerunque suffocatio aut strangulatio sequitur.

Ob quam causam.

IDEM *testatur libro De morbis tertio Hippocrates, atque siccæ pleuritidos causam recitat libro De locis in homine.*

Si in refectione.

SIC *Hippocrates libro De morbis, post balnea vinum dulce & aquosum bibendum dat, non frigidum, modicum ex angusti oris pocillo; & vbi tusses innaserint, amplius bibendum, & quammaximè screandum, & potu humectandum dicit, quò pulmo humidior factus, faciliùs ac citiùs sputum reddat, & tussis minùs affligat.*

Si malum inueterauerit.

NON *video quî in inueterato lateris dolore summè plenus victus (qualis athletarum est) conuenire possit, quando non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. Non negauerim tamen hîc paulo pleniorem victus rationem virium robur efflagitare, vt quæ nisi sustententur, violentæ ac longitudini morbi impares sint futuræ.*

CAPVT VII.

De viscerum morbis, & primò de Pulmone; deinde de Iocinore, tum de Liene, postremò de Renibus.

A COMPAGINE verò corporis ad viscera transeundum est, & in primis ad pulmonem veniendum, ex quo vehemens & acutus morbus oritur, quem peripneumonicum Græci vocant. Eius hæc condicio est. Pulmo totus afficitur, hunc eius casum subsequitur tussis, bilem vel pus trahens, præcordiorum, totiusque pectoris grauitas, spiritus difficultas, magnæ febres, continua vigilia, cibi fastidium, tabes. Id genus morbi plus periculi, quàm doloris habet. Oportet, si satis validæ vires sunt, sanguinem mittere: si minores, cucurbitulas sine ferro præcordiis admouere. Tum si satis valet, gestando ægrum, digerere: si parum, intra domum tamen dimouere. Potionem autẽ hyssopi dare, cui ficus arida sit incocta, aut aquam mulsam, in qua vel hyssopum vel ruta decocta sit. Frictione vti diutissimè in scapulis, proximè ab his in brachiis, & pedibus & cruribus, * leuiter contra pulmonẽ, idque bis quotidie facere. Quod ad cibum verò pertinet, huic nec salsis opus est, neque acribus, neque amaris, neque aluum astringentibus, sed paulo lenioribus. Ergo primis diebus danda est.

* leniter

da est sorbitio ptisanæ, vel alicæ, vel oryzæ, cum qua recens adeps cocta sit. Cum hac sorbile ouum, nuclei pinei ex melle, panis, vel elota alica, ex aqua mulsa: potui deinde non solùm pura aqua, sed etiam mulsa egelida: aut si æstas est, etiam frigida, nisi quid obstat. Hæc autem altero quoque die increscente morbo dare satis est. Vbi in incremento consistit, quantum res patitur, ab omnibus abstinendum est, præterquam aqua egelida. Si vires desunt, adiuuandæ sunt aqua mulsa, prosuntque aduersus dolores imposita calida fomenta, vel ea quæ simul & reprimunt & emolliunt. Prodest impositus super pectus sal bene contritus, cum cerato mistus, quia leuiter cutem erodit, eoque impetum materiæ, quo pulmo vexatur, euocat. Vtile etiam aliquod malagma est ex iis quæ materiam trahunt. Neque alienum est dum premit morbus, clausis fenestris ægrum continere. Vbi paulum leuatus est, ter aut quater die, fenestris aliquanto apertis, * parum aërem recipere. Deinde in refectione pluribus diebus à vino abstinere, gestatione, frictione vti, sorbitionibus, & prioribus cibis adiicere, ex oleribus porrum, ex carne vngulas, & summa * trunculorum, atque pisciculos, sic vt diu * nihil molle & lene sumatur.

Aqua mulsa.

* purum

* ventriculorum, *vel*, tyrunculorum,

* nihil nisi

Enarratio.

PERIPNEVMONIA, *ut ait Hippocrates, talia facit : febris acuta tenet, & spiritum frequentem, & calidum respirat, & anxietas adest, & impotentia, & iactatio, & dolor sub scapulis, & ad claviculam, & ad mammam, & grauitas in pectore est, & quandoque etiam delirium; quidam dolorem non sentiunt, donec tußire inceperint.*

Pulmo totus afficitur.

SIC *Herophilus peripneumoniam tumorem in toto pulmonis corpore definiuit : Soranus totum quidem corpus in pulmonia affici, pulmonem verò vehementiùs vexari dixit : Asclepiades bronchia tantùm : alij alias pulmonis partes læsas esse dicunt. Illud apud omnes in confesso est, non statim in peripneumonicis totum pulmonem occupari: neque enim verisimile est ex defluxu synanches in pulmones, etiamsi quammaximè iam confirmata sit pulmonia, totum pulmonem, sicuti hîc infert Celsus, affici.*

Id genus morbi.

NAM *si pellicula pulmonis, quæ cum thorace secundùm longitudinem ipsius sunt connexa, sint inflammatæ, dolorem percipiunt ægri, & surrecti sedere volunt; pulmo etenim cordi incumbens, suffocationem infert. alioqui peripneumonicos grauitas tantùm absque dolore consequitur.*

Oportet, si satis.

VTILIS, *si quod aliud remedium, (quanquam id negârit Asclepiades) phlebotomia, si nullum alium subsequatur morbum; ac tum quidem pro ægri viribus sanguis detrahendus est, etiam ex vtroque brachio. At si alios subsequatur morbos peripneumonia, aut si antequam in eam inciderint, phlebotomati fuerint, sanguinis missione alienius nihil est, quum periculum sit deliquij animi, cuius in omnibus inflammationibus maxima habenda est ratio.*

si minores, cucurbitulas.

LEVES *cucurbitæ, quas κουφὰς vocant, in omni morbi tempore tutò applicari possunt; reliquæ non nisi in remißione.*

etiam frigida.

FRIGIDAM *non concessero, quòd in omnibus inflammationibus, (vt præcedente capite diximus) actu frigidæ potiones inutiles sint, tanquam meatus obstipantes, impedientésque motum naturæ, vt quæ per poros insensilesque meatus materiam digerit, atque per sudores resolnit.*

Prosuntque aduersus dolores.

SIC *balneum peripneumoniæ non inutile (vt quod lateris, pectoris, dorsiq; dolores demulceat, & quod sputum maturet educátque, & spiritum facilem reddat) dicit in libro De ratione victus in morbis acutis* Hippocrates, *& fomentis lateritios dolores sedari auctor est.*

reprimunt & emolliunt.

LOCVS *hic mendosus esse videtur; neque enim quæ reprimunt, ex vsu aliquo modo esse possunt: quo fit vt* leniunt & emolliunt, *legere malim: atque eandem puto esse genuinam auctoris nostri lectionem; præsertim quando in fine huius capitis, sic viuendum dicit, vt diu nihil nisi lene & molle sumatur: nam & hic quoque (vt bene annotauit* Pantinus*) inserenda est dictio,* nisi, *in hunc modum:* sic vt diu nihil nisi molle & lene.

CAPVT VIII.

De iocinoris morbo, & curatione.

ALTERIVS quoque visceris morbus, id est, iocinoris, æquè modò longus, modò acutus esse consueuit, ἡπατικὸν Græci vocant. Dextra parte sub præcordiis vehemens dolor est, idemque ad latus dextrum, & ad iugulum, humerumque partis eiusdem peruenit, nonnunquam manus quoque dextra torquetur, horror * calidus est. Vbi malè est, bilis euomitur, interdum singultus propè strangulat. Et hæc quidem acuti morbi signa sunt: longioris verò, vbi suppuratio in iocinore est, dolorque modò finitur, modò intenditur: dextra parte præcordia dura sunt, & tument, post cibum maior difficultas est, accedit maxillarum quædam resolutio, vbi inueterauit malum, venter & crura pedesque intumescunt, pectus atque humeri, circaque iugulum vtrumque extenuatur. Initio sanguinem mittere optimum est, tum ven-

* validus.

ter soluendus est: si non potest aliter, per nigrum veratrum imponenda extrinsecus cataplasmata, primùm quæ reprimant, deinde calida quæ * deducant, quibus rectè iris vel absinthium adiicitur, post hæc malagma. Dandæ verò sorbitiones sunt, omnesque cibi & calidi, & qui non multum alant, & ferè qui pulmonis quoque dolori conueniunt, prætereque eos qui vrinam mouent, potionesque ad id efficaces. Vtilia in hoc morbo sunt thymum, satureia, hyssopum, nepeta, amylum, sisamum, lauri baccæ, * pini flos, herba sanguinalis, mentha, ex malo cotoneo medium, columbæ iecur recens & crudum. Ex quibus quædam per se esse, quædam adiicere vel sorbitioni, vel potioni licet, sic tamen vt parcè assumantur. Neque alienum est absinthium contritum ex melle, & pipere, eiusque catapotium quotidie deuorare: abstinendum vtique est ab omnibus frigidis: neque enim res vlla magis iecur lædit. Frictionibus vtendum in extremis partibus, vitandus omnis labor, omnis vehementior motus, ne spiritus quidem diutius continendus est. Ira, trepidatio, pondus, * ictus, cursus inimica sunt. Perfusio corporis multa prodest ex aqua: si hyems est, calida: si æstas, tepida. Item liberalis vnctio, & in balneo sudor. Si verò iecur vomica laborat, eadem facienda sunt, quæ in cæteris interioribus suppurationibus. Quidam etiam * contra id scalpello aperiunt, ipsam vomicam adurunt.

* diducãt, *i. digerant*,

* ligni

* iactui,

* vltra id s. a. i. v. *vel* adurunt.

ENARRATIO.

ἡπατικὸν Græci.

AFFECTIO *hepatica peculiariter appellata, citra tumores præter naturam circa ipsas partes contingit, inflammatum enim esse hepar, aut abscessu laborare, aut induratum esse, medici dicunt, aut aliud quippiam tale; non tamen hepaticum vocant hominem ipsum, cui tale quippiam accidit: verùm quando citra manifestum aliquod in viscere malum, in propriis actionibus debilitatur, tum hepaticum appellant ægrotum. Auctor est Galenus libro* VIII. *capite* VI.

De compositione medicamentorum secundum loca.

Dextra parte.

IECINORIS *inflammationem intelligit: in hac enim dextera parte sub præcordiis dolor est; idémque ad inguinum suprà, infrà ad spurias costas peruenit, eoque magis intenditur, si in gibba eiusdem parte inflammatio consistat; tum etenim vsqueadeò vehemens dolor est, vt conuelli æger videatur: quod voluisse Celsus videtur dum dicit* nonnunquam manus dextra torquetur.

quetur. *Contrà si in sinistra parte sit inflammatio, plus fastidij & nauseæ oborietur, & vomitiones biliosas, & vehementem sitim inducet.*

longioris verò.

LONGIOR *quidem morbus est iecinoris suppuratio, quàm eiusdem inflammatio, quum hæc in illam non rarò degeneret. Verùm non minus doloris aut periculi affert suppuratio, quàm inflammatio. Nam postquam inflammatio principium permutationis ad suppurationem iam suscepit, omnes ad vnum de inflammatione recensitæ accessiones augentur atque ingrauescunt, dolores, inquam, febres, delirium, cibi fastidium; & à rigoribus in totum febriles accessiones initium faciunt.*

dolorque modò finitur.

ISTHVC *ab hepatis suppuratione secludendum arbitror, annectendúmque iis quæ subsequuntur: atque ita graphicè scirrhum hepatis depinxerit; quippe si inueterauerit, aqua inter cutem protinus comitatur, & tota præcordia humiditate conteguntur.*

Initio sanguinem mittere.

MVLTITVDINEM *mittendi sanguinis metiri oportet ex corporis qualitate, ætate, viribus, regione, temporis constitutione, ac magnitudine morbi: nam si vires impares sunt vehementiæ morbi, partienda erit phlebotomia.*

primùm quæ reprimant.

IN *omnibus iecorariis medicamentis, tum quæ intrò sumuntur, tum quæ foris applicantur, obseruandum est, vt aliquid ex astringentibus admisceatur, quo firmitas & robur visceris conseruetur. auctor est Galenus libro* XIII. *Methodi medendi.*

qui vrinam mouent.

QVOTIES *enim caua iecoris pars affecta est, purgantia medicamenta; contrà si quando sima laborat, diuretica adhibenda sunt, vt docet ad Glauconem secundo Galenus.*

columbæ iecur.

LVPINO *id attribui video à Dioscoride, Galeno atque Aëtio; nusquam tamen, quod sciam, hoc elogio celebratum columbinum iecur, præterquàm apud Celsum, inuenio.*

abstinendum vtique.

HIC *locus rursum de actu frigidis intelligendus est: certum enim est multa potestate frigida iecinori esse accommodissima; quanquam & à vehementer refrigerantibus atque astringentibus omnino cauendum sit; præsertim si in cauo visceris phlegmone consistat, propterea quod arctant os meatus bilis, ac bilem ipsam excerni prohibent.*

Quidam etiam.

VIDE *sectionem septimam Aphorismorum, Aphorismis* XLIIII. *&* XLV.

CAPVT IX.

De lienis morbo, & curatione.

AT lienis vbi affectus est, intumescit, simulque cum eo pars sinistra, eaque dura est, & prementi renititur, venter intentus est, aliquis etiam cruribus est tumor. Vlcera aut omnino non sanescunt, aut certè cicatricem vix recipiunt. In intenta ambulatione, cursuque dolor, & quædam difficultas est. Hoc vitium quies auget. Itaque exercitatione & labore opus est, habita tamen ratione, ne febre mista, si ni-

mium processerit, excitetur. Vnctiones, frictionesque, & sudores necessarij sunt. Dulcia omnia inimica sunt. Item lac & caseus. Acida autem maximè conueniunt. Ergo acetum acre per se sorbere, & magis etiam, quod scilla conditum est, expedit. Edenda sunt salsamenta: vel oleæ ex muria dura,
* intybiq. ex eadem, & beta ex sin.
tinctæ in aceto lactucæ, * intubique & betæ ex eodem, ex sinapi asparagus, armoracia, pastinaca, vngulæ, rostra, aues macræ, eiusdem generis venatio. Potui verò ieiuno dari debet absinthium incoctum, at post cibum aqua à ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum sit. Hæc enim vel præcipuè lienem coërcet: quod animaduersum est in his animalibus, quæ apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Potest etiam dari vinum tenue, austerum, omniaque in cibis & potionibus quibus vrinæ mouendæ sunt, præcipueque ad id valet, vel trifolij semen, vel cuminum, vel apium, vel serpyllum, vel cythisus, vel portulaca, vel nepeta, vel thymum, vel hyssopum, vel satureia. Hæc enim inde commodissimè videntur humorem deducere. Lienis quoque bubulus vtiliter esui datur: præcipueque eruca & nasturtium lienem extenuant. Imponenda quoque extrinsecus sunt, quæ leuent. Fit ex vnguento & palmulis, quod μυροβά-
*cum quo, vel cui
λανον Græci vocant. Fit ex lini & nasturtij semine, * quo vinum & oleum adiicitur. Fit ex cupresso viridi, & arida ficu.
* è
Fit ex sinapi, cui seui hircini * à renibus quarta pars ponderis
*sole,
adiicitur, teriturque in * sale, & protinus imponitur. Multisque modis huic rei cappari aptum est. Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam eius cum aceto sorbere commodum est. Quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem eius cum furfuribus, aut ipsum cappari cum melle contritum imponere expedit. Malagmata quoque huic rei aptantur.

ENARRATIO.

intumescit.

SCIRRHOSI lienis signa sunt quæ hîc enarrat. Paulus vlcera in cruribus cicatricem non accipere auctor est: atque hoc idem confirmat Aëtius, quum dicit: Immedicabilia enim vlcera hoc modo affecti habebunt, maximè circa crura, & colorem corporis vitiatum ad nigredinem vergen-

vergentem. Huius loci qui pleniorem enarrationem desiderat, nostrum De sceletyrbe commentariolum consulat.

Itaque exercitatione.

PLVRIMVM *etenim fiduciæ in exercitamentis, vt ait Aëtius, ponendum, quibus ante cibum vti conuenit, corpore superfluitatibus non abundante. Ex eorum porrò genere ex superabundanti faciunt, deambulationes & cursus. & noui sanè aliquos, qui ex his solis ab omni affectione sunt liberati. Gestationes omnes conueniunt, præsertim quæ fiunt in equo: sic & oportunæ vociferationes, quas sub exercitij quoque nomine comprehensas volumus. Habenda tamen semper in exercitationibus ratio febris: siquidem si ea adsit, aut nihil aut leniter admodùm exercitandum est, ne agitatione atque concussione, febris irritetur augeaturq́ue.*

Ergo acetum acre.

ACETVM *contra Dioscoridem mixtæ esse facultatis dixit Galenus libro De simplicium medicamentorum facultatibus: ac proinde, cum in spleneticis opus sit attenuantibus pharmacis, citra manifestam tamen caliditatem, vt ne vehementiùs incrassescat succus crassus in ipso obturatus, acetum (vt quod mixtæ sit facultatis, nempe calidæ pariter & frigidæ) & quod tenuium sit partium, atque ex incidentium ordine, vltra quòd discutiat, existat; optimè indurato spleni tam per interiora sumptũ, quàm exteriùs applicatum conducet.*

at post cibum aqua.

IDEM *consulit Archigenes: verùm ita temperabat, vt non febrientibus cum vino; febricitantibus verò solam aquam daret: Paulus febre carentibus cum aceti & vini cyatho vno dat: Aëtius ferrum quod extinguitur, stomoma esse vult: atque sic quidem conuenientißimum spleni in scirrhum indurato, remedium esse dicit, gustúque non iniucundum.*

Lienis quoque bubulus.

RELIQVORVM *quidem viscerum, vt auctor est Galenus, lien est suauißimus; est enim in eo perspicua quædam acerbitas. meritò autem praui quoque succi esse creditur, vt qui sanguinem melancholicum generet: quare qua ratione bubulum lienem inter reliquos maximè melancholici succi prodesse dicat, nondum assequor; nisi id ex occulta proprietate, & analogia quadam tanquam amuletũ præstare asseueret: quemadmodum splenem catelli manducatum lienicos sanare dicunt; alij efficacißimè auxiliari contendunt splenis asinini torrefacti pauxillum quotidie ieiuno sumptum. Hic interim monendus mihi lector est, locum hunc non citra mendi suspicionem esse, legendúmque* lien quoque bubulus his vtiliter esui datur: *neque enim vsquam præterquam hìc, in nominandi casu τὸ* lienis *me legisse memini, nisi apud Au. Gellium lib. 3. vbi sic habet: Si iecur aut lienis sit affectus. quanquam & illic syllaba is adiecta videri poßit.*

Fit ex vnguento.

BENE *annotauit Pantinus hìc mendum esse, substituendúmque* ex vnguentariis glandibus quas μυροβαλάνους Græci vocant.

cappari.

NON *solùm fructus, sed & eiusdem cortex: nam vltra quòd dissecat & expurgat, etiam lienem corroborat.*

CAPVT X.

De renum morbis, & curationibus.

AT renes vbi affecti sunt, diu malè habent. Peius est, si frequens biliosus vomitus accedit. Oportet conquiescere, cubare molliter, soluere aluum, si aliter non respondet, etiam

etiam ducere: sæpe desidere in aqua calida, neque cibum, neque potionem frigidam assumere, abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis * pomis, bibere liberaliter, adiicere modò cibo, modò potioni piper, porrum, ferulam, album papauer. Quæ maximè inde vrinam mouere consuerunt. Auxilio quoque his exulceratæ sunt, si * adhuc vlcera purganda sunt, cucumeris semina detractis corticibus sexaginta, nuclei ex pinu syluestri duodecim, anisi, quod tribus digitis sumi possit, croci paulum, contrita, & in duas mulsi potiones diuisa. Si verò dolor tantùm leuandus est, eiusdem cucumeris semina triginta, iidem nuclei viginti, nuces Græcæ quinque, croci paululum, contrita & cum lacte potui data, * ac insuper quoque rectè quædam malagmata iniiciuntur, maximeque ea, quæ humori extrahendo sunt.

* potius, *al.* acidis, pomis,

* ad hæc

* at super

ENARRATIO.

Quatvor renales morbos libro De internis affectionibus describit Hippocrates, quorum priores primo hoc §. comprehendisse videtur; atque eorundem inflammationem subaudit, quum dicit peius est. *nam etiamsi quammaximè lithiasis grauissimos dolores inferat, atque in longum protrahatur, vitámque morte frequenter permutet; iure tamen peius, hoc est, periculosius est, quoties renes aut inflammentur, aut suppurentur: nam præterquam quòd grauissimas accessiones faciant, citò etiam, vt omnis phlegmone, dubium ancepsque periculum minatur.*

Oportet conquiescere.

Qvies in omnibus renum affectibus maximè laudatur: nam agitatione aut exercitiis crudi humores ad ipsos facilè transmitterentur.

cubare molliter.

Idem suadet Trallianus, qui culcitram deplumem in inflammatione renum plurimum obesse dicit. Ego tamen, si mollicies omnino admittenda sit, culcitram lanugine gossypij infartam, potiùs quàm plumis turgidam laudauero, quòd mollis lectus calorem, atque adeò inflammationem renum augere soleat.

sæpe desidere.

Evocat enim humores ad exteriora, & meatus laxiores reddit; tum & ipsam inflammationem mitigat.

bibere liberaliter.

Qvam conueniat liberalis aut copiosa potio, indicent alij; mihi certè placere non potest.

piper.

Si singula per se obtuleris, nocebis; sin ex omnibus simul mixtis pharmacum componas, accommodatissimum remedium efficies: nam & dolores mitigabit, & materiam à loco affecto per lotium expurgabit.

CAPVT XI.

De intestinorum morbis, & primò de Cholera.

A VISCERIBVS ad intestina veniendum est, quæ sunt & acutis, & longis morbis obnoxia. * Primò æquè facienda mentio est choleræ, quia commune id stomachi, atque intestinorum vitium videri potest. Nam simul & deiectio, & vomitus est, præterque hæc inflatio est, intestina torquentur, bilis suprà infraque erumpit, primùm aquæ similis, deinde vt in ea recens caro lota esse videatur, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia. Ergo eo nomine morbum hunc χολέραν Græci nominarunt. Præter ea verò quæ suprà comprehensa sunt, sæpe etiam crura manusque contrahuntur, vrget sitis, anima deficit: quibus concurrentibus non mirum est, si subitò quis moritur. Neque tamen vlli morbo minori momento succurritur. Protinus ergo vbi ista cœperunt, aquæ tepidæ quàm plurimum bibere oportet, & vomere. Vix vnquam sine vomitu sequitur, sed etiam si non incidit, miscuisse tamen nouam materiam corruptæ prodest, parsque sanitatis est vomitum esse suppressum: si id incidit, protinus ab omni potione abstinendum est. Si verò tormina sunt, oportet frigidis & humidis fomentis stomachum fouere: sed si venter dolet, iisdem egelidis, sic vt venter ipse mediocriter calentibus iuuetur. Quòd si vehementer & vomitus, & deiectio, & sitis vexant, & adhuc subcruda sunt quæ vomuntur, nondum vino maturum tempus est, aqua, neque ea ipsa frigida, sed potius egelida danda est, admouendumque naribus est pulegium ex aceto, vel polenta vino aspersa, vel mentha, si nondum matura est. At cùm discussa cruditas est, tum magis verendum est, ne anima deficiat. Ergo tum confugiendum est ad vinum. Id esse oportet tenue, odoratum, cum aqua frigida mistum, vel polenta adiecta, vel melle quoque assumere expedit, quotiesque aliquid aut stomachus, aut venter effudit, toties per hæc vires restituere. Erasistratus primò tribus vini guttis, aut quinis aspergendam potionem

* Primoque fac.

* sic ab
* metus

esse dixit, deinde paulatim merum adiiciendum. Is * si & ab initio vinum dedit, & * metum cruditatis secutus est, non sine caussa fecit. Si vehementem infirmitatem adiuuari posse tribus guttis putauit, errauit. At si inanis est homo, & crura eius contrahuntur, interponenda potio absinthii est. Si extremæ partes corporis frigent, vngendæ sunt calido oleo, cui ceræ paulum sit adiectum, calidisque fomentis nutriendæ. Si ne sub his quidem quies facta est, extrinsecus contra ventriculum ipsum cucurbitula admouenda est, aut sinapi supèr imponendum. Vbi his constitit, dormire oportet, postero die vtique à potione abstinere, die tertio in balneum ire, paulatim se cibo reficere* : somno, quisquis facilè acquiescit, itemque lassitudine, & frigore. Si post suppressam choleram febricula manet, aluum duci necessarium est, tum cibis, vinoque vtendum est, sed hic quidem morbus & acutus est, & inter intestina, stomachumque versatur, sic vt cuius potissimum partis sit, non facilè dici possit.

*, somnoq. qui fac. acquiescit, vitataque lass.

ENARRATIO.

DVBIVM admodùm est, quis locus primariò affectus sit in cholericis: siquidem Celsus vitium commune stomacho & intestinis dicit, quòd per superiora æquè ac inferiora fiat excretio: Paulus id negat, ac solius ventriculi immodicam perturbationem suprà infráque erumpentem esse dicit: alij primariò affici dicunt stomachum, ventrem, & intestina, aliáque omnia corporis membra iisdem consentire: Galenus libro De *causis symptomatum vltimo, ventriculum quidem primariò, stomachum verò propriè dictum, ac ianitorem, vel pylorum secundariò affici docet, expultrice facultate humorum mordacitate irritata: nam quantumuis intestina torminibus vexari contingat, ideò non statim intestinorum morbus dicendus erit, quando eadem non in principio, sed vbi iam constiterit morbus, primùm inuadant.*

Primùm aquæ similis.

QVI paulo exactiùs cholericorum vomitiones perpenderunt, eo ordine easdem ferri prodiderunt, ita vt primò corrupti cibi sicut frequenter occurrit, & humoris atque flauæ bilis vomitio fiat: dehinc vitellis ouorum similis, tunc prasij atque æruginosi; ac vltimò etiam nigri, quæ ventris turbatio cum dolore, & fecibus vomitioni non dissimilibus, subsequuntur. Quòd si increscat paßio, loturæ carnis similis, spumosa etiam & albicans erit egestio.

Ergo eo nomine.

SIC Galenus libro Methodi Therapen*ticæ secundo, Sæpè, inquit, à causa putata, morbi denominationem sortiti sunt, vt μελαγχολία omnibus; χολέρα his qui à Cnido medicis.* Alexander Trallianus *id reprehendit: Siquidem nemo, inquit, credat, χολέραν appellari à Græcis, ob bilis, vt vulgus pu-*

gus putat, abundantiam, & χολερικὰ nominari biliosa; sed à multo materiæ biliosæ fluxu, qui per inferna & superna fit, hoc est intestina & ventrem & os. Prisci namque Græci χολάδας intestina laxiora, quòd in eis χολὴ fundatur, appellabant, & hinc affectum hunc cholericum nominant. Hesichius ita definiuit: χολέρα ἐστὶ ἔκκρισις κάτωθεν διὰ γαστέρος, καὶ ἄνωθεν διὰ στόματος ἐμετός: hoc est, Cholera est per inferna deiectio, supráque per os vomitus.

non mirum est.

EST enim cholera, vt sentit Theodorus Priscianus, omnibus acutis passionibus velocior: & Galenus commento XII. Aphor. sectione prima, anginam & cholerã, & neruorum distentionem peracutos morbos nominat.

& vomere.

NIHIL enim alienius est, vt docet Aëtius, quàm ea quæ efferuntur in principio, aut coacernatim velle cohibere: nam quum inutilia sint, opus habent euacuatione: quare quando per se facilè sequantur, & æger ipse nauseabundus sit, motum naturæ promouere studebimus, egelidámque aquam bibendam dabimus, canentes interim à mulsa, aut hydrelæo, quòd hoc fluxiones augeat, illa verò mordacitatem operetur, & torsiones augmentet.

parsque sanitatis est.

VERUM quidem est si humor noxius aliqua ex parte expurgatus sit: nam alioqui periculum esset, ne grauiores accessiones pareret.

aqua.

IDEM suadet Aëtius, qui frigidæ quidem cyathum bibendum dat; sed interim cauendum dicit, ne nimis frigida sit: quare egelidam, hoc est eam quæ tepidâ frigidior sit, tanquam stomachi confortatiuam dandam tradit Celsus.

vel mentha.

VARIANT hîc exemplaria: Pinzanum enim non omnino malè, vel mentha secundum naturam est: alij vel mentha quæ nondum matura est, legunt. quod qua ratione fecerit nescio: nam neque Dioscorides, neque alius quisquam, quod sciam, præter Celsum nostrum, vsquam immaturæ menthæ eam facultatem tribuit, nisi quòd libro III. capite XXXV. idem ternos menthæ ramulos cum acidi granati succo potos, vomitiones cholerásque sedare, stomachóque per se vtilem dicat.

Id esse oportet tenue.

QVALE est quod austerum, & mediocriter astringens est, neque viribus validum: atque ob id Aëtius, contrà quàm Celsus, odorum vinum suspectum habet.

Erasistratus primò.

ERASISTRATVS hic, vt auctor est Cælius Methodicus, si sitis, & animi defectio coëgerant, vino potabat Lesbio cum aqua frigida: verùm in aquæ cyatho vini guttas duas aut tres ad summum admiscendas iubens, Vt solum, inquit, odorem vini aqua habere videatur. atque hoc bibendum post singulos imperat vomitus, & post singulas ventris effusiones; siq; febres irruerint, plus aquæ admiscendum contendit.

vngendæ calido oleo.

QVALE est sicyoninum, irinum; aut castoreum.

cucurbitula admouenda.

EA enim tanquam incantamentum quoppiam, vt docet Galenus, fluxum compescit: & si diutiùs adhæreat, concoctionem adiuuabit, vt auctor est Trallianus.

Vbi his constitit.

LOCVS hic parua dictionum metathesi sic restituendus videtur, quòd alioqui, meo quidem iudicio, sensus non constet: vbi is constitit, dormire oportet; postero die vtique à potione abstinere, itemque lassitudine, & frigore: die tertio in balneum ire, paulatim se cibo reficere, somno quisquis facilè acquiescit, &c.

CAPVT XII.

De Cœliaco ventriculi morbo.

IN ipsius verò ventriculi porta consistit is qui & longus esse consueuit, κοιλιακὸς à Græcis * nominatur. Sub hoc venter indurescit, dolorque eius est. Aluus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit. Extremæ partes frigescunt. Difficulter spiritus redditur. Commodissimum est inter initia calida cataplasmata toto ventri imponere, vt dolorem leniant, post cibum vomere, atque ita ventrem exinanire. Proximis deinde diebus cucurbitulas sine ferro ventri, & coxis admouere. Ventrem ipsum liquare dato lacte, & vino salso frigido. Si tempus anni patitur, etiam viridibus ficis, sic tamen, ne quis aut cibus aut humor * vniuersus detur, sed paulatim. Ergo per interualla temporis sat est cyathos binos ternósve sumere, & cibum * pro portione huius: commodeque facit cyatho lactis cyathus aquæ mistus, & sic datus. Cibique inflantes, & acres vtiliores sunt, adeo vt lacti quoque rectè contritum allium adiiciatur. Procedente verò tempore opus est gestari, maximeque nauigare, perfricari ter aut quater die, sic vt nitrum oleo misceatur, perfundi aqua calida post cibum, deinde sinapi imponere per omnia membra, excepto capite, donec * arrodatur & rubeat, maximeque si corpus durum & virile est, paulatim deinde faciendus est transitus ad ea, quæ ventrem comprimunt. Assa caro danda, valens, & quæ non facilè corrumpatur: potui verò pluuialis aqua decocta, sed quæ per binos ternósve cyathos bibatur. Si vetus vitium est, oportet laser quàm optimum ad piperis magnitudinem deuorare, altero quoque die vinum, vel aquam bibere, interdum interposito cibo singulos vini cyathos sorbere, ex inferiori parte infundere pluuialem egelidam aquam, maximeque si dolor in imis partibus remanet.

* nominatus.
* vniuersim
* proportione
* arrodantur & rubeant,

ENARRATIO.

DVM ea quæ Celsus noster de cœliaca passione scribit, cum iis quæ aut Græci, aut Latini posteritati reliquerunt, confero; videtur mihi alium longè affectum quàm ij sub cœliaci nomine intellexisse; adeò vt Alex. Benedictus distinctionem quandam comminisci coactus fuerit, duásque diuersas cœliacas statuere: Nam quem Celsus ventriculi portæ (pyloron vocant) morbum esse dicit, alij quotquot sunt, simpliciter ventriculi morbum esse asserunt, adeò vt Græci vno ore omnes ἀπὸ τῆς κοιλίας, Latini cōtrà, vt sunt Plinius Secundus, & Cælius Methodicus, à ventre, vtpote parte corporis quæ patitur ventriculosam passionem, nominant: dicuntq́; quemadmodum ante alios testatur Aretæus, fieri ob concoquentis caloris imbecillitatem, frigúsque ventriculi; atque adeò vitium esse concoctionis & digestionis; vnde contingat ea quæ per os assumuntur, non probè confici nec distribui; verùm per aluum cōtinuè deiici, colore, odore & consistentia in prauum mutata: ea siquidem quæ egeruntur, aliquando fœtida sunt, cum animi deliquij sensu; aliquando versicoloria, & instar lutei sanguinis, idq́; in extremo vitæ periculo: quæ aliquando subsequuntur, vt auctor est Trallianus, στρόφοι seu torsiones circa vmbilicum. Quod fortè transuersum egit Celsum nostrum, vt dum ventris torsionem, & tensionem nonnunquam morbum subsequi intelligeret, inferret etiam distento ventre flatu, nihil egeri, ac nec spiritum ipsum commodè reddi, confundens, sicuti ego coniicere possum, cœliacam cum borborismo seu rugitu intestinorum.

Commodissimum est.

ALII actu calida cataplasmata suspecta habent, atque eadem tepida adhibenda dicunt, fereq́; aliqua quæ astringunt miscent.

post cibum vomere.

ALIQVANDO, inquit Aëtius, larga potione vtendum est, ægérque ad reuomendum cogendus, maximè si humores in ventre collectos percipiamus: mirabiliter enim vomitus efficaces sunt, tam à cena, quàm à ieiunio facti; nimirum quæ corrupta sunt euacuantes, & quæ ad intestina delapsa sunt, attrahentes, & conuertentes, ac proprias ventris actiones reuocantes. Et si recens morbus sit, vitiosisq́; humoribus corpus abundet, leni purgatione iidem expurgandi sunt, præcauendumq́; ne regenerentur.

Ventrem ipsum.

ISTHVC quàm sit ex vsu, nescio: siquidem si serosi atque acres humores tunicis ventriculi infarti fuerint, aut si astrictior sit aluus, vt inferre videtur Celsus, lacte nequaquam liquabimus aluum, ni pro lacte serum lactis intelligamus. Non negauerim tamen lactis potum plurimum facere in his qui cum mordacitate ventris fluxionibus infestantur; præsertim si in principio calidum ac recens mulctum exhibeatur, ac deinceps ad medietatem, aut ad tertias decoctu; ita enim non in cœliacis modò, sed & in omnibus fluxibus redditur accōmodum.

etiam viridibus ficis.

VT inutiles omnino reiiciendæ sunt, quando & flatulentæ sint, & stomacho alienæ.

sic tamen.

COPIA enim fluxionibus inimicissima est.

Cibique inflantes.

ET hi quoque cœliacis non conueniunt quòd stomachum repleant morbúmque augeant.

perfricari ter aut quater.

POST exercitia fricatio simplex adhibenda est, ac maximè perfricandus venter est. Calidæ perfusionem vituperat Aëtius, nisi ad lassitudinis, aut alterius rei medelam ea vtamur.

CAPVT XIII.

De tenuioris inteſtini morbo.*

* & pleníoris int.

INTER ipſa verò inteſtina conſiſtunt duo morbi, quorum alter in tenuiore, alter in pleniore inteſtino eſt. Prior acutus eſt. Inſequens eſſe longus poteſt. Diocles Caryſtius tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν nominauit. A pleriſque video nunc illum priorem εἰλεὸν, hunc *χόρδιον nominari. Sed prior modò ſupra vmbilicum, modò ſub vmbilico dolorem mouet. Fit* ex alterutro loco inflammatio, nec aluus, nec ſpiritus infrà tranſmittitur. Si ſuperior pars affecta eſt, cibus: ſi inferior, ſtercus per os redditur: ſi vtrumlibet vetus eſt, adiicitur periculo vomitus bilioſus, mali odoris, aut varius, aut niger. Remedium eſt ſanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admouere, non vbique cute inciſa. Id enim duobus aut tribus locis ſatis eſt. Ex cæteris ſpiritum euocare, abunde eſt. Tum animaduertere oportet, quo loco malum ſit. Solet enim contra id tumere. Et ſi ſupra vmbilicum eſt, alui ductio vtilis non eſt. Si infra eſt, aluum ducere (vt Eraſiſtrato placuit) optimum eſt, & ſæpe id auxilii ſatis eſt. Ducitur autem percolato ptiſanæ cremore cum oleo & melle, ſic vt præter ea nihil adiiciatur. Si nihil tumet, duas manus imponere oportet, ſupra ſummum ventrem, paulatimque deducere. Inuenietur enim mali locus qui neceſſe eſt renitatur, & ex eodem deliberari poterit, ducenda néc ne aluus ſit. Illa communia ſunt, calida cataplaſmata admouere, eaque imponere à mammis vſque ad inguina & ſpinam, ac ſæpe mutare: brachia cruraque perfricare, demittere totum hominem in calidum oleum. Si dolor non quieſcit, etiam in aluum ex parte inferiore tres, aut quatuor cyathos calidi olei dare. Vbi per hæc conſecuti ſumus, vt iam ex inferiore parte ſpiritus tranſmittatur, offerre potui mulſum tepidum non multum. Nam antè magna cura vitandum eſt, ne quid bibat. Si id commodè ceſſit, adiicere ſorbitionem. Vbi dolor & febricula quierunt, tum demum

* κωλικὸν

* in

mum vti cibo pleniore, ſed neque inflante, neque duro, neque valido, ne inteſtina adhuc imbecilla lædantur, potui verò nihil præterquàm puram * aquam. Nam ſiue quid vinolentum, ſiue acidum eſt, id huic morbo alienum eſt. Ac poſtea quoque vitare oportet balneum, ambulationem, geſtationem, cæteroſque corporis motus. Nam facilè id malum redire conſueuit, & ſiue cùm frigus ſubit, ſiue aliqua iactatio, niſi bene iam confirmatis inteſtinis, reuertitur.

* aq. offerre.

ENARRATIO.

Eἰλεὸς, à ſymptωmate, vt ſecundo Methodi auctor eſt Galenus, nomen ſumpſit: nam εἰλέω verbum Græcum, Latinè idem quod voluo ſignificat; inde εἰλεὸς, quaſi circumuolutus, quando ægris dolor circumuolutus accedit: hunc Latini volulum nominant, Celſus inteſtini tenuioris morbum dicere maluit: Cælius Siccenſis, acutum tormentum appellat, quòd in eo torqueantur inteſtina. Salimachus ait quoſdam Pythagoricos medicos φραγμὸν vocitaſſe, quòd obtuſis naturalibus ventris officiis fiat.

χόρδαψον.

QVOTIES *nimirum tumor aliquis eminet in tenuiorum inteſtinorum parte, vt videatur inteſtinum ad chordæ ſimilitudinem conuolutum: nam & priſci Græci, vt auctor eſt Cælius, inteſtina chordas vocauerunt.*

ſtercus per os redditur.

RATIONEM *huius reddit Galenus libro* III. *De natural. facultat. dicit enim, ipſum quod phlegmone laborat inteſtinum, nec pondus nec acrimoniam tolerat excrementorum, eóque excernere, expelleréque ea quàm longiſſimè à ſe nititur, prohibitum verò deorſum perſequi, quum ſcilicet hoc loco grauiſſima pars phlegmones fuerit, in proxima ſuprapoſitorum inteſtinorum retrudit, itaque iam excretricis facultatis momento per continuum inteſtinum ſurſum verſo, excrementa ſurſum aſſcendunt: à quo affectu, vt ſexto De locis affectis, vix vnquam aliquis potuit ſanus euadere.*

adiicitur periculo.

HIPPOCRATES *ſectione ſeptima Aphoriſmorum, Apho. x. Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio, aut delirium, malum portendit; quòd, vt in Commento ait Galenus, ilioſis vomitus ſemper non adſit, ſed tum demum quando exitiales ſunt, & vehementer diſtorquentur.*

Remedium eſt.

SI *quidem inflammatio ſit, hîc, vt in omnibus inflammationibus, à ſanguinis miſſione auſpicandum erit: at ſi à crudis craſſiſque humoribus fiat, tum à vomitione, aut purgatione per inferiora iniectis aut enematibus, aut inditis glandibus incipiendũ eſt.*

Si dolor non quieſcit.

NON *fuerit inutile ſi in eodem aliquid fœnugræci, ſeminis lini, aut radicem althææ cum modico aquæ, ad aquæ conſumptionem decoquamus.*

vt iam ex inferiore.

VIDENDVM *tamen eſt, inodorus ſit nec ne: nam ſi per podicem redditus ventus odorem tetrum præ ſe ferat, ſalutem ac morbi ſolutionem portendit; ſin abſque tetro odore reddatur, pernicioſum valdè eſt.*

potui verò nihil præterquàm puram aquam.

CVR *præter aquam puram nihil concedat,*

cedat, dubito: nam etsi ad arcendam inflammationem utilis aquæ potio sit, periculum tamen est, ne cruditati materiam suppeditet, quæ voluuli caußa non rarò existit: quare aut ὀλιγοφόρον, aut dilutum alioqui vinum potiùs pro ratione temporis exhibuero.

CAPVT XIIII.

De morbo intestini plenioris.

Is autem morbus, qui in intestino pleniore est, in ea maxi-
* fit infl. mè parte est, quam cæcam esse proposui. Vehemens * in-
flatio, vehementes dolores dextra magis parte, intestinum
quod verti videtur, prope spiritum elidit. In plerisque post
frigora, cruditatesque oritur, deinde quiescit, & per ætatem
sæpe repetens, sic cruciat, vt vitæ spatio nihil demat. Vbi is
dolor cœpit, admouere sicca & calida fomenta oportet, sed
primò lenta, deinde validiora, simulque frictiones, ad extre-
mas partes, id est, crura, brachiaque materiam reuocare. Si
discussum non est, qua dolet cucurbitulas sine ferro defigere.
Est etiam medicamentum eius rei caussa comparatum, quod
κωλικὸν nominatur. Id se reperisse Cassius gloriabatur. Ma-
gis prodest potui datum, sed impositum quoque extrinsecus,
digerendo spiritum, dolorem leuat. Nisi finito verò tormen-
to, rectè neque cibus neque potio assumitur. Quo victu sit
* iis qui vtendum *, qui hoc genere tentantur, iam mihi dictum est.
Confectio medicamenti, quod κωλικὸν nominatur, ex his
constat: Costi, anesi, castorei, singulorum P. denariorum
III. ✳. petroselini P. denariorum III. piperis longi, & rotun-
* III. di, singulorum P. ✳. * II. papaueris lacrymæ, iunci rotundi,
* I. myrrhæ, nardi, singulorum P. * VI. ✳. quæ melle excipiun-
tur. id autem & deuorari potest, & ex aqua calida sumi.

ENARRATIO.

COLON, inquit Paulus, craßioris intestini pars est: in dextra iliorum parte collocatur, & in sinistram defertur in zonæ modum. in hoc vehementißimi dolores fiunt, vt primo, secundo, & sexto De locis affectis testatur Galenus, adeò vt ob doloris vehementiam Sammonicus, colon inuisum morbi genus non veritus sit dicere.

Vbi is dolor cœpit.

NON *semper à fomentis auspicandum est; sed modò à sanguinis mißione, modò à*

pharmaci

pharmaci ſumptione, ſicuti etiam non rarò à clyſterum infuſione: dicit enim Galenus libro De *locis affectis primo, ſe quoties mordax humor ad affecti inteſtini tunicas defluxiſſet, medicamento quod ex aloë ſit dato colicos ſæpenumerò curaſſe.*

cucurbitulas ſine ferro.

POTISSIMVM *ſi à ſpiritu flatulento concitatus dolor fuerit: nam, ut iam antè ex* Galeno *libro* XII. *therap. methodi retulimus, propriam quandam curationem ſortitus eſt hic dolor, ex cucurbitula cum flamma copioſa, ſubinde admota: videtúrque tibi, ut inquit, præſidium hoc in eiuſmodi affectibus, incantamenti cuiuſdam ſimile quid efficere, ſiue in inteſtinis, ſiue in quauis corporis parte excitetur.*

rectè neque cibus neque.

ID *enim unicè cauendum monet* Paulus, *ut & ſatietas & cruditas uitetur.*

Confectio medicamenti.

GALENVS *libro* De *compoſitione medicamentorum localium, duo pharmaca colica* Caßio *aſſcripta parùm cum hac* Celſi *confectione conuenientia deſcribit.* Scribonius Largus *capite* CXX. *colicen* Caßij *quam ab eius ſeruo* Atimeto *ſe accepiſſe teſtatur, à ſecunda* Galeni *non omnino diſſimilem deſcribit:* Recipit *autem Apij ſeminis p°. ſelibram, aneſi p°. quadrantem, ſpicæ nardi indicæ p°. ſextantem, opij p°. quadrantem, croci p°. ſeſcunciam, piperis longi p°. ſextantem, piperis nigri pondo ſextantē, ſchœni p°. ſeſcunciam. hæc omnia contuſa cribrata melle Attico decocta miſcentur.* Datur, *inquit, ex hoc medicamento quantū nux auellana media patet ex aquæ calidæ cyathis tribus:* Galenus *nucis ponticæ magnitudine ex aqua calida totidem cyathis exhibet.*

CAPVT XV.

De Torminibus, id eſt, δυσεντερία.

PROXIMA his inter inteſtinorum mala, tormina eſſe conſueuerunt, δυσεντερία Græcè vocatur, intus inteſtina exulcerantur. Ex his cruor manat. Iſque modò cum ſtercore aliquo ſemper liquido, modò cum quibuſdam quaſi mucoſis excernitur, interdum ſimul quædam carnoſa deſcendunt. Frequens deiiciendi cupiditas, dolorque in ano eſt. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur. Atque eo quoque tormentum intenditur. Idque poſt tempus aliquod leuatur, exiguaque requies eſt, ſomnus interpellatur, febricula oritur, longoque tempore id malum cùm inueterauerit, aut tollit hominem, aut etiam (ſi finitur) excruciat. Oportet in primis conquieſcere. Siquidem omnis agitatio exulcerat, deinde ieiunum ſorbere vini cyathum, cui cōtrita radix quinquefolij ſit adiecta, imponere cataplaſmata ſuper ventrem, quæ reprimunt, quod in ſuperioribus ventris morbis non expedit, quotieſque deſidit, ſubluere aqua calida, in qua decoctæ ver-

benæ ſint, portulacam vel coctam, vel ex dura muria ediſſ, cibos, potioneſque eas, quæ aſtringunt aluum. Si vetuſtior morbus eſt, inferioribus partibus tepidum infundere, vel ptiſanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam ceruinam, vel oleum, vel cum roſa butyrum, vel cum eadem album crudum ex ouis, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit: vel ſi ſomnus non accedit, vitellos cum aqua, in qua roſæ floris folia cocta ſint. Leuant enim dolorem hæc, & mitiora vlcera efficiunt, maximeque vtilia ſunt, ſi cibi quoque ſecutum faſtidium eſt. Themiſon muria dura quàm aſperrima ſic vtendum memoriæ prodidit. Cibi verò eſſe debent, qui leniter ventrem *diſtringant & ea quæ vrinam moueant. Si ea conſecuta ſunt, in aliam partem humorem auertendo, proſunt: ſi non ſunt conſecuta, noxam augent. Itaque niſi in quibus promptè id facere conſueuerunt, non ſunt adhibenda. Potui ſi febricula eſt, aqua pura calida, vel ea quæ ipſa quoque aſtringat, dari debet: ſi non eſt, vinum lene, auſterum. Si pluribus diebus nihil remedia * alia iuuerunt, vetuſque iam vitium eſt, aquæ bene frigidæ potio aſſumpta vlcera aſtringit, & initium ſecundæ valetudinis facit. Sed vbi venter ſuppreſſus eſt, protinus ad calidam potionem reuertendum eſt. Solet autem interdum etiam putris ſanies peſſimique odoris deſcendere, ſolet * purus ſanguis profluere. Si ſuperius vitium eſt, aluus aqua mulſa duci debet, tunc deinde eodem infundi, quæ ſuprà comprehenſa ſunt. Valenſque eſt etiam aduerſus * vlcera inteſtinorum minij gleba, cum ſalis hemina contrita. * Si minus, miſta his aqua in aluum *datur. Ac ſi ſanguis profluit, cibi potioneſque eſſe debent, quæ aſtringant.

* aſtringant. At e.q.v. moueant, ſi id conſ.
* illa
* & p. ſ. interdũ proflu.
* cancerē
* Sin
* indatur.

ENARRATIO.

DYSENTERIA, *aut, ſicuti Celſus & Plinius Latinè reddiderunt, tormina, nihil aliud eſt quàm inteſtinorum exulceratio: Cælius Aurelianus inteſtinorũ rheumatiſmum cum exulceratione eſſe dicit. Aëtius verò, Dyſenteria, inquit, propriè exulceratio eſt inteſtinorum ſerpendo depaſcens.*

Iſque modò.

GALENVS *De locis patientibus primo, ex fecum varietate locum affectum diudicat:*

eat: Siquidem infimarum partium vlcera, inquit, nullas omnino notas habent alui excrementis admixtas: earum verò partium quæ altiùs collocatæ ſunt vlcera, mixtas quidem cum ſtercore habent notas, ſed id leuiter dumtaxat, quemadmodum ſi multò ſint altiores, vehementior erit mixtura, præcipuè in ſupremis inteſtinis, vlceris notæ vehementer ſtercori videntur admixtæ. Aëtius ab excrementis morbi magnitudinem diiudicat: nam quum ſuperficies inteſtinorum fuerit denudata, exulceratióque ſupernè conſiſtit, fœculenta ac cruenta, bilioſáque excernuntur: vbi autem altiùs penetrârit vlceratio, etiam ſordes pelliculas admixtas habentes expelluntur: & ſi non celeriter cohibeatur, compendio vicinos locos depaſcitur; ſanioſa verò quædam excernuntur, qualia ab occiſorum corporibus effluere conſueuerunt.

longoque tempore.

HIPPOCRATES *libro De affectionibus, Fit, inquit, hic morbus, & laborioſus, ac lethalis, & ſi quidem robuſto adhuc corpore curetur, ſpes eſt fugæ: ſi verò colliquato iam, & ventre omnino exulcerato, nulla vitæ ſpes ſupereſt.*

Oportet in primis.

ID *rectè, ſi quid aliud, mea quidem ſententia, præcipit Celſus, quantumuis Hippocrates libro tertio De diæta, curſibus pluribus & luctis, & deambulationibus vtendum dicat, tum ab exercitiis, tum manè.*

imponere cataplaſmata.

SVNT *qui id vituperent, quòd obſtructis poris naturæ motus præpediatur, atque adeò quòd ſi quid humoris in venis contentum ſit, per reprimentia ventri applicata ad inteſtina regurgitet, atque per conſequens morbum fluxúmque augeat.*

ex dura muria.

QVOMODO *dura muria fiat, docet Columella De re ruſtica libro* XII. *cap.* VI. *dura autem ob id dicta videtur, non quòd conſiſtentia dura ſit, ſed quòd aqua in ſalem energiam aut vim ſuam ampliùs exercere non poteſt, ac quòd hæc pota dyſenteriis conueniat. Docet præter Celſum Paulus Ægineta, & Dioſcorides, ſicuti & Themiſon quoque per inferna hiſdem commodè infundi auctor eſt: Galenus tamen id ſuſpectum habet libro* XII. *Methodi.*

& ea quæ vrinam.

ADHIBENDA *aliqua ſunt quæ modicè aſtringunt: ne ſi fortè non ſuccedat vrinæ excretio, recrudeſcat malum.*

Solet autem interdum

GALENVS *cruentam dyſenteriam nominat, ac iecinoris, non inteſtinorum, accidens eſſe dicit libro* II. *& ſexto De locis affectis.*

minij gleba.

HERMOLAVS *Barbarus Lemnium ſigillum hoc loco intelligit, quem quidam bolum Armenum eſſe volunt. vide commentaria Matthioli in Dioſcoridem.*

CAPVT XVI.

De læuitate inteſtinorum.

Ex torminibus interdum inteſtinorum læuitas oritur, quæ continere nihil poſſunt, & quicquid aſſumptum eſt, imperfectum protinus reddunt. Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat. In hoc vtique adhibere oportet comprimentia, quò faciliùs tenendi aliquid inteſtinis vis ſit. Ergo & lu-

& super pectus ponetur sinapi, exulcerataq́. cute, malagma, quod humorem euocet, & ex verbenis* decoctis aqua desidat, & cibos, potionesque assumat, quæ aluum astringunt, & frigidis vtetur perfusionibus. Oportet tamen prospicere, ne simul his omnibus admotis vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur. Paulatim ergo firmari intestina debebunt, aliquibus quotidie adiectis. Et cùm in omni fluore ventris, tum in hoc præcipuè necessarium est, non quoties libet desidere, sed quoties necesse est, vt hæc ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. Alterum quoque, quod æquè ad omnes similes affectus pertinet, in hoc maximè seruandum est, vt cùm pleraque vtilia insuauia sint, qualis est plantago, & rubi, & quicquid malicorio mistum est, ea potissimũ ex his dentur, quæ maximè æger volet. Deinde si omnia ista fastidiet, ad excitandam cibi cupiditatem interponatur aliquid minus vtile, sed magis gratum. Exercitationes, frictiones huic quoque morbo necessariæ sunt, & cum his sol, ignis, balneum, vomitus (vt Hippocrati visum est) etiam albo veratro (si cætera parum proficient) euocatus.

* decocta in aq. desidat, *subaudi* æger: *sic infra ca. prox.*

ENARRATIO.

INTESTINORVM *leuitas, aliud nihil est, sicut Galeno placet, quàm velox exitus eorum quæ comeduntur, & bibuntur, quæ talia deiiciuntur, qualia fuere deuorata; quum neque secundùm consistentiam, neque secundùm colorem vel odorem in vllam omnino qualitatem in ventriculo facta fuerit ciborum permutatio. Hæc, vt auctor est Paulus, duplici continetur discrimine: siquidem modò ex summa intestinorũ vlceratione contrahitur, cicatrice densa, & leui succedente, quæ deinde ob densitatem suam, ciborum per corpus digestionem fieri nõ permittit, quum venarum ora, quæ alimentum ex intestinis ad se auellunt, sint obturata. Alterum discrimen est, quoties ex infirmitate & languore virium alimenta in ventriculo continentium, creatur; atque lienteria speciem hanc cum cœliaco morbo nonnunquam confundi idem auctor est.*

Ergo & super pectus.

ID *non antè faciendum putat Paulus, quàm vbi iam inueterauerit morbus: nam inchoante morbo, cataplasmata ex lini semine cum palmulis imponenda dicit.*

vomitus (vt Hippocrati, &c.

SI *quidem materia peccans in stomacho sit, vtilissimus erit vomitus; sin in intestinis eadem contineatur, nescio quàm erit ex vsu: præsertim quando vellicatione hellebori, plus offeceris, quàm reuulsione in contrarium profeceris. quod & Hippocrates voluisse videtur, quũ post veratri sumptionẽ ventrem lacte cocto eluit. vide Hippocratẽ De affectionibus, vnde locũ hũc mutuatus est Celsus.*

CAPVT

CAPVT XVII.
De Lumbricis aluum occupantibus.

NONNVNQVAM autem Lumbrici quoque occupant aluum, hique modò ex inferioribus partibus, modò fœdius ore redduntur. Atque interdum latos eos, qui peiores sunt, interdum teretes videmus. Si lati sunt, aqua potui dari debet, in qua lupinum aut cortex mori decoctus sit, aut cui adiectum sit, contritum vel hyssopum, vel piperis acetabulum, vel scamoneæ paulum. Vel etiam pridie cùm multum allium ederit, vomat. Posteroque die mali punici tenues radiculas colligat, quantum manu comprehendet, easque contusas in aquæ tribus sextariis decoquat, donec tertia pars supersit. *Huc adiiciat nitri paulum, & ieiunus bibat. Inter- * Huic
positis deinde tribus horis, duas potiones sumat, aut aquæ, vel muriæ duræ *sic adiectæ, tum desidat subiecta calida aqua * huic
in pelui. Si verò teretes sunt, qui pueros maximè exercent, & eadem dari possunt, & quædam leuiora, vt contritum semen vrticæ, aut brassicæ, aut cumini cum aqua, vel mentha cum eadem, vel absinthium decoctum, vel hyssopum ex aqua mulsa, vel nasturtij semen cum aceto cōtritum. Edisse etiam & lupinū, & allium prodest, vel *maluæ oleum subter dedisse. * in aluum

ENARRATIO.

QVVM tres sint lumbricorum differentiæ, ascarides scilicet dicti, rotundi, & lati; Celsus duorum tantùm, vti etiam Scribonius Largus, meminit: fortè quòd indignum putârit, de ascaridibus quicquam scribere, quando iidem parui admodùm sint, ac circa extremas intestinorum partes consistentes, nullúmque noxium symptoma, præterquā in iisdem partibus pruritum inferentes. Hippocrates latos lumbricos infantibus in matris vtero nasci auctor est; neque verisimile esse, eosdem generari posse ab excrementorum putrefactione, posteaquam quotidie excernat, atque aluum expurget homo: ac proinde sicuti iidē in vtero materno consistente adhucdum infante parui sunt, ita sensim eosdem augescere cum intestinis, adeò vt nonnunquam duorum cubitorū longitudine excernantur. Plinius XII. cubitorum longitudinis latum lumbricum visum auctor est. Aëtius latum lumbricum sic describit: Latus lumbricus est, si ita dicere libeat, permutatio pelliculæ intrinsecus tenuia intestina ambientis in corpus quoddam viuum, quod continuos stomachi morsus infert, & ad cibos incorrigibilem appetitum: Græci latos lumbricos χειρίας καὶ ταινίας *ad similitudinē fasciarum, & institarum nominant; teretes autē* στρογγύλας.

& quædam leuiora.

IDEM *testatur Galenus libro* XIIII. *Methodi.*

CAPVT XVIII.

De τηνεσμῷ intestinorum morbo.

EST autem aliud leuius omnibus proximis, de quibus su-
prà dictum est, quod τηνεσμὸν Græci vocant: id neque acu-
tis, neque longis morbis annumerari debet, cùm & facilè tol-
latur, neque vnquam per se iugulet, in hoc æquè atque in tor-
minibus frequens desidendi cupiditas est, æquè dolor vbi ali-
* muccisq. quid excernitur. Descendunt autem pituitæ, * nucisque si-
milia, interdum etiam leuiter subcruenta: sed his interpo-
*cocta: vel concocta; nuntur nonnunquam ex cibo quoque rectè * coacta: deside-
* ipsam anum nut. re oportet in aqua calida, sæpiusque * ipsum manu nutrire,
cui plura medicamenta idonea sunt, butyrum cum rosa, aca-
cia ex aceto liquata, emplastrum id, quod τετραφάρμακον Græ-
* intus ci vocant, rosa liquatum, alumen lana circundatum, & * ita
appositum, eademque ex inferiore parte indita, quæ tormi-
* eædem num auxilia sunt, * eadem verbenæ decoctæ, vt inferiores
* lene partes foueantur, alternis verò diebus aqua, alternis * leue &
austerum vinum bibendum est. Potio esse debet egelida &
* torminibus frigida: propior ratio victus talis, qualem in * tormina suprà
præcepimus.

ENARRATIO.

TENESMVM Plinius Tenasmum vocat; alij Tensionem dicere maluerunt: Græci priorem syllabam modò per η, interim per ει scribunt. Est autem Tenesmus inferioris intestinorum partis, vt ait Alexander Trallianus, longanonisque ipsius leuius malum; crebra videlicet, & inanis desidendi cupiditas, assiduus egerendi impetus. solet autem interdum dysenteriā præcedere: nonnunquam verò & ipse solus paulatim generatus, desinit. Celsus interim dum omnibus antedictis leuius malum esse dicit, per tenesmum tantùm intellexisse videtur tumorem quendam œdematosum ante exulcerationem: nam quoties exulceratus est tenesmus, parui faciendus non est; solet enim interdum non minus molestiæ afferre, quàm leuis dysenteria.

desidere oportet in aqua calida.

VIDENDVM tamen est num ad multitudinem stercorum in cæco intestino retentorum causam suam referat desidendi cupiditas: nam tum quidem hisce medicamentis plus exacerbaueris quàm iuueris; quando ablato stercore statim compescatur morbus.

CAPVT XIX.

De ventris fluxu & curatione.

LEVIOR etiam dum recens deiectio est, vbi & liquida aluus, & sæpius quàm ex consuetudine fertur: atque interdum tolerabilis dolor est, interdum grauissimus, idque peius est: sed vno die fluere aluum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat vtiliter effunditur, verùm spatium periculosum est. Interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viresque consumit: primo die quiescere satis est, neque impetum ventris prohibere: si per se desiit, balneo vti, paulum cibum capere: si mansit, abstinere non solùm à cibo, sed etiam à potione. Postero die si nihilominus liquida aluus est, æquè conquiescere, paulum astringentis cibi sumere, tertio die in balneum ire, vehementer omnia præter ventrem perfricare, ad ignem lumbos, scapulasque admouere, cibis vti, sed ventrem contrahentibus, vino non *multum meraco. Si postero quoque die fluet, plus edisse, sed vomere etiam ex toto, donec conquiescat. Contra sitim, fame, vomitu niti. Vix enim fieri potest, vt post hanc animaduersionem, aluus non contrahatur. Alia via est vbi velis supprimere, cœnare, deinde vomere, postero die in lecto conquiescere, vesperi vngi, sed leniter, deinde panis, circa selibram, ex vino amineo mero sumere, tum assum aliquid, maximeque auem, & postea vinum idem bibere aqua pluuiali mistum, idque vsque ad quintum diem facere, iterumque vomere. Frigidam autem assiduè potionem esse debere, contra priores auctores Asclepiades affirmauit, & quidem quàm frigidissimam. Ego experimentis quenque in se credere debere existimo, calida potius an frigida vtatur. Interdum autem euenit, vt id pluribus diebus neglectum, curari difficilius possit. A vomitu oportet incipere, deinde postero die vesperi, tepido* loco vngi, cibum modicum assumere, vinum meracum quàm asperrimum, imposi-

* multo.

* oleo.

tam:

tam ſuper ventrem habere cum cerato rutam. In hoc autem affectu corporis, neque ambulatione, neque frictione opus eſt: vehiculo ſediſſe, vel magis etiam equo prodeſt. Neque enim vlla res magis inteſtina confirmat. Si verò etiam medicamentis vtendum eſt, aptiſſimum eſt id quod ex pomis fit. Vindemiæ tempore in grande vas coniicienda ſunt pira, atque mala ſilueſtria: ſi ea non ſunt, pira tarentina viridia, vel ſignina, mala ſcandiana vel amerina, myrrhappia, hiſque adiicienda ſunt cotonea, & cum ipſis corticibus ſuis punica, ſorba, & quibus magis vtimur, etiam torminalia, ſic vt hæc tertiam ollæ partem teneant, tum deinde ea muſto implenda eſt, coquendumque id, donec omnia quæ indita ſunt, liquata in vnitatem quandam coëant. Id guſtui non inſuaue eſt, & quandocunque opus eſt, aſſumptum leuiter, ſine vlla ſtomachi noxa ventrem tenet: duo aut tria cochlearia vno die ſumpſiſſe, ſatis eſt. Alterum valentius genus eſt, myrti baccas legere, ex iis vinum exprimere, id decoquere, vt decima pars remaneat, eiuſque cyathum ſorbere. Tertium quod *quandoque fieri poteſt, malum punicum excauare, exemptiſque omnibus ſeminibus membranas, quæ inter ea fuerunt, iterum coniicere, tum infundere cruda oua, rudiculaque miſcere, deinde malum ipſum ſuper prunam imponere, quod dum humor intus eſt, non aduritur. Vbi ſiccum eſſe cœpit, remouere oportet, extractumq. cochleari, quod intus eſt, ediſſe. Aliquibus adiectis maius momentum habet. Itaque etiam in piperatum coniicitur, miſceturque cum ſale, & *pipere: eſt quid ex his edendum, eſt pulticula etiam cum qua paulum ex fauo vetere coctũ ſit, & lenticula cum *malo corio cocta, rubique cacumina in aqua decocta, & ex oleo atque aceto aſſumpta, efficacia ſunt, atque ea aqua, in qua vel palmulæ, vel malum cotoneum, vel arida ſorba, vel rubi decocti ſunt, potata. Quod genus ſignifico, quoties potionem dandam eſſe dico, quæ aſtringat. Tritici quoque hemina in vino amineo auſtero decoquitur, idque triticum ieiuno, ac ſitienti datur, ſuperque id vinum id ſorbetur, quod iure valentiſſimis medicamentis annumerari poteſt, atque etiam potui datur

Myrrhappia Plinius ab edore dicta eſſe dicit li. 15. ca. 15.

*quandocunque

*pipere, quod ab h. c. eſt pult.

*malicorio

Potio quæ aſtringat.

vinum

vinum ſigninum, vel reſinatum auſterum, vel quodlibet auſterum. Contunditurque cum corticibus, ſeminibuſque ſuis punicum malum, vinoq. tali miſcetur, idque vel merum ſorbet aliquis, vel bibit miſtum. Sed medicamentis vti, niſi in vehementibus malis, ſuperuacuum eſt.

ENARRATIO.

FLVXIONEM alui, vt auctor eſt Galenus Commento in ſecundum Epidemion, vocat Hippocrates, quoties ſine teneſmo dyſenteria, lienteria, deiiciantur, & ſemper & aßiduè liquida excrementa; vel, vt ait auctor libri De definitionibus medicis, ventris fluxus nominatur, copioſior alui fluxio diuturna ſine phlegmone & exulceratione.

ſed vno die fluere.

SIC in Aphoriſmis Hippocrates, à pituita alba detento, alui fluor ſuperueniens ægritudinem tollit.

Interdum enim tormina.

PVTA ſi ſincera barbilioſáque deiectio ſit; bilis enim acrimonia facilè afficientur rodentúrque inteſtina: nam, vt ſeptimo Aphoriſmorum Hippocrates, à cholerico ſeceſſu, aut dejectione ſincera, dyſenteria ſuperueniens, malum.

ac febriculas.

FEBRICITANT, inquit Galenus VIII. Methodi medendi, nonnulli ex iis quos diarrhœa poſt cruditates malè habet: quibus vtique non minimè proritatur febris ex deſidendi frequentia: quòd ſi etiam roſio & dolor, aut calor immodicus in ventre & inteſtinis adſit, huic vtique vel longè magis acceßio febrilis increſcet.

primo die quieſcere.

NAM qui ſtipticas potiones ſumunt non perpurgato corpore, profluuium magis irritant: ſi quis tamen quietem quæ motus priuatione fiat intelligere malit, id non abſurdè fecerit: quando in omnibus ferè fluxibus, quies, niſi fluxionem promouere velimus, conueniat: nam agitatione moueri corpora auctor eſt Hippocrates.

balneo vti.

NON quouis, ſed eo in quo quæ poros aperiunt decocta ſint, vt ſi quid humoris virulenti in corpore reliquum ſit, his vaporationibus diſſoluatur, atque ad exteriora trudatur: nã alioqui ſi aſtringens balneum ſit, maximam noxam inferes, cutem condenſando, & vapores materiámque ad interiora regerendo.

vino non multùm meraco.

GALENVS in virium tantùm defectu vinum concedit; ac tum quidem auſterum, ex aqua pluuiatili propinat: quanquam vbi ex intemperie frigida vitium obortum fuerit, vino veteri facultatis calidæ exhibito curare ſoleat; ſicut frigidæ potu, in hoc Aſclepiadem imitatus, ſi calida intemperies in cauſa ſit.

vehiculo ſediſſe.

CAVENDVM tamen eſt ne vehementior fiat agitatio: nam ſiue ea vehiculo, ſiue equo fiat; vt concuſſorium quid habet, ita ventris fluore laborantibus inutilis erit: leuis contrà, inteſtina ventrémque roborabit.

malo corio.

Malicorio *legito.*

Contunditurque.

PLINIVS Naturalis Hiſtoriæ XXIIII. libro, antè furno torrendum dicit: Punicum, inquit, malum in olla noua operculo indito in furne toſtum, & contritum, potúmque in vino aluum ſiſtit. Dicit autem paulo antè, non quoduis, ſed vinoſum tantùm accipiendum eſſe, quòd alia ferè ſtomacho nocua ſint: nam dulcia, ait, inflationes pariunt, ac ſtomacho amica ſunt.

CAPVT XX.

De vuluæ morbo, & curationibus.

Ex vulua quoque fœminis vehemens malum nascitur, proximeque ab stomacho vel afficitur hæc, vel corpus afficit. Interdum etiam sic exanimat, vt tanquam comitiali morbo prosternat. Distat tamen hic casus, eò quòd neque oculi vertuntur, nec spumæ profluunt, nec nerui distenduntur: sopor tantùm est, idque quibusdam fœminis crebrò reuertens, perpetuum est. Vbi incidit, si satis virium est, sanguis missus adiuuat. Si parum est, cucurbitulæ tamen defigendæ sunt in inguinibus. Si diutius aut iacet, aut alioqui iacere consueuit, admouere oportet naribus extinctum ex lucerna linamentum, vel aliud ex iis quæ fœdioris esse odoris retuli, quod mulierem excitet. Idemque aquæ frigidæ perfusio efficit, adiuuatque ruta contrita cum melle, vel ex cyprino ceratum, vel quodlibet calidum, & humidum cataplasma, naturalibus pubetenus impositum. Intra hæc etiam perfricare coxas, & poplites oportet. Deinde vbi ad se redit, circuncidendum vinum est in totum annum, etiam si casus idem non reuertitur. Frictione quotidie vtendum totius quidem corporis, præcipuè verò ventris & poplitum. Cibus ex media materia dandus. Sinapi super imum ventrem, tertio quoque, aut quarto die imponendum, donec corpus rubeat. Si durities manet, mollire commodè videtur solanum in lac demissum, deinde contritum, & cera alba, atque medulla ceruina cum irino, aut seuum taurinum, vel caprinum cum rosa mistum. Dandum potui etiam vel castoreum est, vel git, vel anethum. Si parum pura est, purgatur iunco quadrato: si verò vulua exulcerata est, ceratum ex rosa fiet, & recens suilla adeps, & ex ouis album misceatur, idque apponatur, vel album ex ouo cum rosa mistum, adiecto, quo facilius consistat, contritæ rosæ puluere. Dolens verò ea sulphure suffumigari debet. At si purgatio nimia mulieri nocet, remedio sunt cucurbitulæ cute incisa, inguinibus, vel etiam

ſub mammis admotæ: ſi maligna purgatio eſt, ſubiicienda ſunt * coërcentia. *coëuntia. al. menſes euocantia. Id faciunt etiam albæ oliuæ, & nigrum papauer cum melle aſſumptum, & gummi cum trito ſemine apij liquatum, & cum cyatho paſſi datum. Præter hæc in omnibus * veſicæ doloribus idoneæ potiones ſunt, quæ ex odoribus fiunt, id eſt ſpica nardi, croco, cinnamomo, caſia, ſimilibuſque. * uuluæ Idemque etiam decocta lentiſcus præſtat. Si tamen intolerabilis dolor eſt, & ſanguis profluit, etiam ſanguinis detractio apta eſt, aut certè coxis admotæ cucurbitulæ cute inciſa. At cùm vrina ſuper potionum modum etiam ſine dolore profluens, maciem, & periculum facit, ſi tenuis eſt, opus eſt exercitatione & frictione, maximeque in ſole vel ad ignem. Balneum rarum eſſe debet, neque longa in eo mora, cibus comprimens. Vinum auſterum meracum, per æſtatem frigidum, per hyemem egelidum, ſed tantum, quantum minimum ſit. Infima aluus quoque vel ducenda, vel lacte purganda eſt. Si craſſa vrina eſt, vehementior eſſe debet & exercitatio, & frictio, longior in balneo mora: cibis opus eſt * teneris, vinum idem. *tenuibus. In vtroque morbo vitanda omnia ſunt, quæ vrinam mouere conſueuerunt.

ENARRATIO.

Galenvs De locis affectis ſexto, multas dicit eſſe differentias ſuffocationis ab vtero, vel pro cauſæ efficientis magnitudine, vel pro ſpecierum quarundam varietate. Semper tamen infernè oritur vteri ſtrangulatio: verùm ſupernæ partes, & principales præſertim per conſenſum coafficiuntur: nam ad cor per arterias, quas vocant carotidas; ad cerebrum, per ſpinæ membranas ac neruos; ad hepar, per venas affectio communicatur; videturque vterus velut ad ſupernas partes aſcendiſſe.

vt tamquam comitiali.

Movetvr enim morbus hic per circuitum, ſicut comitialis; idq́; vulua repleta, aut ſeminali, aut alia materia; aut ſi hæc intus computruerit. auctor eſt Aëtius.

nec ſpumæ profluunt.

Id apud omnes in confeſſo eſt: quanquam apud Hippocratem libro De morbis muliebribus contrarium inuenias: Nam vbi leuius habuerint, inquit, ſpumant.

Vbi incidit.

Methodvs medendi in hoc conſiſtit, vt reuellamus euaporationem à principibus partibus: quare ſi quando vires atque occaſio permittant, venæ circa malleolos ſecandæ ſunt. his tamen non inutiliores erunt ſicyæ ſeu cucurbitulæ femoribus affixæ, quòd validè reuellant.

circumcidendum vinum eſt.

Cvr in totum annum circumcidendum

dum vinum dicat, non video: nam quum attenuans & incidens victus ratio, modicúmque exercitium, iisdem non inutile sit, nescio quomodo vinum quod pauciferum tenuiúmque partium sit, non conueniat.

Si duricies manet.

AETIVS emplastrum, aut epithema emolliens pectini applicandum dicit: cæterùm an tale sit quod ex solano in lac demisso fieri docet Celsus, alij iudicent: ego certè nondum mollientem vim, aut dura resoluentem in solano comperire potui.

At quum vrina.

HIPPOCRATES libro De morbis secundo, multitudinis vrinæ rationem reddit: quam, etsi ad propositum nostrum parum faciat, non grauabor asscribere. Multum vrinæ emittitur, dicit, vbi caput nimium incaluerit, quiescit enim in ipso pituita: liquescens autē partim secedit ad nares, partim ad os, partim per venas quæ ducunt ad pudendum. quum autem ad pudendum peruenerit, mingit homo, & patitur quemadmodū ab stillicidio vrinæ. Actuarius aliam causam addit, quæ huic loco magis conuenit: nam posteaquam varias causas superfluitatis vrinæ recensuisset, Illud quoque addendum est, inquit, quod maximè fieri solet tam in colliquatione totius corporis habitudinis, quàm in mortificatione contentiuæ virtutis: quandoquidem vbi defatigata natura est, ob pessimam aliquam ægritudinis affectionem, virtus humorum contentiua, tanquam abiiceret illos dissoluit, ac modò per lotium, modò per sudorem, interdum etiam per ventrem excretionem facit. Quo fit vt hic Pinzanum exemplar sequi malim, quod sine sudore profluens legit: neque enim posset natura vtranque vacuationem ferre citra animi deliquij periculum; ita vt hîc nihil alienius quàm exercitium, vt quod sudorem prouocaret, censendum sit.

Infima aluus quoque.

VARIANT hîc exemplaria: alia siquidem infinita, alia infima legunt: verùm vtut legeris, obscurus admodum hic est; ita vt coniectandum omnino sit quid velit, atque opus quodammodo Oedipo aliquo sit, qui ænigma soluat: nisi quis legendum dicat per infima aluus: nam sic aliquo modo constabit sententia.

CAPVT XXI.

De nimia profusione seminis ex naturalibus.

EST etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus sic fertur, vt interposito spatio tabe hominem consumat. In hoc affectu salutares sunt vehementes frictiones, perfusiones, natationesque quàm frigidissimæ, neque cibi, nec potio, nisi frigida assumpta. Vitare autem oportet cruditates, omnia inflantia, nihil ex his assumere, quæ contrahere semen videntur, qualia sunt, siligo, simila, oua, alica, amylum, omnis caro glutinosa, piper, eruca, bulbi, nuclei pinei. Neque alienum est fouere inferiores partes, aqua decocta ex verbenis comprimentibus, ex iisdem aliqua cataplasmata imo ventri inguinibusque circundare, præcipuéque ex aceto rutam vitare, etiam ne supinus obdormiat.

ENAR-

ENARRATIO.

QVAMVIS Aristoteles discrimen inter semen & genituram posuerit, ita vt genitura, maris semen dicatur; semen verò, mixtio geniturę & sanguinis menstrui; Celsus, sicut & Galenus, & alij, indifferenter seminis profusionē dixit, quę Gręcis γονόῤῥοια*: estq́; multa, seu inuoluntaria, atque eadem aßidua seminis excretio, cole haudquaquam extento; oritúrque ex retentricis naturę facultatis imbecillitate, aut ex vasorum seminariorum tensione aut conuulsione.*

præcipueque ex aceto rutam.

I D *quàm sit verum, nescio: valet enim ad comprimendum semen, non solùm temperamento, sed tota ipsius substântia, licet calida sit ruta: eadem namque comesta semen coagulat & corrumpit, vt auctor est Aëtius. quod & confirmat libro* VIII. *Simplicium Galenus: qui non solùm semen, sed & Veneris appetentiam extinguere testatur. Verùm vt Celsum nostrum ab errore vindicemus, immutatis distinctionibus locum hunc sic legemus:* præcipueque ex aceto rutam, vitare & ne supinus obdormiat. *sic enim sententiam planam reddemus, quando supinus cubitus plurimùm obsit, & ruta ex aceto perfusio plurimùm prosit.*

CAPVT XXII.

De coxarum morbis, & curationibus.

SVPEREST vt ad extremas partes corporis veniam, quæ articulis inter se conseruntur. initium à coxis faciam. Harum ingens dolor esse consueuit. Isque hominem sæpe debilitat, & quosdam non dimittit. Eoque id genus difficillimè curatur, quòd ferè post longos morbos vis pestifera huc se inclinat, quæ vt* illas partes liberat, sic hanc ipsam quoque affectam prehendit. Fouendum primùm aqua calida est, deinde vtendum calidis cataplasmatis. Maximè prodesse videtur aut cum hordeacea farina, aut cum ficu ex aqua decocta mistus capparis cortex concisus, vel lolij farina ex vino diluto cocta, & mista cum acida fæce: *quæ, quia refrigescunt, imponere coctu malagmata commodius est. Inulæ quoque radix contusa, & ex vino austero postea cocta, & latè super coxam imposita, inter valentissima auxilia est. Si ista non soluerunt, sale calido & humido vtendum est. Si ne sic quidem finitus dolor est, aut tumor ei accedit, incisa cute admouendæ sunt cucurbitulæ, mouenda vrina. Aluus si compressa est, ducenda. Vltimum est, & in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus

* alias

* quæque refrigescunt,

tibus ferramentis exulcerare. Sed frictione quoque vtendum est, maximè in sole, & eodem die sæpius: quo faciliùs ea, quæ coëundo nocuerunt, *dirigantur. Eaque, si nulla exulceratio est, etiam ipsis coxis, sicut & cæteris partibus adhibenda est. Cùm verò sæpe aliquid exulcerandum candenti ferramento sit, vt materia inutilis euocetur, illud perpetuum est, non vt primùm fieri potest, huius generis vlcera sanare, sed ea trahere, donec id vitium, cui per hæc *opitulantur, conquiescat.

*digerantur.

*opitulamur.

ENARRATIO.

CELSVS per Articulum, sicuti Græci per ἄρθρον, naturalem ossium compositionem intelligit: quemadmodum & ipse Galenus libro De ossibus facit. Si igitur crassus pituitosúsque humor, in coxarum articulo concretus insideat, grauissimos excitat dolores: atq; qui ita affecti sunt, ischiadici, & coxendicum dolore vexati nominantur: Plinius enim articulum in quo ossis femoris caput cum osse coxendicis alligatur atque dearticulatur, coxendicē appellat.

quòd ferè post longos.

SIC Hippocrates quarto Aphorismorum, longas febres per abscessus ad articulos interdum terminari auctor est.

incisa cute admouendæ.

QVANQVAM omnes in hoc cùm Celso conueniant; Hippocrates tamen libro De locis in homine, contrarium asserere videtur eo loco vbi dicit, Quum coxendicum morbus à fluxione fiat, cucurbitam medicam affigere oportet, & foras trahere, & non scarificando pertundere, & calefactoriis medicamentis in potu exhibitis, intùs calefacere, quo exitus fiat tum foras ad cutem per cucurbitæ attractionem, tum intùs ad ventrem per caliditatem.

Vltimum est.

HIPPOCRATES sexto Aphorismorum sub finem sectionis, Quibuscunque, inquit, à coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, iis mucores superueniunt: & quibuscunque coxendicum diuturno dolore molestatis excidit coxa, iis crus tabescit, & claudicant, si non vrantur; vstione etenim humiditatis copia absumitur, atque exiccatur, & ligamenta solidiora efficiuntur. Et libro De affectionibus sic scribit: Si in vnum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus, vrito quocunque loco fuerit dolor; vrito autem crudo lino. Dioscorides stercore caprino feruefacto ad vstionem vtitur, atque hac vstione summos coxendicum dolores, & qui quibusuis medicamentis rebelles sunt, persanatos post eum scribit Antylus.

CAPVT XXIIII.

De genuum doloribus, & cura.

COXIS proxima genua sunt, in quibus ipsis nonnunquam dolor esse consueuit. In eisdem autem cataplasmatis, cucurbitulisque præsidium est, sicut etiam cùm in humeris

meris aliisve commiſſuris dolor aliquis exortus eſt. Equitare ei cui genua dolent, inimiciſſimum omnium eſt. Omnes autem eiuſmodi dolores, vbi inueterauerunt, vix citra vſtionem finiuntur.

ENARRATIO.

A PARTIBVS quæ dolore vexantur, paßiones hæ nomen ſortitæ ſunt: ſiquidem ἀπὸ τοῦ ἰσχίου, ἰσχίας: ἀπὸ τῆς ψοίας, ψοιαδικοὶ dicuntur; & ſi genua dolor infeſtat, γονάγρα: ſi manus, χειράγρα: & ſi maiores neruos tenuerit dolor, τενοντάγρα vocatur. Verùm etſi pro loci affecti diſcrimine varia ſortiatur nomina affectio, idem ferè omnium eſt remedium.

Equitare ei cui.

NON ſolùm genu dolenti inimica eſt equitatio; ſed & omnibus articularibus morbis; quando certum ſit ingentem equitationem iſchiadis, & podagræ cauſam frequenter fuiſſe.

CAPVT XXIIII.

De articulorum doloribus, in manibus, pedibuſque.

IN manibus pedibuſque articulorum vitia frequentiora, longioraque ſunt, quæ in podagris, chiragrisve eſſe conſueuerunt. Ea rarò vel caſtratos, vel pueros ante fœminæ coitum, vel mulieres, niſi quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, tentant. Vbi ſentiri cœperunt, ſanguis mittendus eſt. Id enim inter initia ſtatim factum, ſæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem * totam præſtat. Quidam etiam cùm aſinino * bonam
* lotio epoto ſe eluiſſent, in perpetuum hoc malum euaſe- * lacte
runt. Quidam cùm toto anno à vino, mulſo, venere ſibi temperaſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt. Idque vtique poſt primum dolorem ſeruandum eſt, etiam ſi quieuit. Quòd ſi iam conſuetudo eius facta eſt, poteſt quidem aliquis eſſe ſecurior his temporibus, quibus dolor ſe remiſit. Maiorem verò curam adhibere debent hi, quibus id reuertitur. Quod fere vere, autumnóve fieri ſolet. Cùm verò dolor non vrget, manu geſtari debet, deinde ferri, inambulatione leui ſe dimouere: & ſi podagra eſt, interpoſitis temporibus exiguis inuicem modò ſedere, modò ingredi, tum antequam cibum capiat, ſine balneo loco calido leuiter perfricari, ſudare, perfundi aqua egelida, deinde cibum ſumere ex media mate-

ria interpositis rebus vrinam mouentibus, quotiesque plenior est, euomere. Vbi dolor vehemens vrget, interest sine tumore is sit, an tumor cum calore, an tumor iam etiam obcaluerit. Nam si tumor nullus est, calidis fomentis opus est. Aquam marinam, vel muriam duram feruefacere oportet, deinde in peluem coniicere, & cùm iam homo pati potest, pedes demittere, superque pallam dare, & vestimento tegere, paulatim deinde iuxta labrum ipsum ex eadem aqua leuiter infundere, ne calor intus destituat, ac deinde noctu cataplasmata calefacientia imponere, maximeque hibisci radicem ex vino coctam. Sin verò tumor calorque est, vtiliora sunt refrigerantia, recteque in aqua quàm frigidissima articuli continentur: sed neque quotidie, neque diu fit, ne nerui * lædantur. Imponendum verò est cataplasma quod refrigeret. Neque tamen * in hoc ipso permanendum, sed ad ea transeundum, quæ sic reprimunt, vt emolliant. Si maior est dolor, papaueris cortices in vino coquendi, miscendique cum cerato sunt, quod ex rosa factum sit. Vel ceræ & adipis suillæ tantundem vnà liquandum, deinde his vinum miscendum, atque vbi quod ex eo impositum est, incaluit, detrahendum, & subinde imponendum aliud est. Si verò tumores etiam obcaluerunt, & dolent, leuat spongia, quæ imposita subinde ex oleo, vel aceto, vel aqua frigida exprimitur, aut pari portione inter se mista, pix, cera, alumen. Sunt etiam plura idonea manibus, pedibusque malagmata. Quòd si nihil superimponi patitur, id quod sine tumore est, fouere oportet spongia, quæ in aquam calidam demittatur, in qua vel papaueris cortex, vel cucumeris syluestris radix decocta sit, tum inducere articulis crocum cum succo papaueris, & ouillo lacte. At si tumor est, foueri quidem debet aqua * calida, in qua lentiscus, verbena, aliáve ex reprimentibus decocta sint: induci verò medicamentum ex nucibus amaris cum aceto tritis, aut ex cerussa, cui contritæ herbæ muralis succus sit adiectus. Lapis etiam qui carnem exedit, quem σαρκοφάγον Græci vocant, excisus, sic vt pedes capiat, demissos eos cùm dolent, retentosque ibi leuare consueuit. Ex quo in Asia lapidi Asio

* indurescant.

* in hoc quotidie perm.

* egelida.

gratia eſt. Vbi dolor, & inflammatio ſe remiſerunt, quod intra dies quadraginta fit, niſi vitium hominis acceſſit, modicis exercitationibus, abſtinentia, vnctionibus lenibus vtendum eſt: ſic, vt etiam acopo vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. Equitare podagricis quoque alienum eſt. Quibus verò articulorum dolor certis temporibus reuertitur, hos antè & curioſo victu cauere oportet, ne inutilis materia corpori ſuperſit, & crebriore vomitu, & ſi quis ex corpore metus eſt, vel alui ductione vti, vel lacte purgari. Quod Eraſiſtratus in podagricis expulit, ne in inferiores partes factus curſus pedes repleret, cùm euidens ſit omni purgatione non ſuperiora tantummodo, ſed etiam inferiora exinaniri. Ex quocunque autem morbo quis* inualeſcit, ſi tardè confirmatur, vigilare prima luce debet, nihilominus in lecto conquieſcere, circa tertiam horam, leuiter vnctis manibus corpus permulcere. Deinde delectationis cauſſa (quantum iuuat) ambulare, circunciſa omni negotioſa cogitatione vel actione, tum geſtari diu, multa fricatione vti, loca, cælum, cibos ſæpe mutare. Vbi triduo, quatriduóve vinum bibit, vno aut etiam altero die interponere aquam. Per hæc enim fiet, ne in vitia tabem inferentia incidat, & vt maturè vires ſuas recipiat. Cùm ex toto verò conualuerit, periculosè vitæ genus ſubitò mutabit, & inordinatè aget. Paulatim ergo debebit omiſſis his legibus, eò tranſire, vt arbitrio ſuo viuat.

* conualeſcit,

ENARRATIO.

HIPPOCRATES *ſectione ſexta Aphoriſmorũ Aphoriſmis* XXVIII, XXXIX, *&* XL. *Eunuchi neque podagra laborant, neq. calui fiunt: & mulier podagra non afficitur, niſi menſtrua deficiant; & puer podagra non laborat, antequã venere vtatur.*

Vbi ſentiri cœperunt.

IDEM *aſſerit Galenus libro De curatione per ſanguinis miſsionem: cui ſuffragantur Paulus & Aëtius, & Trallianus; præſertim ſi ſanguinis copia in cauſa ſit: nam non ſolùm à præſenti, ſed & à iam inſtanti liberat morbo. At ſi acres & billioſi humores in cauſa ſint, phlebotomia alienius nihil eſſe poteſt, quum potius pharmaco leuiter ducente aluum, vt auctor eſt Alexander, materia purganda ſit; ſic tamen, vt ante purgationẽ corpus humectantibus fluidum fiat, bilioſiq; humoris acrimonia attemperetur.*

cum aſinino lacte.

ISCHIADICIS *id tutò exhiberi tradit Hippocrates libro De internis affectionibus.*

Quidam cùm toto anno.

COITVS *enim articulos, pedes, ac neruoſas partes maximè lædit: ſicut etiam vinum*

num, si immodicè sumatur; iis præsertim qui sanguine multo præditi sunt. auctor enim post Celsum nostrum Trallianus est, se multos nouisse, qui sola vini abstinentia, non ampliùs fuissent morbum experti.

Quod ferè vere.

HIPPOCRATES sectione sexta, Aphorismo LV. Dolores podagrici vere & autumno maximè mouentur; in vere quidem ex copia: nam vere mediocriter calido existente, materiæ per hyemem anteà congestæ fit effusio, & à validioribus partibus ad imbecillas, nempe pedes detruditur; ideóque minimè mirum, tum podagricos, & articulares morbos generari. Autumno verò reuertuntur, tum ex inæqualitate, tum ex qualitate humorum.

maximeque hibisci radicem.

HIBISCVM, vt auctor est Plinius, libro XX. capite IIII. pastinacæ simile est. quod & molochon agrian vocant, & aliqui pistolochiam. Vlceribus, cartilagini, oßibus fractis medetur. & in fine capitis locum hunc ex Celso allegat: Celsus, inquit, podagris quæ sine tumore sunt, radicem eius in vino decoctam imponi iubet.

recteque in aqua.

HIPPOCRATES sectionis quintæ Aphorismo XXV. Tumores, inquit, articulorum sine vlcere, podagricos quoque dolores, & conuulsiones: horum quidem plurima, aqua largè superfusa leuat, dolorémque minuit ac soluit; stupor enim mediocris leuat.

Quòd si nihil.

APPOSITE admodùm dictum est, pro eo quòd si dolor adeò vrgeat vt nihil superimponi patiatur, ad ea quæ anodyna vocantur deueniendum est: hæc enim, nec temerè, nec quauis de causa in vsum recipienda sunt; sed tum demũ, quando dolor vsque adeò vehemens est, vt laborans ferendo dolori ampliùs sufficere non poßit.

Lapis etiam qui carnem exedit.

Σαρκοφάγον, & Asium dictum lapidem eundem esse puto; præsertim quando Galenus ab Asso oppido Asiæ, in quo potißimùm inuenitur, Aßium lapidem per duplex s. nominatum dicat. atque id vt credam, facit auctoritas Plinij libro XX. capite XCVI. qui ibidem sic scriptum reliquit: At circa Assum Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora; sarcophagus vocatur. & libro XXX. capite XVII. Asius gustu salsus, podagras lenit, pedibus in vase ex eo cauato inditis. Prætereà omnia crurum vitia in iis lapidibus sanantur, quum in metallis omnibus crura vitientur. Ab hoc non discrepat Dioscorides, qui postquam ex Asio lapide cataplasma cum lomento fabarum podagricis vtilißimum concinnari dixisset, statim subiungit, Podagrici iuuantur pedibus in solio ex eo lapide excauato inditis; fiunt quoque ex eo loculi qui corpora erodunt.

Vbi dolor & inflammatio.

HIPPOCRATES libro De indicationibus, Quicunque podagrici morbi fiunt, hi in XL. diebus ab inflammatione liberi sedantur. & sexto Aphorismorum, Quicunque podagrici morbi fiunt, hi sedata inflammatione, in quadraginta diebus restituuntur.

Quibus verò articulorum dolor.

CVRIOSVM victum appellat, non qui exquisitus, aut delicatus, verùm qui frugalis ordinatúsque, vt sic dicam, sit, & qui pro patientis habitu, summo studio atque cura præscriptus sit: nam sicuti arthritici, carnosi, craßi, & pingues, extenuantem victus rationem requirunt; ita graciles grauißimè eadem offenduntur. quo fit vt diuretica in obesis, & pituitosa arthritide conueniant; in biliosa contrà maximè aliena sint.

AVRE-

AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER QVINTVS,

A Baldvino Ronsseo *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

Prooemion.



Dixi de his malis corporis, quibus victus ratio maximè subuenit. Nunc transeũdum est ad eam medicinæ partem, quæ magis medicamentis* purgat. His multum antiqui auctores tribuerunt, & Erasistratus, & hi qui se Empiricos nominauerunt, præcipuè tamen Herophilus, deductique ab illo viri, adeò vt nullum morbi genus, sine his curarent. Multaque etiam de facultatibus medicamentorum memoriæ prodiderunt, qualia sunt vel Zenonis, vel Andreæ, vel Apollonij, qui Mys cognominatus est. Horum autem vsum ex magna parte Asclepiades non sine caussa sustulit: & cùm omnia ferè medicamenta stomachum lædant, malique succi sint, ad ipsius victus rationem potiùs omnem curam suam transtulit. Verùm vt illud in plerisque morbis vtilius est, sic multa admodum corporibus nostris incidere consuerunt, quæ sine medicamentis ad sanitatem peruenire non possunt. Illud ante omnia scire conuenit, quòd omnes medicinæ partes ita* innexæ sunt, vt ex toto separari non possint, sed ab eo nomen trahant, à quo plurimum petunt. Ergo vt illa quæ victu curat, aliquando medicamentum adhibet, & illa quæ præcipuè medicamentis* purgat, adhibere etiam rationem

* pugnat.

* con al. an.

* pugnat,

victus debet, quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Sed cùm omnia medicamenta proprias facultates habeant, ac ſæpe ſimplicia opitulentur, ſæpe miſta, non alienum videtur antè proponere & nomina, & vires, & miſturas eorum, quo minor ipſius curationis ex ſequentibus mora ſit.

BALDVINI RONSSEI

ENARRATIO.

Apollonij qui Mys.

HIC ab aliis MIX *vocatur: conſcripſit libros De ſecta Herophili.*

Herophilus.

HEROPHILVS *hic inter maximos quondam habitus eſt medicos. tantum medicamentis tribuit, vt palam aſſereret medicamenta deorũ eſſe munus: neque id abſque ratione, vt teſtatur Scribonius; nam prorſus idem præſtant medicamenta, quod tactus diuinus efficere poteſt.*

Horum autem vſum.

IDEM *aſſerit Scribonius Largus in epiſtola ad C. Iulium Calliſtum: Aſclepiades, inquit, febricitantibus, vitiiſque præcipitibus correptis, quæ* ὀξῆ πάθη *Græci dicunt, negauit medicamenta danda, quia cibo, vinóque aptè dato interdum remediari tutius eos exiſtimabat: cæterùm libro qui* παρασκευαστικῶν*, id eſt Præparationum inſcribitur, contendit vltimæ ſortis eſſe medicum, qui non ad ſingula quæque vitia, binas ternáſve compoſitiones, & expertas protinus paratas habeat. Idem de eodem teſtatur Plinius libro* XXVI. *capite* III. *vt libro ſecundo retulimus.*

CAPVT I.

De ſimplicibus facultatibus quaruncunque rerum, ex quibus medicamenta fiunt, & primò de his quæ ſanguinem ſuppriment.

SANGVINEM ſuppriment, atramentum ſutorium, quod Græci χάλκανθον appellant, chalcitis, acacia, & ex aqua lycium, thus, aloë, gummi, plumbũ combuſtum, porrũ, herba ſanguinalis, creta vel cimolia vel * figuralis, miſy, frigida aqua, vinum, acetum, alumen, melinum, ſquama & ferri, & æris, atque huius quoque duæ ſpecies ſunt, alia tantum æris, alia rubri æris.

* fi- ia,

ENAR-

ENARRATIO.

EA quibus sanguis cohibetur, alia refrigerando, alia astringendo, alia glutinando, alia siccando, alia adurendo id efficiunt: Initium tamē à refrigerantibus, & astringentibus ducendū est;& ad extremum adhibenda adurentia sunt. Solet autem sanguis effluere, aut apertis, aut ruptis, aut exesis vasis. apertis igitur astringentia; ruptis glutinantia; exesis sarcotica & boni succi alimenta remedio sunt.

CAPVT II.

Quæ vulnus glutinent.

GLVTINANT vulnus, myrrha, thus, gummi, præcipueque acanthinum, psyllium, tragacantha, cardamomum, bulbi, lini semen, nasturtium, oui album, gluten, ichthycolla, vitis alba, contusæ cum testis suis cochleæ, mel coctum, spongia vel ex aqua frigida, vel ex vino, vel ex aceto expressa, ex iisdem lana succida, si leuis plaga est, etiam aranea: reprimunt alumen & scissile (quod σχιστὸν vocatur) & liquidum, melinum, auripigmentum, ærugo, chalcitis, atramentum sutorium.

ENARRATIO.

GLVTINANTIA Græci modò κολλητικὰ, nunc συμφυτικὰ, aliâs σαρκωτικὰ vocant: siccant omnia ad secundum ferè gradū, media ratione inter ea quæ cicatricē trahunt, & quæ carnem regenerant, non detergent, sed astringunt, prohibentq́; ne quid humoris labris vlcerū obueniat; nec in cruentis solummodò vsurpari solent, sed & ad sinus, ad fistulas, maligna vlcera, vetustaq́; transferuntur: sunt autem huiusmodi, vt tertio Methodi medendi docet Galenus, ea quæ austera sunt atq. astringentia.

CAPVT III.

Quæ concoquant, & moueant pus.

CONCOQVVNT & mouent pus, nardum, myrrha, costus, balsamum, galbanum, propolis, styrax, thuris & fuligo & cortex, bitumen, pix, sulphur, resina, seuum, adeps, oleum.

ENARRATIO.

QVÆ pus mouent, quum similem temperiem habeant iis temperaturis quæ naturales sunt, earum substantiam tueri potiùs quàm immutare possunt; ergo in suppurationibus humiditas illa alteratur quidem, itémque si qua caro contusa est: at

omnia quæ secundum naturam sunt, substantiam suam seruant. tale igitur debet esse medicamentum quod ad pus mouendum adhibetur, qualis est in naturis temperatis natiuus calor. quemadmodum enim alterationes, quæ secundum naturam ab innato calore fiunt, à simili calore externo iuuantur; ita etiam in suppurationibus vsu venit.

CAPVT IIII.

Quæ aperiant vulnera.

* venarum ora
* quæ ἀναςομωτικὰ Gr. dicuntur,
* bdella,
* aminia

V * VLNERA aperiunt tanquam ora in corporibus, * quod ςόμα Græcè dicitur, cinnamomum, balsamum, panaces, iuncus quadratus, pulegium, flos albæ violæ, * bdellium, galbanum, resina terebinthina, & pinea, propolis, oleum vetus, piper, pyrethrum, chamæpitys, vua * taminia, sulphur, alumen, rutæ semen.

ENARRATIO.

QVÆ oscula venarum aperiunt, calida sunt non valdè, & crassarum partium; quæ etenim vehementer calefaciunt, vrunt, & crustam inducunt: quare an piper, vt quod violenter calefaciat & siccet, & pyrethrum, aliáque id genus quæ adurentibus posteà annumerat, rectè hîc asscripserit, alij indicent: id tantùm dicendum est, quòd omnia exemplaria, meo quidem iudicio, perperam vulnera *legant, quum potiùs* vlcera *legendum sit: quamuis auctor noster, Hippocratem imitatus, vulneris vocabulum cum vlcere confundat, vt antè annotauimus.*

CAPVT V.

Quæ purgant.

* est sandaracha squama
* hoc val.
* vtique
* fel taurinum, vit.

PVRGANT, ærugo, auripigmentum, quod ἀρσενικὸν à Græcis nominatur. Huic autē & sandaracæ in omnia, eadem vis, sed validior * est squama æris, pumex, iris, balsamum, styrax, thus, thuris cortex, resina & pinea, & terebinthina liquida, œnanthe, lacerti stercus, sanguis columbæ, & palumbi, & hirundinis, ammoniacum, bdellium, quod in omnia idem quod ammoniacum potest, sed * valentius est, abrotanum, ficus arida, coccum gnidium, scobis eboris, omphacium, radicula, coagulum, sed maximè leporinum, cui eadem quæ cæteris coagulis facultas, sed * vbique validior est, * fel, vitellus crudus, cornu ceruinum, gluten taurinum, mel crudum, misy, chal-

ſy, chalcitis, crocum, vua* taminia, abrotanum, ſpuma argenti, galla, ſquama æris, lapis hæmatites, minium, coſtum, ſulphur, pix, cruda, ſeuum, adeps, oleum, ruta, porrum, lenticula, eruum. *aminia,

ENARRATIO.

PVRGANTIA medicamenta Græci καθαρτικὰ καὶ ῥυπτικὰ vocant. debent autem eadem modicè detergere & ſiccare; detergenda enim ſordes eſt, quæ corruptela corporis concreſcit; exiccanda ſanies humidúmque recrementum, quod ſtata naturæ lege ab alimento partis reliquum fit, aut aliunde illabitur.

ammoniacum.

BDELLIVM valentius quidem eſt ammoniaco, verùm an eadem purgent, alij viderint; ego certè molliendi diſcutiendíque vi adeò prædita eſſe comperi, ut ſcirrhos tophóſque diſcutiant.

coagulum.

LEPORINVM coagulum omnium eſt præſtantiſſimum, vt quod comitiales liberet, ſanguinem in ventre concretum diſſipet ac diſſoluat: in genere tamen omni coagulo vis eſt digerens acris ac deterſoria.

ſeuum, adeps.

AN hæc purgantibus rectè annumerârit, penes alios iudicium eſto: ego, vt quod ſentio liberè proferam, à quodam aſſuta existimo.

CAPVT VI.
Quæ rodant.

RODVNT, alumen liquidum, ſed magis rotundum, ærugo, chalcitis, miſy, ſquama æris, ſed magis rubri, æs combuſtum, ſandaraca, minium Synopicum, galla, balſamum, myrrha, thuris cortex, galbanum, reſina terebinthina humida, piper vtrunque, ſed rotundum magis, cardamomum, auripigmentum, calx, nitrum, & ſpuma eius, apij ſemen, narciſſi radix, omphacium, alcyonium, oleum ex amaris nucibus, allium, mel crudum, vinum, lentiſcus, ſquama ferri, fel taurinum, ſcammonia, vua taminia, cinnamomum, ſtyrax, cicutæ ſemen, reſina, narciſſi ſemen,* fel, nuces amaræ, oleúmque earum, atramentum ſutorium, chryſocolla, veratrum, cinis. *ſal,

ENARRATIO.

QVÆ rodunt, aut acria, aut amara, aut ſalſa, aut acerba ſunt; aliáque aliâs id efficiunt: ſiquidem alia aſtringendo vellicant, alia ſalſugine quadam tentiginem prouocant; ſicuti alia acrimonia ſua cutem penetrant, atque eroſionis ſenſum faciunt.

cicutæ

cicutæ ſemen.

NVLLO modo Cicuta inter erodentia numerari poteſt. Nam quum frigidiſſima ſit cicuta, vt auctor eſt Galenus, nulla ratione ſemen inter rodentia collocari poterit; ſi tamen alicui pro cicuta, *cicutariam ſecundo ordine excalfacientem herbam ſubſtituere placuerit, poterit vtcunque conſtare ſententia: quanquam nemo myrrhidis ſemen abſolutè rodens dixerit.*

oleumq́ue carum.

NESCIO an ſui per omnia bene memor Celſus breuiuſculo hoc capite rectè oleum ex amaris nucibus bis benè inſeruerit, quando id ſemel dixiſſe ſuffeciſſet.

CAPVT VII.

Quæ exedant corpus.

EXEDVNT corpus, acaciæ ſuccus, hebenus, ærugo, ſquama æris, chryſocolla, cinis Cyprius, nitrum, cadmia, ſpuma argenti, hypociſtis, diphryges, ſal, auripigmentum, ſulphur, cicuta, ſandaraca, ſalamandra, alcyonium, æris flos, chalcitis, atramentum ſutorium, ochra, calx, acetum, galla, alumen, lac caprifici, vel lactucæ marinæ, quæ tithymallos à Græcis nominatur, alcyonium, fel, thuris fuligo, ſpodium, lenticula, mel, oleæ folia, marrubium, lapis hæmatites, & Phrygius, & Aſius, & ſciſſilis, miſy, vinum, acetum.

ENARRATIO.

QVÆ corpus exedunt, σηπτικὰ vocant: hæc altiùs paulo quàm cathæretica, quæ rodentia vocat Celſus, carnem ſubeunt; eandem tenellam adhuc tabefaciunt, calore multo, nec ita craſſo corpore.

cicuta.

RVRSVM hîc cicutam, nihil minùs quàm exedentem, aſſcripſit; ſicuti etiam bis acetum, & alcyonium.

CAPVT VIII.

Quæ adurant.

ADVRVNT, auripigmentum, atramentum ſutorium, chalcitis, miſy, ærugo, calx, charta combuſta, ſal, ſquama æris, fex combuſta, myrrha, ſtercus & lacerti, & columbæ, & palumbi, & hirundinis, piper, coccum Gnidium, allium, diphryges, lac vtrunque (quod proximo capite ſuprà comprehenſum

prehensum est) veratrum & album & nigrum, cantharides, corallium, pyrethrum, thus, salamandra, eruca, sandaraca, vua taminia, chrysocolla, ochra, alumen scissile, ouillum stercus, œnanthe.

ENARRATIO.

SVB adurentibus cathæretica & septica comprehendisse videtur; septa vocant quæ sine morsu exedunt.

myrrha, thus.

SECVNDI ordinis calefacientium, & primi tantùm siccantium sunt, vt testatur Galenus: quo fit vt huic capiti non rectè accommodata dicamus.

corallium.

ET hoc quoque inter adurentia malè locauit; quando, vt auctor est Dioscorides, astringat & refrigeret mediocriter: vnde & excrescentia coërcet, & cicatricem oculorum abstergit; atque vlcerum cauitates atque cicatrices explet.

chrysocolla.

GALENVS inter ea quæ carnem liquant, non tamen quæ vehementer mordicant, chrysocollam enumerat, quanquam sit facultate admodum digerente, exiccantéque.

CAPVT IX.

Quæ crustas vlceribus inducant.

EADEM ferè crustas vlceribus tanquam igne adustis inducunt: sed præcipuè chalcitis, vtique si cocta est, flos æris, ærugo, auripigmentum, misy, & * id, quò magis coctum. * id quoq. m.

ENARRATIO.

QVÆ crustas inducunt, escharotica vocant: ea ex septorum genere ferè sunt: sed vt firmior contrahatur crusta, aliquod ex acribus metallicis admiscendum erit, quod sit crassa simul, & astringente potentia praditum.

CAPVT X.

Quæ crustas vlceribus resoluant.

CRVSTAS verò has resoluit farina triticea cum ruta, vel porro, aut lenticula, cui mellis aliquid adiectum est.

CAPVT XI.

Quæ discutiant ea, quæ in aliqua parte corporis coierunt.

AD discutienda verò ea, quæ in corporis parte aliqua coïerunt, maximè possunt, abrotanum, helenium, amaracus, alba viola, mel, lilium, * sampsucus, cyperus, lac, sertula campana, serpyllum, cupressus, cedrus, iris, viola purpurea, narcissus, rosa, crocum, passum, iuncus quadratus, nardum, cinnamomum, casia, ammoniacum, cera, resina, vua taminia, spuma argenti, styrax, ficus arida, tragoriganus, lini & narcissi semen, bitumen, sordes ex gymnasio, pyrites lapis, aut molaris, crudus vitellus, amaræ nuces, sulphur.

* sampsucus Cyprius.

ENARRATIO.

Ad discutienda.

HÆC duorum generum sunt: alia enim leniora sunt, quæ ἀραιωτικὰ dicuntur, suntq́ue mediæ naturæ vicina eo calore quem humiditas temperet; aliáque fortiora sunt quæ διαφορητικὰ nominant; suntq́ue epispasticis quodammodò vicina.

cyperus.

CYPERVS & iuncus quadratus idem sunt: quare quum paulo pòst iuncum quadratũ repetat, pro cypero, cyprum, discussorium omnino ex aquosa substantia moderatè calida, substituero.

cedrus.

CEDRVS tertio ordine calefacit & exiccat; unde inter primi ordinis erodentium seu septicum rectius annumeraueris.

ficus arida.

ALII glossos etiam tanquam discussorium medicamentum, caricis multo inefficaciores, asscribunt.

CAPVT XII.

Quæ euocent, & educant.

EVOCAT & educit, ladanum, alumen rotundum, hebenus, lini semen, omphacium, fel, chalcitis, bdellium, resina terebinthina, & pinea, propolis, ficus arida decocta, stercus columbæ, pumex, farina lolij, croci in aqua cocti, elaterium, lauri baccæ, nitrum, sal.

ENARRATIO.

QVÆ *enocant, calida ferè sunt & tennis substantiæ; Græci* ἑλκτικὰ καὶ ἐπισπαστικὰ *vocant. quare cur in hoc genere omphacinm, facnltate planè contrarium (vt quod reprimat magis) posuerit; non possum satis mirari: nam quod de alumine subiungit, eum fortè fefellit Dioscoridis anctoritas, qui alumini etsi vim astrictoriam attribuerit, idem tamen excalfacere dicit; vnde suspicatus est mixtæ atque contrariæ simul esse facultatis, hoc est reprimentis, & euocantis, sicuti chalcitis: quæ etsi ita calefaciat vt & crustas inducat, astrictionis tamen alicnius particeps est.*

CAPVT XIII.

Quæ exasperata leuent.* *lauent.

L*EVAT id quod exasperatum est, spodium, hebenus, gummi, oui album, lac tragacanthum. *Læuat

ENARRATIO.

NON *omnino malè Pantinus* τὸ leuant, *in* τὸ leuigant *conuertendū censuit.*

CAPVT XIIII.

Quæ carnem nutriant, & vlcus impleant.

CARNEM alunt, & vlcus implent, resina pinea, *ochra, actice, mel, asteriace, cera, butyrum. *ochra attica, *vel* asterica, *vel* attice.

ENARRATIO.

MEDICAMENTVM, *vt auctor est Galenus tertio Methodi medendi, quod carni producendæ sit aptum, primi ordinis tum siccantium, tum detergentium esse debet: nam quod super hunc fuerit, ita vt non modò humoris redundantiam consumat, sed etiam affluentem sanguinem populetur, id refici carnem ceu materiem eius absumens prohibebit: at quæ vlcera implent, sordes abstergunt, & humorem siccant; atque ita impedimenta tollunt, quæ carnem à natura creari non patiebantur.*

ochra, actice, mel, asteriaca.

SVNT *qui legendum putent* ochra actica, *vel* asterica: *ego* ochra Attica, *citra distinctionem, legendum existimo, quòd olim inter reliquas Atticæ ochræ primus honos asscriberetur, si Dioscoridi & Plinio habenda fides est. Verùm an rectè* τὸ mel *in disiunctiuam* vel *commutârint nonnulli, nondum assequor; præsertim quando mel ad sordida vtile sit vlcera, non solùm quòd abstergat, sed & quòd abscedentem carnem glutinet. si cui tamen disiunctiuam ponere lubeat, ita vt per asteriacem, Lemnium sigillum intelligat (quòd, licet non per omnia, saltem aliqua ex parte colore ochram exprimat) per me integrum est. Siquidem nisi pro asteriaca sphragida Lemnia intelligamus, ingenuè fateor me nondum legisse quid*

asteriace sit: solebant enim varia in Lemnio sigillo signa imprimere; nam modò imagine capræ signabant, interim stellæ (vnde olim ἀστὴρ appellabatur) aut alterius cuinspiam. Est autem Lemnium sigillum ad vulnera tam recentia, quàm vetera & contumacia, & cicatrici inducendæ vtile; vt inter alios auctor est Galenus.

CAPVT XV.

Quæ molliant.

MOLLIVNT, æs combustum, terra * eretria, nitrum, papaueris lacryma, ammoniacum, bdellium, cera, seuum, adeps, oleum, ficus arida, sesamum, sertula Campana, narcissi & radix & semen, rosæ folia, coagulum, vitellus crudus, amaræ nuces, medulla omnis, * stibi, pix, cochlea cocta, cicutæ semen, plumbi retrimentum, σκωρίαν μολύβδου Græci vocant, panaces, cardamomum, galbanum, resina, vua taminia, styrax, iris, balsamum, sordes ex gymnasio, sulphur, butyrum, ruta.

* erythria

* stibium.

ENARRATIO.

MEDICAMENTA emollientia scirrhos, vt auctor est Oribasius, multo calidiora esse debent quàm temperata natura sit; non tamen tam vehementer calida; nam quæ à lento crassóque humore indurato, aut congelato induruerunt, calefacientia siccantiáque medicamenta exposcunt; non tamen quæ valida violentáque sunt: sed satis est interim, vt secundi aut tertij sint ordinis excalefacientium, primi exiccantium. facultas quoq. emplastica in iis esse debet; sicuti & in eis quæ ad pus mouendum adhibentur. Sed quo magis ad euacuandũ pertinere debent, eò etiam minùs meatus illitu obstruere.

papaueris lacryma.

SI, vt ex Oribasio retulimus, calida esse debent emollientia; mirum est, quare in eorundem catalogo, opium inseruerit Celsus; nisi quispiam, vt quod gustu amarum sit (sicuti etiam inferre videtur doctissimus medicus Matthiolus Senensis) temperie calidum esse dicat.

rosæ folia.

ETSI mixtæ facultatis sit rosa, astringentis potiùs quàm emollientis esse dixero: nisi & hîc quoque rosam pro rosaceo accipias.

CAPVT XVI.

Quæ cutem purgent.

CVTEM purgat mel; sed magis, si est cum galla, vel eruo, vel lenticula, vel marrubio, vel iride, vel ruta, vel nitro, vel ærugine.

ENARRATIO.

QVAECVNQVE nitrosa sunt & amara, ea omnia meatus expurgare possunt; quæ verò tenuium partium sunt dulcia, extergent moderatè vlcerum sordes, & totius cuticulæ.

si est cum galla.

GALLA nihil minùs quàm exterget aut cutem purgat, quum tertij ordinis exiccantium, secundique frigefacientium sit.

CAPVT XVII.

De misturis simplicium rerum, & de ratione ponderum; & quid Malagma, & Emplastrum, & Pastillus inter se differant.

EXPOSITIS simplicibus facultatibus, dicendum est, quemadmodum misceantur, * quæ ex iis fiant. Miscentur autem variè, neque huius * vllus modus est, cùm ex * simplicibus alia demantur, alia adiiciantur, iisdemque seruatis, ponderum ratio mutetur. * Ita cùm facultatum materia non ita multiplex sit, innumerabilia misturarum genera sunt, quæ comprehendi si possent, tamen esset superuacuum. Nam & iidem effectus intra paucas compositiones sunt, & mutare eas cuilibet (cognitis facultatibus) facile est. Itaque contentus iis ero, quas accepi velut nobilissimas. In hoc autem volumine eas explicabo, quæ vel desiderari in prioribus potuerunt, vel ad eas curationes pertinent, quas protinus hîc comprehendam, sic vt tamen quæ magis communia sunt, simul iungam. Si qua singulis, vel etiam * paruis accommodata sunt, in ipsorum locum differam. Sed & antea sciri volo, in vncia pondus denariorum septem esse. Vnius deinde denarij pondus diuidi à me in sex partes, id est sex vncias, vt idem in vncia denarij habeam, quod Græci habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad nostra pondera relatum paulo plus dimidio scrupulo facit. Malagmata verò, atque Emplastra, Pastillique (quos τροχίσκους Græci vocant) cùm plurima eadem habeant, differunt eo, quòd Malagmata maximè ex floribus, eorumque etiam surculis: Emplastra Pastillique magis ex

* quæque
* vnus
* similibus
* Itaque
* paucis
Vncia.
Denarius.

gis ex quibuſdam metallicis fiunt: deinde malagmata contuſa abunde molleſcunt: nam ſuper integram cutem iniiciuntur. Laborioſe verò conteruntur ea, ex quibus emplaſtra paſtillique fiunt, ne lædant vulnera cùm impoſita ſunt. Inter Emplaſtrum autem, & Paſtillum hoc intereſt, quòd Emplaſtrum vtique liquati aliquid accipit, in Paſtillo tantùm arida medicamenta aliquo humore iunguntur. Tum Emplaſtrum hoc modo fit, arida medicamenta per ſe teruntur, deinde miſtis iis inſtillatur aut acetum, aut ſi quis alius non pinguis humor acceſſurus eſt, & ea rurſus ex eo teruntur. Ea verò quæ liquari poſſunt, ad ignem ſimul liquantur, & ſi quid olei miſceri debet, tum infunditur. Interdum etiam aridum aliquod ex oleo prius coquitur. Vbi facta ſunt, quæ ſeparatim fieri debuerunt, in vnum omnia miſcentur. At paſtilli hæc ratio eſt: Arida medicamenta contrita humore non pingui, aut vino, vel aceto coquuntur, & rurſus cocta, inareſcunt. Atque vbi vtendum eſt, eiuſdem generis humore diluuntur, tum Emplaſtrum imponitur, * paſtillus illinitur, aut alicui molliori, aut cerato miſcetur.

* paſtillis

ENARRATIO.

Miſcentur autem variè.

MISCENDORVM medicamentorum rationem copioſiſſimè tradiderunt veteres; eámque animaduerſionem obſeruare conſueuerunt, vt eis miſcendis & componendis, euincentes in laborantibus humores ſequerentur, quo minùs aliorum vice alios expellerent: cautione interim habita, vt ſi euacuatione opus eſſet, eoſdem, quoad fieri poſſet, maximè citra moleſtiam euacuarent.

Vnius deinde denarij.

LOCVS hic, vt doctiſſimè annotauit Ioannes Guinterius Andernacus, mendosè legitur, reſtituendúſque in hunc modum eſt: Denarius à me diuiditur in ſex partes, id eſt ſextantes; vt idem in ſextante habeam, quod Græci in eo quem ὀβολὸν appellant. *Hîc porro inter auctores magna controuerſia eſt: ſiquidem Plinius idem ſcribit eſſe Latinorum denarium, quod drachma apud Græcos eſt: idem faciunt Celſus & Scribonius. hi tamen auctores ſeptem denarios in vnciam mittunt, vt videlicet LXXXIIII. duodecim vncias ſeu libram abſoluant. Galenus autem aliíque ſcriptores Græci, octo drachmas vnciæ attribuunt, & XCVI libræ. Iam verò Galenus quotiès ex Scribonio medicamentum adducit, denarium ſemper drachma reddit; etſi hic Romæ quoque, ſicut & ille, profeſſus fuerit. In eo conueniunt vtrobique, & Latini & Græci, puta quòd denarium, & drachmam continere ſex obolos dicant. Hæc Guinterius.*

Laborioſè verò.

QVASI dicat magno conatu in tenuiſſimum pollinem terenda, & ſummo labore quaſi in atomos redigenda.

DE MA-

DE MALAGMATIS.

CAPVT XVIII.

Malagma aduersus calidas podagras.

HIS cognitis, primùm malagmata subiiciam, quæ ferè non sunt refrigerandi, sed calefaciendi caussa reperta. Est tamen quod refrigerare* possit, ad calidas podagras aptum. Habet gallæ & immaturæ & alterius, coriandri seminis, cicutæ lacrymæ aridæ, gummi, singulorum plenum acetabulum, cerati eloti quod πεπλυμένον Græci vocant, selibram. Reliqua fere calefaciunt. Sed quædam digerunt materiam, quædam extrahunt, ἐπισπαστικὰ vocantur, pleraque certis magis partibus membrorum accommodata sunt. *potest,

ENARRATIO.

MALAGMATA vocant medici, vt auctor est Galenus, quæ partes supra modum induratas emolliunt; calido omnia temperamento mediocri prædita, non tamen exiccantia, quemadmodum nec manifestè humectantia: Nam quum exactè malactica, medium quendam ordinem inter humectantia siccantiáque sortiantur, indurescentium substantiæ veluti fusionem quandam moliuntur. Sunt autem malagmatum tres differentiæ: alia enim ex quibusdam succis, radicibus, inquam, herbis & seminibus fiunt; alia ex metallicis, aut iis quæ proportione metallis respondent; quanquam contrarium asserere videatur Celsus: nam quæ lieni applicantur (vt auctor est Paulus ex Ægina medicus) constant calce viua, auripigmento, ærugine, cardamomo, ammoniaco, & aceto: alia ex succis, sebo, & lachrymis componuntur.

Habet gallæ & immaturæ.

IMMATVRAM gallam appellat eam, quam Dioscorides omphacitem nominat.

Malagma ad materiam extrahendam.

SI materia extrahenda est, vt in hydropico, in lateris dolore, incipiente abscessu, in suppuratione quoque mediocri, aptum est id, quod habet resinæ aridæ, nitri, ammoniaci, galbani, singulorum pondo *. ceræ pondo *. Aut in quo hæc sunt, æruginis rasæ, thuris, singulorum P. I I. *. ammo-

niaci salis P. VI. ✱. squamæ æris, ceræ, singulorum P. VIII. ✱. resinæ aridæ P. * XII. ✱. aceti cyathus. Idem præstat cumini farina cum struthio, & melle P. II. ✱.

* VII.

ENARRATIO.

IDEM planè est quod ad Cleophantem refert Galenus, nisi quòd loco ceræ, propolin, & cyprinum acetúmque accipiat; atque idcircò hoc quod auctor noster describit non ignauius.

Malagma ad iecur dolens.

SI iecur dolet, id in quo est balsami lacrymæ P. XII. ✱. costi, cinnamomi, casiæ, corticis myrrhæ, croci, iunci rotundi, balsami seminis, iridis illyricæ, cardamomi, amomi, nardi, singulorum P. XVI. ✱. Quibus adiicitur nardinum vnguentum, donec cerati crassitudo sit, & huius quidem recentis vsus est. Si verò seruandum est, resinæ terebinthinæ P. XVI. ✱. ceræ P. X. ✱ ex vino leni contunduntur, tum * eo miscentur.

* hæc addititia.

ENARRATIO.

MALAGMA hoc non solùm ad iecur dolens vtile est, verùm etiam & ad omnes affectiones renum, coli, stomachi, & vuluæ, sed neque incommodum est cachecticis, atrophis & hydropicis, cibúmque auersantibus. Refertur autē ad Damocratem auctorem. Differt tamē nonnihil ab eo quod Galenus libro octauo Localium medicamentorum describit.

Malagma ad lienem.

AT si lienis torquet, glandis (quam βάλανον Græci vocant) cortex & nitrum paribus portionibus contunduntur, resperguntúrque aceto quàm acerrimo. Vbi cerati crassitudinem habet, linteo antea in aqua frigida madefacto illinitur, & sic imponitur, supráque farina ordeacea iniicitur, sed manere ibi non amplius sex horis debet, ne lienem * consumat. Satiusq́ue est id bis, aut ter fieri. Commune autem & iocinori, & lieni, & abscessibus, & strumæ, parotidibus, articulis, calcibus quoque suppurantibus, aut aliter dolentibus, etiam concoctioni ventris, Lysias composuit ex hyssopi, panacis,

* absumat.

nacis, styracis, galbani, resinæ, singulorum P. II. ✳. ammoniaci, bdellij, ceræ, seui taurini, iridis aridæ P. * IIII. ✳. cachryos acetabulo, piperis granis quadraginta. Quæ contrita, irino vnguento temperantur. *II.

ENARRATIO.

VALENTIVS multo est quod ad lienosos describit Scribonius Largus. recipit autem myrobalanorum ✳ p°. L. Aphronitri ✳ p° XXX. capparis radicis ✳ p° XX. cardamomi ✳ p° XXV. ammoniaci guttæ ✳ p° XXX. ceræ p° selibram, olei irini p°. selibram. Cera irino dissoluitur: quibus ammoniacum aceto dilutum admiscetur, & posteà quæ arida sunt miscentur.

Lysias composuit.

SI opopanacum, fœnugræcum, anisum addideris, multo efficacius reddideris.

Malagma ad laterum dolores.

AD laterum autem dolores compositio est Apollophanis, in qua sunt resinæ terebinthinæ, thuris, fuliginis, singulorum P. IIII. ✳. bdellij, ammoniaci, iridis, seui vitulini, aut caprini à renibus* sicci, singulorum P. IIII. ✳. Hæc autem eadem omnem dolorem leuant, dura emolliunt, mediocriter calefaciunt. Ad idem latus Andreæ quoque malagma est, quod etiam resoluit, educit humorem, pus maturat, vbi id maturum est, cutem rumpit, ad cicatricem perducit, prodest impositum minutis maioribusque abscessibus, item articulis, ideoque & coxis, & pedibus dolentibus: item si quid in corpore collisum est, reficit, præcordia quoque dura & inflata emollit, ossa extrahit, ad omnia denique valet, quæ adiuuare calor potest. Id habet ceræ P. *XI. ✳. visci sycamini, quam aliàs sycomoron vocant, lacrymæ, singulorum P. * I. ✳. piperis & rotundi, & longi, * ammoniaci, thymiamatis, bdellij, iridis illyricæ, cardamomi, amomi, xylobalsami, thuris masculi, myrrhæ, resinæ aridæ, singulorum P. X. ✳. pyrethri, cocci Gnidij, spumæ nitri, salis ammoniaci, aristolochiæ Creticæ, radicis ex cucumere agresti, resinæ terebinhinæ liquidæ, singulorum P. XXV. ✳. Quibus adiicitur vnguenti irini, quantum satis est ad ea mollienda, atque cogenda.

*, visci, (margin)
*I. *XI. *ammoniaci thy. (margin)

ENARRATIO.

Andreæ quoque.

DESCRIBIT isto operosius Andreæ malagma, quod multis utile dicit Galenus libro De compositione medicamentorum κατὰ γενῆ septimo: nam præter simplicia quæ hîc ennumerat Celsus, œsypum, radicem hibisci, gladioli radicem, capparis radicem, aloën, styracem, galbanũ adipemq́ anserinum addit: prætereà ubi Celsus rotundum piper habet, ille album accipit: adhæc loco cucumeris agrestis, Galenus, meo quidem indicio, malè ficus agrestes legere maluit. quare hîc monendus lector est, ut locum hunc Galeni corrigat, ac loco τοῦ ficus τὸ cucumeris restituat: paruus enim lapsus fuit ἀντὶ τοῦ σικυοῦ, τὸ σῦκον reddere. His accedit, quòd malè hactenus distincta fuerit Celsi lectio: siquidem post τὸ visci, comma apponendum; ut viscum quercinum, sicuti facit Galenus, intelligamus.

Malagmata ad resoluenda quæ adstricta sunt, & mollienda quæ dura sunt, & digerenda quæ coëunt.

PRÆCIPVVM verò est ad resoluenda quæ adstricta sunt, mollienda quæ dura sunt, digerenda quæ coëunt, id quod ad Polyarchum auctorem refertur. Habet iunci quadrati, cardamomi, thuris, fuliginis, amomi, ceræ, resinæ liquidæ pares portiones.

Aliud malagma ad eadem.

ALIVD ad eadem Nilei, crocomagmatis (quod quasi recrementum eius est) P. IIII. ✳. ammoniaci, thymiamatis, ceræ, singulorum P. XX. ✳. ex quibus duo priora ex aceto teruntur, cera cum rosa liquatur, & tum omnia iunguntur.

ENARRATIO.

Aliud ad eadem.

GALENVS non solùm ad prædicta, sed & ad præcordiorum dolores facere auctor est: Dissoluit, inquit, omnem duritiem, facit ad exarticulata, & luxata post declinationem inflammationum positum: facit etiam spleneticis & hepaticis. Variat tamen Galeni descriptio ab hac nostra: nam loco crocomagmatis, crocum habet; & in vicem rosacei, irinum substituit.

Malagma Moschi ad molliendum.

PROPRIE etiam dura mollit id, quod Moschi esse dicitur. Habet galbani unciam, thuris fuliginis, P. ✳. 3. ceræ, ammo-

ammoniaci, * thymiamatis trientes, picis aridæ P. I I. ✱. aceti heminas tres. * dele distinct.

ENARRATIO.

MOSCHIONIS legendum puto, cuius Galenus libro secundo De compositione medicamentorum κατὰ γένη mentionem facit.

Malagma Medi ad digerenda quæ coëunt.

FERTVR etiam ad digerenda quæ coëunt sub auctore Medo, quod habet ceræ P. 3. ✱. panacis P. ✱. ſemis, ſquamæ æris, aluminis rotundi, item ſciſſilis, ſingulorum P. I. ✱. plumbi combuſti P. I. ✱. & ſemis.

Malagma Panthemi ad eadem.

AD eadem Panthemus vtebatur, calcis P. ✱. ſemis, ſinapis contriti, item fœni Græci, aluminis, ſingulorum P. I. ✱. ſeui bubuli P. I I. ✱. & ſemis.

Malagma ad ſtrumas.

AD ſtrumam multa malagmata inuenio. Credo autem quo peius id malum eſt, minuſque facilè diſcutitur, eo plura eſſe tentata, quæ in perſonis variè reſponderunt. Andreas auctor eſt, vt hæc miſceantur, vrticæ ſeminis P. I. ✱. piperis rotundi, bdellij, galbani, ammoniaci, thymiamatis, reſinæ aridæ, ſingulorum P. I I I I. ✱. reſinæ liquidæ, ceræ, pyrethri, piperis longi, lactucæ marinæ, ſeminis ſulphuris ignem non experti (quod ἄπυρον vocatur) fecis * aridæ, aceti, * aridæ aceti,
ſpumæ nitri, ſalis ammoniaci, ſinapis, cardamomi, radicis cucumeris ſylueſtris, reſinæ, ſingulorum * P. V I I I. ✱. Quæ ex * P. V.
leni vino contunduntur.

Aliud malagma ad idem valens.

EXPEDITIVS ad idem fit, quod habet viſci * felini ſtercoris, reſinæ, ſulphuris ignem non experti pares portiones. Et in quo eſt ſulphuris P. I. ✱. lapidis, quem pyriten vocant P. I I I I. ✱. cumini acetabulum. Item in quo eſt lapidis eiuſ- * aliàs: ſeminis, ſtercoris. Legendum fortaſſe vel caprini, vel bouilli ex Galeno de ſtrumis.

dem pars vna, sulphuris duæ partes, resinæ terebinthinæ partes tres.

ENARRATIO.

Expeditius ad idem.

POTES huc applicare Scribonij Largi malagma strumarum discussorium; id enim, vt dicit, omnem futuram suppurationem dissipat, factam aperit: cuius descriptionem habes apud eundẽ § CLXIII.

Malagma ad strumam, & phymata.

ARABIS autem cuiusdam est ad strumam, & orientia tubercula, quæ φύματα vocantur, quod hæc digerit. Habet myrrhæ, salis ammoniaci, thuris, resinæ & liquidæ & aridæ, crocomagmatis, ceræ, singulorum P. I. ✱. lapidis eius, quem πυρίτην vocant, P. IIII. ✱. quibus quidam adiiciunt sulphuris P. II. ✱.

Malagma ad strumam, & tubera, & carcinodas.

EST etiam proficiens in struma, & in his tuberibus, quæ difficulter concoquuntur, & in iis quæ carcinodæ vocantur, quòd ex his constat: Sulphuris P. II. ✱. nitri P. IIII. ✱. myrrhæ P. VI. ✱. fuliginis thuris P. ✱. semis, salis ammoniaci P. ✱. III. ceræ P. I. ✱.

Malagma Protarchi ad parotidas, & fauum, & mala vlcera.

PROTARCHVS autem ad parotidas, eaque tubercula, quæ meliceriæ, id est, faui, vel phymata nominantur, item mala vlcera, pumicis, resinæ pineæ liquidæ, thuris fuliginis, spumæ nitri, iridis, singulorum P. VIII. ✱. cum ceræ P. IX. ✱. miscebat, hisque olei cyathum & dimidium adiiciebat.

Malagma, aduersus panum & phymata.

AT aduersus panum, tum primùm orientem (quod φύγεθλον Græci vocant) & omne tuberculum, quod phyma nominatur, miscetur ochra, quæ Attice nominatur, cum duabus partibus similæ, * hisque contunditur, subinde mel instillatur, donec * malagmatis crassitudo sit.

* cùm tunduntur, * mellis

ENAR-

ENARRATIO.

miscetur ochra.

ATTICAM *ochram dicit, quòd Attica, ut scribit Galenus, laudatißima sit: Attica autem ochra usus Vitruuij tempore in Italia planè exoleuerat. Habet autem vim astringendi, erodendi collectiones, & tubercula dißipandi: vnde non inutiliter per se cum melle & simila ad orientem panum applicari auctor noster dicit.*

Malagma aduersus phymata.

DISCVTIT etiam omne tuberculum (quod phyma vocatur) id quod habet calcis, nitri spumæ, piperis rotundi, singulorum P. I. ✱. galbani P. II. ✱. salis P. IIII. ✱. quæ excipiuntur cerato ex rosa facto.

Malagma ad supprimendum omne quod abscedit.

SVPPRIMITQVE omne quod abscedit id, in quo est galbani, fabæ* fresæ, singulorum P. I. ✱. myrrhæ, thuris, ex radice capparis corticis, singulorum P. IIII. ✱. Satisque omnia abscedentia digerit, murex combustus, & bene contritus, aceto subinde adiecto. * frixæ

ENARRATIO.

ad supprimendum omne.

VENVSTE *figuratéque dixit*, ad supprimendum; *pro eo quod est*, ad dissipandum, discutiendum, digerendúmve; *quòd nimirum ea quæ dißipantur, non secus atque ea quæ occultantur, ex oculis nostris euanescunt. atque quòd sic intelligendum sit, tum simplicia ipsa testimonio sunt, tum ipsemet Celsus sub finem paragraphi satis demonstrat quum dicit*, satisque omnia abscedentia digerit.

Malagma ad sanguinem supprimendum, & phymata.

AT si *satis sanguis subit, rectè imponitur quod aduersus phymata quoque potest. Constat ex his: bdellij, styracis, ammoniaci, galbani, resinæ & aridæ & liquidæ pineæ. Item ex lentisci, thuris, iridis, singulorum P. IJ. ✱. * plus satis

ENARRATIO.

VITIVM *hoc apud Græcos ecchymoma, vel ecchymosis vocatur: id quidem circa initia, digerentibus nonnihil ex astringentibus admisceri flagitat; si tamen perseuerauerit malum, solis digerentibus opus habet.*

Malagma ad carcinodas, & phymata lenienda.

CARCINODÆ verò & phymata commodè his leniuntur: Galbani, viſci, ammoniaci, reſinæ terebinthinæ in ſingulis P. I. ✱. ſeui taurini P. ✱. ſemis, fecis combuſtæ quàm maxima portione, dum id ſiccius non faciat, quàm eſſe malagma oportet.

Malagma ad liuorem faciei contuſæ.

QVOD ſi facie contuſa liuor ſubcruentus eſt, hæc compoſitio nocte & die impoſita tollit: Ariſtolochiæ, thapſiæ, ſingulorum P. II. ✱. bdellij, ſtyracis, ammoniaci, thymiamatis, galbani, reſinæ aridæ, & ex lentiſco liquidæ, thuris maſculi, iridis illyricæ, ceræ, ſingulorum P. IIII. ✱. Item faba quoque impoſita proficit.

*Malagmata * ſtomachica ad aperiendum.*

* *anaſtomotica*

* ἀναστομωτικὰ

SVNT etiam quædam malagmata, quæ * στοματικὰ Græci vocant, quoniam aperiendi vim habent. Quale eſt quod ex his conſtat, piperis longi, ſpumæ nitri, ſingulorum P. II. ✱. eriſimi P. ✱. IIII. quæ cum melle miſcentur. Idoneaque etiam ſtrumæ aperiendæ ſunt eius generis. Vehementiuſque ex his eſt id quod habet calcis P. IIII. ✱. piperis grana ſex, nitri, ceræ, ſingulorum P. X. ✱. mellis P. ✱. 3. olei heminam.

ENARRATIO.

Sunt etiam.

NESCIO *qua ratione in hac ſignificatione ſtomatica dicta malagmata vſurpet: quando certum ſit à parte affecta (nempe ore) cui accommodantur, ſtomatica dicta, non ſolùm malagmata, ſed & reliqua medicamenta: ſiquidem, vt auctor eſt Galenus quinto Methodi, ſtomatica medicamenta dicta ſunt, quòd in aſſiduo oris vſu ſunt.*

Miconis malagma, ad reſoluendum aperiendúmque ac purgandum.

MICONIS quoque eſt quod reſoluit, aperit, purgat. Habet alcyonium, ſulphur, nitrum, pumicem, paribus portionibus, quibus tantum picis, & ceræ adiicitur, vt fiat cerati craſſitudo.

ENARRATIO.

IOANNES *Cæsarius suis in Celsum annotationibus legendum existimat* Myctionis: *cuius, vt scribit, in Pliniano Indice frequens mentio est. facit tamen Plinius Myconis cuiusdam medici, & alterius statuarij mentionem. quo fit vt nihil hîc immutandum censeam.*

Malagma ad ossa, & neruos.

AD ossa autem Aristogenis, fit ex his: sulphuris P. I. ✱. resinæ terebinthinæ, nitri spumæ, & ex scilla partis interioris, plumbi eloti, singulorum P. II. ✱. thuris, fuliginis P. VIII. ✱. ficus aridæ quàm pinguissimæ, seui taurini, singulorum P. VIII. ✱. ceræ P. XI. ✱. iridis Macedonicæ P. VI. ✱. sesami fricti acetabulum, maximeque neruis, & articulis malagma conuenit.

Malagma Euticlei ad articulos, & ad omnem dolorem.

IGITVR Euticlei est, & ad articulos, & ad omnem dolorem, & ad vesicæ, & ad recenti cicatrice contractos articulos, quas ἀγκύλας Græci nominant, quod habet fuliginis thuris acetabulum, resinæ tantundem, galbani sine surculis sescunciam, ammoniaci, bdellij, singulorum P. ✱. 3. ceræ P. ✱. semis. Aliud item fit, quod habet iridis, ammoniaci, galbani, nitri, singulorum P. XIIII. ✱. resinæ liquidæ P. VI. ✱. ceræ P. XVI. ✱.

ENARRATIO.

Igitur Euticlei.

ISTHOC *parùm differt ab eo quod ad Amathaonem refert Galenus ad præcordiorum, thoracis & stomachi dolorem perutile.*

Malagma Sosagoræ ad dolores articulorum.

AD dolores articulorum Sosagoræ: Plumbi combusti, papaueris lacrymæ, corticis hyoscyami, styracis, peucedani, seui, resinæ, ceræ, pares portiones.

ENAR-

ENARRATIO.

ISTHOC, *sicuti omnia etiam narcotica, non nisi summa urgente necessitate, & ubi dolor ita excruciat, ut eidem sufferendo impares videantur, in usum recipiendum est.*

Chrysippi malagma, ad idem valens.

CHYSIPPI, resinæ liquidæ, sandaracæ, piperis, singulorum P. XII. ✱. quibus ceræ paulum adiicitur.

* Clesiphontis. * *Ctesiphontis malagma ad idem valens, & ad parotidas, & phymata, & strumam.*

CTESIPHONTIS, ceræ Creticæ, resinæ terebinthinæ, nitri quàm ruberrimi, singulorum P. ✱. semis, olei cyathi tres. Sed id nitrum antè per triduum instillata aqua teritur, & cum sextario eius incoquitur, donec omnis humor consumatur. Potest verò ea compositio etiam ad parotidas, phymata, strumam, omnemq. coitũ humoris emolliendum.

ENARRATIO.

Ctesiphontis, ceræ.

VIDE *ne non* Cleophantæ *legendum sit, cuius frequens apud Galenum mentio fit; & cuius* Plinius *libro Naturalis* Historiæ XXVI. *capite* III. *meminit.*

Malagma ad articulos.

AD articulos fici quoque aridi, partem nepetæ mistam, vel vuam taminiam sine seminibus cum pulegio rectè aliquis imponit.

ENARRATIO.

DIOSCORIDES *non cum nepeta, sed ex farina fœnugræci & aceto utiles dicit.*

Malagma Aristonis, aduersus podagras, & recentia phymata, & omnes dolores.

* chamæmeli. EADEM podagræ præsidio sunt. Sed ad eam fit Aristonis quoque, quod habet nardi, cinnamomi, casiæ, * chamæleontis,

mæleontis, iunci rotundi, ſingulorum P. VIII. ✱. ſeui caprini ex irino liquati P. XX. ✱. iridis P. I. ✱. quæ in aceto quàm acerrimo iacere per XX. dies debet. Idem autem etiam recentia phymata doloreſque omnes diſcutit.

*Theoſeni malagma, ad pedum dolores. *Theoni

AT Theoſenus ad pedum dolores, ſeui à renibus partem tertiam, ſalis partes duas miſcebat, hiſque membranulam illitam imponebat, tum ſuperiniiciebat ammoniacum, thymiama in aceto liquatum.

Numenij malagma, ad podagram, cæteróſque articulos induratos.

AT Numenius podagram, cæteroſque articulos induratos hoc molliebat: abrotani, roſæ aridæ, papaueris lacrymæ, ſingulorum P. III. ✱. reſinæ terebinthinæ P. IIII. ✱. thuris, ſpumæ nitri, ſingulorum P. VIII. ✱. iridis, ariſtolochiæ, ſingulorum P. XII. ✱. ceræ P. III. ✱. quibus adiicitur *cedri cyathus vnus, olei laurini cyathi tres, olei acerbi ſextarius. *cedriæ

Dexij malagma, ſi quando callus in articulis increuit.

SI quando autem in articulis callus increuit, Dexius docuit imponere, calcis P. IIII. ✱. ceruſæ P. VIII. ✱. reſinæ pineæ P. XX. ✱. piperis grana P. XX. ceræ P. II. ✱. Quibus dum contunduntur, hemina vini lenis inſtillatur.

DE EMPLASTRIS.

CAPVT XIX.

EX emplaſtris autem nulla maiorem vſum præſtant, quàm quæ cruentis protinus vulneribus iniiciuntur, ἔναιμα Græci vocant. Hæc enim reprimunt inflammationem (niſi magna vis eam cogit) atque illius quoque impetum minuunt, tum glutinant vulnera, quæ id patiuntur, cicatricem iiſdem inducunt. Conſtant autem ex medicamentis non pinguibus, ideoque *alipenæ nominantur. * alipar

ENARRATIO.

Ex emplastris.

EMPLASTRORUM nonnulla sunt vulneraria, quæ ἔναιμα, quòd cruentis iniiciantur; alia κολλητικὰ, quòd conglutinent dicuntur; sicuti & κατηγματικὰ, quòd fracturis accommodentur, appellamus. Constare autem ea oportet, ut auctor est Ægineta, ex siccantibus non summè, verùm secundi ordinis absolutè, & tertij incipientis: coqui autem debent quousque ampliùs manus non inquinent.

ideoque alipenæ.

GULIELMUS Pantinus rectè hîc admonet legendum esse ἀλιπάνη: sic enim apud Græcos vocari ea, quæ non habent oleum, pinguedinémve, aut eorundem parum admodum admixtum.

Barbarum emplastrum nigrum, quod cruentis protinus vulneribus iniicitur.

OPTIMUM ex iis est, quod Barbarum vocatur. Habet æruginis rasæ P. XII. *. spumæ argenti P. XX. *. aluminis, picis aridæ, resinæ pineæ aridæ, singulorum P. I. *. quibus adiiciuntur olei & aceti singulæ heminæ.

ENARRATIO.

HOC emplastrum acceptum fert Scribonius Glycioni: quod idem paulo aliter describit. Galenus libro De medicamentis κατὰ γένη, aliud βάρβαρον, ab hoc non usque adeò discrepans, quod à plerisque nigrum vocari dicit, ad Heram Cappadocem refert: Ægineta ab his diversum longè & operosius describit.

Choacon emplastrum nigrum, ad idem valens.

κωακὸν ALTERUM ad idem, quod *χόακον vocant, habet spumæ argenti P. C. *. resinæ aridæ tantundem. Sed spuma prius ex tribus olei heminis coquitur. His duobus emplastris color niger est, qui ferè talis fit ex pice atque resina. At ex bitumine nigerrimus: ex ærugine, aut æris squama viridis: ex minio ruber, ex cerussa albus.

ENARRATIO.

IOANNES Cæsarius, Legendum, inquit, fortaßis, choacum, aut chyacum, ut apud Georgium Vallam De cura oculi: nisi malis Coacum, quòd inter Hippocratis opera liber habeatur, qui de Prænotionibus Coacis inscribitur, unde & nomen deductum videri potest.

Basilicon

Basilicon emplastrum nigrum ad idem.

PAVCÆ admodum compositiones sunt, in quibus aliquid misturæ varietas nouat. Ergo id quoque nigrum est, quod Basilicon nominatur. Habet panacis P. I. ✱. galbani P. II. ✱. picis & resinæ, singulorum P. X. ✱. olei dimidium cyathum.

ENARRATIO.

QVOD ad Triphonem Basilicum refert Scribonius, parum ab hoc differt; nisi quòd panacem omittit, cuius loco cyprinum oleum idem inserit.

Smaragdinum emplastrum nigrum ad idem.

AT quod peruiride est, smaragdinum appellatur, in quo sunt resinæ pineæ P. III. ✱. ceræ P. I. ✱. æruginis P. ✱. semis, thuris fuliginis P. II. ✱. olei tantundem, & aceti, quo fuligo & ærugo in vnum cogantur.

ENARRATIO.

SMARAGDINVM hoc emplastrum ad Gallum quendam libro secundo medicamentorum κατὰ γενῆ refert Galenus. differt tamen nõ nihil in ponderibus, vt cuiuis planum erit qui hoc nostrum smaragdinum, cum viridi Galli conferet.

Emplastrum rufum ad idem.

EST etiam coloris fere rufi, quod celeriter ad cicatricem vulnera perducere videtur. Habet thuris P. I. ✱. resinæ P. II. ✱. squamæ æris P. IIII. ✱. spumæ argenti P. XX. ✱. ceræ P. C. ✱. olei heminam.

ENARRATIO.

SI galbanum adieceris, commodum & perutile emplastrum reddideris, vt auctor est Largus, ad canis morsum & omnium quadrupedum, item ad offensionem in stirpe, & cætera vulnera mediocria.

Παρακολλητικὸν emplastrum ad idem.

PRÆTEREA est, quod παρακολλητικὸν à glutinando vocant. Constat ex his: Bituminis, aluminis scissilis P. IIII. ✱. spumæ argenti * P. IIII. ✱. & olei veteris hemina. * P. XI.

Cephalicum emplastrum Philotæ capiti conueniens.

PRÆTEREA ſunt quædam generis eiuſdem, quæ quia capitibus fractis maximè conueniunt, Cephalica à Græcis nominantur. Philotæ compoſitio habet: Terræ *eretriæ, chalcitidis, ſingulorum P. IIII. ✱. myrrhæ, æris combuſti, ſingulorum P. X. ✱. ichthyocollæ P. VI. ✱. æruginis raſæ, aluminis rotundi, miſyos crudi, ariſtolochiæ, ſingulorũ P. VIII. ✱. ſquamæ æris P. XX. ✱. thuris maſculi P. II. ✱. ceræ P. I. ✱. *roſæ, & olei acerbi, ternos cyathos, aceti quantum ſatis eſt, dum arida ex eo conteruntur.

* Erythrææ

* roſ. i. roſacei

ENARRATIO.

Præterea ſunt.

CAPITIS fracturarum quæ ad laminam vſque peruenerunt emplaſtra, cephalica dici conſueuerunt. Eorum virtus eſt, vt oßium ſquammas regenerent, nutrimenta in caluaria, & aliis corporis oßibus reducant: ſuntq́ catagmaticis magna ex parte acriora. Galenus ea magis probat quæ arida ſunt: quale eſt id quod ſexto Methodi Therapeuticæ deſcripſit; ex iri Illyrica, erui farina, manna, ariſtolochia rotunda, & panacis radice. Vſus eorum eſt quoties oſſa denudata fuerunt; denudatis enim oßibus pinguia malè conueniunt.

Emplaſtrum viride ad idem valens.

ALIVD ad idem viride, æris combuſti, ſquamæ æris, myrrhæ, ichthyocollæ, ſingulorum P. VI. ✱. miſyos crudi, æruginis raſæ, ariſtolochiæ, aluminis rotundi, ſingulorum P. VIII. ✱. ceræ *P. VII. ✱. olei hemina, aceti quod ſatis ſit.

* P. I.

ENARRATIO.

GALENVS libro ſecundo De cõpoſitione medicamentorum κατὰ γένη, ad Epigonum ab hoc non prorſus dißimile, relatum emplaſtrum viride deſcribit.

Tetrapharmacum emplaſtrum, ad pus mouendum.

PVRI autem mouendo non aliud melius, quàm quod expeditiſſimum eſt, Tetrapharmacon à Græcis nominatur. Habet pares portiones ceræ, picis, reſinæ, ſeui taurini, ſi id non eſt, vitulini.

ENARRATIO.

PER resinam hîc colophoniam intelligito: nam eam accipiendam docet Paulus in tetrapharmaco hoc emplastro, quod & basilicon vocari dicit. Scribonius resinam frictam esse vult, asscribitq; Aristo chirurgo.

seui taurini.

TAVRINVM *adipem dicit accipiendum, vt docet Galenus libro De simplicium medicamentorum facultatibus, quòd mediæ facultatis sit inter suillum & leoninum, ac proinde conueniat vtrique medicamentorum generi; ei videlicet quod scirrhosis medetur, atque ei quod phlegmonas concoquat.*

Enneapharmacum emplastrum ad pus mouendum, & ad purgandum valens.

ALTERVM ad idem Enneapharmacum nominatur, quod magis purgat. Constat ex nouem rebus, cera, melle, seuo, resina, myrrha, *rosa, medulla vel ceruina, vel vitulina, vel bubula, *hyssopo, butyro. Quorum ipsorum quoque pondera paria miscentur. Sunt autem quædam emplastra, quibus vtriusque rei facultas est, *quæ si singula habenda sunt, meliora sunt. Sed in copia reiicienda sunt, his potius adhibitis, quæ propriè id, quod eo tempore opus est, consequuntur. Exempli caussa duo proponam.

ros. i. *rosaceo*
* œsypo
* cui, si s. addenda sunt, deteriora sunt, nec nisi cùm vtraque opus est, aut in singulis singulorũ inopia, vtendum venit. *Sed*

ENARRATIO.

NON dissimile huic enneapharmacon emplastrum describit Galenus libro De compositione medicamentorum secundum locos: constat autem ex mellis, ceræ albæ, medullæ ceruinæ, myrrhæ, butyri, adipis anserini, adipis vitulini, terebinthinæ, olei paribus portionibus. Ex quo constat hîc pro resina, terebinthinã *esse accipiendam: pro* hyssopo *autem hîc* œsypum *substituere conuenit.*

Attalum emplastrum ad vulnera.

EST igitur ad vulnera Attalum, quod habet squamæ æris *P.XVI. ✱. *fuliginis P. XV. ✱. ammoniaci tantundem, resinæ terebinthinæ liquidæ P.XXV. ✱. seui taurini tantundem, aceti heminas tres, olei sextarium.

* P. VI.
* thuris ful.

Iudæi emplastrum, fracto capiti accommodatum.

AT inter ea quæ fracto capiti accommodantur, habent quidam id quod ad auctorem Iudæum refertur. Constat ex iis, salis P. ✱. IIII. squamæ æris rubri, æris combusti,

ſingulorum P. XII. ✱. ammoniaci, thymiamatis, thuris fuliginis, reſinæ aridæ, ſingulorum P. VI. ✱. reſinæ Colophoniacæ, ceræ, ſeui vitulini curati, ſingulorum P. XX. ✱. aceti ſeſquicyathum, olei minus cyathum, τεθεραπευμένα Græci appellant, quæ curata * vocant, cùm ex ſeuo, puta omnes membranulæ diligenter exemptæ ſunt aut ex alio medicamento.

Curata * vocamus, vel vocatur,

Diadaphnidon emplaſtrum, ad extrahendum.

SVNT etiam quædam emplaſtra nobilia ad extrahendum. Quæ ipſa quoque ἐπισπαστικὰ nominantur. Quale eſt, quod, quia lauri baccas habet, diadaphnidon appellatur. In eo eſt, reſinæ terebinthinæ P. X. ✱. nitri, ceræ, picis aridæ, baccarum lauri, ſingulorum P. XX. ✱. olei paulum. Quoties aut baccam, aut nucem, aut ſimile aliquid poſuero, ſcire oportebit, antequàm expendatur, ei ſummam pelliculam eſſe demendam.

ENARRATIO.

Sunt etiam.

SIC Galenus malagmata διὰ δαφνίδων, quòd baccas lauri recipiant, libro De compoſitione medicamentorum κατὰ γένη deſcribit: quæ facultate ab hoc Celſi diadaphnidon emplaſtro parùm diſcrepant.

Aliud diadaphnidon ad extrahendum, & pus mouendum.

ALIVD eo nomine, quod puri quoque mouendo eſt: Seui vitulini, ammoniaci, thymiamatis, picis, ceræ, nitri, baccarum lauri, reſinæ aridæ, ariſtolochiæ, pyrethri pares portiones.

Philocratis emplaſtrum ad extrahendum, & pus mouendum.

PRÆTER has, eſt Philocratis, quod habet ſalis ammoniaci P. VII. ✱. ariſtolochiæ P. VIII. ✱. ceræ, reſinæ terebinthinæ, fuliginis thuris, ſingulorũ P. XV. ✱. ſpumæ argenti * P. LII. ✱. Quibus vt pus quoque moueant, iridis P. IIII. ✱. & galbani P. VI. ✱. adiiciuntur.

* P. XXXII

Rhypodes emplastrum, ad extrahendum.

OPTIMVM tamen ad extrahendum est id quod à similitudine sordium ῥυπώδης Græci appellant. Habet myrrhæ, croci, iridis, propolis, bdellii, capitulorum punici mali, aluminis & scissilis & rotundi, misyos, chalcitis, atramenti sutorij cocti, panacis, salis ammoniaci, visci, singulorum P. IIII. ✱. aristolochiæ P. VIII. ✱. squamæ æris P. XVI. ✱. resinæ terebinthinæ P. LXXV. ✱. ceræ, & seui vel taurini, vel hircini P. C. ✱.

ENARRATIO.

Optimum tamen.

NON omnino malè cytynos intelligi auctor est ex Galeno Pantinus. Sunt autem cytyni, vt ait Aëtius, flores mali punici qui floribus anemones similes sunt.

Emplastrum Hecatæi ad extrahendum.

HECATÆO quoque auctore emplastrum generis eiusdem fit ex iis, galbani P. II. ✱. fuliginis thuris P. IIII. ✱. picis P. VI. ✱. ceræ, & resinæ terebinthinæ, singulorũ P. VIII. ✱. quibus paulum irini vnguenti miscetur.

Alexandrinum emplastrum viride, ad extrahendum.

VALENSQVE ad idem emplastrum viride Alexandrinum est. Habet aluminis scissilis P. VIII. salis ammoniaci P. ✱. VIII. ʒ. squamæ æris P. XVI. ✱. myrrhæ, thuris sing. P. XVIII. ✱. ceræ P. CL. ✱. resinæ Colophoniacæ, aut pineæ * P. CXC. ✱. olei heminam, aceti sextarium. * P. CC.

ENARRATIO.

Valensque ad idem.

EX Andromacho ad Pasionem relatum emplastrum viride describit Galenus libro secundo De compos. medic. secundum genera: quod ab hoc non discrepat: nisi quòd Celsus myrrham addiderit; Pasion autem æruginem & æs combustum loco eius posuerit; quod Galenus non solùm extrahere, sed & digerere auctor est.

De em-

De emplastris exedentibus.

QVÆDAM autem sunt emplastra exedentia, quæ σηπτικὰ Græci vocant, quale est id quod habet resinæ terebinthinæ, * fuliginis thuris, singulorum P. ✱. 3. squamæ æris P. I. ✱. ladani P. II. ✱. aluminis tantundem, spumæ argenti P. IIII. ✱.

* *hic & supra sæpe* fuliginem *pro* polline *posuit.*

Emplastrum quod exest corpus, & ossa resoluit, & supercrescentem carnem coërcet.

EXEST etiam vehementer corpus, atque ossa quoque resoluit, & supercrescentem carnem coërcet, id quod habet spumæ argenti, squamæ æris, vncias singulas, nitri ignem non experti, lapidis Asij, aristolochiæ P. sextantes, ceræ, resinæ terebinthinæ, thuris, olei veteris, atramenti sutorij, salis ammoniaci P. semis, æruginis rasæ P. bessem, aceti * stillitici heminam, vini aminei tantundem.

* stillaticij, *al.* scillitici

Emplastra aduersus morsus, & alia recentiora vulnera.

SVNT etiam aduersus morsus quædam accommodata, quale est Diogenis nigrum, quod habet bituminis, ceræ, resinæ pineæ aridæ, singulorum P. XX. ✱. spumæ argenti P. C. ✱. olei sextarium. Aut in quo sunt squamæ æris P. IIII. ✱. cerussæ, & æruginis * rasæ, singulorum P. VIII. ✱. ammoniaci P. XII. ceræ, resinæ pineæ, singulorum P. XXV. ✱. spumæ argenti P. C. ✱. olei sextarium. Aut in quo sunt squamæ æris P. XIIII. ✱. galbani P. VI. ✱. cerussæ, & æruginis rasæ, singulorum P. VIII. ✱. ammoniaci P. XII. ceræ, resinæ pineæ, singulorum. *P. LV. ✱. ex quibus spuma argenti concoquitur.

* passæ,

* P. XLV. *al.* P. XXXV.

Ephesium emplastrum rubrum, ad idem valens.

RVBRVM quoque emplastrum, quod *Ephesium vocatur, huc aptum est. Habet resinæ terebinthinæ P. II. ✱. galbani P. ✱. IIII. minij sinopici P. VI. thuris fuliginis P. VI. ✱.

* Ethesiū

ceræ

ceræ P. VIII. ✱. ſpumæ argenti * P. LVI. ✱. olei veteris heminam. *XLVI. al.XXXVI.

ENARRATIO.

Rubrum quoque.

VARIANT *hîc exemplaria: ſiquidem alia* Epheſium, *ab Epheſo ciuitate legunt: ego* Etheſiũ *dicere malim: de quo* Hermolaus Barbarus *in ſuis Corollariis capite* LXXXVII. *Galenus Halieno cuidam emplaſtri huius deſcriptionem aßignare videtur: diſcrepat tamen ab hoc Celſi Etheſio, quòd mannam præter alia ingredientia recipiat.*

Aliud emplaſtrum ad idem valens.

ITEM id quod ex iis conſtat, ſquamæ æris, thuris fuliginis, ſingulorum P. IIII. ✱. galbani P. VI. ✱. ſalis ammoniaci P. ✱. XII. ʒ. ceræ P. XXV. ✱. olei tribus heminis. Hæc autem aliis quoque recentioribus vulneribus rectè imponuntur.

λιπαρὰ *emplaſtra non grauibus vulneribus accommodata, & maximè ſenilibus.*

SVNT enim alba lenia, λιπαρὰ Græci vocant, ferè non grauibus vulneribus accommodata, præcipueque ſenilibns. Quale eſt quod habet ceruſſæ * P. LII. ✱. ſeui vitulini curati, *P.XXXII. & ceræ, ſingulorum P. * LVIII. ✱. olei heminas tres, ex quibus ea ceruſſa concoquitur. *XLVIII.

ENARRATIO.

Sunt enim alba.

HOC *non ignauiter, nec omnino diſsimile, deſcribit Scribonius, quod album vocat, ad contuſa & perniones vtile: Recipit autem ceruſæ* p° *lib. olei myrtini* p° *lib. ſpumæ argenteæ* ✱ p° XXIIII. *ceræ ponticæ* p° *lib. Ceruſa, inquit, & ſpuma argentea decoquantur donec coëant; poſtea additur cera.*

Elephantinum emplaſtrum.

ALIVD quod habet ceruſſæ P. XX. ✱. ceræ* P. LV. ✱. olei *P.XXXV. heminam, aquæ ſextarium. Quæ quoties adiiciuntur ceruſſæ, vel ſpumæ argenti, ſcire licet illa ex his coquenda eſſe. Eſt autem ea percandida compoſitio, quæ ſuprà poſita eſt, ideoque elephantina nominatur.

ENARRATIO.

EMPLASTRVM hoc tactu blandissimum est, & adhærendo pertinax, refrigeratoriam vim mediocrem obtinet; cuius auxilio exulceratis partibus ne quid influat impedit, & iam influxum denuò ad partes extimas retrudit.

Lenia emplastra.

LENIA quoque quædam emplastra sunt, quas λιπαρὰς ferè Græci nominant, vt id quod habet minij P. IIII. ✱. spumæ argenti P. XXV. ✱. ceræ, & adipis suillæ, singulorum P. XXVII. vitellos quatuor.

ENARRATIO.

Λιπαρὸς Græca dictio est, idem significans quod pinguis, deducta à λίπα, quâ oleum, adipem, vnguénque omne Græci significant; vnde λιπαρὰ lenia dicuntur emplastra, quòd cera, adeps, oleum, resina, aut plura ex his simul misceantur.

Emplastrum lene.

ALIA compositio generis eiusdem, ceræ, resinæ terebinthinæ, singulorum P. VI. ✱. cerussæ * P. VI. ✱. spumæ argenti, plumbi recrementi, scorian molybdi Græci vocant, singulorum P. XX. cicini olei, & myrti singulorum heminæ.

* P. VIII.

Archagathi emplastrum lene.

TERTIA, quæ ad auctorem Archagathum refertur, misyos cocti, æris combusti, singulorum P. IIII. ✱. cerussæ coctæ P. VIII. ✱. resinæ terebinth. P. X. ✱. spumæ argenti P. VI. ✱.

ENARRATIO.

Tertia quæ ad.

*QVAM hic ad Archagathum liparam refert, imperfecta quodammodo est, vt ex Scribonio Largo constat: siquidem is liparam ruffam describit, ad ani fissuras diutinas quas ῥαγάδας nominant, & ad eiusdem partis exulcerationes, & ad vitia diutina non inutilem, quæ ab Archagathi emplastro hoc nihil differt, nisi quòd aquam, oleum myrteum, & ceram auctor noster omiserit. sic autem habet Largi descriptio: Spumæ argenteæ * p° XXXVI. cerusæ * p° VI. mysios * p° VI. chalcitidos vstæ * p° VI. resinæ terebinthinæ * p° XII. ceræ * p° VI. olei myrtei sextarios S. II. aquæ pon. sextans: cum aqua teruntur quæ primò posita sunt, & olei pondo dimidio, cum reliquo oleo, cera & terebinthina liquefacta mortario superfunduntur.*

Emplastra

Emplastra eiusdem generis ad leniendum apta.

ETIAMNVM generis eiusdem, spumæ argenti, ceræ, adipis suillæ, singulorum P. XXVII. ✱. vitelli cocti quatuor, * rosæ hemina. Aut cerati ex oleo myrteo facti partes tres, adipis suillæ pars quarta, paulum ex plumbi recremento. Aut spumæ argenti selibra, ex olei hemina, & aquæ marinæ altera, cocta donec bullire desierit, cui paulum ceræ sit adiectum, aut pares portiones ceræ, seui, stibi, spumæ argenti, cerussæ.

* rosi. i. rosacei

ENARRATIO.

EMPLASTRVM *hoc ambustis mirificè prodesse, vt docet Scribonius: qui quum multis vsus fuerit, nullum magis probârit; protinus enim impositum mitigat, posteà tollit dolorem, statimque infinita celeritate persanat.*

CAPVT XX.

De pastillis, & primò de his qui ad recentia vulnera glutinanda, sanandaque apti sunt.

PASTILLI quoque facultates diuersas habent. Sunt enim ad recentia vulnera glutinanda, sanandaque apti. Qualis est qui habet * chalcitis, misyos, spumæ nitri, floris æris, gallæ, aluminis scissilis modicè cocti, sing. P. I. ✱. æris combusti, capitulorum mali punici, singulorum P. III. ✱. Hunc oportet diluere aceto, * sic vbi vulnus glutinandum est, illinere. At si neruosus aut musculosus is locus est, commodius est cerato miscere, sic vt illius octo partes, nona huius sit.

* chalciteos,

* ac vbi

ENARRATIO.

PASTILLORVM *tria sunt genera: quorum vnum potui datur, alterũ in aluum iniicitur, tertiúmque illitionibus seruit: Celsus hoc loco tantùm de his quæ illinuntur meminit.*

Alius pastillus ad glutinanda vulnera.

ALIVS ad idem constat ex his, bituminis, aluminis scissilis, singul. P. I. ✱. æris combusti P. IIII. ✱. spumæ argenti P. XI. ✱. olei sextario.

* Polyidas

De sphragide pastillo, quem Polybus confecit ad glutinandum vulnus.*

* Polyidæ SED longè * Polybi celeberrimus est, Sphragis autem nominatur, qui habet, aluminis scissilis P. ∗. I. ʒ. atramenti sutorij P. II. ∗. myrrhæ P. V. ∗. aloës tantundem, capitulorum punici mali, fellis taurini, singulorum P. VI. ∗. Quæ contrita vino austero excipiuntur.

ENARRATIO.

Sed longè Polybi.

IOANNES *Cæsarius hic veterem lectionem approbat; idq́ꝫ auctoritate tum Aristotelis, tum Galeni, qui inter veteres medicos Polybium recensuerunt. Mihi tamen (sicut & ante nos Pantino quoque)* Polyïdæ sphragis *potius legendum videtur; idq́ꝫ auctoritate Galeni, & Pauli Æginetæ: siquidem Polyidæ sphragidem sic describit: Aluminis scißi * p° IIII. myrrhæ * p° VIII. atramenti sutorij * p° II. floris saluiæ punicæ * p° XII. fellis taurini * p° VI. alij XVI. aloës vncia, vino excipiuntur austero. Galenus addit thuris * p° IIII. duasque huius pastilli descriptiones habet: quarum priorem quæ huic nostræ magis consona est, vino dulci excipit; posteriorem austero, sicut & Celsus.*

Pastillus ad vlcera sordida, & nigritiem in auribus, naribus, & in obscenis partibus, inflammationesq́ꝫ eorum.

AD vlcera sordida, & nigritiem in auribus, naribus, obscœnis partibus, inflammationesque eorum: Chrysocollæ P. I. ∗. atramenti sutorij, aluminis scissilis, sing. P. II. ∗. halicacabi corticis P. IIII. ∗. minij P. VI. ∗. spumæ argenti P. XII. ∗. cerussæ P. XVI. ∗. Quæ ex aceto & coguntur, & vbi vtendum est, diluuntur.

ENARRATIO.

HVIC *omnino consonum pastillum quem dihalicacabon vocat, Paulus describit; nisi quòd sarcocollam omittat.*

Pastillus Andronis ad vuam inflammatam, ad naturalia sordida, etiam cancro laborantia.

ANDRONIS verò est ad vuam inflammatam, ad naturalia sordida etiam cancro laborantia: Gallæ, atramenti

sutorij,

ſutorij, myrrhæ, ſingulorum * P. I. ✱. ariſtolochiæ, aluminis ſciſſilis, ſingulorum P. II. ✱. capitulorum punici mali P. XXV. ✱. ex paſſo coactorum, & (cùm vſus exigit) aceto vel vino dilutorum, prout valentius aut lenius vitium eſt, cui medendum eſt. * P. II.

ENARRATIO.

*ALIVS paſtillus eidem auctori aſſcriptus recipit cytinorū * p° X. gallæ * p° VIII. myrrhæ * p° IIII. ariſtolochiæ * p° IIII. atramenti ſutorij * p°. duum, aluminis ſciſſilis, miſyos, ſingulorum tantundem; paſſo excipiuntur. Paulus Æginetа ab hoc etiam diuerſum habet. Scribonius Largus loco capitulorum punici mali, granati cortices accipit, atque aloën & æris florem addit.*

Paſtillus ad fiſſa ani, vel ora venarum fundentia ſanguinem vel cancrum.

PROPRIE autem ad ani fiſſa, vel ora venarum fundentia ſanguinem, vel cancrum: Aeruginis P. II. ✱. myrrhæ P. XII. ✱. * ſtibis, lacrymæ papaueris, acaciæ ſing. P. XVI. ✱. Quæ ex vino & teruntur, & in ipſo vſu * deliquantur. * ſtibij, * liquantur.

Paſtillus ad expellendum calculum cum vrina.

EXPELLERE autem ex veſica cum vrina calculum videtur hæc compoſitio: Caſiæ, croci, myrrhæ, coſti, nardi, cinnamomi, dulcis radicis, balſami, hyperici pares portiones conteruntur, deinde vinum lene inſtillatur, & paſtilli fiunt, qui ſinguli habeant P. ✱. 3. hique ſinguli quotidie manè ieiuno dantur.

CAPVT XXI.

De peſſis.

HAEC tria compoſitionum genera, id eſt, quæ in malagmatis, paſtillis, emplaſtriſque ſunt, maximum præcipueque varium vſum præſtant. Sed alia quoque vtilia ſunt, vt ea quæ fœminis ſubiiciuntur (πέσσους Græci vocant.) Eorum hæc proprietas eſt: Medicamenta compoſita molli lana excipiuntur, eaque lana naturalibus conditur.

ENARRATIO.

Hæc tria compoſitionum.

PESSI *vtero ſoli adhibentur: ſunt autem eorundem tres differentiæ; alij nanque molliunt, alij aſtringunt, tertij deinceps ordine aperiunt. Mollientibus ad vteri inflammationem, exulcerationes, perfrictiones, ſtrangulatus, auerſiones, & inflationes vtimur. Aperientes vtiles ſunt, quoties purgationem ſuppreſſam prouocare volumus, aut conniuentẽ compreßione vuluam emendare. Aſtringentium vſus contrarius eſt aperientibus: nam fluorem muliebrem cohibent, & vterum ſuſpenſum contrahunt, & prolapſum reprimunt. Cæterùm conuenit peßi craßitudinem inſtar ſtrigmenti & paulo craßiorem facere, deinde lanam linamento tortili ſimilem duplicatam in medicamentum tinctam ori vulnæ condere, ſic vt ſtuppam prælongam habeat alligatam; quo peſſus facilè eximi poßit, quando viſum fuerit. Auctor eſt Æginet*a.

Ad ſanguinem euocandum.

*cannis *al.* cuneis *P. II.

AD ſanguinem autem euocandum, * cauneis duabus adiicitur nitri * P. I. ✱. aut allij ſemen conteritur, adiicitur myrrhæ paululum, & vnguento ſuſino miſcetur, aut cucumeris ſyluestris pars interior, ex lacte muliebri diluitur.

ENARRATIO.

cauneis duabus.

FICI *genus eſt à loco ſic denominatum. Hoc Marco Craſſo in Parthos nauiganti quum nauem conſcenderet, omen fecit; nam quum quidam canneas ficus venales haberet, Craſſo viſus eſt dicere, Caue ne eas. Porrò quòd eadem per ſe, etiamſi non additum ſit nitrum, aut allij ſemen, naturam ſtimulent menſeſque euocent, clarum admodum eſt ei qui earundem temperiem probè exploratam habuerit.*

Ad vuluam molliendam.

* roſ. i. *roſaceum, & ſic innumeris locis.*

AD vuluam molliendam, oui vitellus, & fœnum Græcum, & * roſa & crocum temperantur. Aut elaterij. P. ✱. 3. ſalis tantundem, vuæ taminiæ P. VI. ✱. melle excipiuntur.

ENARRATIO.

Aut elaterij.

PESSVS *hic nihil minùs quàm vuluam emolliet, niſi ex retentis menſibus durities aut inflammatio collecta ſit: nam ad menſes ciendos, atque adeò partum mortuum euocandum optimè faciet.*

Alia

Alia pessi compositio ad idem valens.

AVT Boëtho auctore, croci, resinæ terebinthinæ, sing. P. ✱. IIII. myrrhæ P. ✱. III. rosæ 8. I. ✱. seui vitulini P. ✱. 3. ceræ P. II. ✱. miscentur.

Ad inflammationes vuluæ Numenij pessus.

OPTIMA autem aduersus inflammationes vuluæ, Numenij compositio est, quæ habet croci P. ✱. 3. ceræ P. I. ✱. butyri P. VIII. ✱. adipis anserini P. XII. ✱. vitellos coctos duos, rosæ minus cyatho.

ENARRATIO.

Optima autem.

COMMODVS, atque vtilis admodùm ad vuluæ inflammationes est iste pessus, atque citra omnem mali suspicionem exhiberi potest: nam qui ab Æginetæ libro tertio capite LXIIII. sub finem describitur, quantumuis parùm ab hoc differat, tamen propter papaueris lachrymam aut decoctum papaueris capitum, quod immiscendum dicit, non ita tutum existimo.

Ad eiiciendum è vulua infantem mortuum.

SI verò infans intus decessit, quo faciliùs eiiciatur, malicorium ex aqua terendum, eoque vtendnm est.

ENARRATIO.

malicorium ex aqua.

EGO certè nusquã eo elogio decantatum malicorium legi: nam quum astrictoriæ admodum facultatis sit, imminentem potiùs partum repellet, quàm adiuuabit, nisi id ex occulta quadam proprietate fieri dicamus. Quod de malicorio dico, idem de cochleis cum testis suis combustis pronunciandum censeo: nam quantumuis menses cieant, nusquam tamen legisse memini prodesse iis quæ vitio locorum concidunt.

Si mulier vitio locorum concidit, qua curatione vtendum sit.

SI concidere vitio locorum mulier solet, cochleæ cum testis suis comburendæ, conterendæque, deinde iis mel adiiciendum est. Si non comprehendit, adeps leonina ex rosa molliendа est.

DE MEDI-

DE MEDICAMENTIS QVIBVS ARIDIS VTIMVR.

CAPVT XXII.

Ad carnem supercrescentem exedendam.

QVÆDAM autem misturæ medicamentorum sunt, quibus aridis neque coactis vtimur, sic vt inspergamus, aut cum aliquo liquido mista illinamus, quale est ad carnem supercrescentem exedendam, quod habet squamæ, fuliginis thuris, singulorum P. I. ✳. æruginis P. II. ✳. Hæc autem eadem cum melle purgant vlcera, cum cera implent. Misy quoque & galla, si paribus portionibus misceantur, corpus consumũt, eaque vel arida inspergere licet, vel excepta cadmia, illinire.

ENARRATIO.

Quædam autem.

GALENVS intra vlceris per arida medicamenta curationem, quotiescunque solueris, animaduertendum dicit, qualemnam in particula effectum ediderint; sciendumq́ue, ac in memoria tenendum esse, nonnulla desiccare, non autem detergere: cuiusmodi sunt illa quæ astringendi qualitatem obtinent, eaq́ue quæ vlcus purum non efficiunt. At quæ præterquam quòd siccant, adhuc etiam detergunt, ea non solùm siccam, sed & puram quoque totam partem exulceratam efficiunt. Præterea notandum venit, pura vlcera ab iis medicamẽtis, vnde priùs quàm essent sordida, nihil rosionis percipiebant, nunc erodi morderíque. quæ causa est, vt à valentioribus abstersoriis medicamentis, ad mitiora lenioráque digrediamur, vbi vlcus ad amussim purum inuenerimus: quemadmodum si sordidum sit, ad magis abstergentia transimus; nisi ex rosione sordida apparuerint. Celsus hoc capite, eorum quæ corpus consumunt atque exedunt, syluulam quandam ponit.

Ad putrem carnem continendam, ne vltrà serpat, eámque leniter exedendam, plures compositiones.

PVTREM verò carnem continet, neque vltrà serpere patitur, & leniter exest, mel, vel cum lenticula, vel cum marrubio, vel cum oleæ foliis, antè ex vino decoctis. Item sertula campana in mulso cocta, deinde contrita, aut calx cum cerato, aut amaræ nuces cum allio, sic vt huius pars tertia sit, paulumq́ue iis croci adiiciatur. Aut quod habet spumæ argenti

genti P.VI. ✳. cornu bubuli combusti P.XII. ✳. olei myrtei, & vini cyathos ternos. Aut quod ex his constat: Floris punici mali, atramenti sutorij, aloës, singulorum P. II. ✳. aluminis scissilis, thuris, singul. P. IIII. ✳. gallæ P. VIII. ✳. aristolochiæ P. X. ✳. Vehementius idem facit etiam adurendo auripigmentum cum chalcitide, & aut nitro, aut calce, aut charta combusta. Item sal cum aceto. Vel ea compositio quæ habet chalcitidis, capitulorum punici mali, aloës, singulorum P. II. ✳. aluminis scissilis, thuris, singulorum P. IIII. ✳. gallæ P. VIII. ✳. aristolochiæ P. X. ✳. mellis quantum satis sit ad ea cogenda. Vel cantharides P. I. ✳. P. sulphuris. I. ✳. lolij P. III. ✳. Quibus adiicitur picis liquidæ quantum satis est: adiungendum mel, chalcitis quoque cum resina & ruta mista, aut cum eadem resina diphryges, aut vua taminia, cum pice liquida. Idem verò possunt feces vini combustæ, & calcis, & nitri pares portiones, vel aluminis scissilis P. ✳. *33. thuris, sandaracæ, nitri, singulorum P. ✳. I. gallæ P. VIII. ✳. aristolochiæ P. X. ✳. mellis quantum satis est. * & 3.

Hieræ compositio.

EST etiam Hieræ compositio quæ habet myrrhæ, chalcitidis, singulorum P. II. ✳. aloës, thuris, aluminis scissilis, singulorum P. IIII. ✳. aristolochiæ, gallæ immaturæ, singul. P. VIII. ✳. malicorij contriti * P. XX. ✳. * P. X.

ENARRATIO.

Est etiam Hieræ.

IOANNES *Cæsarius, Legendum fortasse est, inquit,* Hyrrhæ; *vt sit medici non medicinæ nomen; cuius & Galenus alicubi meminit. Ego tamen* Heræ *legere malim, cuius frequens apud Galenũ libris De compositione medicamentorum, & alibi, fit mentio; quanquam si quis* ἱερᾶ *scribere malit, per me stat: quando Galenus libro* V. *De compositione medicamentorum* κατὰ γένη *emplastri cuiusdam meminerit, quod* ἱερὰ *ex Vulcani templo ad Memphim vocatum dicit.*

Iudæi compositio.

EST & Iudæi, in qua sunt calcis partes duæ, nitri quàm ruberrimi pars tertia, quæ vrina impuberis pueri coguntur, donec strigmenti crassitudo sit. Sed subinde is locus, cui id illinitur, madefaciendus est.

Iollæ compositio.

AT Iollas chartæ combustæ, sandaracæ, singulorum P.I.✱. calcis P.II.✱. auripigmenti tantundem miscebat.

ENARRATIO.

QVOD *διακάστου Apellis inscribitur, paulo operosius est, nomas sistens, atque easdem incipientes prohibens.*

Ad sanguinis profluuia vel ex membrana cerebri, vel aliis locis, & ad cancrum, & ad inducendam cicatricem, & ad coërcendam carnem crescentem.

SI verò ex membrana, quæ super cerebrum est, profluit sanguis, vitellus combustus & contritus inspergi debet, si alio loco sanguinis profluuium est, auripigmenti, squamæ æris, singulorum P. I. ✱. sandaracæ P. II. ✱. marmoris* cocti P. IIII. ✱. inspergi debet. Eadem cancro quoque obsistunt. Ad inducendam cicatricem, squamæ æris, thuris fuliginis, singul. P.II.✱. calcis P.IIII.✱. Eadem increscentem quoque carnem coërcent.

*vsti

Timæi compositio ad ignem sacrum vel cancrum.

TIMÆVS autem ad ignem sacrum, vel ad cancrum, his vtebatur, myrrhæ P.II.✱. thuris, atramenti sutorij, singulorum P. III. ✱. sandaracæ, auripigmenti, squamæ æris, singul. P. IIII. ✱. gallæ P. VI. ✱. cerussæ combustæ P. VIII.✱. Eadem vel arida inspersa, vel melle excepta idem præstant.

Ad sternutamenta excitanda.

STERNVTAMENTA verò vel albo veratro, vel struthio coniecto in nares excitantur, vel his mistis, piperis, veratri albi, singulorum P. ✱. ʒ. castorei pondo I. ✱. spumæ nitri P. II. ✱. struthij P. III. ✱.

ENARRATIO.

Sternutamenta verò.

Sternvtamenta excitantibus mouentur, vt secundo libro diximus; vel vt eos qui nimia propensione in somnum detinentur, excitare festinemus; vel vt fœtum vel secundas expellamus, vt aculeos qui in pectore latent, in aspectum adducamus; vel vt vertiginem sedemus; vel vt aliquid expellamus.

Gargarizationes quibus fieri debeant.

Gargarizationes autem aut * leuandi caussa fiunt, aut reprimendi, aut euocandi. * Leuant lac, cremor, vel ptissanæ, vel furfurum. Reprimit aqua, in qua vel lenticula, vel rosa, vel rubus, vel cotoneum malum, vel palmulæ decoctæ sunt. Euocant, sinapi, piper.

* lauandi

* Lauant

CAPVT XXIII.

De antidotis, & quibus malis opitulentur.

Antidota rarò, sed præcipuè interdum necessaria sunt, quia grauissimis casibus opitulantur. Ea rectè quidem dantur collisis corporibus vel per ictus, vel vbi ex alto deciderunt, vel in viscerum, laterum, faucium, interiorumque partium doloribus. Maximè autem desideranda sunt aduersus venena, vel per morsus, vel per cibos, aut potiones nostris corporibus inserta.

ENARRATIO.

Antidota rarò.

Antidota dicuntur (vt auctor est Galenus) medicinæ, quæ non extrinsecus corpori imposita, sed intra ipsum assumpta affectibus medentur. Tres autem ipsorum in vniuersum differentiæ habentur: nonnulla enim lethalium medicamentorum gratia assumuntur; quædam ad virulentas feras proficiunt; quædam affectibus ex prauo victu oborientibus opitulantur. Sunt etiam quæ triplicem promittunt vsum; quemadmodum theriace nuncupata, quæ ab Andromacho medico composita est.

Compositio antidoti.

Vnvm est quod habet lacrymæ papaueris P. ✱. 3. acori malobatri P. V. ✱. iridis illyricæ, gummi, singul. P. II. ✱.

anisi P. III. ✱. nardi gallici, foliorum rosæ aridorum, cardamomi, singul. P.IIII.✱. petroselini P.✱.IIII. 3. trifolij P.V.✱. casiæ nigræ, *silis, bdellij, balsami, seminis *piperis albi, singulorum P.✱.3. styracis P.✱.V.3. myrrhæ, opopanacis, nardi *syri, thuris masculi, hypocistidis succi, singul. P.VI.✱. castorei P.VI.✱. costi, piperis albi, galbani, resinæ terebinthinæ, croci, floris iunci rotundi, singulorum P.✱.VI.3. dulcis radicis P.VIII.✱.3. Quæ vel melle vel passo excipiuntur.

* seseleos, * papaueris * syriaci,

ENARRATIO.

silis.

HOC est sesilis: atque sic quidem passim in antidotis accipiendum est.

Aliud antidotum Ambrosia nominatum, quod Zopyrus Ptolemæo regi composuit.

ALTERVM quod Zopyrus regi Ptolemæo dicitur composuisse, atque Ambrosiam nominasse, ex his constat: Costi, thuris masculi, singulorum P.V.* ✱. piperis albi P.✱.3. floris iunci rotundi P.II.✱. cinnamomi P.III. ✱. casiæ nigræ P.IIII.✱. croci Cilicij P.✱.IIII.3. myrrhæ, quam stacten nominat, P.V.✱. nardi indici P.✱.V.3. Quæ singula contrita melle cocto excipiuntur. Deinde vbi vtendum est, id quod Ægyptiæ fabæ magnitudinē impleat in potione vini diluitur.

* *hic vbique, & pa. præced. & inf. vsque ad pag. 484. in vet. cod. deletis ✱ post P legitur P.*

ENARRATIO.

SIMILEM *planè descriptionem habet Paulus libro septimo. Scribonij tamen antidotus Zopyri multùm ab hac differt.*

Antidotum Mithridatis.

NOBILISSIMVM autem est Mithridatis, quod quotidie sumendo rex ille dicitur aduersus venenorum pericula tutum corpus suum reddidisse. In quo hæc sunt: costi P.✱.S.3. acori P.V.✱. hyperici, cumini, sagapeni, acaciæ succi, iridis Illyricæ, cardamomi, singulorum P.II.✱. anesi P.III.✱. nardi gallici, gentianæ, radicis, aridorum rosæ foliorum, singulorum

gulorum P. IIII. *. papaueris lacrymæ, petroſelini, ſingulo-
rum P. *. IIII. 3. caſiæ, ſilis, *lolij, piperis longi, ſingulorum * polij.
P. VI. *. ſtyracis P. *. V. 3. caſtorei, thuris, hypociſtidis ſucci,
myrrhæ, opopanacis, ſingulorum P. VI. *. malobathri folij
P. VI. *. floris iunci rotundi, reſinæ terebinthinæ, galbani,
dauci cretici ſeminis, ſingulorum *P. *. V. 3. nardi, opobal- *P. *. VI.
ſami, ſingulorum P. *. VI. 3. thlaſpis P. *. V. 33. radicis pon-
ticæ P. VII. *. croci, zingiberis, cinnamomi, ſingul. P. *. VIII. 3.
Hæc contrita melle excipiuntur, & aduerſus venenum, quod
magnitudinem nucis Græcæ impleat, ex vino datur. In cæ-
teris autem affectibus corporis pro modo eorum, vel quod
Ægyptiæ fabæ, vel quod erui magnitudinē impleat, ſatis eſt.

ENARRATIO.

MVLTVM differt hæc Methridatij antidotus, ab ea quam deſcripſit Galenus libro De antidotis: cuius deſcriptionem ſiquis deſideret, aut Galenum iam citato loco, aut Scribonium Largum §. centeſimo ſeptuageſimo conſulat.

lolij, piperis longi.

POLII *reſtituendum eſt ex Scribonio Largo, atque pro* longo pipere, *ſcribendum eſt* album.

DE ACOPIS.

CAPVT XXIIII.

Acopum neruis vtile.

ACOPA quoque vtilia neruis ſunt. Quale eſt quod habet floris iunci rotundi P. *. II. 33. coſti, iunci quadrati, lauri baccarum, ammoniaci, cardamomi, ſingul. P. *. IIII. 3. myrrhæ, æris combuſti, ſingulorum P. *. VII. iridis illyricæ, ceræ, ſingulorum P. IIII. *. alexandrini calami, iunci rotundi, aſpalathi, xylobalſami, ſingulorum P. XVIII. *. ſeui P. I. *. vnguenti irini cyathum.

ENARRATIO.

ACOPA dicta ſunt, quòd præcipuè ad laßitudinis, quæ Græcis κόπος dicitur, puta tenſiuæ, vlceroſæ, & eius quæ oſſa defatigat, ſenſum, conueniant, quanquam & aliis compluribus morbis ſint vtilia. Eorum porrò vſus commodus eſt in iis qui permanente, & indigente impinguatione opus habent, vt docet Oribaſius; quum madefactiones pro-

nes propter earum defluxum, nihil magnopere poßint: vel in iis quibus, propterea quòd morbi inueterauerint, madefactiones minimè sunt idonea. in quo genere sic post madefactiones acopa adhibent; sicuti etiam malagmata post cerata. Sunt autem tres acoporum differentiæ: calefaciūt enim, molliunt, cutimque scarificant. Calefacientibus in acutis morbis vtimur, vbi neruum læsum iri suspicio est: mollientibus verò in morbis diutinis: scarificantium vsus in diuturnis morbis est, qui difficulter amouentur.

Acopum Euodes neruis vtile.

ἐλαιώδης

ALTERVM quod * εὐώδης vocant, hoc modo fit. ceræ P. *. 3. olei tantundem, resinæ terebinthinæ ad nucis iuglandis magnitudinem simul incoquuntur, deinde infusa in mortario teruntur, instillaturque subinde quàm optimi mellis acetabulum, tum irini vnguenti, & rosæ terni cyathi.

ENARRATIO.

SI in vicem olei, glaucinum, & ciprinum recipias, ἄκοπον διὰ τοῦ μελιτος Galeni, quod τετράμυρον dicitur, effeceris, commodum est ad neruorum contractiones: benefacit ad laßitudinum molestias.

Enchrista ad vlcera purganda & implenda.

ΕΓχριστὰ autem Græci vocant liquida quæ illinuntur. Quale est quod fit, ad vlcera purganda, & implenda maximè inter neruos, paribus portionibus inter se mistis, butyri, medullæ vitulinæ, seui vitulini, adipis anserinæ, ceræ, mellis, resinæ terebinthinæ, rosæ, olei * cicini. Quæ separatim omnia liquantur, deinde liquida miscentur, & tum simul teruntur. Et hoc quidem magis purgat: magis verò emollit, si pro rosa cyprus infunditur.

* cilini.

ENARRATIO.

olei cicini.

IOANNES *Cæsarius*, Cicini, *inquit, legendum fortaßis: sed &* Cilicini *potest*, *vel* Cilicij: *propterea quòd Galenus in quodam operum suorum mentionem facit olei quod ab ipso Capnelæum vocatur: quod quidem in Cilicia fit; vnde & dictum videri potest à Celso oleum Cilicinum.*

Ad sacrum ignem.

AD sacrum ignem spumæ argenti P. VI. *. cornu bubuli combusti P. II. *. conteruntur, adiiciturque inuicem vinum, & id quod specialiter sil vocatur, & myrteum, donec vtriusque terni cyathi conficiantur.

DE CA-

DE CATAPOTIIS.

CAPVT XXV.

Catapotium ad somnum accersendum, & leuationem doloris; & simul ad concoquendum.

CATAPOTIA quoque multa sunt, variisque de causis fiunt. Anodyna vocant, quæ somno dolorem leuant. Quibus vti, nisi nimia necessitas vrget, alienum est. Sunt enim ex vehementibus medicamentis, & stomacho alienis. Potest tamen etiam ad concoquendum, quod habet papaueris lacrymæ, galbani, singulorum P. I. ✱. myrrhæ, castorei, piperis, sing. P. II. ✱. Ex quibus quod erui magnitudinem habet, satis est deuorasse.

ENARRATIO.

Catapotia quoque.

CATAPOTIVM id est medicamentum quod non diluitur, sed ita vt est deuoratur. auctor est Scribonius. Isthoc verò Catapotium citra noxam exhiberi possit, si lachryma papaueris pondus nonnihil imminuamus; quum reliqua ingredientia, ad refrenandam eius vim satis esse queant.

Catapotium valentius ad somnum.

ALTERVM stomacho peius, ad somnum valentius ex his fit, mandragoræ P. ✱. 3. apij seminis, item hyoscyami seminis, singulorum P. IIII. ✱. Quæ ex vino teruntur. Vnum autem eiusdem magnitudinis, quæ suprà posita est, abunde est sumpsisse.

ENARRATIO.

HOC, ut vehementius & omnino narcoticum, non concessero.

Catapotium ad plurimos dolores per somnum leniendos.

SIVE autem capitis dolores, siue vlcera, siue lippitudo, siue dentes, siue spiritus difficultas, siue intestinorum tormenta, siue inflammatio vuluæ est, siue coxa, siue iecur, aut lienis,

aut

aut latus torquet, siue vitio locorum aliqua prolabitur, & obmutescit, occurrit dolori per quietem eiusmodi catapotium: Silis, acori, rutæ syluestris seminis, singulorum P. I. ✱. castorei, cinnamomi, singulorum P. II. ✱. papaueris lacrymæ, panacis, radicis mandragoræ, malorum aridorum, iunci rotundi floris, singulorum P. II. ✱. piperis grana LVI. Hæc per se contrita, rursus instillato subinde passo, simul omnia terantur, donec crassitudo sordium fiat. Ex eo paulum aut deuoratur, aut aqua diluitur, & potui datur.

ENARRATIO.

HOC certè, si quod aliud, merè benedictum censendum est: vt quod nec nimis profundum somnum conciliet, nec neruis inimicum sit, sed quod & sensus simul excitet, & sopiat.

panacis, radicis mandragoræ, malorum arid.

Legendum panacis radicis, mandragoræ malorum aridorum.

Catapotium aliud ad multa valens.

QVINETIAM syluestris papaueris cùm iam ad excipiendam lacrymam maturum est, manipulus, qui manu comprehendi potest, in vas demittitur, & superinfunditur aqua, quæ id contegat, atque ita coquitur. Vbi iam bene manipulus is coctus est, ibidem expressus proiicitur, & cum eo humore, passi pari mensura miscetur, inferuetque donec crassitudinem sordium habeat. Cùm * infrixit, catapotia ex eo fiunt, ad nostræ fabæ magnitudinem, habentque vsum multiplicem. Nam & somnum faciunt, vel per se assumpta, vel ex aqua data, & aurium dolores leuant, adiectis exiguo modo rutæ succo, ac passi. Et tormina supprimunt ex vino liquata, & inflammationem vuluæ coërcent, mista cerato ex rosa facto, cùm paulum his croci quoque accessit, & ex aqua fronti inducta, pituitam in oculos decurrentem tenent.

*refrixit,

ENARRATIO.

CATAPOTII huius descriptio non multum differt à Diacodio Galeni, libro De medicamentorum compositione secundum loca; nisi quòd hoc, formam electuarij recipiat: tutò igitur & citra omnem noxam Catapotium hoc exhibueris.

Catapotium

Catapotium ad inducendum ſomnum, quod vulua dolens prohibuit.

ITEM ſi vulua dolens ſomnum prohibuit, croci P.II.*. aniſi, myrrhæ, ſingul. P. I.*. papaueris lacrymæ P.IIII.*. cicutæ ſeminis P. VIII.*. miſcentur, excipiunturq́ue vino vetere, & quod lupini magnitudinem habet in tribus cyathis aquæ diluitur. Id tamen in febre periculosè datur.

Ad iecur ſanandum.

AD ſanandum iecur nitri P.*. 3. croci, myrrhæ, nardi Gallici, ſingulorum P. I.*. melle excipiuntur, datur- q́ue quod Aegyptiæ fabæ magnitudinem habeat.

ENARRATIO.

Ad ſanandum.

ID ſanè quomodo iecur ſanare poßit, non video: nam quantumuis nardus Celtica, imbecilliori iecinori proſit, non tamen ſequetur ſtatim eandem iecur perſanaturam: & neque etiamſi frigidis iecinoris morbis conuenire dicamus, omnibus ob id ex æquo vtilis erit. Idem ſi quis de duobus proximis paragraphis dicat, non aberrauerit.

Ad finiendos dolores lateris.

AD lateris dolores finiendos, piperis, ariſtolochiæ, nardi, myrrhæ pares portiones.

Ad thoracis dolores finiendos.

AD thoracis, nardi P.I.*. thuris, caſiæ, ſingulorum P.III.*. myrrhæ, cinnamomi, ſingulorum P.VI.*. croci P.VIII.*. reſinæ terebinthinæ quadrans, mellis heminæ tres.

Catapotium Athenionis ad tußim.

AD tuſſim Athenionis, myrrhæ, piperis, ſingulorum P.I.*. caſtorei, papaueris lacrymæ, ſingulorum P.I.*. Quæ ſeparatim contuſa, poſtea iunguntur, & ad magnitudinem fabæ noſtræ, bina catapotia manè, bina noctu dormituro dantur.

ENARRATIO.

Ad tussim.

SI galbanum & styracem, sicut facit Scribonius, admiscueris, longe excellentius feceris, vt quod & ad siccas seu aridas tusses profuturum sit. neque hoc ignanius est quod proximo paragrapho ad Heraclidem refert.

Catapotium Heraclidis Tarentini, ad tussim, & somnum.

SI tussis somnum prohibet, ad vtrumque Heraclidis Tarentini, croci P. I. ✱. cinnamomi, castorei, papaueris lacrymæ, singulorum P. I. ✱. myrrhæ, piperis longi, costi, galbani, singulorum P. ✱. 3.

Catapotium ad purganda vlcera in faucibus tussientibus.

QVOD si purganda sunt vlcera in faucibus tussientibus, panacis, myrrhæ, resinæ terebinthinæ, singulorũ P. V. ✱. galbani P. ✱. 3. hyssopi P. ✱. 3. conterenda sunt, hisq́. hemina mellis adiicienda, & quod digito excipi potest, deuorandum est.

Colicæ Cassij medici.

COLICÆ verò Cassij ex his constat, croci, anisi, castorei, singulorum P. III. ✱. petroselini P. IIII. ✱. piperis & longi, & rotundi, singulorum P. V. ✱. papaueris lacrymæ, iunci rotundi, myrrhæ, nardi, singulorum P. VI. ✱. Quæ melle excipiuntur. Id autem & deuorari potest, & ex aqua calida sumi.

ENARRATIO.

Colicæ verò.

HANC Cassij medici colicen describit Scribonius Largus paragrapho CXX. adiicit tamen semen apij: Datur, inquit, quantum nux abellana media patet, & in ipsis etiam doloribus statim prodest. De hac libro præcedente fusius dictum est.

Ad infantem mortuum aut secundas impellendas.

INFANTEM verò mortuum, aut secundas expellit aquæ potio, cui salis ammoniaci P. I. ✱. aut cui dictami Cretici P. I. ✱. adiectum est.

ENARRATIO.

Si pro sale ammoniaco, *substitueris* guttam ammoniacam, *constabit omnino sententia; quando, vt ait* Dioscori*des, ammoniacum partus extrahit: quod sali ammoniaco à nullo attributum comperio.*

Laborantibus ex partu quid dari debeat.

Ex partu laborantibus erisimum, ex vino tepido *iciunæ dari debet. *iciunis

ENARRATIO.

Apud *nullum hac facultate præditum lego erisimum: nam etiamsi Galenus plantis quæ acrimonia prædita sint comparârit, &* Dioscorides *extenuare atque excalfacere dicat, contráque venena in delinctu cum melle dari; non tamen sequetur ob id ex partu laborantibus cum vino datum profuturum.*

Ad adiuuandum vocem.

Vocem adiuuat thuris p. i. ✳. in duobus cyathis vini datum.

Aduersus difficultatem vrinæ.

Aduersus vrinæ difficultatem, piperis longi, castorei, myrrhæ, galbani, papaueris lacrymæ, croci, costi vnciæ singulæ, styracis, resinæ terebinthinæ pondo sextantes, mel, absinthij cyathus. Ex quibus ad magnitudinem fabæ Ægyptiæ, & manè, & * cœnato dari debet. *incœnato

ENARRATIO.

Aduersus vrinæ.

Etsi *opium recipiat confectio, calida admodùm est, neque cuiuis difficultati vrinæ conueniens; verùm ei tantùm, quæ frigiditatem originis suæ causam habuerit. atque hac quidem ratione, non solùm vrinæ ciendæ, sed & indurato spleni, atque hepati conueniens erit: nam quæ ingrediuntur, sufficientia sunt, & ad viscositatem humorum induratis partibus infarctorũ extergendam, & ad secandam craßitudinem, & ad discutiendos extenuatos humores.*

Arteriaces compositio quomodo fiat.

Arteriace verò hoc modo fit, casiæ, iridis, cinnamomi, nardi, myrrhæ, thuris, singulorum p. i. ✳. croci p. i. ✳. piperis grana xxx. ex passi tribus sextariis decoquuntur, do-

nec mellis crassitudo his fiat. Aut croci, myrrhæ, thuris, singulorum P. I. *. coniiciuntur in passi eundem modum, eodemque modo decoquuntur. Aut eiusdem passi heminæ tres vsque eò coquuntur, donec extracta inde gutta indurescat, * & adiicitur trita casiæ P. I. *.

* & ei adiic.

CAPVT XXVI.

De quinque generibus noxarum corporis, & primò de vulneribus, quæ maximè per tela inferuntur.

CVM facultates medicamentorum proposuerim, genera in quibus noxa corpori est, proponam. Ea quinque sunt. Cùm quid extrinsecus læsit, vt in vulneribus. Cùm quid intra seipsum corruptum est, vt in cancro. Cùm quid innatum est, vt in vesica calculus. Cùm quid increuit, vt vena, quæ intumescens, in varicem conuertitur. Cùm quid deest, vt cùm curta pars aliqua est. Ex his alia sunt, in quibus plus medicamenta, alia in quibus plus manus proficit. Ergo dilatis his, quæ præcipuè scalpellum & manum postulant, nunc de his dicam, quæ maximè medicamentis egent. Diuidam autem hanc quoque curandi partem sicut priorem. Et antè dicam de his, quæ in quamlibet partem corporis incidunt. Tum de his, quæ certas partes infestant. Incipiam à vulneribus. In his autem ante omnia scire medicus debet quæ insanabilia sint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Est enim prudentis hominis, primùm eum qui seruari non potest, non attingere, nec subire * speciem eius, vt occisi, quem sors ipsius * peremit. Deinde vbi grauis metus, sine certa tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis in difficili * rem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur. Sed vt hæc prudenti viro conueniunt, sic rursus histrionis est, paruam rem attollere, quò plus præstitisse videatur. Obligarique æquum est, confessione promptæ rei, quò curiosius etiam circumspiciat, ne quod per se exiguum est malum, maius curantis negligentiâ fiat.

* spem al. suspicionem
* interemit.
* spem

ENAR-

ENARRATIO.

Cùm facultates.

HIPPOCRATES *libro secundo Prædictionum docet, quæ vulnera prognosticis relinquenda sint: siquidem, Quæcunque, inquit, vulnera tempus nanciscuntur, aut ita gliscentem sanguinem, aut corpus doloris impatiens adeò, vt præ dolore & febriat & deliret homo; aut si magnitudine tanta fuerint, vt homo ad curationem adduci ab eius contemptu non poßit, ab his quidem discedere oportet, qualiacunque tandem fuerint; diariis animi deliquiis exceptis.*

Quæ vulnera insanabilia sint.

SERVARI non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iocinoris portæ, cui in spina medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt, cuive circa fauces* grandes venæ, vel arteriæ præcisæ sunt. * glandes, vena vel arteria, &c.

ENARRATIO.

HIPPOCRATES *sexto Aphorismorum, Vesica, inquit, discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex interioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore; lethale est. Et libro Prædictionum: Vulnera magis lethalia sunt quæ in venas crassas in collo ac inguinibus infliguntur; deinde quæ in cerebrum, & hepar; posteà quæ in intestinum & vesicam. Sunt tamen hæc omnia perniciosa valdè; non tamen ita, vt nemo ex his euadat, velut putatur. siquidem Galenus cerebrum vulneratum sæpiùs curatum vidit. Sunt tamen ex capitis vulneribus lethalißima quæ ad cerebrum pertingunt, grauia sunt & huiusmodi omnia, si os nudum, magnum os infractum diffractúmque: quin etiam si osculum vlceris paruum fuerit, fissura verò oßis aliquamdiu permanserit, periculosius est: sunt autem hæc eo grauiora quo suturis propinquiora. Vesicæ porro collum vulneratum, vt in lithiasi frequenter vsu venit, discissum, indies curari videmus: ipsa tamen vesicæ concauitas, quam propriè vesicam aut κύστιν appellamus, disscissa, quum neruosa sit, incurabilis omnino est, tum quòd vesica ipsa tenuis, exanguis & neruosa sit; tum quòd profundum sit; tum quòd in interiora progreditur vulnus, atque ob id coalescere non poßit. Eadem planè ratio de intestinis est. At ventriculo vulnerato multos restitutos ait Galenus, nisi omnino magnum vulnus fuerit.*

Quæ vulnera difficilem curationem habeant.

VIX autem ad sanitatem perueniunt, quibus vlla parte pulmo, aut iocinoris crassum, aut membrana quæ continet cerebrum, aut lienis, aut vulua, aut vesica, aut vllum intestinum, aut septum transuersum vulneratum est. Hi quoque in præcipiti sunt, in quibus vsque ad grandes, intusque conditas venas,

 nas,

* descēdit. nas, in alis vel poplitibus mucro * desedit. Periculosa etiam vulnera sunt, vbicunque venæ maiores sunt, quoniam exhaurire hominem, profusione sanguinis possunt. Idque euenit non in alis tantùm, atque poplitibus, sed etiam in his venis, quæ ad anum, testiculosque perueniunt. Præter hæc malum vulnus est, quodcunque in alis, vel feminibus, vel inanibus locis, vel in atticulis, vel inter digitos est. Item quodcunque musculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læsit.

ENARRATIO.

aut iocinoris crassum.

ITA tamen vt venas notatu dignas non vulneret: nam alioqui propter sanguinis profusionem lethale omnino vulnus esset, sicuti antè de iecinoris porta sauciata pronunciatum reliquit. Huc referri possunt quæ de venis subiungit.

aut vulua aut vesica aut vllum intestinum.

TVM propter substantiam nerueam, tum propter situm: necessum est enim iis vulneratis profunda esse vulnera.

Præter hæc.

SVMPTVS est hic locus ex secundo Prædictionum Hippocratis: vbi sic scribit. Caterùm ex locis subalares difficiliores curatu sunt, & laterū mollitudines (inanes locos *reddidit Celsus*) *& femora. nam & mora in ipsis fiunt, & recidiuæ. Ex articulis maximè obnoxij sunt magni digiti, & præsertim pedum.*

Quæ vulnera tutiorem curationem habeant.

TVTISSIMVM omnium, quod in carne est, & hæc quidem loco, vel peiora, vel meliora sunt. Modò verò periculum facit, quodcunque magnum est.

ENARRATIO.

quodcunque magnum est.

HIPPOCRATES triplex genus magni vulneris ponit: primum quidem, quod in corporis parte præstantiore accidit; alterum, quod malignum; ac tertium, quod amplum est: in quo significato magnum vulnus vsurpasse videtur Celsus.

Obseruationes quædam, & ætatis, & corporis & vitæ, & temporis in vulneribus.

ALIQVID etiam in vulneris genere, figuraque est. Nam peius est, quod etiam collisum, quàm quod tantùm discissum est, adeò vt acuto quoque quàm retuso telo vulnerari

vulnerari commodius ſit. Peius etiam vulnus eſt, ex quo aliquid* exciſum eſt, ex quóve caro alia parte abſciſſa, alia dependet. Peſſima quæque plaga in orbem eſt: tutiſſima, quæ lineæ modo recta eſt. Quo deinde propius huic, illíve figuræ vulnus eſt, eo vel deterius, vel tolerabilius eſt. Quin etiam confert aliquid & ætas, & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus: quia faciliùs ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quàm ſenior; valens, quàm infirmus: neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quàm ſi alterum ex his eſt: integri habitus, quàm corrupti: exercitatus, quàm iners: ſobrius, & temperans, quàm vino, venerique deditus. Opportuniſſimumque curationi tempus vernum eſt, aut certè neque feruens, neque frigidum. Siquidem vulnera & nimius calor, & nimium frigus infeſtant: maximè tamen horum varietas, ideoque pernicioſiſſimus autumnus eſt. Sed pleraque ex vulneribus oculis ſubiecta ſunt, quorundam ipſæ ſedes indices ſunt, quas alio loco demonſtrauimus, cùm poſitus interiorum partium oſtendimus. Veruntamen quia quædam vicina ſunt, intereſt quoque vulnus in ſumma parte ſit, an* penitus penetrauerit: neceſſarium eſt notas ſubiicere, per quas quid intus actum ſit, ſcire poſſimus, & ex quibus vel ſpes, vel deſperatio oritur.

*abſciſſum

*penitius

ENARRATIO.

QVOD ſimplicia vulnera compoſitis, hoc eſt iis quæ ſimul contuſa & diſrupta ſunt, faciliora ſint; clarius eſt quàm vt dici debeat: at quòd rotundum vulnus aut vlcus difficillimè curetur, ex Herophiliorum ſententia, Problematum libro rationem hanc reddidit Caſſius: φασὶ γὰρ ὅτι τὰ σχήματα κυκλικὰ τῶν ἑλκῶν μικρὰ μὲν φαίνεται τῇ περιοχῇ, οὐ τοιαῦτα δ' ἐστιν, ἀλλὰ ἔχειν τῇ δυνάμει μείζονα τὰ ἐμβαδὰ ἤπερ φαίνεται, τὸ μεῖζον δὲ πλείονος χρόνου δεῖται πρὸς τὴν ἐπούλωσιν.

Quin etiam confert.

SVMPTVS eſt locus hic ex ſecundo Prædictionum Hippocratis: Multum etiam differt, inquit, corporis ipſius hominis ſtructura. aliquando enim non febricitat, neque inflammatur ſauciatus; aliquando etiam citra cauſam febricitat, & aliqua corporis parte omnino inflammatur.

Siquidem vulnera.

HIPPOCRATES: Frigidum vlceribus mordax eſt, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit. Nam quod de frigidæ perfuſione dicit Hippocrates, id etiam de tempeſtate calida accipi poteſt. Calidum tempus vires diſſoluit, atque profluuia ſanguinis excitat; vnde & vulneratis inimicum eſt: Autumni verò inæqualitas, ſicuti omnibus morbis aliena eſt, ita vulneribus aduerſiſſima exiſtit.

Signa

Signa percußi cordis.

IGITVR corde percusso, sanguis multus effertur, venæ languescunt, color pallidissimus, sudores frigidi, maliq́ue odoris, tanquam * in rotato corpore oriuntur, extremisq́ue partibus frigidis, matura mors sequitur.

*in ægroto
al. irritato
al. irrotato

ENARRATIO.

ÆGINETA *subnigrum sanguinem efferri auctor est, plagam iuxta sinisteriorem mammam esse vult. per maturam autem mortem, hic maturrimum, vel sine mora exitium, intelligit. Cor tamen aliquando putredinem atque apostema pati posse docet variis exemplis Nicolaus Massa, & Matthias Cornax. Alex. Pedemontanus scribit in eiusdem capsula etiam vermes repertos esse, ipsum cor inuadentes, qui lunaticam paßionem generent, atque pueros interficiant.*

Signa pulmonis icti.

PVLMONE verò icto, spirandi difficultas est, sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens, simulq́ue etiam spiritus cum sono fertur: in vulnus inclinari iuuat, quidam sine ratione consurgunt. Multi si in ipsum vulnus inclinati sunt, loquuntur: si in aliam partem, obmutescunt.

ENARRATIO.

sanguis ex ore.

ÆGINETA, *Sanguis, inquit, ex plaga spumans enacnatur, quum non ex ore magis per vomitum redditur, lingua alium colorem assumit, multum spiritus attrahunt ægri frigidi appetentes.*

Signa iocinoris vulnerati.

IOCINORIS autem vulnerati notæ sunt, multus sub dextra parte præcordiorum profusus sanguis, ad spinam reducta præcordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones, doloresq́. vsque ad iugulum, iunctumq́ue ei latus scapularum, os intentum. Quibus nonnunquam etiam biliosus vomitus accedit.

Signa percussorum renum.

RENIBVS verò percussis, dolor ad inguina, testiculosq́ue descendit, difficulter vrina redditur, eaq́ue aut est cruenta, aut cruor fertur.

ENAR-

ENARRATIO.

eaque aut est cruenta.

QVICVNQVE, inquit Hippocrates, sanguinem mingunt, his in renibus ruptionem venæ significat: nam quantumuis variæ sint ac multæ mictionis sanguinis causæ, non tamen purus sanguis confertim & celeriter effertur per vrinam, nisi vbi vena renum propter sanguinis multitudinem ruptæ sunt, aut renes ipsi alioqui vulnerati.

Signa vulnerati lienis.

AT liene icto, sanguis niger à sinistra parte prorumpit, præcordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt, sitis ingens oritur, dolor ad iugulum, sicut iocinore vulnerato, venit.

Signa percussæ vuluæ.

AT cùm vulua percussa est, dolor inguinibus, & coxis, & *femoribus est. Sanguinis pars per vulnus, pars per naturale descendit, vomitus bilis insequitur. Quædam * obtumescunt, quædam mente labuntur, quædam sui compotes, neruorum, oculorumque dolore vrgeri se confitentur, morientesque tandem, eadem quæ corde vulnerato patiuntur.

* feminibus

* obmutescunt,

ENARRATIO.

SYMPTOMATA hæc subsequuntur, tum propter colligantiam, tum propter consensum quem cum cerebro, ventriculo, & superioribus partibus habet.

Signa percußi cerebri, vel membranæ eius.

S* IN cerebrum, membranáve eius vulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, fereque bilis vomitus insequitur. Quorundam sensus obtunduntur, appellatique ignorant. Quorundam trux vultus est, quorundam oculi quasi resoluti, *huc atque illuc mouentur. Fereque tertio vel quinto die delirium accedit. Multorum etiam nerui distenduntur. Ante mortem autem plerique fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum vulnus frigori obiiciunt.

* Enimuero si

* huc illuc cõmouentur.

ENARRATIO.

PAVLVS distinguit ita, vt si cerebri membrana vulnus acceperit, dolor capitis validus subsequatur, oculi ferueant, rubeántque, lingua agitetur, mens desipiat. Et si cerebrum percussum est, inquit, ægri concidunt, vox nihil sonat, facies peruertitur, bilis vomitus sequitur, sanguis per nares erumpit, per aures humor albus pulticulæ similis emanat, sanies per vulnus exit. Hippocrates sectione sexta Aphorismorum, Quibus cerebrum vulneratur, ait, iis febrem & bilis vomitum superuenire necesse est. Celsus febris non meminit, fortè quòd illam sub delirio comprehenderit.

Signa percussi stomachi.

VBI stomachus autem percussus est, singultus, & bilis vomitus insequitur. Si quid cibi vel potionis assumptum est, id redditur cito. Venarum motus elanguescunt, sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigescunt.

ENARRATIO.

HVC referre potes quæ de abdomine vulnerato scribit Paulus, quòd nimirum succus aut chylus ex ventriculo euacuatur, ex intestinis stercus.

Signa ieiuni intestini, & ventriculi vulnerati, & aliorum intestinorum.

COMMVNES verò ieiuni intestini, & ventriculi vulnerati notæ sunt. Nam cibus, & potio per vulnus exeunt, præcordia* indurescunt, nonnunquam bilis per os redditur. Intestino tantùm sedes inferior est. Cætera intestina icta vel stercus, vel odorem eius exhibent.

* intumescunt,

ENARRATIO.

nonnumquam bilis per os.

PRÆSERTIM si ieiunum vocatum intestinum affectum sit: quòd videlicet intestinum hoc bilem synceram vniuersam ex cholagogis poris recipiat, & quòd cysti fellis maximè vicinum sit. Cæterùm ex hoc § satis constat pro gula in præcedente § stomachi nomen vsurpatum.

Signa percussæ medullæ, quæ in spina est.

MEDVLLA verò quæ in spina est, * discussa, nerui resoluuntur, aut distenduntur, sensus intercidit: interposito tempore

* percussa, al. discissa,

tempore aliquo sine voluntate inferiores partes vel semen, vel vrinam, vel etiam stercus excernunt.

ENARRATIO.

Si quis originem conuulsionis neruorum, distentionisve probè exploratam habeat, quæ hîc de medulla spinæ discissa dicuntur, facilè assequetur: nam quum spinalis medulla cerebri quodammodo germen sit, & explantatio, & durorum corporis neruorum principium, per quos velut internuncios corpus vniuersum transsumit motum & sensum, consequens est dorsali medulla percussa, sensum & motum si non prorsus intercipi, saltem vitiari; atque ea quæ ordine subiungit Celsus, subsequi.

Signa septi transuersi percußi.

At si septum transuersum percussum est, præcordia sursum contrahuntur, spina dolet, spiritus rarus est, sanguis spumans fertur.

ENARRATIO.

Septo transuerso vulnerato, inquit Paulus, inspiratio magna oritur, cum gemitu & dolore per totam humeri partium compagem.

Signa vesicæ vulneratæ.

Vesica verò vulnerata, dolent inguina. Quod super pubem est, intenditur, pro vrina sanguis, aut ex ipso vulnere vrina descendit, stomachus afficitur. Itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt, frigus, & ex eo mors sequitur.

ENARRATIO.

pro vrina sanguis.

Exulcerata vesica, æquè ac renibus, mingitur sanguis: non respondet tamen proportione ei qui ex renibus fertur, quando in his venæ & ampliores & plures sint. Sed quòd vesica affecta sanguis per vrinariam fistulam effluat, docet Hippocrates sectione quarta Aphorismorum, dicens: Si sanguinem mingant aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum ventrem incidat, & pectinem, & femen, circa vesicam labor est.

De sanguine, & sanie, & pure, & eorum speciebus, quando meliora, deterioráve sint.

His cognitis, etiam nunc quædam alia noscenda sunt, ad omnia vulnera vlceraque, de quibus dicturi sumus, pertinentia. Ex his autem exit sanguis, sanies, pus. Sanguis omnibus

*varis, nibus notus eſt. Sanies eſt tenuior hoc, * variè craſſa, & glu-
*albidiſſi. tinoſa, & colorata. Pus craſſiſſimum, * albiſſimumque, glu-
tinoſius & ſanguine & ſanie. Exit autem ſanguis ex vulnere
recenti, aut iam ſaneſcente. Sanies eſt inter vtrunque tem-
pus: Pus ex vulnere iam ad ſanitatem ſpectante. Rurſus &
ſanies, & pus quaſdam ſpecies Græcis nominibus diſtinctas
*μελίκηρος habent. Eſt enim quædam ſanies, quæ vel ἰχὼρ, vel * melice-
ria nominatur. Eſt pus, quod ἐλαιώδες appellatur. ἰχὼρ tenuis,
ſubalbidus ex malo vlcere exit, maximeque vbi neruo læſo
*glutino-ſa & ſ. inflammatio ſecuta eſt. Meliceria craſſior, & * glutinoſior,
ſubalbida, melliqúe albo ſubſimilis fertur. Hæc quoque ex
malis vlceribus, vbi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter
hæc loca, maximè ex genibus. Ελαιῶδες tenue, ſubalbidū, qua-
*vngui-noſum ſi * vnctum colore atque pinguitudine, oleo albo non diſſimi-
le, adparet in magnis vlceribus ſaneſcentibus. Malus autem
eſt ſanguis nimium aut tenuis, aut craſſus, colore vel liui-
dus, vel niger, aut pituita miſtus, aut varius. Optimus cali-
*ruber, dus, * rubens, modicè craſſus, non glutinoſus. Itaque proti-
nus eius vulneris expedita magis curatio eſt, ex quo ſanguis
bonus fluxit. Itemque poſtea ſpes in his maior eſt, ex quibus
*quoque melioris generis quæque proueniunt. Sanies * igitur mala eſt,
multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut gluti-
noſa, aut mali odoris, aut quæ & ipſum vlcus, & iunctam ei
cutem erodit. Melior non multa, modicè craſſa, ſubrubicun-
da, aut ſubalbida. Ιχὼρ autem peior eſt multus, craſſus, ſub-
liuidus, aut ſubpallidus, glutinoſus, ater, calidus, mali odo-
ris. Tolerabilior eſt ſubalbidus, qui cætera omnia contraria
prioribus habet. Meliceria autem mala eſt multa, & per-
craſſa, melior quæ & tenuior, & minus copioſa eſt. Pus inter
hæc optimum eſt. Sed id quoque peius eſt multum, tenue,
dilutum, magiſque ſi ab initio tale eſt. Itemque ſi colore ſe-
ro ſimile, ſi pallidum, ſi liuidum, ſi feculentum eſt. Præter
hæc, ſi malè olet, niſi tamen locus hunc odorem excitat.
Melius eſt, quo minus eſt, quo craſſius, quo albidius. Item-
que ſi leue eſt, ſi nihil olet, ſi æquale eſt, modò tamen con-
uenire, & magnitudini vulneris & tempori debet. Nam
plus

plus ex maiore, plus nondum solutis inflammationibus naturaliter fertur. Elæodes quoque peius est multum, & parum pingue, quo minus * etiam, quoque idipsum pinguius, eo melius est. *eius.

ENARRATIO.

INTER eos qui hodie extant, nullus exactiùs puris & saniei differentiam descripsit, quàm noster Cornelius hoc paragrapho. Pus igitur, ut docet Hippocrates libro De ulceribus, fit ex sanguine putri, & à natura plurimùm abhorrente, ἰχὼρ seu sanies; Guidoni ac recentioribus virulentia appellatur: estq́; superfluitas subtilis, ex abundantia humorum aquosorum generata, unde ulcera humida redduntur. Sordem Galenus craßiorem quandam saniem vocat; quæ si multa sit, ulcera sordida reddat, quam eandem cum Celsi meliceria esse existimo. Damocrates ἰχῶρα τρυγώδη λεπτὸν appellat.

Curatio aduersus profusionem sanguinis in ulceribus.

QVIBVS exploratis, vbi aliquis ictus est, qui seruari potest, protinus prospicienda duo sunt, ne sanguinis sit profusio, néve inflammatio interimat. Si profusionem timemus, quod ex sede vulneris, & magnitudine eius, & ex impetu ruentis sanguinis intelligi potest, siccis linamentis vulnus implendum est, supraque imponenda spongia, ex aqua frigida expressa, ac manu super comprimenda. Si parum sic sanguis conquiescit, sæpius linamenta mutanda sunt. Et si sicca parum valent, aceto madefacienda sunt. Id vehemens ad sanguinem supprimendum est. Ideoque quidam id vulneri infundunt. Sed alius rursus metus subest, ne nimis valenter ibi retenta materia magnam inflammationem postea moueat. Quæ res efficit, vt neque rodentibus medicamentis, neque adurentibus, & ob idipsum inducentibus crustam, sit vtendum, quamuis pleraque ex his sanguinem supprimunt. Sed si semel ad ea decurritur, * potius quæ mitius idem efficiunt. *his pot. Quòd si illa quoque profluuio vincuntur, venæ quæ sanguinem fundunt apprehendendæ, * circaque id *intraque quòd ictum est, duobus locis deligandæ, intercidendæque sunt, * vt & in se ipsæ coëant, & nihilominus ora præclusa habeant. *vt in se iunctæ coëant. Vbi ne id quidem res patitur, possunt ferro candenti aduri. Sed etiam satis multo sanguine effuso ex eo loco, quo

neque neruus, neque musculus est, vtputa in fronte, vel superiore capitis parte, commodissimum tamen est cucurbitulam admouere * à diuersa parte, vt illuc sanguinis cursus reuocetur.

*ab aduersa, vel auersa,

ENARRATIO.

& ex impetu ruentis sanguinis.

ID ad dignotionem loci affecti dictum est: nam qui cum impetu fertur sanguis, magna ex parte, aut arteria, vulnerata, aut eadem præcisa, accidere solet. Linamenta autem aceto madefacienda dicit, quòd repellentis admodùm astrictoriæque sit facultatis, alij emplastica admonere malunt, quemadmodum & Paulus ipse faciendum suadet.

Quæ res efficit.

NAM quæ crustas generant, quoties deciдunt, nudam magis partem, quàm naturaliter esse debet, relinquunt, multisque iam ex iis quibus crusta decidit, sanguinis profluuium quod ægrè sisti queat, superuenit: quanquam & his vtendum est, quoties magna vrget necessitas. Auctor est Æginета.

ferro candenti aduri.

OPORTET tamen ignita ferramenta antea ex aceto, vel vino restinguere.

Sed etiam satis.

DE reuulsione per cucurbitulam secundo libro abundè dictum est.

Curationes aduersus vulnerum inflammationem.

ET aduersus profusionem quidem in his auxilium est. Aduersus inflammationem autem in ipso sanguinis cursu, * ea timeri possunt, vbi læsum est, vel os, vel neruus, vel cartilago, vel musculus: aut vbi parum sanguinis pro modo vulneris fluxit. Ergo quoties quid tale erit, sanguinem maturè supprimere non oportebit, sed pati fluere, dum tutum erit, adeò vt si parum fluxisse videbitur, mitti quoque ex brachio debeat, vtique si corpus iuuenile, & robustum, & exercitatum est: multóque magis, si id vulnus ebrietas præcessit. Quod si musculus læsus videbitur, præcidendus erit. Nam percussus mortiferus est: præcisus sanitatem recipit.

*eaque

ENARRATIO.

Quòd si musculus.

LÆSVM musculum præcidendum dicit auctor noster: quòd etsi quàm maximè eo præciso actionem aliquam vitiari certum sit; ab inflammatione tamen & conuulsione vindicet, quam proximo capite ex Hippocrate lethalem esse dicit. atque hæc quidem musculos vulneratos magna ex parte subsequi solet; præsertim si in capitibus aut finibus musculorum vulnera infligantur: nam in capitibus musculorum, musculis nerui adnascuntur;

naſcuntur; ex finibus autem chordæ oriuntur. Si tamen in longum, aut in rectum vulnerari contingat muſculum, nihil minùs quàm præcidendus erit; quando ſi probè curetur, non minùs quàm præciſus curationem recipiat, idq; citra vitium alicuius actionis, quam in præciſo muſculo neceſſariò vitiari diximus.

De glutinatione vulnerum.

SANGVINE autem vel ſuppreſſo, ſi nimius erumpit: vel *exhauſto, ſi per ſe parum fluxit, longè optimum eſt vulnus glutinari. Poteſt autem id vel quod in cute vel etiam in carne eſt, ſi nihil ei præterea mali accedit. Poteſt caro alia parte dependens, alia inhærens, ſi tamen etiamnum integra eſt, & coniunctione corporis fouetur. In his verò quæ glutinantur, duplex curatio eſt. Nam ſi plaga in molli parte, ſui debet, maximeque ſi diſciſſa auris ima eſt, vel imus naſus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis vel venter. Si verò in carne vulnus eſt, hiatque, neque in vnum oræ facilè attrahuntur, ſutura quidem aliena eſt. Imponendæ verò fibulæ ſunt (ἀγκτῆρας Græci nominant) quæ oras paulum tamen contrahunt, quo minus lata poſtea cicatrix ſit. Ex his autem colligi poteſt, id quoque quod alia parte dependens, alia *inhærebit, ſi alienatum adhuc non eſt, ſuturam, an fibulam poſtulet. Ex quibus neutra antè debet imponi, quàm intus vulnus purgatum eſt, ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur. Id enim & in pus vertitur, & inflammationem mouet, & glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſſa inditum eſt, inibi relinquendum eſt. Nam id quoque inflammat. Comprehendi verò ſutura vel fibula non cutem tantùm, ſed aliquid etiam ex carne, vbi ſuberit hæc, oportebit, quò valentius hæreat, neque cutem abrumpat. Vtraque optima eſt ex *acia molli non nimis torta, quò mitius corpori incidat. Vtraque neque nimis rara, neque nimis crebra iniicienda eſt. Si nimis rara eſt, non continet. Si nimis crebra eſt, vehementer afficit, quia quò ſæpius acus corpus *tranſiuit, quoque plura loca iniectum vinculum mordet, eo maiores inflammationes oriuntur, magiſque æſtate. Neutra etiam vim *illam deſiderat: ſed eatenus vtilis eſt, *quà cutis ducentem, quaſi ſua ſponte

* venæ ſectione,
* inhæret,
* acu
* tranſiuit,
* vllam
* quatenus

ſponte ſubſequitur. Ferè tamen fibulæ latius vulnus eſſe patiuntur. Sutura oras iungit, quæ ne ipſæ quidem inter ſe contingere ex toto debent, vt ſi quid intus humoris *concreuerit, ſit quà emanet. Si quod vulnus neutrum horum recipit, id tamen purgari debet, deinde omni vulneri primò imponenda eſt ſpongia ex aceto expreſſa: ſi ſuſtinere aliquis aceti vim non poteſt, vino vtendum eſt. Leuis plaga iuuatur etiam, ſi ex aqua frigida expreſſa ſpongia imponitur. Sed ea quocumque modo impoſita eſt, dum * manet, prodeſt. Itaque vt inareſcat, non eſt committendum. Licetque ſine peregrinis, & conquiſitis, & compoſitis medicamentis vulnus curare. Sed ſi quis huic parum confidit, imponere medicamentum debet, quod ſine ſeuo compoſitum ſit ex his, quæ cruentis vulneribus apta eſſe propoſui. Maximeque ſi caro eſt, barbarum: ſi nerui, vel cartilago, vel aliquid ex eminentibus, quales aures, vel labra ſunt, Polybi ſphragidem. Alexandrinum quoque viride neruis idoneum eſt, eminentibuſque partibus ea, quam Græci ῥάπτουσαν vocant. Solet etiam colliſo corpore exigua parte findi cutis. Quod vbi incidit, non alienum eſt ſcalpello latius aperire, niſi muſculi, neruique iuxtà ſint, quos incidi non expedit. Vbi ſatis diductum eſt, medicamentū imponendum eſt. At ſi id, quod colliſum eſt, quamuis parum diductum eſt, latius tamen aperiri propter neruos, aut muſculos non licet, adhibenda ſunt ea, quæ humorem leniter extrahant, præcipueque ex his, id quod rhypodes vocari propoſui. Non alienum eſt, etiam vbicunque vulnus graue eſt, *impoſitum, quo id iuuetur, inſuper circundare lanam ſuccidam ex aceto, & oleo. Vel cataplaſma, ſi mollis is locus eſt, quod leniter reprimat; ſi neruoſus aut muſculoſus, quod emolliat.

*coiuerit,

*madet,

*impoſito, quo adiuuetur,

ENARRATIO.

Nam ſi plaga.

TRIPLICEM ſuturarum in vulneribus differentiā conſtituunt chirurgi: vnam ſiquidem agglutinatoriā ſeu incarnatiuam; alteram ſuppreſſoriam ſanguinis; & tertiam labiorum in vnum adductorum ad tempus conſeruatricem appellantes: ac conglutinatoria ſutura quinq. diuerſos modos ſtatuunt, quos breuitatis cauſa omitto. Has omnes

Theophraſtus

Theophrastus Paracelsus in maximis etiam vulneribus tanquam superfluas reiicit, & veluti inflammationum genitrices suspectas habet. Dicit enim singulis particulis insitum humidum quoddã radicale quod balsamum vocat, quod solutam continuitatem per se vnire & consolidare possit: ac proinde quum natura per se vulnera sigillare potis sit, in hoc tantùm chirurgo incumbendum, vt naturæ subministret, atque eã arceat quæ symptomata aliquod loco affecto afferre possent; in quo albo, vt diximus, suturam censet, quòd eidem magna ex parte comites esse soleant dolor, congeries excrementorum, & inflammatio. Quæ quidem etsi ita se habeant, est tamen quandoque vbi citra noxam vsus suturarum esse possit, adhibitis cautelis quas hîc auctor noster recenset.

Vtraque optima est ex acia.

BENE monuit Pantinus hîc subesse mendum, legendúmque ex acu. quamquam id non animaduertens Tagaultius, antiquam lectionem in suum De institutionibus chirurgicis librum transtulit. Cæterùm acus ipsa longa esto, vt idem scribit, ac lænis, cuspide triangulari, cauda excauata, vt in eã filum recondatur, & transitum acus non remoretur.

Neutra etiam vim illam.

QVAMVIS vetus lectio aliquo modo constare posset, ego tamen cum Pantino vim vllam legere malim.

spongia ex aceto.

SI neruosus locus sit affectus, aut alioqui tendines, acetum, vt libro Methodi docet Galenus, etiamsi quàm maximè inflammationes arceat, suspectum est. vinum certè, austerum inprimis, (hoc enim Celsum intelligere verisimile est) admodùm vtile censetur: nam præterquam quòd inflammationes arceat, vt docet Hippocrates, etiam glutinandi vi præditum est, quam vsque ad penitiores vulneris partes transmittit.

Leuis plaga.

SI natura corporis totius atque adeò partis affectæ calida sit, ipsáque anni tempestas frigidis vti permittat, frigida conueniet, vt quæ repellendi vi prædita est, & calore naturali aucto sanitatem restituet. si tamen profundum vulnus sit, & nec tempestas, nec corporis constitutio frigidæ vsum admittant, nihil æquè aduersum vulneribus existit, atque frigida, vt quæ extincto calido innato, curationem prohibeat, si neruosus locus affectus est, aquæ frigiditas neruos sensiles admodùm, & natura frigidos afficiet, & principi partium primati, vt testatur Galenus, affectionem suam impertiet.

Polybi sphragidem.

Polyidæ legendum esse iam antè dictum est.

lanam succidam ex aceto.

SVCCIDAM lanam οἰσυπηρὰν vocant: leniendi, digerendi, & repellendi vim habet: acetum siccat, astringit mediocriter, ac repellit; oleum autem dolorem leuandi & discutiendi facultate præditum est.

Quomodo vulnus ligari conueniat.

FASCIA verò ad vulnus deligandum, *lintea aptissima est, eaque lata esse debet, vt semel iniecta non vulnus tantùm, sed paulum vtrinque etiam oras eius comprehendat. Si ab altera parte caro magis recessit, ab ea melius attrahitur. Si æquè ab vtraque, transuersè comprehendere oras debet: aut si id vulneris ratio non patitur, media primùm iniicienda est, vt

* linea

est, vt tum in vtranque partem ducatur. Sic autem deliganda est, vt & contineat, neque adstringat. Quod non continetur, elabitur: Quod nimis adstrictum est, cancro periclitatur. Hyeme sæpius fascia circuire debet, æstate quoties necesse est, tum extrema pars eius * inferioribus acu assuenda est. Nam nodus * vulnus lædit, nisi tamen longè est. * Illo neminem decipi decet, vt propriam viscerum curationem requirat, * de quibus suprà posui. Nam plaga ipsa curanda extrinsecus, vel sutura, vel alio medicinæ genere est. In visceribus nihil mouendum est, nisi aut si quid ex iocinore, aut liene, aut pulmone duntaxat extremo dependeat, præcidatur. Alioquin vulnus interius, ea victus ratio, eaque medicamenta sanabunt, quæ cuique visceri conuenire superiore libro proposui.

* inferior
* vlcus
* Porrò
* ab iis, de q.

ENARRATIO.

ad vulnus deligandum, lintea aptissima.

EXPVNGENDA *distinctio est, legendúmque* linea. *Hippocrates libro De officina medici, Quod ad longitudinem, inquit, ac latitudinem pertinet, impleant trium, quatuor, quinque aut sex digitorum quidem latitudinem, cubitorum verò longitudinem.*

De ratione victus, & notis vulnerum, curationibusque eorum.

HIS ita primo die ordinatis, homo in lecto collocandus est, isque, si graue vulnus est, abstinere, quantum vires patiuntur, ante inflammationem à cibo debet: bibere, donec sitim finiat, aquam calidam: vel si æstas est, neque febris neque dolor est, etiam frigidam. Adeò tamen nihil perpetuum est. Sed semper pro viribus corporis æstimandum, vt imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarium possit, tenuem scilicet & exiguum, qui tantùm sustineat. Multíque etiam ex profluuio sanguinis intermorientes, ante vllam curationem vino reficiendi sunt, quod alioqui inimicissimum vulneri est. Nimis verò intumescere vulnus, periculosum: nihil intumescere, periculosissimum est. Illud indicium est magnæ inflammationis, hoc emortui corporis. Protinusque si mens homini consistit, si nulla febris accessit, scire licet, maturè

turè vulnus ſanum fore. Ac ne febris quidem terrere debet, ſi in magno vulnere, dum * inflatio eſt, permanet. Illa pernicioſa eſt, quæ vel leui vulneri ſuperuenit, vel vltra tempus inflammationis durat, vel delirium mouet, vel ſi neruorum * rigor, aut diſtentio, quæ ex vulnere orta eſt, eam non finit. Vomitus quoque bilioſus non voluntarius, vel protinus vt percuſſus eſt aliquis, vel dum inflammatio manet, malum ſignum eſt in his duntaxat, quorum vel nerui, vel etiam neruoſi loci vulnerati ſunt. Sponte tamen vomere non alienum eſt, præcipuè his, quibus in conſuetudine fuit: ſed neque protinus poſt cibum, neque iam inflammatione orta, neque cùm in ſuperioribus partibus plaga eſt. Biduo ſic vulnere habito, tertio die id aperiendum, detergendaque ſanies ex aqua frigida eſt, eademque rurſus iniicienda ſunt. Quinto * iam die quanta inflammatio futura eſt, ſe oſtendit. Quo die rurſus detecto vulnere conſiderandus color eſt. Quòd ſi liuidus, aut pallidus, aut varius, aut niger eſt, ſcire licet malum vulnus eſſe: idque quandocunque animaduerſum eſt, terrere nos poteſt. Album, aut rubicundum eſſe vlcus, commodiſſimum eſt. Item cutis dura, craſſa, dolens, periculum oſtendit. Bona ſigna ſunt, vbi hæc ſine dolore tenuis, & mollis eſt. Sed ſi glutinatur vulnus, aut leuiter intumuit, eadem ſunt imponenda, quæ primò fuerunt. Si grauis inflammatio eſt, neque glutinandi ſpes eſt, eaque pus moueat, aquæ quoque calidæ neceſſarius vſus eſt, vt & materiam digerat, & duritiam emolliat, & pus citet. Ea ſic temperanda eſt, vt & manu contingenti iocunda ſit, vſque eò adhibenda donec aliquid ex tumore minuiſſe, * coloremque vlceri magis naturalem reddidiſſe videatur: maximeque ſi grande vulnus eſt, tetrapharmacum: ſi in articulis, digitis, locis cartilaginoſis, rhypodes. Poſt id fomentum, ſi * lata plaga non patet, imponi protinus emplaſtrum debet, * & ſi latius hiat, illud emplaſtrum liquari ex irino vnguento oportet: eoque illita linamenta diſponi per plagam; deinde emplaſtrum ſuprà dari, & ſuper id ſuccidam lanam, minuſque etiam, quàm primo, faſciæ aſtringendæ ſunt.

* inflammatio

* rigorem, aut diſtentionem q. e. v. o. eſt, ea n.

* tamen

* calorem

* latè

* maximeque ſi grande vulnus eſt, tetrapharmacũ: ſi in articulis, digitis, locis cartilaginoſis, rhypodes: et ſi latius

ENARRATIO.

abstinere.

HIPPOCRATES libro De affectionibus, & de vlceribus, Vulneratos, inquit, fame affligito, & ex aluo quæ insunt subducito, aut clystere, aut pharmaco infrà purgante exhibito, & in potu dato aquam vel acetum; inflammata cataplasmatis frigefacito. Celsus hîc pro virium ac temporis ratione limitationem quandam addit.

nihil intumescere.

HIPPOCRATES sectione V. Aphorismo LXVI. In vulneribus fortibus & prauis, si tumor non appareat, ingens malum est: certum etenim est materiam ad interiora, atque adeò nobiliores partes rapi, atque inibi maiori noxæ originem dare. Celsus signum emortui corporis esse dicit.

vel si neruorum rigor.

HIPPOCRATES segmento V. Aphorismo II. Conuulsio ex vulnere lethalis est, inquit: atque id quidem duabus de causis; partim videlicet quòd ex inanitione fiat. atque sic idem eodem libro dicit, vbi sanguis plurimus fluxit, singultus, aut conuulsio superueniens, malum; partim quòd necessum sit magnum esse vulnus idq; in neruoso genere, quod lege consortij cerebrum quoque afficiat. hinc & vomitum non spontaneum tanquam conuulsorium suspectum etiam habet.

Quinto iam die.

TERTIO etenim & quarto die ferè recrudescunt vulnera, vt docet Hippocrates: vnde si qua in metu sit inflammatio, quinto die sese exeret.

Si grauis inflammatio.

QVOTQVOT hactenus videre contigit exemplaria, locum hunc deprauatè legunt: siquidem Pinzanum, quod secutus est Ioannes Oporinus, si grauis inflammatio est, neque glutinandi spes est, eaque pus moueant: Ioannes Cæsarius, si grauis inflammatio est, neq. glutinandi spes est, neque mouetur, legere maluit: ego (nisi quid me fallat opinio) legendum existimo: ea quæ pus moueant. & quòd sic legendum sit, me mouit ipse Celsus, qui aquam calidam ideò vtilem esse dixit, quòd pus citet. Porrò quod ad calidæ vsum attinet, sic scriptum reliquit Hippocrates: Quod ad aquæ calorem pertinet & copiam, calor vehementior non sit, quàm vt infusa ferri possit à manu. copiam, vbi relaxandum tenuandúmque est, esse conuenit maximam; vbi caro producenda est aut molliendum, modicam.

Curationes propriæ articulorum.

PROPRIE quædam in articulis * visenda sunt, in quibus si præcisi nerui sunt, qui continebant, debilitas eius partis sequitur. Si id dubium est, & ex acuto telo plaga est, * ea transuersa commodior est. Si retuso & graui est, nullum in figura discrimen est. At visendum est pus supra articulum, an infra nascatur. Si sub eo nascitur, albumque & crassum diu fertur, neruum præcisum esse credibile est. * Magis quoque, maiores dolores inflammationesque quo maturius excitatæ sunt. Quamuis autem non abscissus neruus est, tamen si

[Margin: * dicenda; * & ea; * Magisq. quò maiores, & quò in mai.]

circà tumor durus diu permanet, necesse est & diuturnum vlcus esse, & sano quoque eo tumorem permanere, futurumque est, vt tardè membrum id extendatur vel contrahatur. Maior tamen in extendendo mora est, vbi recuruato articulo curatio adhibita est, quàm in recuruando eo, quod rectum continuerimus. Collocari quoque membrum quod ictum est ratione certa debet. Si glutinandum est, vt superius sit, si in * inflammatione est, vt in neutram partem inclinatum sit. Si iam pus profluit, vt deuexum sit. Optimum etiam medicamentum quies est: moueri & ambulare, nisi sanis, alienum est. Minus tamen his est periculosum, qui in capite vel in brachiis, quàm qui in inferioribus partibus vulnerati sunt. Minimeque ambulatio conuenit, femine, aut crure, aut pede laborante. Locus in quo cubabit tepidus esse debebit. Balneum quoque dum parum vulnus purum est, inter res infestissimas est. Nam id & humidum, & sordidum reddit, ex quibus ad cancrum transitus esse consueuit. Leuis frictio rectè adhibetur, sed his partibus, quæ longius absunt à vulnere.

* eo inflãmatio est.

ENARRATIO.

ARTICVLORVM vulnera omnia Galenus Cacoëthe vocat Methodi medendi libro, tum quòd neruorum distentionem inferre soleant, tum quòd ex dolore vigiliarum & delirij periculum instet. ea transuersa.

GALENVS tamen libro Methodi sexto neruum per transuersum vulneratum conuulsioni opportuniorem dicit, quàm per directum.

Vulnus quomodo purgandum est.

INFLAMMATIONE finita, vulnus purgandum est. Id optimè faciunt tincta in melle linamenta, supraque id, emplastrum, *vel enneapharmacum dandum est. Tum demum verò purum vlcus est, cùm rubet, ac nimium neque siccum, neque humidum est. Ac quodcunque sensu caret, quod non naturaliter sentit, quod nimium aut aridum, aut humidum est: quod aut pallidum, aut albidum, aut liuidum, aut nigrum est, id purum non est.

* tetrapharmacum, vel.

ENARRATIO.

DETERGET *mel, & humores euocat: qua ratione, inquit Dioscorides, in sordida ulcera sinúsque commodissimè infunditur.*

Quomodo vulnus implendum est.

PVRGATO, sequitur vt impleatur, iamque calida aqua eatenus necessaria est, vt sanies remoueatur. Lanæ succidæ superuacuus vsus est. Lota melius circundatur. Ad implendum autem vulnus proficiunt quidem etiam medicamenta aliqua. Itaque ea adhiberi non alienum est, vt butyrum cum rosa, exigua mellis parte, aut cum eadem parte, aut cum eadem rosa tetrapharmacum, aut ex rosa linamenta. Plus tamen proficit balneum rarum. Cibi boni succi, vitatis omnibus acribus, sed * iam plenioribus.
* etiam pleniores.
Nam & auis, & venatio, & suilla elixa dari potest. Vinum omnibus dum febris, dum inflammatio est, alienum est. Itemque vsque ad cicatricem, si nerui, musculíve vulnerati sunt, etiam si altè caro *, aut si plaga in summa cute generis tutioris est, potest non peruetus, modicè tamen datum, ad implendum quoque proficere.
*. At si
Si quid molliendum est, quod in neruosis locis, musculosisque necessarium est, cerato quoque super vulnus vtendum est. At si caro supercreuit, modicè reprimit siccum linamentum, vehementius squama æris. Si * plus est, quod tolli opus est, adhibenda sunt etiamnum vehementiora, quæ corpus exedant.
* carnis pl.
Cicatricem post omnia hæc commodè inducit, lycium ex passo, aut lacte dilutum, vel etiam per se impositum siccum linamentum.

ENARRATIO.

vt butyrum cum rosa.

PVS *magis moueris, sordidúmque vlcus reddideris quàm vulnus impleueris, aut carnem produxeris.*

modicè reprimit siccum.

VALENTIVS *effeceris, si priùs ex acri muria imbutum resiccâris.*

De vlceri-

De vlceribus, quæ extrinſecus per vulnera incidunt, curationibúſque eorum.

HIC ordo felicis curationis eſt. Sed quædam tamen periculoſa incidere conſuerunt. Interdum enim vetuſtas vlcus occupat, inducitúrque ei callus, & circùm oræ craſſæ liuent, poſt quæ quicquid medicamentorum ingeritur, parum proficit, quod fere negligenter curato vlceri ſuperuenit. Interdum vel ex nimia inflammatione, vel ob æſtus immodicos, vel ob nimia frigora, vel quia nimis vulnus adſtrictum eſt, vel quia corpus aut ſenile, aut mali habitus eſt, cancer occupat. Id genus à Græcis diductum in ſpecies eſt, noſtris vocabulis non eſt. Omnis autem cancer non ſolùm id corrumpit, quod occupauit, ſed etiam ſerpit, deinde aliis aliiſque ſignis* decernitur. Nam modò ſuper inflammationem rubor vlcus ambit, iſque cum dolore procedit, ἐρυσιπέλας Græci nominant. Modò vlcus nigrum eſt, quia caro eius corrupta eſt. Idque vehementius etiam putreſcendo *intenditur. Vbi vulnus humidum eſt, & ex nigro vlcere humor pallidus fertur, malique odoris eſt, carunculæ corruptæ. Interdum etiam nerui ac membranæ reſoluuntur, ſpecillumque demiſſum deſcendit aut in latus, aut deorſum, eoque vitio nonnunquam os quoque afficitur. Modò oritur ea, quam Græci γάγγραιναν appellant. Priores in qualibet parte corporis fiunt. Hæc in prominentibus membris, id eſt inter vngues, & alas, vel inguina, fereque in ſenibus, vel his quorum corpus mali habitus eſt. Caro in vlcere vel nigra, vel liuida eſt, ſed ſicca & arida, proximaque cutis plerunque ſubnigris* puſtulis impletur, deinde ei proxima vel pallida, vel liuida, fereque rugoſa ſine ſenſu eſt. Vlterior in inflammatione eſt, omniaque ea ſimul ſerpunt. Vlcus in locum puſtuloſum: Puſtulæ, in eum qui pallet aut liuet: Pallor aut liuor, in id quod inflammatum eſt: Inflammatio, in id quod integrum eſt, tranſit. Inter hæc deinde febris acuta oritur, ingenſque ſitis, quibuſdam etiam delirium accedit, alij quamuis mentis ſuæ compotes ſint, balbutiendo tamen vix ſenſus ſuos ore explicant. Inci-

*diſcernitur.

*extenditur.

*puſulis.

pit affici stomachus. Fit fœdi spiritus ipse odoris. Atque initium eius quidem mali recipit curationem. Vbi verò penitus insedit, insanabile est, plurimique sub frigido sudore moriuntur.

ENARRATIO.

QVANQVAM indifferenter vulnus & vlcus apud probatiores auctores, præsertímque Hippocratem, pro eodem accipi contendant nonnulli: videmus tamen hîc à Celso alterum ab altero esse distinctum.

Omnis autem cancer.

QVANDOQVIDEM Gulielmus Pantinus breuißimè caput hoc enarrauit, non pigebit hîc eiusdem verba asscribere, ne (quod semper mihi religio fuit) alios suo defraudem honore: Tres, inquit, cancri species facit Celsus, erysipelam, gangrænam, & vlcus nigrum. Vitium autem istud cancer dici cœptum est, vel quia venæ quæ in eius ambitu circumiacent, sic tument & implentur, vt cancrorum pedes sua forma imitari atque exprimere videantur; vel quòd tenacißimè hoc malum, vbi semel apprehenderit, inhæret: quo modo & cancri difficillimè ab eo quod suis chelis amplectuntur, auelli possunt.

Curatio vlceris.

AC pericula quidem vulnerum hæc sunt. Vetus autem vlcus scalpello * incidendum est, excidendæque eius oræ, & quicquid super eas liuet, æquè incidendum. Si * varicula intus est, quæ * his sanari prohibet, ea quoque excidenda. Deinde, vbi sanguis emissus, nouatumque vulnus est, eadem curatio adhibenda, quæ in recentibus vulneribus exposita est. Si scalpello aliquis vti * non vult, potest sanare id emplastrum, quod ex ladano fit, & cùm vlcus sub eo exesum est, id quo cicatrix inducitur.

* concidendum al. excid.
* carnicula
* has, vel hoc
* nolit,

ENARRATIO.

emplastrum quod ex ladano.

*QVONIAM ea quæ præcedunt clariora sunt quàm vt ampliore enarratione egeant, volentes præterimus. Cæterùm quando hîc emplastri quod διὰ λαδάνου vocari dicit, mentionem facit; duximus non omnino inutile fore, quæ ingrediuntur simplicia enumerare, posteaquam id à Celso nostro omissum est. Recipit igitur argenti spumæ * p° XL. ladani * p° XXXII. chalcanthi * p° VIII. aluminis scißilis * p° XII. ceræ * p° C. squammæ * p° VIII. bituminis * p° XXXII. myrtei quartam heminæ partem, vinum Falernum succis adiicitur.*

Curatio Erysipelatum.

ID autem quod Erysipelas vocari dixi, non solùm vulneri superuenire, sed sine hoc quoque oriri consueuit, atque interdum

terdum periculum maius affert, vtique si circa *. ceruices aut caput constitit. Oportet, si vires patiuntur, sanguinem mittere, deinde imponere simul reprimentia & refrigerantia, maximeq. cerussam solani succo, aut cimoliam cretam aqua *pluuiali exceptam, aut ex eadem aqua subactam farinam cupresso adiecta, aut si tenerius corpus est, * lenticulam. Quicquid impositum est, betæ folio contegendum est, & super linteolum frigida aqua madens imponendum. Si per se refrigerantia parum proderunt, miscenda erunt hoc modo, sulphuris P. I. ✻. cerussæ & croci, singulorum * P. XX. ✻. eaque cum vino conterenda sunt, & id his illinendum: aut si durior locus est, solani folia contrita, suillæ adipi miscenda sunt, & illita linteolo superiniicienda. At si nigrities est, neque dum serpit, imponenda sunt, quæ carnem putrem lenius *exedant, repurgatumque vlcus sic vt cætera nutriendum est. Si magis putre est, iamque procedit ac serpit, opus est vehementius erodentibus. Si ne hæc quidem euincunt, aduri locus debet, donec ex eo nullus humor feratur: nam quod sanum est, siccum est cùm aduritur, post vstionem putris vlceris superponenda sunt quæ crustas à vino resoluant, eas ἐσχάρας Græci vocant. Vbi exciderunt, purgandum vlcus maximè melle & * resina est, sed aliis quoque purgari potest, quibus purulenta curantur, * eodemque modo ad sanitatem perducendum est.

*ceruicem
*pluuiatili
*lenticula.
* P. XII. al. XXII. al. XXXII.
*resina vsta
* coque

ENARRATIO.

QVOD *si vlceratus locus incalescat aut doleat, aut colorem ex flauo rubicundum, aut aliam notam quamcunque exiguam præ se ferat, verendum est ne erysipelas subsequatur. quam suspicionem augebit, natura patientis biliosa, tempus anni calidum, & regio, reliquáque eius generis. Porrò Galenus tumorē ex feruente & tenui sanguine conflatum, priuatim quidem & propriè erysipelas vocauit: quum verò nec planè biliosa, nec sanguinea fluxio existat, sed ex ambabus mixta, vtique ab eo quod in mixtura superat, nomen vitio indidit; ac modò erysipelas phlegmonodes, nunc inflammationem erysipelatoden nominauit. Cæterùm quæ ceruicem aut caput excipit erysipela, meritò periculosa dicitur Celso; vt quæ, nisi subitò succurratur, suffocet ac strangulet.*

Oportet, si vires patiuntur.

HIPPOCRATES *libro* De *vlceribus, rationem materiæ peccantis habens, Cuicunque, inquit, vlceri superuenerit erysipela, purgare corpus conuenit seu deiectione, seu vomitu, prout vlceri præstabit. Celsus maiorem*

iorem respectum habens ad inflammationem, quæ eidem comes magna ex parte esse solet, sanguinem mittendum esse dicit: quanquam præstiterit ex Hippocratis præscripto, nisi quid obstet, medicamento purgante aluum sollicitare, atque bilem ducere.

Sulphuris.

S I *spumam argenti & opium addideris, Oribasij pastillum ad erysipelam reddideris.*

Si magis putre est.

M A L V M *id esse dicit Hippocrates sectione septima Aphorismorum: quòd videlicet partes in superficie existentes, non solùm exulceret, sed & interiores & profundiores depascatur.*

cas ἐσχάρας Græci.

I O A N N E S *Cæsarius ex Suida:* ἐσχάραν, φησὶ, καλεῖσθαι λυχνοῦχον καὶ ἀμμώνιον τὴν μὴ ἔχουσαν ὕψος, ἀλλ' ἐπὶ γῆς ἱδρυμένην, ἢ κοίλην, παρ' ὃ καὶ τοὺς ἰατροὺς τὰ ἐν σώματι κοῖλα ἕλκη ἐσχάρας καλεῖν.

Curatio Gangrænæ.

GANGRÆENAM verò, si nondum planè tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est, vtique in corpore iuuenili, & magis etiam si musculi integri sunt, si nerui vel læsi non sunt, vel leuiter affecti sunt, neque vllus magnus articulus nudatus est, aut carnis in eo loco paulum est, ideoque non multum, quod putresceret, fuit, consistitque eo loco vitium: quod maximè fieri in digito potest. In eiusmodi casu primum est, si vires patiuntur, sanguinem mittere. Deinde quicquid aridum est, & * intentione quadam proximum quoque locum malè habet, * vsque ad sanum corpus * concidere. Medicamenta verò dum malum serpit, adhibenda nulla sunt, quæ pus mouere consuerunt, ideoque ne aqua quidem calida. Grauia quoque, quamuis reprimentia, aliena sunt. Sed his quàm leuissimis opus est, superque ea quæ inflammata sunt, vtendum est refrigerantibus. Si nihilo magis malum constitit, vri id, quod est inter integrum ac vitiatum locum, debet. Præcipueque in hoc casu petendum, non à medicamentis solùm, sed etiam à victus ratione præsidium est. Neque enim id malum nisi corrupti vitiosique corporis est. Ergo, primò, nisi imbecillitas prohibet, abstinentia vtendum. Deinde danda quæ per cibum potionemque aluum, ideoque etiam corpus, adstringant, sed ea leuia. Postea, si vitium constitit, imponi super vulnus eadem debent, quæ in putri vlcere præscripta sunt. At tum quoque pleniori-

* extensione
* vsque eo sa.
* excidere

plenioribus cibis vti licebit ex media materia,*ſic tamen non *ſed nisi aluum,corpuſque ſiccantibus: aqua verò pluuiali frigida balneum (niſi iam certa fiducia redditæ ſanitatis eſt) alienum eſt, ſiquidem emollitum in eo * vulnus, cito rurſus eo- *vlcus, dem malo afficitur. Solent verò nonnunquam nihil omnia auxilia proficere, ac nihilominus ſerpere *his cancer. Inter *is quæ miſerum, ſed vnicum, auxilium eſt, vt cætera pars corporis tuta ſit, membrum, quod paulatim emoritur, abſcindere. Hæ grauiſſimorum * vulnerum curationes ſunt. Sed *vlcerum ne illa quidem negligenda, vbi integra cute interior pars colliſa eſt, aut vbi deraſum, attritúmve aliquid eſt, aut vbi ſurculus corporis infixus eſt, aut vbi tenue, ſed altum vulnus inſedit. In primo caſu commodiſſimum eſt malicorium ex vino coquere, interioremque eius partem conterere, & cerato miſcere ex roſa facto, idque* ſupponere: deinde vbi cutis *ſuperpo- ipſa exaſperata eſt, inducere lene medicamentum, quale λι- nere: παρὰ eſt. Deraſo verò detritoque imponendum eſt emplaſtrum tetrapharmacum, minuenduſq́. cibus, & vinum ſubtrahendum. Neque id quia non habebit altiores ictus, contemnendum erit. Siquidem ex eiuſmodi caſibus ſæpe cancri fiunt. Quòd ſi leuius id erit, & in parte exigua, contenti eſſe poterimus eodem leni medicamento. Surculum verò (ſi fieri poteſt) oportet vel manu, vel etiam ferramento eiicere. Si vel præfractus eſt, vel altius deſcendit, quàm vt ita *fieri poſ- *velli ſit, medicamento euocandus eſt. Optimè autem educit, ſuperimpoſita arundinis radix, ſi tenera eſt protinus contrita: ſi iam durior, antè in mulſo decocta. Cui ſemper mel adiiciendum eſt, aut ariſtolochia cum eodem melle. Peſſima ex ſurculis arundo eſt, quia aſpera eſt. Eademque offenſa, etiam in *filice eſt. Sed vſu cognitum eſt, vtranque aduerſus alte- *filicis ha- ram medicamentum eſſe, ſi contrita ſuperimpoſita eſt. Facit ſtula, al. aſſula autem idem in omnibus ſurculis, quodcunque medicamentum extrahendi vim habet. Idem altis tenuibuſque vulneribus aptiſſimum eſt. Priori rei Philocratis, huic Hecatæi emplaſtrum maximè conuenit.

ENARRATIO.

GANGRÆNAS *appellant quoties membrum aliquod ob inflammationis qua conflictatur magnitudinem, emoritur. neque iam confirmatas tantùm sic dicunt, sed etiamnum quæ fiunt: hæ si ita intendantur, vt ipsa particula corrumpatur, in sphacelum degenerant. Porrò Hippocrates id malum nasci auctor est tum libro De fracturis, tum libro De vulneribus capitis, quoties vlcus malè curatur; quod fit quoties ægrotus improba victus ratione vtitur, aut quoties medicamenta non satis congrua applicantur.*

superque ea quæ inflammata sunt.

GALENVS *ante omnia priusquam affectus in sphacelum degeneret, atque priùs quàm pars mortificetur, sanguinem in loco affecto impactum, quantum eius fieri potest, euacuat: ex vena quidem si vena amplior in ipso membro appareat, vel alioqui cute ipsa altis plagis diuisa; sanguine siquidem ablato facile est malo mederi. si tamen membra ita vitiata sint, vt in totum sensu sint destituta, præcidenda aut adurenda sunt, ne vicinis partibus malum communicent.*

Quomodo cicatrix vulneri inducenda, purgandáque sit.

VBI verò in quolibet vulnere ventum ad inducendum cicatricem est, quod perpurgatis iam repletis vlceribus necessarium est: primùm ex aqua frigida linamentum, dum caro alitur: deinde cùm iam continenda est, siccum imponendum est, donec cicatrix inducatur. Tum deligari super album plumbum oportet, quo & reprimitur cicatrix, & colorem maximè sano corpori similem accipit. Idem radix syluestris cucumeris præstat. Idem compositio, quæ habet elaterij P. I. ✱. spumæ argenti P. II. ✱. vnguenti pondo IIII. ✱. Quæ excipiuntur resina terebinthina, donec emplastri crassitudo ex omnibus fiat. Ac nigras quoque cicatrices leniter purgant paribus portionibus mista, ærugo, plumbũ elotum, eademque rosa cocta, siue vngitur cicatrix, quod in facie fieri potest: siue id vt emplastrum imponitur, quod in aliis partibus commodius est. At si vel excreuit cicatrix, vel concaua est, stultum est decoris caussa rursus, & dolorem & medicinam sustinere. Alioqui res vtrique succurri patitur. Si quidem vtraque cicatrix exulcerari scalpello potest. Si medicamentum aliquis mauult, idem efficiunt compositiones hæ, quæ corpus exedunt. Cute exulcerata, super eminentem carnem exedentia medicamenta coniicienda sunt: super concauam

cauam implentia, donec vtrumque vlcus sanæ cuti æquetur, & tum cicatrix inducatur.

ENARRATIO.

QVOD cicatrix à cute aliud sit, docet Galenus libris tertio, & XIIII. Methodi therap. Inducunt autem cicatricem quæcunque astringunt & siccant: nam, sicuti Paulus ait, summa vlceris caro cuti similis efficitur, inducitúrque ei cicatrix si illam desiccemus astringamúsque, adeò vt non solùm id quod præter naturam redundat discutiatur, verumetiam id quod secundum naturam est attingamus.

Ac nigras quoque cicatrices.

LENE admodùm hoc est quod præscribit Celsus, efficaciúsque effeceris si loco olei vinũ accipias, aut nitri pauxillum addideris.

CAPVT XXVII.

De vulneribus quæ per morsus inferuntur, eorumque curationibus.

DIXI de his vulneribus, quæ maximè per tela inferuntur. Sequitur, vt de his dicam, quæ morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiæ, sæpe canis, nonnunquam ferorum animalium aut serpentium. Omnis autem feræ morsus habet quoddam virus. Itaque si vehemens vulnus est, cucurbitula admouenda est. Si leuius, protinus emplastrum iniiciendum, præcipueque *Diogesi. Si id non est, quodlibet ex his, quæ aduersus morsus proposui. Si ea non sunt, viride Alexandrinum. Si ne id quidem est, quodlibet non pingue ex his quæ recentibus vulneribus accommodantur. Sal quoque his, præcipueque ei, quod canis fecit, medicamentum est, si manus vulneri imponitur, superque id duobus digitis verberatur: Exsaniat enim: ac salsamentum quoque rectè super id vulnus deligatur.

*Diogenis

ENARRATIO.

Omnis autem feræ morsus.

PLINIVS Naturalis historiæ libro XXVIII. capite IIII. inter asperrimos vel hominis morsum numerari contendit, idq́; salinæ morso vulneri illatæ causa: nam hæc, vt idem testatur, non modò homini noxia est, sed & contra serpentes veneni vim obtinet. Auicennas, quod & paulo

post etiam infert Celsus, ieiuni sine hominis sine bestiæ morsum nocentiorem esse dicit.

cucurbitula admouenda.

VIRVS *siquidem vnà cum sanguine, & spiritu extrahitur, visque veneni eneruatur, ac dissoluitur.*

præcipueque Diogesi.

NON *omninò malè legendum hîc arbitratur Ioannes Cæsarius, Diogenis: cuius suprà à Celso facta mentio est in emplastris, aduersus morsus, & alia recentiora vulnera.*

Curatio aduersus rabiosi canis morsum.

VTIQVE autem si rabiosus canis fuit, cucurbitula virus eius extrahendum est. Deinde si locus neque neruosus neque musculosus est, vulnus id adurendum est. Si vri non potest, sanguinem homini mitti non alienum est. Tum vsto quidem vulneri superimponenda, quæ cæteris vstis, sunt. Ei verò quod expertum ignem non est, ea medicamenta, quæ vehementer exedunt. Postque nullo nouo magisterio, sed iam suprapositο vlcus erit implendum, & ad sanitatem perducendum. Quidam post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt, ibique patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vlcere adaperto, quo magis ex eo quoque virus destillet, deinde multo, meracoque vino excipiunt: quod omnibus venenis contrarium est. Idque cùm ita per triduum factum est, tutus esse homo à periculo videtur. Solet autem ex eo vulnere, vbi parum occursum est, aquæ timor nasci, ὑδροφοβίαν Græci appellant. Miserrimum genus morbi, in quo simul æger & siti, & aquæ metu cruciatur. Quo oppressis in angusto spes est. Sed vnicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non antè ei * prouisam proiicere. Et si natandi scientiam non habet, modò mersum bibere pati, modò attollere. Si habet, interdum deprimere, vt inuitus quoque aqua satietur. Sic enim simul & sitis & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum, neruorum distentio absumat. Id ne incidat, à piscina protinus in oleum calidum demittendus est. Antidotum autem, præcipuè id, quod primo loco posui: vbi id non est, aliud, si nondum æger aquam horret, potui ex aqua dandum est, & si amaritudine offenditur, mel adii-

Timor aquæ. ὑδροφόβος.

* præuisam

adiiciendum eſt. * Et ſi iam is morbus occupauit, per catapotia ſumi poteſt. * At ſi

ENARRATIO.

Deinde ſi locus.

PRIMVM & ante omnia vulnus maius facere conuenit, oſculo ipſius per ſcalpellum diuiſo, & dilatato: Deinde etiam fiſſuris circumcirca locum vellicare eo ſtudio, vt effluxum ſanguinis multum per locum eliciamus, vlcus verò cauteriis ignitis amplioribus inurendum. Auctor eſt Aëtius.

protinus in balneum mittunt.

SIQVIDEM vnà cum ſudore exudat virus: quocirca ante, & poſt cibum mouendi ſunt ſudores.

aquæ timor.

AETIVS hoc malo potiſſimùm affici teſtatur, qui vitioſis humoribus repleti ſunt: at alij ex immodica ſiccitate metum aquæ fieri dixerunt, quaſi humida ipſorum ſubſtantia in contrarium penitus habitum mutata. Ruffus autem inſaniæ ex atra bile ſpeciem eſſe dixit, veneno humorem illum imitato: nam ſicuti alij atra bile inſanientes, alia timent, ita hydrophobi imaginem canis qui momorderit, in aqua ſe videre ſuſpicantur. ſic philoſophus quidam, vt memoriæ prodidit Aëtius, à rabioſo cane morſus, & generoſo animo affectioni reſiſtens, & in conſequens ratus canem in balneo apparere (apparebat enim illi ſicuti aliis omnibus hoc modo affectis) ratiocinatus ſecum atque locutus, Quid cani & balneo commune eſt? ſuperauit affectionem, & ſanatus eſt ab affectione, vbi citra timorem bibiſſet. Cæterùm vitium hoc haudquaquam præſcriptum ſtatutúmque diem habet quo inuadit, vt auctor eſt Actuarius: ſiquidem vtplurimum quidem, poſt quadrageſimum diem negligentiores adoriri ſolet: attamen interdum & poſt ſex menſes, & anno elapſo euadere contingit. ſunt qui narrent aquæ pauorem poſt ſeptimum demum annum corripuiſſe.

Antidotum autem.

NON ſolùm in potu theriaca danda eſt, ſed & cum roſaceo diſſoluta vulneri impoſita admodùm prodeſt.

Curationes communes, aduerſus omnes morſus ſerpentium.

SERPENTIVM quoque morſus non nimium diſtantem curationem deſiderant, quamuis in ea multum antiqui variarunt, vt in ſingula genera anguium ſingula medendi genera præciperent, atque aliis alia. Sed in omnibus eadem maximè proficiunt. Igitur in primis * ſuper vulnus id membrum deligandum eſt, non tamen nimium vehementer, ne torpeat. * ſupra Dein venenum extrahendum eſt. Id cucurbitula optimè facit. Neque alienum eſt, antè ſcalpello circa vulnus incidere, quo plus vitiati iam ſanguinis extrahatur. Si cucurbitula non eſt, quod tamen vix incidere poteſt, tum quodlibet ſimile vas, quod idem poſſit. Si ne id quidem eſt, homo adhiben-

adhibendus eſt, qui vulnus exugat. Neque hercules ſcientiam
Pſylli. præcipuam habent hi qui Pſylli nominantur, ſed audaciam vſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, vt quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipſa tutò eſtur, ictus eius occidit, & ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ea ſaliua noxa eſt. Ergo quiſquis exemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit,
Ille & tutum hominem præſtabit. * Illud, ne intereat, antè debebit attendere, ne quod in gingiuis, palatóve, aliáve parte oris vlcus habeat. Poſt hæc is homo loco calido collocandus eſt, ſic vt id, quod percuſſum erit, in inferiorem partem inclinetur. Si neq. qui exugat, neq. cucurbitula eſt, ſorbere oportet ius anſerinum, vel ouillum, vel vitulinum & vomere. Viuum autem gallinaceum pullum per medium diuidere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere, ſic vt pars interior corpori iungatur. Facit id etiam hœdus, agnúsve diſciſſus, & calida eius caro ſtatim ſuper vulnus impoſita. Emplaſtra quoque, quæ ſupra comprehenſa ſunt. Aptiſſimumque eſt, vel Epheſium, vel id quod ei ſubiectum eſt. Præſensque in aliquo antidoto præſidium eſt. Sin id non eſt, neceſſarium eſt exſorbere potionem meri vini cum pipere, vel quidlibet aliud, quo calor mouendus eſt, ne humorem intus coire patiatur. Nam maxima pars venenorum frigore interimit. Omnia etiam vrinam mouentia, quia materiam extenuant, vtilia ſunt.

ENARRATIO.

hi qui Pſylli nominantur.

PSYLLORVM meminit Plinius Naturalis hiſtoriæ libro XXI. capite XV. & libro VII. capite II. in hunc modum: Crates Pergamenus in Helleſponto circa Parum genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocant, ſerpentum ictus contactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori. Varro etiam nunc paucos eſſe ibi, quorum ſaliuæ contra ictus ſerpentium medeantur. Similis & in Aphrica gens Pſyllorum fuit, vt Agatarchides ſcribit, à Pſyllo rege dicta, cuius ſepulchrum in parte Syrtium maiorum eſt. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, vt cuius odore ſopirent eas. Mos verò liberos genitos, protinus obiiciendi ſæuiſſimis earum, eoq; genere pudicitiã coniugum experiendi, non profugientibus adulterino ſanguine natos ſer-

tos serpentibus. Hæc gens ipsa quidem propè internecione sublata est à Nasamonibus, qui nunc tenent has sedes. Genus tamen hominum ex his qui profugerant, aut quum pugnatum fuerat, absuerant, hodiéque remanet in paucis. Simile & in Italia de Marsorum gente durat, quos à Circes filio ortos ferunt, & ideò inesse iis vim naturalem eam. Hæc Plinius.

Ergo quisquis exemplum Psylli.

QVISQVIS ad exugendum vulnus sese accingere volet, cibum antè sumpsisse debet, ac vino os colluisse, oleique momentum dum sugit in ore continere.

Viuum autem gallinaceum.

LONGE tamen præsentius erit remedium, si vstionem adhibeamus: nam quum ignis facultas, inquit Actuarius, quauis alia sit validior, simul veneno potitur, impeditque quo minus penitius serpat, adde quòd eius deuicta portio locum det curationi, quum videlicet, durante exulceratione, facilis sit veneni eductio.

Sin id non est necessarium.

NIHIL enim æquè calorem innatum auget, & cõseruat, ac meri potio, præterquã quòd humores nocuos à partibus nobilioribus ad ignobiliores & extimas propellat; quo præsentius nihil in morsibus venenatis est: nam & ob hoc summè commendantur balnea, vt materia foras euocetur.

Speciales curationes aduersus ictus serpentium, & primò aduersus ictum aspidis.

HAEC aduersus omnes ictus communia sunt. Vsus tamen ipse docuit, eum quem aspis percussit, acetum potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cuiusdam pueri, qui cùm ab hac ictus esset, & partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, acetum quod forte secum habebat, ebibit, & liberatus est. Credo quoniam id quamuis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam dissipandi. Quo fit, vt terra respersa eo, spumet. Eadem ergo vi verisimile est, spissescentem quoque intus humorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem. *Aceti vis & natura.*

ENARRATIO.

TRIA aspidis genera prodit Galenus, chersæam, chelidoniam, & ptyadam, quam propriè sub aspidis nomine Celsus, Serenus, Dioscorides, atque alij auctores intellexerunt: hæc enim omnium perniciosissimum virus eiaculatur, erecto in priorem partem collo, ex internallo quod satis esse coniiciat, venenum in hominem fundit. Huius generis fuisse traditur quam Cleopatra deuicta ab Augusto vberibus affixit. Morsus autem aspidis acus puncturæ similis est, atque omnino exiguus sine tumore apparet; sanguis non copiosus, sed exiguus & niger distillat: subita oculorum hebetudo inuadit, dolor corporis multiplex admodùm, sed mitis, nec sine voluptate comitatur; adeò

ut sine dolore quodammodò pereant; color mutatur, & virescit, stomachi erosio exigua infestat, frons continuò contrahitur, palpebræ sine sensu velut in somno commouentur, atque inter hæc mors prehendit, ne tertia quidem diei parte prolata. Hinc Plinius libro XXIX. *capite* IIII. *Aspides, inquit, percussos torpore & somno necant, omnium serpentum minimè sensibiles.*

Vsus tamen ipse docuit.

ID *quo acrius, eò melius & conuenientius erit. dandum autem est, quousque aceti qualitatem circa dextram præcordiorũ partem percipiant: hepar etenim morsis ab aspide primùm priuari sensu aiunt. Cæterùm ad prænotionem victurus sit, nec ne percussus, centauream cum vino tritam præbe bibendam: siquidem si enomat pharmacum, morietur; sin minùs, viuet. Auctor est Aëtius.*

Aduersus ictum scorpionis.

IN quibusdam etiam aliis serpentibus, certa quædam auxilia satis nota sunt. Nam scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum vino bibunt, quidam eodem modo contritum super vulnus imponunt, quidam super prunam eo imposito, vulnus suffumigant, vndique veste circundata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem eius super vulnus deligant. Bibere autem oportet herbæ solaris, quam ἡλιοτρόπιον Græci vocant, semen, vel certè folia ex vino. Super vulnus verò etiam furfures ex aceto, vel ruta syluatica rectè imponitur, vel cum melle sal tostus. Cognoui tamen medicos, qui ab scorpione ictis, nihil aliud quàm ex brachio sanguinem miserunt.

Heliotropium herba solaris.

ENARRATIO.

A SCORPIONE *ictis locus quamprimùm inflammatur, ac durescit, & plagæ vehementissimus dolor consequitur, frigiditasque & stupor, circáque plagam & totum corpus frigidus sudor, & his qui iuxta infernas partes percussi sunt, inguina excitantur atque intumescunt: qui verò circa supernas, locus sub alis. & hæc quidem leniter percussis adsunt. Validiùs autem ictis ardor circa plagam adest, quemadmodum in ambustis, & rubore suffunduntur, & verrucarum instar formicarum eruptio, circa labra & totum corpus, vt grandine se impeti putent, facies distorquetur, sordésque circa oculos adsunt glutinosæ, & lachrymæ viscosæ. Plinius, Scorpius, inquit, vermiculus est venenosus, eo importunior cæteris, quòd grauiore supplicio lenta per triduum morte conficit. Virginibus lethale semper ictu, & fœminis ferè in totum; viris autem in matutino, exeuntes cauis, priusquam aliquo fortuito ictu ieiunum egerant venenum.*

Nam scorpio.

SCORPIVS, *vt auctor noster dicit, in puluerem redactus locóque vulnerato impositus, tanquam vulneris sui medicus opitulatur, ita iubente rerum naturæ dissidio quam* ἀντιπάθειαν *nominant, quod testatur Plinius libro*

libro XI. *item Æginetа ac Aëtius, & præter eos Serenus hoc carmine :*

At cui vulnus atrox incussit scorpius ardens,
Continuò capitur: tunc digna cæde retusus
Vulneribusque actus fertur reuocare dolorem.

ruta syluatica.

EFFICACIOR *erit si eidem Galbanum splenij more extensum locóque inductum, & in vino dissolutum addatur, aut cum ipsius rutæ decocto, aut cum ruta.*

Cognoui tamen medicos.

SANGVINIS *mißio, etsi omnibus à virulento animali morsis conueniat, atque iis præsertim qui plethorici sunt, si venenum per corpus fuerit dispersum; nescio tamen an à scorpione ictos persanare poßit.*

Aduersus aranei, & scorpionis ictum.

ET ad scorpionis autem, & ad aranei ictum, allium cum ruta rectè miscetur, ex oleoque contritũ superimponitur.

ENARRATIO.

PLINIVS *inter araneas solum phalangium noxium esse existimat : Æginetа etiam aliud aranearum genus esse dicit, quod percussis validos dolores circa media præcordia excitet, & ruborem, & vrinæ difficultatem; nonnunquam etiam & strangulatum. Id murem cæcum, vel murem araneum vocat Scribonius: Græci* μυγάλην *appellant. huius meminit in Theriacis suis Nicander.*

allium cum ruta.

NON *modò impositum allium remedio est, sed & si sumatur, vinúmque meracius superbibatur, iuuabit.*

Aduersus cerastis, & dipsadis, & hæmorrhoidis ictum.

AT si cerastes, aut dipsas, aut hæmorrhois, percussit, * asphodeli, quod Aegyptiæ fabæ magnitudinem æquet, * catapotium
arefactum, in duas * potiones diuidendum est, sic vt ei rutæ * portiones
paulum adiiciatur. Trifolium quoque, & menthastrum, & cum aceto panaces æquè proficiunt. Costumque & casia, & cinnamomum rectè per potionem assumuntur.

ENARRATIO.

A *Ceraste percußis eleuatio & tumor plagæ insurgit, capitis claui similitudine, ac totum corpus varicum modo attollitur : emanat autem ex vulnere sanies, modò nigra, modò suppallida, & porraceo colore: genitale arrigitur, mente alienantur, oculi obscurescunt; postremò, conuulsione rigentium instar pereunt. At qui à dipsade morsi sunt (est aute[illegible] dipsas viperæ species, à nonnullis prester, & causos appellata) siti intolerabili vrgentur; ita vt etiamsi quammaximè bibant, leuamen sitis nullum persen-*

persentiscāt: meatus omnes ita obstruuntur, ut nec vomant, sudent, meiant, aut aliis excrementis exonerentur; quo fit ut si ad leuandam sitim multùm bibant, distendatur venter, adeò ut infernè circa inguina, vel circa imum ventrem disrumpantur. Ab hæmorrho vel hæmorrhoide percussos consequitur color icti loci cruentus, mali coloris & nigricans; grauibus atque iisdem crebris excruciantur doloribus: in principio quidem ex plaga nihil effluit, præter paucum quippiam aquosum: ac macilenta, atque strigosa prorsus ob cruciatuum continuitatem redduntur corpora; progressu verò temporis, non solùm è plaga promânat sanguis sed & reliqua si quæ antè in corpore fuerint vulnera, iam diu cicatrice obducta, disruptis cicatricibus sanguinem fundunt. Quin & idem ex naribus fluit; idq; potissimùm si masculus fuerit qui momordit. alui quoque excrementa sanguinea sunt, cruórque is qui emânat, ferè in grumos concrescit. Quòd si fœmina fuerit, ex toto corpore sanguinem efferri continget. ita ut ex venarum radicibus, angulis oculorum, dentium gingiuis sanguis efferatur atque distillet. In genere omnes dolore stomachi, & spirandi difficultate detinentur.

asphodeli.

TANTVM antiquitas asphodelo tribuebat, ut ante portas villarum satum, remedio esse crederent contra veneficorum morsum. Pynzanū exemplar loco asphodeli, perperàm spoli legit. Trifolium autem præsentissimum aduersus omnium serpentium ictus remedium esse dicebant; adeò ut XXV. grana eius aduersus omnia venena sufficere pro autidoto dicerent, neque aliter eo vtendum quàm contra venena censuerunt: efficaciùs autem reliquis bituminosum est.

Aduersus chersydri ictum, & cerastis.

*IIIS. *I. ADVERSVS chersydri verò ictum, panaces, aut laser, quod sit scrupulorum * P. II. ✱. vel porri succus cum hemina vini sumendus est, & edenda multa satureia. Imponendum autem super vulnus stercus caprinum ex aceto coctum, aut ex eodem ordeacea farina, aut ruta, vel nepeta, cum sale contrita melle adiecto. Quod in eo quoque vulnere, quod cerastes fecit, æquè valet.

ENARRATIO.

SERPENS hic, ut auctor est Aëtius, chersydri appellationem inde habet, quòd in principio quidem in aquosis degit locis, & hydrus, id est natrix (sic enim vocat Plinius) ab ipsis aquis appellatur: posteà verò siccos incolit locos, & ex compositione locorum, chersydri, hoc est natricis terrestris nomen inuenit. In terr[illegible]itur degens chersydros appellatur; & tunc sanè seipso sænior redditur, quòd in humectis locis humido victu exsatietur, nec purum venenum habeat: siquidem, quemadmodum auctor est Aristoteles libro De natura animalium, serpentes non parum inter se differunt, pro loci, & regionis in qua sunt diuersitate. Nam loca montosa, aspera & calida venenata magis producent animalia; omitto quòd morum etiam diuersitatem concilient; montosa siquidem aspera & inaccessa loca, animalia omnis generis efferatiora aspectu, & robustiora producent, locis planis decliuibus, & mollibus. Quare non debeat alicui mirum

videri,

videri, si chersydri morsus, natricis periculosiores dixerimus. Natricis porrò morsu vlcus factum, dilatatur, & liuescens augetur, saniésque ex eo nigra, & copiosa, & fœdi odoris, qualis ex depascente vlcere excernitur. Morsos consequitur vertigo oculorum, exolutio, vomitus biliosi, fœtidi, ac motus quidam corporis totius inordinatus, ita vt per ventrem quædam inordinata ferantur.

Imponendum autem.

CAPRINVM *stercus Græci propriè* σπυράθος *nominant; id ex aceto ad viperarum morsus non inutile esse docet Galenus, adeò vt complures eo seruatos dicat.*

Aduersus phalangii ictum.

VBI verò phalangium nocuit, præter eam curationem quæ manu * redditur, sæpe homo demittendus in solium est, dandusque ei myrrhæ, & vuæ taminiæ par modus ex passi hemina, vel radiculæ semen, aut lolij radix ex vino, & super vulnus furfures ex aceto coctæ, imperandumque vt is conquiescat. *editur,

ENARRATIO.

PHALANGIVM *Italiæ ignotum est, teste Plinio, & est plurium generum: Aëtius sex vtplurimùm numero esse dicit; ac primum quidem rhagium, id est acineum, vocari, figura rotundum, colore nigrum acino vuæ simile, & os quidem iuxta medium ventrem habet, pedibus breuissimis tamquam imperfectis, dolor à morsu eius, qualis à scorpione: lotium simile araneis textis. Alterum lupus appellatur, corpus latum ac volubile habens, partes verò circa collum ipsius incisæ sunt, ampliùs autem & os eius eminentias tres habet. Tertium myrmecium, hoc est formicarium dictum est, formicæ maximè assimilatur capite; aluo nigra guttis albis velut astris quibusdam distinguentibus, vesparum dolore torquet. Quartum crauocolaptes, sublongum est & viride stimulúmque iuxta collum habet, atque si in quem irruat, locos circa caput petit. Quintum sclerocephalum dictum, caput habet saxeum & obduratum, linamenta verò per omne corpus similia animalibus illis quæ noctu lucernas circumuolitant. Sextum deinceps scolecium siue vermicarium appellatum, sublongum est & maculosum, maximè circa caput. Et hæc quidem de phalangiorum generibus ex Aëtio. Cæterùm à morsu phalangiorum locus rubescit, & veluti aculeo punctus apparet, non tamen tumet, neque incalescit, sed leniter rubidus frigore, & pruritu vexatur. Morsos autem molestat dolor assiduus, tremor, pallor, vigilia; quosdam etiam pudendi intentio, continua vrinæ excernendæ excitatio, nonnullis vrinæ difficultas: intumescit autem vniuersum corpus, faciésque, & maximè circa linguam partes, vt impeditum habeat sermonem. Sunt nonnulli, præsertim qui ab aculeo morsi sunt, qui si mingant, aquosa omnino reddant, in quibus quædam aranearum telis similia continentur; sed & iisdem vomitus similis excernitur; nonnullis etiam talia excrementa reiiciuntur; magna tamen ex parte difficulter eadem subsequuntur.*

sæpe homo.

NIHIL *æquè prodest morsis à phalangio, quàm assidua balnea; aut fomenta spongiarum in calido aceto tinctarum, & sæpe ad plagam adhibitarum: nam nisi continuus vsus sit, aut sæpè balneum reiteretur, parùm*

admodùm profuerit: quando certum sit morsos quidem si quando in aquam calidam demittantur, dolore liberari, atque rursus posteaquam exempti fuerint, validiùs indolescere.

& super vulnus furfures.

IDEM *fecerit ficulneus cinis cum sale ex vino subactus: proderit etiam vlcera aqua marina fomentasse.*

Aduersus ictus Italorum anguium, qui minus terribiles peregrinis sunt.

VERVM hæc genera serpentium & peregrina, & aliquanto magis pestifera sunt, maximeque æstuosis locis gignuntur. Italia, frigidioresq. regiones hac quoque parte salubritatem habent, quòd minus terribiles angues edunt. Aduersus quos satis proficit herba *betonica, vel cantabrica, vel centaurion, vel *agrimonia, vel trixago, vel *personina, vel marinæ pastinacæ, singulæ binæ've tritæ, & cum vino potui datæ, & super vulnus impositæ. Illud ignorari non oportet, omnis serpentis ictum & ieiuni, & ieiuno magis nocere. Ideoque perniciosissimi sunt cùm incubant. Vtilissimumque est, vbi ex anguibus metus est, non antè progredi, quàm quis aliquid assumpsit.

*bryonia
* argem.
* personata,

ENARRATIO.

ANGVIS, *vt auctor est Plinius, venenatus non est, nisi per mensem instigatus luna.*

Illud ignorari non oportet.

CIBATIONE *enim virulentia quodammodò mitigatur, & ieiunis venenositas per corpus faciliùs distribuitur.*

Remedium generale aduersus omnia venena, vel in cibo, vel in potione assumpta.

NON tam facile his opitulari est, qui venenum, vel in cibo, vel in potione sumpserunt. Primùm, quia non protinus sentiunt, vt ab angue icti, ita ne succurrere quidem statim sibi possunt. Deinde, quia noxa non à cute, sed ab interioribus partibus incipit. Commodissimum est tamen, vbi primum sensit aliquis, protinus oleo multo epoto vomere. Deinde vbi præcordia exhausit, bibere antidotum. Si id non est, vel merum vinum.

ENARRATIO.

Primùm quia.

SI quis tamen in cibo aut potu suspectum habeat venenum, certis notis quale id sit deprehendet: ex odore enim & amaritudine cibi, & potus, vt auctor est Aëtius, opium dignoscitur; ex colore, cerusa, calx, gypsum; ex his verò quæ in cibo & potu innatant, lac coagulatum, & recens mactati tauri sanguis; ex fœtore autem & qualitate ac odore, rana rubeta, lepus marinus; & reliqua omnia certis aliquibus signis discernuntur. Nam & præter hæc, post sumptum venenum statim ac de-repente à sumpto cibo variæ accessiones irruunt: de quibus sigillatim hîc enarrabimus.

Commodissimum est.

VBI videlicet datum venenum adhucdum in ventre est, inibique per se nauseam facit: nam alioqui, si ad intestina vsque penetrârit, & tormina circa vmbilicum induxerit, magis fuerit necessarius clyster; quemadmodum etiam si ad vesicam deuenerit, insessus in aqua & oleo laudantur.

Specialia remedia aduersus quædam venena, & primò aduersus cantharidas.

SVNT tamen quædam remedia propria aduersus quædam venena, maximeque leuiora. Nam si cantharidas aliquis ebibit, panaces cum lacte contusa, vel galbano, vino adiecto dari, vel lac per se debet.

ENARRATIO.

MALEFICORVM, inquit sexto Epidemion Hippocrates, lac, allium, vinum feruidum, acetum & sal remedia existunt; per malefica, venenata animalia intelligens: nam quòd potissimùm aduersentur, lac, vinum, allium, auctor est Dioscorides XXXIX. capite libri sexti.

Nam si cantharidas.

CANTHARIDES gustum & odorem similem pici è cedro factæ habent: potæ stomachi dolorem morsúsque excitant, præcipuéque vesicæ: quamobrem qui biberunt eas, difficulter vrinam, & cum sanguine reddunt, exulcerata scilicet vesica: præterea animo sæpè deficiunt, dextráque præcordiorum parte inflammationem patiuntur: per aluum ipsis excernuntur qualia in torminibus intestinorum egeri solent, & in tenebricosis, inquit Actuarius, vertigines incidunt; denique mente alienantur.

Aduersus cicutam.

SI cicutam, vinum merum calidum cum ruta quamplurimum ingerendum est, deinde is vomere cogendus. Postea que laser ex vino dandum. Isque si febre vacat, in calidum balneum mittendus. Si non vacat, vngendus ex calefacientibus est. Post quæ quies ei necessaria est.

ENAR-

ENARRATIO.

CICVTAM potam caligo vertiginésque, vt nec minimum è longinquo videre liceat, itémque mentis alienatio, & artuum gelatio consequitur; vltimóque conuulsi præfocantur qui eam sumpserunt, nihilq; sentiunt.

vinum merum.

ID non semel sed subinde faciendum est: studendum tamen est vt ante vini sumptionem vomitu eandem, quoad fieri potest, educamus, quantumcunque alium ab hoc diuersum ordinem describat auctor noster; & si quid eius ad intestina prolapsum sit, purgante medicamento euacuemus.

Aduersus hyoscyamum.

SI hyoscyamum, feruens mulsum bibendum est, aut quodlibet lac, maximè tamen asininum.

ENARRATIO.

HYOSCYAMON qui biberint, caput graue venísque distentũ habent: mente abalienantur ebrij, modò cum quadam verborum altercatione; vnde & nomen alterci trahit herba: postea sopiuntur, & omni sensu carent, linescentibus membris eorum. Auctor est Scribonius.

aut quodlibet lac.

PRIVS tamen aqua mulsa sæpius pota cogendi sunt per pinnam reiicere.

Aduersus cerussam.

*iuglandis SI cerussam, ius maluæ, vel * ius glandis ex vino contritæ, maximè prosunt.

ENARRATIO.

CERVSSAM qui biberunt, facilè deprehenduntur; linguam enim albam habent, commissurásque dentium albicantes: præterea nauseant; reiiciunt poto medicamento, caligant magis magísque, vertigine quadam vrgentur; postea spiritus via intercluditur, cum extremorum perfrictione, & mentis alienatione ac pigro corporis motu, ac præfocantur.

Aduersus sanguisugam si epota est, & lac quod intus coiit.

SI sanguisuga epota est, acetum cum sale bibendum est. Si lac intus coiit, aut passum, aut coagulum, aut cum aceto laser.

ENAR-

ENARRATIO.

SANGVISVGAM *potam quiuis per se facilè deprehenderit: nam præterquam quòd in faucibus molestiam titillationémque sentiat, sanguis purus etiam nonnunquam reiicitur; quibus accedit, quòd ventriculi os vellicatur.*

aut coagulum.

POTISSIMVM *agninum, leporinum aut porcinum, victoriati pondere bis ter've datum.*

Aduersus fungos inutiles.

SI fungos inutiles quis assumpserit, radicula aut *epota, aut cum sale & aceto edenda est. Ipsi verò hi, & specie quidem discerni possunt ab vtilibus, & cocturæ genere idonei *sunt. Nam siue ex oleo inferbuerunt, siue piri surculus cum his inferbuit, omni noxa vacant. *potanda *fieri.

ENARRATIO.

FVNGORVM *alij genere, alij copia offendunt: ac propterea auctor noster vtiles ab inutilibus quodammodo distinxisse videtur. integri sumpti strangulatus laqueis similes inducunt. Venenatos autem, aut inutiles fungos quoties quis deuorauerit, primum nauseat, nec quicquam magnopere reiicit; postea stomachi, ventrísque & præcordiorum infinitos habet dolores: manant sudores frigidi per artus, qui & ipsi gelantur celerrimè, nisi citò succurratur.*

radicula aut epota.

PER *radiculam raphanum intelligit; hæc enim his qui fungis strangulantur, tam cibo, quàm potu salutaris est: sensuum enim aciem, vt ait Dioscorides, excitat, ac vomitionem conciliat, qua præsentius nullum est remedium.*

De adustis corporis locis, & quomodo curari debeant.

ADVSTIS quoque locis extrinsecus vis infertur, itaque sequi videtur, vt de his dicam. Hæc autem optimè curantur foliis, aut lilij, aut linguæ caninæ, aut betæ in vetere vino oleoque decoctis. Quorum quidlibet protinus impositum, ad sanitatem perducit. Sed diuidi quoque curatio potest in ea, quæ mediocriter exedentia reprimentiaque primò & pustulas prohibeant, & summam pelliculam exasperent. Deinde ea quæ lenia ad sanitatem perducant. Ex prioribus est lenticula cum melle, farina, vel *myrrha, vel vino, creta cimolia cum thuris cortice contrita, & aqua coacta, atque vbi *myrrhæ cum vino,

vſus neceſſitas incidit, aceto diluta. Ex inſequentibus quælibet lipara. Sed idonea maximè eſt, quæ vel plumbi recrementum, vel vitellos habet. Eſt etiam illa aduſtorum curatio, dum inflammatio eſt, impoſitam habere cum melle lenticulam. Vbi ea declinauit * farina cum ruta, vel porro, vel marrubio, donec cruſtæ cadant. Tum eruum cum melle, aut irim, aut reſinam terebinthinam, donec vlcus purum ſit. Nouiſſimè ſiccum linamentum.

* ordei fa.

ENARRATIO.

ADVSTOS appellat eos quos Græci πυρικαύστους: quo vocabulo Galenus eos quoque notari auctor eſt, qui aqua calida vruntur; ita vt quacunque de cauſa, & quauis re quis aduratur, aduſtus vel πυρίκαυστος dicatur. Quando igitur in his qui vruntur, ſolutio continui fiat, ac cruſta quædam ſuperinducatur, ſtatim in initio opus eſt calorem reſtinguere, & ne puſtulæ, aut inflammatio ſuperueniat, repellentibus præcauere: quo facto, ad ea quæ ſiccant ac detergent veniendum eſt, abſtinendúmque omnino ab his eſt quæ morſum aliquem inferunt. Nam Hippocrates vlcerata & fracta leuibus medicamentis nutrienda ſunt, inquit, non ſecus atque aduſta. quare an rectè, ac propriè exaſperandam hîc dixerit cutim ſummam, indicent alij: nam neque creta cimolia quantumcunque aceto diluta ſit, cutem exaſperabit; verùm mitigabit potiùs inflammationem, compeſcétque ac repellet.

De interioribus vlceribus, quæ aliqua corporum parte corrupta naſcuntur.

CAPVT XXVIII.

De carbunculo, & eius curatione.

AB his quæ extrinſecus incidunt, ad ea veniendum eſt quæ interius corrupta aliqua corporum parte, naſcuntur. Ex quibus non aliud carbunculo peius. Eius hæ notæ ſunt: Rubor eſt, ſuperque eum non nimium puſtulæ eminent, maximè nigræ, interdum ſubliuidæ, aut pallidæ. In his ſanies eſſe videtur, infrà color niger eſt. Ipſum corpus aridum, & durius quàm naturaliter oportet. Circa quem quaſi cruſta eſt, eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco leuari cutis poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa eſt. Somnus vrget, nonnunquam horror, aut febris oritur, aut vtrunque.

Idque

Idque vitium ſubteractis quaſi quibuſdam radicibus ſerpit, interdum celerius, interdum tardius, ſuprà quoque procedens inalbeſcit, dein liuidum fit, circumque exiguæ puſtulæ oriuntur. Et ſi circa ſtomachum faucéſve incidit, ſubitò ſpiritum ſæpe elidit. Nihil melius eſt, quàm protinus adurere. Neque id graue eſt. Nam non ſentit, quoniam ea caro mortua eſt. Finiſque adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt. Tum deinde *vulnus, ſicut cætera aduſta, curandum eſt. (*vlcus,) Sequitur enim ſub medicamentis erodentibus cruſta vndique à viua carne diducta, quæ trahit ſecum quicquid corruptum erat, puruſque iam ſinus curari poteſt implentibus. At ſi in ſumma cute vitium eſt, poſſunt ſuccurrere quædam vel exedentia tantùm, vel etiam adurentia. Vis pro magnitudine adhibenda eſt. Quodcunque verò medicamentum poſitum eſt, ſi ſatis proficiet, protinus à viua corruptam partem *reſoluit. (* reſoluet.) Certaque eſſe fiducia poteſt, ferè vt vndique vitioſa caro *excedat, quà huiuſce medicamen exeſt. (*excidat,) Si id non fit, medicamentumque malo vincitur, vtique ad vſtionem properandum eſt. Sed in eiuſmodi caſu abſtinendum à cibo, à *vino eſt. (* vinoque) Aquam liberaliter bibere expedit. Magiſque ea ſeruanda ſunt, ſi febricula quoque acceſſit.

ENARRATIO.

CARBVNCVLVS, qui & ἄνθραξ Græcè dicitur, vt XIIII. Methodi medendi Galenus, eſt vitium quod ex humore craſſo feruentéque naſcitur, plerunque à puſtulis incipiens; aliquando verò & ſine his. Inter initia autem quibus vitium hoc inſtat, ſcabunt particulam: mox oritur puſtula quædam; qua rupta vlcus cum cruſta gignitur. Sæpè verò non vna oritur ſcabentibus puſtula; ſed multæ exiles velut milij ſemina, crebræ in particula reſidentes: quibus perruptis ſimiliter cruſtoſum vlcus ſuperuenit. Febricitant omnes qui à carbunculo apprehenduntur, non minùs quàm qui eryſipelate laborant: quare & iis tum loco citato, tum libro De arte curatiua ad Glauconem ſtatim ad animi deliquium mittendum ſanguinem docet, quòd videlicet ſanguinis miſsio totum corporis habitum refrigeret & febrim extinguat.

Et ſi circa ſtomachum.

ID mirum non eſt; præſertim quando carbunculus ipſe ex cauſis populatim graſſantibus oriri ſoleat, & materia ipſa ad interiora, atque adeò partem aliquam principem regurgitare. quo ſit vt putido hoc & venefico ſpiritu homo ſupprimatur atque ſuffocetur.

Nihil melius eſt, quàm.

SATIVS tamen eſt, niſi rebellis omnino fuerit materia, alia ratione propellere, neque (niſi vbi ad extrema iam ferè ventum eſt)

 vſtionem

ustionem aggredi: Galenus enim, scarificandum locum docet; alij sanguisugas adhibendas existimant, quod nonnullis suspectum est, quòd pro ratione attractæ materiæ non euacuent, puriorémque tantùm sanguinem exugant, crassiore relicto. Cataplasmata quæ quum reprimant modicè, etiam digerant, & dissipent, adhibent: quale est quod ex plantagine conficitur, aut quod ex his cocta lente constat. Verùm si eousque malum progressum sit, ut omnibus ferè remediis rebelle sit, tum aut arsenicum, quod huic malo peculiariter aduersatur, aut simile quid quod ignis vim habeat, apponendum erit: & quum extremis exquisitè morbis, extrema ad summum remedia optima sint, carbunculum ipsum protinus aduremus, & candente ferro extirpabimus.

De Carcinomate, & eius curatione.

NON idem periculum καρκίνωμα affert, nisi imprudentia curantis* agitatum est. Id vitium fit maximè in superioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum. Et* in iecore autem, aut splene hoc nascitur. Circa locum aliqua quasi puncta sentiuntur, isque immobilis,* inæqualis tumet, interdum etiam torpet. Circa eum inflatæ venæ quasi recuruantur, hæque pallent, aut liuent, nonnunquam etiam in quibusdam delitescunt. *Tactusque is locus, aliis dolorem affert, in aliis eum non habet. Et nonnunquam sine vlcere durior aut mollior est, quàm esse naturaliter debet, nonnunquam iisdem omnibus vlcus accedit. Interdumque nullam habet proprietatem, interdum simile his est, quæ vocant Græci κονδυλώματα, aspredine quadam & magnitudine sua. Colorque eius ruber est, aut lenticulæ similis, neque tutò* fertur. Nam protinus aut resolutio neruorum aut distentio insequitur. Sæpe homo ictus obmutescit, atque eius anima deficit. Quibusdam etiam si idipsum pressum est, quæ circa sunt, intenduntur, & intumescit. Nanque pessimum id genus est, fereque primum id fit, quod κακόηθες à Græcis nominatur. Deinde ex eo id καρκίνωμα, quod sine vlcere est. Deinde vlcus, ex eo thymium. Tolli nihil nisi κακόηθες potest, reliqua curationibus irritantur. Et quo maior vis adhibita est, eo magis quidam vsi sunt medicamentis adurentibus. Quidam ferro adusserunt. Quidam scalpello exciderunt. Neque vlli vnquam medicina* proficit. Sed adusta protinus concitata sunt, & increuerunt, donec occiderent. Excisa etiam post inductam cicatricem, tamen reuerterunt, & caus-

* exagitatum. i. irritatum
* è iec.
* æqualis
Tactuque
* aufertur.
* profecit. al. profuit

& caussam mortis attulerunt. Cùm interim plerique nullam
vim adhibendo, qua tollere id malum tentent, sed imponendo
tantùm lenia medicamenta, quæ quasi blandiantur, quo
minus ad vltimam senectutem perueniant, non prohibentur.
Discernere autem *cacoëthes, quod curationem recipit, à *car- *carcinoma
cinomate, quod non recipit, nemo scire potest, nisi tempore *cacoëthe
& experimento. Ergo vbi primùm id vitium notatum est,
imponi debent medicamenta adurentia. Si leuatur malum,
minuunturque eius indicia, procedere curatio potest, & ad
scalpellum, & ad vstionem. Si protinus irritatum est, scire
licet iam *carcinoma esse, remouendaque sunt omnia acria, *cacoëthes
omnia vehementia. Sed si sine vlcere is locus durus est, imponi
ficum quàm pinguissimam, aut rhypodes emplastrum
satis est. Si vlcus æquale est, ceratum ex rosâ iniiciendum est,
adiiciendusque ei puluis ex contrita testa, * ex qua faber fer- *in qua
rarius tingere candens ferrum solitus est. Sed si id nimium
supercreuit, tentanda squama æris est, quæ lenissima ex adurentibus
est, eatenus ne quid eminere patiatur, sed ita, si nihil
exacerbauit. Si minus, eodem cerato contenti esse *de- *debemus
bebamus.

ENARRATIO.

RECTE *monet Ioannes Tagaultius libro primo Institutionum Chirurgicarum, Celsum nostrum contra Græcos carcinoma à cancro distinguere. Ita vt cancrum oriri & serpere dicat ab his quæ extrinsecus incidunt; carcinoma autem corrupta interiùs parte aliqua innasci.*

Id vitium fit.

FREQVENTIVS *tamen in fœminarum mammis, quàm vlla alia corporis parte nascitur; quæ quòd natura fungosæ sint & inanes, crassissimam atræ bilis (vnde hoc vitium nascitur) materiam possunt concipere.*

Circa locum aliqua.

CANCROSVS *tumor duritiem habet, & inæqualitatem quæ tactu facilè deprehenditur. colorem præ se fert liuidum, qui videlicet inter rubrum & nigrum medius sit: circa locum affectum aliqua quasi puncta sentiuntur.*

Et nonnumquam.

VBI *mitior fuerit humor melancholicus, latentem seu occultum, vt vocat Hippocrates, cancrum sine vlcere progignit; sin acrior maligniórque contingat, cutim erodit, & cancrum facit vlceratum.*

Interdumque nullam.

SIC *Galenus, Aliâs, inquit, confusa exiguáque, & quæ vulgum fortaßis latère poßint, affert symptomata; aliâs ita vehementia & magna, & cunctis euidentia, vt ne puerum quidem clam sint.*

Nam protinus aut resolutio.

ISTHVC *neque experientiâ comperisse contigit, neque apud quenquam probatum, quod sciam, auctorem legisse memini.*

Namque pessimum id genus.

OBSCVRVS *admodùm hîc Celsus est, neque satis assequor quid velit: nam quod modò pessimum dicit, paulo pòst idem curationem tantùm recipere asserit; reliqua verò medicamentis irritari, atque quodammodo efferari:* χακόηθεις *autem à Græcis vocari, auctor est veterum more; vt qui canceratum vlcus malignum ac ferum appellabant.*

Neque vlli vmquam.

ALLVDIT *ad* XXXVIII. *Aphorismum sectionis sextæ: Cancros occultos melius est non curare: qui enim curantur, citiùs pereunt; qui verò non curantur, longiore tempore durant.*

Excisa etiam.

GALENVS *excisa vlcera vix recipere cicatricem contendit, vnde contingat homines macie & doloribus consumptos, ocyùs quàm si curationem non admisissent, animam agere.*

De Theriomate, & eius curatione.

EST etiam vlcus, quod θηρίωμα Græci vocant. Id & per se nascitur, & interdum vlceri ex alia caussa facto superuenit. Color est vel liuidus, vel niger, odor fœdus, multus, & mucco similis humor. Idipsum vlcus neque tactum, neque medicamentum sentit, prurigine tantum mouetur. At circà dolor est, & inflammatio. Interdum etiã febris oritur. Nonnunquam ex vlcere sanguis erumpit. *Ad id quoque malum serpit. Quæ omnia sæpe intenduntur. Fitque ex his vlcus, quod ἕρπητα ἐσθιόμενον Græci vocant, quia celeriter serpendo, penetrandoque vsque ossa corpus vorat. Id vlcus inæquale est, *cœno simile, inestque multus humor glutinosus, odor intolerabilis, maiorque quàm pro modo vlceris inflammatio. Vtrunque sicut omnis cancer, fit maximè in senibus, vel his, quorum corpora mali habitus sunt. Curatio vtriusque eadem est, sed in maiore malo magis necessaria: ac primùm à victus ratione *ordinandus est, vt quiescat in lectulo, vt primis diebus à cibo abstineat, aquam quamplurimã assumat. Aluus quoque ei ducatur. Dein post *inflammationem cibum boni succi capiat, vitatis omnibus acribus, potionis quantum volet, sic vt interdiu quidem aqua contentus sit. In cœna *etiam vini austeri aliquid bibat. Non æquè tamen fame in his quos herpes vrgebit, atque in his qui therioma adhuc habebunt, vtendum

*At
* cauo al. ouo
* ordinandum
* sedatam infl.
* verò

vtendum erit. Et victus quidem talis necessarius est. Super vlcus verò inspergenda est arida aloë, œnanthe, &c, si parum proficiet, chalcitis. Ac si quis neruus exesa carne nudatus est, contegendus antè linteolo est, ne sub eo medicamento aduratur. Si validioribus etiam remediis opus est, ad eas compositiones veniendum est, quæ vehementiùs adurunt. Quicquid autem inspergitur, auerso specillo infundi debet. Superdanda cum melle sunt vel linamenta, vel oleæ folia ex vino decocta, vel marrubium, eaque linteolo contegenda in aqua frigida madefacto, dein bene expresso. Circaque quà tumor ex inflammatione est, imponenda, quæ reprimant, cataplasmata. Si sub his nihil proficitur, ferro locus aduri debet, diligenter neruis, si qui apparent, antè contectis. Adustum vel medicamentis, vel ferro corpus, primùm purgandum, deinde implendum esse, apparere cuilibet ex prioribus potest.

ENARRATIO.

NOMEN ipsum per se malignum admodùm ac ferum vlcus indicat. cæterùm ad quem affectum referendum sit, admodùm dubito; præsertim quando nihil commune habere video cum ferino Hippocratis vlcere, libro De locis in homine. Quando tamen eiusdem signa penitiùs paulo mecum perpendo, idem ferè esse videtur, quod Auicennæ libro IIII. fen III. capite IX, ignis Persicus. atque ita quidem eiusdem prunam, carbunculum, ignem autem Persicum therioma esse dicemus; quanquam certi nihil hic ausim pronunciare.

quod ἕρπητα.

SI flaua bilis acris sit ac compage crassa, omnem cutem ad subiectam carnem vsque exulcerat, atque herpetem exedentem aut æstiomenon dictum generat.

fit maximè in senibus.

HIPPOCRATES in viris fieri dixit donec LX. annos transmiserint.

Aluus quoque ei.

NONNVNQVAM etiam suffecerit diureticis materiã peccantem expurgasse: quanquam si leniter ducente aluum ac bilem trahente medicamento purgetur aluus, admodùm proderit.

Super vlcus verò inspergenda.

IDEM præscribit Galenus libro De arte curatiua ad Glauconem: Exedentes, inquit, refrigerari volunt; quemadmodum & alij herpetes, & erysipelata: non tamen medicamenta ferunt, quæ præterquam quòd refrigerent, etiam humectare idonea sunt, sed solùm refrigerantia admittunt; præsertim quæ exiccare possunt. Quare an per se vtilis sit chalcitis, alij viderint: mihi certè nondum placere potuit; vti neque ea quæ vehementiùs adurunt; nam quæ cum frigiditate quadam reprimunt, commendari certum est.

De sacro igne, & eius curatione.

SACER quoque ignis, malis vlceribus annumerari debet. Eius duæ species sunt: Alterum est subrubicundum, aut mistum rubore atque pallore, exasperatumque per pustulas continuas, quarum nulla altera maior est, sed plurimæ perexiguæ. In his semper ferè pus, & sæpe rubor cum calore est, serpitque id nonnunquam sanescente eo, quod primum vitiatum est, nonnunquam etiam exulcerato, vbi ruptis pustulis vlcus continuatur, humorque exit, qui esse inter saniem, & pus videri potest. Fit maximè in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipueque in plantis. Alterum autem est in summæ cutis exulceratione, sed sine altitudine, latum, subliuidum, inæqualiter tamen, mediumque sanescit, extremis procedentibus, ac sæpe id, quod iam sanum videbitur, iterum exulceratur. At circà proxima cutis quæ vitium receptura est, tumidior & durior est, coloremque habet ex rubro subnigrum. Atque hoc quoque malo ferè corpora seniora tentantur, aut quæ mali habitus sunt, sed in cruribus maximè. Omnis autem sacer ignis, vt minimum periculum habet ex his quæ serpunt, sic propè difficillimè tollitur. Medicamentum eius * fortuitum est, vno die febris, quæ humorem noxium absumat. Cuius * quo crassius & albidius est, eo periculi minus est. Prodest etiam infrà os vlcerum * lædi, quo plus puris exeat, & id quod ibi corruptum corpus est, extrahat: sed tamen si febricula accessit, abstinentia, lectulo, alui ductione opus est. In omni verò sacro igni neque lenibus, & glutinosis cibis, neque salsis & acribus vtendum est, sed his quæ inter vtrunque sunt, qualis est panis sine fermento, piscis, hœdus, aues, exceptoque apro omnis ferè venatio. Si non est febricula, & gestatio vtilis est, & ambulatio, & vinum austerum, & balneum. Atque in hoc quoque genere potio magis liberalis esse, quàm cibus debet. Ipsa autem vlcera si mediocriter serpunt, aqua calida: si vehementius, vino calido fouenda sunt. Deinde acu pustulæ quæcunque sunt aperiendæ. Tum imponenda ea, quæ putrem carnem exedant.

* fortissimum
* pus, quo
* cædi,

dant. Vbi inflammatio ſublata, vlcuſque purgatum eſt, imponi lene medicamentum debet. In altero autem genere poſſunt proficere mala cotonea in vino cocta, atque contrita. Poteſt emplaſtrum vel *Hieræ, vel tetrapharmacũ, cui quinta pars thuris adiecta ſit. Poteſt nigra hedera ex vino auſtero cocta. Ac ſi celeriter malum ſerpit, non aliud magis proficit. Purgato vlcere, quod in ſumma cute eſſe propoſui, ſatis ad ſanitatem eadem lenia medicamenta proficient. * Hecatæi

ENARRATIO.

NESCIO me hercules, qua ratione ducti, hodie quotquot ferè ſunt interpretes, Græcorum eryſipelam, Sacrum ignem reddiderint: quando certum ſit priſcos illos Latinos medicos herpetem pro ſacro igne vſurpaſſe. quod vel ex hoc Celſi capite cuiuis manifeſtum euadet, qui ſingula quæ igni ſacro aſſcribit, cũ herpete conferet. Huic adde quòd Plinius libro Naturalis Hiſtoriæ XXVI. capite XI. plura ignis ſacri genera eſſe dicit, inter quæ medium hominem ambiens appellatur zoſter, & hominem enecat ſi cinxerit. Cui ſubſcribere videtur Scribonius Largus, qui quum antè ignis ſacri meminiſſet, ſtatim zonæ, quam zoſtera Plinius vocari dixit, remedia deſcribit, atque hanc quidem ſimpliciter herpetem vocari auctor eſt.

Eius duæ ſpecies.

GALENVS libro De tumoribus præter naturam, tres eius ſpecies enumerat; vti poſt eum annotauit Aëtius: Nam ſi flaua bilis, inquit, citra alterius humoris mixturam ſecreta iuxta partem aliquam conſtiterit, herpes appellatur affectio. Si quidẽ igitur craſſa fuerit compage, & magis acris, omnem cutem ad ſubiectam carnem exulcerat. atque hæc ſpecies generis appellationem tulit, ſimpliciterque, ac citra appoſitionem herpes vocatur. Eſt etiam adhuc tertia herpetis ſpecies quæ miliaris appellatur, eò quòd puſtulas paruas, & multas in ſuperficie cutis excitat milio ſimiles. Oritur autem etiam ipſe à bile, verùm minùs acri & calida quàm priores. Celſo, quòd præcedente De theriomate paragrapho herpetis exedentis mentionem fecerit, ſufficit hîc dixiſſe, duas tantùm eius ſpecies eſſe. Dictus eſt autem ἕρπης, eò quòd videatur ἕρπειν, hoc eſt ſerpere per cutem ſummam, modò hanc eius partem, modò proximam occupans, vt auctor eſt Actuarius; quòd ſemper priore laborante perſanata, propinqua eius vitium excipiat, non ſecus quàm ignis qui proxima quæq; depaſcitur, vbi ea quæ priùs accenſa erant, deficiente iam idonea materia, priùs quoque extinguuntur.

Omnis autem ſacer ignis.

HIPPOCRATES ſecundo Prædictionum, Herpetes, inquit, minimè omnium vlcerum, quæ depaſcendo proſerpunt, periculoſi ſunt: verùm maximè difficulter ſubmoueri poſſunt; quemadmodum cancri occulti.

vno die febris.

QVOD ſi ex ſyncera bile ortus ſit herpes, neſcio quàm conueniat febris: at ſi eidem permixta ſit pituita, non omnino inutilis erit, vt quæ calore febrili diſſipari poſſit.

Si non eſt febricula.

QVAM conueniant hæc quæ enumerat Celſus, alij indicent: Hippocrates abſtinentiam & aquam, tum in diutinis vlceribus, tum maximè recentibus conuenire dicit; atque à vino abſtinendum: quia quanto liberaliùs corpus nutritur, & quo meracius vi-

num bibitur, eo plus ſanguinis & aliorum ſucccorum ad vlceratū locum fertur. Præterea idem in vleeribus omnibus quietem & otiū plurimùm conuenire dicit. Si quis tamen ideò balneum, & ambulationem admittere velit, vt humores euocentur; per me integrum eſt: malim tamen ex Hippocratis præſcripto quietem & abſtinentiam.

Ipſa autem vlcera.

IN herpete Galenus nihil alienius quàm humiditatem dixit, ac proinde fruſtrà localia dicta medicamenta applicari, ante totius corporis purgationem: nam quantumcunque localibus exulceratam particulam curaueris, ſerpet tamen ſemper vlteriùs malum, ac cutim exulcerabit, niſi purgata ſit bilis.

De Chironio vlcere, & eius curatione.

CHIRONIVM autem vlcus appellatur, quod & magnum eſt, & habet oras * duas, calloſas, tumentes. Exit ſanies non multa, ſed * tenuis. Odor malus neque in vlcere, neque in eius * tumore eſt. Nulla inflammatio, dolor modicus eſt, nihil ſerpit, ideoque nullum periculum adfert, ſed non facilè ſaneſcit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, vlcuſque renouatur. Fit maximè in pedibus & cruribus. Super id imponi debet, quod & lene aliquid, & vehemens, & reprimens habeat. Quale eius rei cauſſa fit ex his, Squamæ æris, plumbi eloti combuſti, ſingulorum P. IIII. ✱. cadmiæ, ceræ, ſingulorum P. VIII. ✱. roſæ quantum ſatis eſt ad ceram ſimul cum eis molliendam.

[Margin: * duras, | * tenuis, o. malus. Neque i. v. n. i. e. t. vlla eſt inflãmatio. Dolor | * humore]

ENARRATIO.

INVETERATA, & quæ vix cicatricem recipiunt, alij chironia appellârunt, vt ait Paulus, ceu Chirone medico peritiſſimo indigentia: alij Telephia, quòd in tali vlcere Telephus conſenuerit. Galenus libro IIII. De compoſitione medicamentorum ſecundùm genera, Chironia vlcera vocata dicit, non mediocriter, ſed maximè maligna contumaciáque. Nos, quemadmodum Commentariolo noſtro De magnis lienibus oſtendimus, ſceletyrbica dicta vlcera eſſe putamus.

De vlceribus quæ ex frigore in pedibus, & manibus oriuntur, & eorum curationibus.

FIVNT etiam ex frigore hyberno vlcera, maximè in pueris, & præcipuè pedibus, digitiſque eorum, nonnunquam etiam in manibus. Rubor cum inflammatione mediocri eſt. Interdum puſtulæ oriuntur, deinde exulceratio. Dolor autem modicus. Prurigo maior eſt, nonnunquam humor exit, ſed

[Margin: *χίμετλον hoc genus vlceris dicitur à Græcis, à Latinis Pernio.*]

ſed nõ multus, qui referre vel pus, vel ſanię́ videtur. In primis multa calida aqua fouendum eſt, in qua rapa decocta, aut ſi ea non ſunt, aliquæ verbenæ ex reprimentibus. Si nondum adapertum vlcus, æs, quàm maximè calidum quis pati poteſt, admouendum eſt. Si iam exulceratio eſt, imponi debet alumen, æqua portione cum thure* contritũ, cum vino adiecto, [*contritum, vino] aut malicorium in aqua coctum, deinde contritum. Si ſumma detracta pellicula eſt, hîc quoque meliùs lenia medicamenta proficiunt.

ENARRATIO.

VLCERA hæc Latinis Perniones, Græcis χίμετλα dicuntur. Heſychius χίμετλον, inquit, τὸ ἐν χειμῶνι γενόμενον ἕλκος ὑπὸ ψύχεους.

In primis multa calida.

HIPPOCRATES: Perniones, inquit, pertundere & calefacere oportet; ita vt quàm maximè calefacias igne & aqua. Paulus marinam aquam præfert.

De ſtruma, & eius curatione.

STRVMA quoque eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine, quaſi glandulæ oriuntur. Quæ vel præcipuè fatigare medicos ſolent, quoniam & febres mouent, nec vnquam facilè matureſcunt, & ſiue ferro, ſiue medicamentis curantur. Plerunque iterum iuxta cicatrices ipſas reſurgunt, multoque pòſt medicamento eſt opus. Quibus id quoque accedit, quòd longo ſpatio detinent. Naſcuntur maximè in ceruice, ſed etiam in alis & inguinibus, & in lateribus. In mammis quoque fœminarum ſe reperiſſe, Chirurgicus Meges auctor eſt. Propter hæc & album veratrum rectè datur, atque etiam ſæpius, donec *ea digerantur. Et me- [*eæ] dicamenta imponuntur, quæ humorem vel educant, vel diſſipent, quorum ſuprà mentio facta eſt. Adurentibus quoque quidam vtuntur, quæ exedunt, cruſtaque eum locum aſtringunt: tunc verò vt vlcus *conterant. Quæcunque autem ra- [*curant.] tio curandi eſt, corpus puro vlcere exercendum, atque alendum eſt, donec ad cicatricem perueniat. Quæ cùm medici doceant, quorundam ruſticorum experimento cognitum: quem ſtruma malè habet, eum, ſi anguem * edit, liberari. [*edat,]

ENARRATIO.

HIPPOCRATES libro Prædictionum secundo, strumosa tubercula pueros plurimùm infestare auctor est, & facillimè ex ipsis liberari. Senioribus verò pueris, inquit, & adolescentibus minùs quidem oriuntur; verùm difficiliùs ab ipsis liberantur. Viris autem talia quidem tubercula non valdè fiunt. Vocant autem strumas, quas Græci χοιράδας, à porcis in quorum gutture adenosi quidam tumores reperiuntur strumis similes: vel quòd prolificæ videantur, vt auctor est Actuarius: ab vnico etenim tumore, alij etiam quandoque euascuntur. Solent autem eas ita distinguere, sicuti docet Aëtius, vt inter se differant magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, vasorum complicatione: Magnitudine, quia aliæ paruæ, aliæ magnæ, aliæ mediæ, aliæq; ingentes: Multitudine, quia plures, aut vna tantùm generantur: Natura, quia aliquæ malignæ sunt, vt quæ attactu indolent, & medicamentis appositis deteriores redduntur, quas etiam, vt auctor est Ægineta, carcinodes aliqui dixerunt; notúmque est omnibus, curationi quæ manu fit, ipsas non cedere: aliquæ contrà morigeræ sunt tum tactui, tum medicamentorum vsui. In genere, quales quales sunt, per chirurgiam optimè curantur: ea obseruatione adhibita, vt si in collo strumæ sint, recta aut obliqua sectio fiat; sin circa alas, aut inguina, transuersa, ob cutis reduplicationem.

Plerumque iterum.

ID de malignis tantùm, & quæ nondum extirpatæ planè sunt, intelligendum est; mites & paruæ facilè ex toto curantur.

De Furunculo, & eius curatione.

FVRVNCVLVS verò est tuberculum acutum cum *inflammatione, & dolore, maximeque vbi iam in pus vertitur. Qui vbi adapertus est, & exit, supèr apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta subalbida, subrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum periculum est, etiam si nulla curatio adhibeatur. Maturescit enim per se, atque erumpit. Sed dolor efficit, vt potior medicina sit, quæ maturiùs liberet. Proprium eius medicamentum galbanum est. Sed alia quoque suprà comprehensa sunt. Si cætera desunt, imponi debet primùm nō pingue emplastrum, vt id reprimat: deinde si non repressit, quodlibet puri mouendo accommodatum. Si ne id quidem est, vel resina, vel fermentum. Expresso pure, nulla vltrà curatio necessaria est.

* inflatione,

ENARRATIO.

GRÆCORVM Dothienes furunculos appellat, atque omnino periculi exortes dicit: Paulus tamen duplicem furunculi speciem facit, mitem, quoties sub sola cute coiit; & pernicacem seu malignum, vbi subteractis radicibus in superficiem erumpit. Dignosces id, vt auctor est Actuarius, tum visu tum tactu, locum circumquaque furunculi contrectans.

De phy-

De phymate, & eius curatione.

PHYMA verò nominatur tuberculum furunculo simile, sed rotundius & planius, sæpe etiam maius. Nam furunculus oui dimidij magnitudinem rarò explet, nunquam excedit: phyma etiam latiùs patere consueuit, sed inflammatio dolorque sub eo minores sunt. Vbi *euulsum est pus, eodem modo apparet ventriculus, quod in furunculo non inuenitur. Verùm omnis corrupta caro in pus vertitur. Id autem in pueris & sæpius nascitur, & faciliùs tollitur: in iuuenibus rariùs oritur, & difficiliùs curatur. Vbi ætas indurauit, ne nascitur quidem. Quibus verò medicamentis discuteretur, suprà propositum est.

*diuisum al. diuul. est, pus cod.m.apparet: vēt. qui i. furunculo, n.i.

ENARRATIO.

HIPPOCRATES generatim omnia tubercula φύματα appellare solet: sic in Aphorismis, Vbi fauces ægrotant, inquit, tubercula aut phymata in corpore nascuntur; aphorismo XV. sectionis secundæ. & sectione quarta, aphorismo penultimo: Quibus phymata vrinarium meatum exercent, hi abscessu in vomicam erumpente liberantur. Speciatim tamen phymata dicimus glandularum inflammationem, quæ & celeriter augeatur, & ad suppurationem festinet. Galenus Commento primo sectionis XIII. libri sexti Hippocratis De morbis vulgaribus: Ab iis, inquit, quæ ex terra progerminant, Græci homines φύματα (hoc est tubercula) vocauerunt, eos præter naturam tumores, qui prorsus sine caussa extrinseca proueniūt, sed potissimùm eos hoc nomine vocant, qui extra corporis superficiem extuberant: verùm ob nominis alterius inopiam interdum & latos, paulóque naturalibus partibus altiores, hoc eodem nomine appellant.

De Phygethlo, & eius curatione.

PHYGETHLON autem est tumor, non altus, sed latus, in quo quiddam pustulæ simile est. Dolor distentioque vehemens est, & maior quàm pro magnitudine tumoris: interdum etiam febricula, idque tardè maturescit, neque magnopere in pus conuertitur. Fit maximè aut in vertice, aut in alis, aut in inguinibus. *Panem, ad similitudinem figuræ nostri vocant. Atque idipsum quo medicamento tolleretur, suprà demonstraui. Sed cùm omnes nihil nisi minuti abscessus sint, grenerale nomen trahit latius vitium ad suppurationem spectans. Idque ferè fit aut post febres, aut post dolores partis

Panum, Panis.

alicuius, maximeque eos, qui ventrem infestarunt. Sæpiusque oculis expositum est, siquidem latius aliquid intumescit ad similitudinem eius, quod phyma vocari proposui, rubetque cum calore, & paulo pòst etiam cum duritia, magisque *innocenter indolescit, & sitim vigiliamque *exprimit. Interdum tamen nihil horum in cute deprehendi potest, maximeque, vbi altiùs pus mouetur. Sed cum siti vigiliaque sentiuntur intus aliquæ punctiones, & quod de subito durius non est, melius est: & *quamuis non rubet, coloris tamen aliter mutati est. Quæ signa iam pure oriente nascuntur. Tumor ruborque multo antè incipiunt. Sed si locus mollis est, auertendus is materiæ aditus est per cataplasmata, quæ simul & reprimunt, & refrigerant, qualia & aliâs & paulò antè in Erysipelate proposui. Si iam durior est, ad ea veniendum est, quæ digerant, & resoluant: qualis est ficus arida, contusa: aut fex mista cum cerato: quod ex adipe suilla coactum sit, aut cucumeris radix, cui ex farina duæ partes adiectæ sint, antè ex mulso decoctæ. Licet etiam miscere æquis portionibus ammoniacum, galbanum, propolim, viscum, pondusque adiicere myrrhæ dimidio minus, quàm in prioribus singulis erit. Atque emplastra quoque & malagmata idem efficiunt, quæ suprà explicui. Quod per hæc discussum non est, necesse est maturescat. Idque quo celerius fiat, imponenda est farina ordeacea, ex *qua cocta rectè miscetur. Eadem autem hæc in minoribus quoque abscessibus, quorum nomina proprietatesque suprà reddidi, rectè fiunt. Eadeque omnium curatio, *tantummodo distat. Crudum est autem in quo *magis quasi venarum motus est & grauitas, & ardor, & distentio, & dolor, & rubor, & *durities. Et si maior abscessus est, horror aut etiam febricula permanet, penitusque condita suppuratio. Si pro his *quæ alibi cutis ostendit, punctiones sunt, vbi *ista se remiserunt, *iamque cutis prurit, & aut subliuidus, aut subalbidus est, matura suppuratio est, eaque vbi vel per ipsa medicamenta, vel etiam ferro aperta est, pus debet emitti. Tum si qua in alis, vel inguinibus sunt, sine linamento nutrienda sunt. In cæteris quoque partibus, si *vna plaga exigua est, si medio-

* nocenter adol.
* imprimit.
* quod quamuis rub.
* aqua cocta, cui & oleum aliquid recte
* tantùm modo
* maior
* durities, &
* quas
* istæ
* iamq. is locus prurit,
* ima

mediocris suppuratio fuit, si non altè penetrauit, si febris non est, si valet corpus, æquè linamenta superuacua sunt. In reliquis, parcè tamen, nec nisi *plaga est, imponi debent. Commodè verò * vel super linamenta, vel sine his imponitur lenticula ex melle, aut malicorium ex vino coctum. Quæ & per se, & mista idonea sunt. Siqua circa duriora sunt, ad ea mollienda, vel malua contrita, vel fœni græci, linive semen ex passo coctum superdandum est. Quicquid deinde impositum est, non abstringit, sed modicè deligari debet. Illo neminem decipi decet, vt in hoc genere cerato vtatur. Cætera quæ pertinent ad purgandum vlcus, ad implendum, ad cicatricem inducendam, * conueniuntque in vulneribus, exposita sunt.

* magna pl.
* mel
* cõu. vul.

ENARRATIO.

PHYGETHLON *Latinis Panus dicitur; estq; inflammatio erysipelatodes, aut erysipelas cum inflammatione: ac proinde quoniam mixtus affectus est, alterutrius, inflammationis dico aut erysipelatis, remedia aut augenda, aut minuenda erunt pro superantis in mixtura ratione.*

aut cucumeris radix.

SYLVATICI *videlicet, quem & anguinum vocat Plinius.*

Tum si qua in alis.

GALENVS *bubones vocare solet; sunt tamen, vt libro De tumoribus ait, qui in alis & inguinibus phygethla tantum oriri dicant, vtpote glandularum inflammationes.*

De Fistulis, & earum generibus, & curationibus.

NONNVNQVAM autem ex eiusmodi abscessibus, & ex aliis vlcerum generibus Fistulæ oriuntur. Id nomen est vlceri alto, angusto, calloso. Fit in omni fere parte corporis, habetque quædam in singulis locis propria. prius de communibus dicam. Genera igitur fistularum plura sunt. Siquidem aliæ breues sunt, aliæ altius penetrant, aliæ *rectè intus feruntur, aliæ multoque plures transuersæ, aliæ simplices sunt, aliæ duplices, triplicesve ab vno *ore intus orsæ, quæ tres fiunt, aut etiam in plures sinus diuiduntur, aliæ rectæ, aliæ flexæ, & tortuosæ sunt. Aliæ intra carnem desinunt. Aliæ ad ossa, aut cartilaginem penetrant, aut vbi neutrum horum subest, ad interiora

* rectà
* ore orsæ, quæ intus tr.

teriora perueniunt. Aliæ deinde facilè, aliæ cum difficultate curantur. Atque etiam quædam insanabiles reperiuntur. Expedita curatio est in fistula *simplici recenti intra carnem, adiuuatque ipsum corpus, si iuuenile, si firmum est. Inimica contraria his sunt. Itemque si fistula os, vel cartilaginem, vel neruum, vel musculos læsit, si articulum occupauit, si vel ad vesicam, vel ad pulmonem, vel ad vuluam, vel ad grandes venas arteriásve, vel ad inania, vt guttur, stomachum, *thoracem penetrauit. Ad intestina quoque eam tendere semper periculosum, sæpe pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si corpus vel ægrum, vel senile, vel mali habitus est. Ante omnia autem demitti specillum in fistulam conuenit, vt quò tendat, & quàm altè perueniat, scire possimus. Simul etiam protinus humida, an siccior sit: quod extracto specillo patet. *Si verò os in vicino est, id quod disci potest, si iam nec ne, eò fistula penetrauit, quatenus nocuerit. Nam si molle est, quod *vltimo specillo contingitur, intra carnem adhuc vitium est. Si magis id renititur, ad os ventum est. Ibi deinde si elabitur specillum, nondum caries est: si non *labitur, sed æquali innititur, caries quidem, verùm adhuc leuis est. Si inæquale quoque & asperum subest, vehementius os exesum est. At cartilago vbi *subhæsit, ipsa sedes docet, peruentumque esse ad eam ex renixu *patet. Sed ex his quidem colliguntur fistularum sedes, spatia, noxæ. Simplices verò hæ sint, an in plures partes diducantur, cognosci potest ex modo puris, cuius si plus fertur, quàm quod simplici spatio conuenit, plures sinus esse manifestum est. Cumque ferè iuxtà sint caro, & neruus, & aliqua neruosa, quales ferè tunicæ, membranæque sunt: genus quoque puris docebit, num plures sinus intus diuersa corporis genera perroserint. Siquidem ex carne pus *leue, album copiosius fertur. At ex neruoso loco coloris quidem eiusdem, sed tenuius & minus. Ex *neruo pingue, & oleo non dissimile. Denique etiam corporis inclinatio docet, num in plures partes fistulæ penetrarint, quia sæpe cùm quis aliter decubuit, aliterque membrum collocauit, pus ferri, quod iam desierat, *incipit, testaturque non solùm alium sinum

* simplici, recta, int.
* thora cēq. pen. malū. Ad
* Si iā in esse vitiū est, necne, id quoque d. p. & si iā eò fist. p.
* vltimò
* labitur sede qua inn.
* subsit,
* sciri potest.
* læue,
* osse
* alterum inc. al. iterum

ſinum eſſe ex quo deſcendat, ſed etiam in aliam corporis partem eum tendere. Sed ſi & in carne, & * recens, & ſimplex eſt, ac neque rugoſa, neque caua ſede, neque in articulo, ſed in eo membro, quod per ſe immobile, non niſi cum toto corpore mouetur, ſatis proficiet emplaſtrum, quod recentibus vulneribus imponitur, dum habeat vel ſalem, vel alumen, vel ſquamam æris, vel æruginem, * ex metallicis aliquid. Exque eo collyrium fieri debet altera parte tenuius, altera paulo plenius. Idque ea parte qua tenuius eſt, * altera antecedente demitti oportet in fiſtulam, donec ſanguis purus oſtendat. Quæ in omnibus fiſtularum collyriis perpetua ſunt. Idem deinde emplaſtrũ in linteolo ſuper imponendum, ſupraque iniicienda ſpongia, in acetum antè demiſſa, ſoluique quinto die ſatis eſt. Genuſque victus adhibendum eſt, quo carnem ali docui. Ac ſi longius à præcordiis fiſtula eſt, ex interuallo ieiunum radiculas ediſſe, deinde vomere, neceſſarium eſt. Vetuſtate calloſa fit fiſtula. Callus autem neminem fallit, quia durus eſt, & aut albus, aut pallidus. Sed tum validioribus medicamentis opus eſt. Quale eſt, quod habet papaueris lacrymæ P. I. ✱. gummi P. III. ✱. cadmiæ P. IIII. ✱. atramenti ſutorij P. VIII. ✱. Ex quibus aqua coactis collyrium fit. Aut in quo ſunt gallæ * P. ✱. æruginis ſandaracæ, aluminis Ægyptij, ſingulorũ P. I. ✱. atramenti ſutorij combuſti P. II. ✱. Aut quod conſtat ex chalcitide, & ſaxo calcis, quibus auripigmenti dimidio minus, quàm in ſingulis prioribus eſt, adiicitur, eaque melle cocto excipiuntur. Expeditiſſimum autem eſt ex præcepto Megetis, æruginis raſæ P. II. ✱. conterere, deinde ammoniaci, thymiamatis P. II. ✱. aceto liquare, * eoque infuſo ex ærugine colligere. Idque ex primis medicamentis eſt. Sed vt hæc maximi effectus ſunt, ſi cui iſta non adſunt, facile tamen eſt callum quibuſlibet adurentibus medicamentis * prodere, aut quibus * hæc maximè in effectu ſunt erodere. Satiuſque eſt, vel papyrum intortum, vel aliquid ex penicillo in modum collyrij aſtrictum * eò illinere. Scilla quoque cocta & miſta cum calce, callum exeſt. Si quando verò longior & tranſuerſa fiſtula eſt, demiſſo ſpecillo contra

Margin notes: * recta. — * vel ex — * alteram — Callus. — * P. I. — * ex eoque infuſo æruginem — * perdere, — * ad hoc maximi effectus ſunt, — * eo, al. iis

principium huius incidi, commodissimum est, & collyrium *vtrunque demitti. At si duplicem esse fistulam, aut multiplicem existimamus (sic tamen vt breuis, intraq. carnem sit) collyrio vti non debemus, quòd vnam partem curet, reliquas omittat: sed eadem medicamenta arida in calamum scriptorium coniicienda sunt, isque ori fistulæ aptandus, inspirandumque, vt ea medicamenta intus compellantur. Aut eadem ex vino liquanda: vel si sordidior fistula est, ex mulso: si callosior, ex aceto sunt, atque intùs infundendum quicquid inditum est. Superponenda sunt quæ refrigerent & reprimant. Nam ferè quæ circa fistulam sunt, habent aliquid inflammationis. Neque alienum est vbi quis resoluerit, antequàm rursus alia medicamenta coniiciat, per auricularium clysterem fistulam eluere. Si plus puris fertur, vino: si callus durior est, aceto: si iam purgatur, mulso, vel aqua, in qua eruum coctum sit, sic vt huic quoque mellis paulum adiiciatur. Ferè verò fit, vt ea tunica quæ inter *ferramentum & integram carnem est, victa* medicamentis tota exeat, infraque vlcus purum sit. Quod vbi contigit, imponenda glutinantia sunt, præcipueque spongia melle cocto illita. Neque ignoro multis placuisse, linamentum in modum collyrij compositum, tinctum melle demitti. Sed celeriùs id glutinatur, quàm impletur. Neque verendum est, ne purũ corpus puro corpori iunctum, non coëat, adiectis quoque medicamentis ad id efficacibus, cùm sæpe exulceratio digitorum, nisi magna cura prospeximus, sanescendo in vnum os iungat.

*vtrinque al vtique

*foramen

*tot med.

ENARRATIO.

FISTVLA *sinus est callo obductus, aliquatenus indolens, in pluribus nascens particulis: magna verò ex parte ex abscessibus oritur parùm dextrè curatis. est autem translatum nomen, vt ait Galenus, à fistulis quibus musici vtuntur.*

Nonnunquam autem.

SIC *Hippocrates sectione sexta Aphorismorum, aphor.* XLV, *Vlcera, inquit, quæcumque annua sunt, aut diuturniora, os abscedere necessarium est, & cicatrices cauas fieri.*

Aliæ deinde facilè.

HIPPOCRATES *in Coacis Prænotionibus, Fistulæ, inquit, difficillimæ sunt, quæ in cartilaginosis, & excarnibus locis sunt, & cauæ sunt, ac procedunt, ac sanie madent semper, & caruncula in ostio ipsius inest.* Cu-

est. Curatu autem faciliores sunt, quæ in mollibus & carnosis, & non neruosis existunt.

Ex neruo pingue.

NON solùm ex puris qualitate fistulam ad neruum vsque peruenisse indicabimus; verùm etiam ex doloris sensu: punctionis enim sensum, aut stuporis exhibebit. adhæc motus ille qui à neruo hoc proficisci solebat, seipso deterior apparebit, sed & in specilli tactu molestus sensus perceptus indicationem faciet. Humor autem inde latus tenuior est, similis ei qui ab oßibus defluit, non quidem oleosus aut pinguis (sicuti hîc infert Celsus) sed glutinosus ac saniosus, vt ait Aëtius.

soluique quinto die satis est.

HIPPOCRATES tamen quotidie soluendum dicit, atque abluendas sordes, ac deinde æruginem immittendam, atque ad septem vsque dies faciendum.

Expeditißimum autem.

IOANNES Taguultius ex Ægineta locum hunc in hunc modũ restituendum arbitratur: æruginis rasæ * p° XII. contere, deinde ammoniaci thymiamatis * p° II. &c.

Ferè verò fit.

VARIANT hîc exemplaria: alia etenim ferramentum, habent: Ioannes Cæsarius, Pinzanam lectionem reprobans, quæ ferrumen habet, foramen legere maluit: mihi certè Pinzana magis arridet.

Neque ignoro.

IDEM quoque suadet Aëtius.

De Meliceria.

EST etiam vlceris genus, quod & à faui similitudine *μελικηρὶς* à Græcis nominatur; idque duas species habet. Alterum subalbidum furunculo simile, sed maius, & cum dolore maiore. Quod vbi maturescit, habet foramina per quæ fertur humor glutinosus, & purulentus, nec tamen ad iustam maturitatem peruenit. Si diuisum est, multo plus intùs corrupti quàm in furunculo appâret, altiusque descendit. Rarò fit, nisi in * scapulis. Alterum est minus * super corpus eminens, durum, latum, subuiride, * subpallidum, magis exulceratum. Siquidem ad singulorum pilorum radices foramina sunt, per quæ fertur humor glutinosus subpallidus, crassitudinem mellis aut visci referens, interdum olei. Si inciditur, viridis intrà caro appâret. Dolor autem, & inflammatio ingens est, adeò vt acutam quoque febrem mouere consueuerit. Super id quod minus crebris foraminibus exasperatum est, rectè imponitur & ficus arida, & lini semen * in mulso coctum, & emplastra ac malagmata materiam educentia, aut quæ propriè huc pertinentia, suprà posui. Super alterum,

* capillis.
* super caput
* subalbidum.
* quod in vino coctum

* ervi ex

& ea medicamenta, & farina* ex mulſo cocta, ſic vt ei dimidium reſinæ terebinthinæ miſceatur, & ficus in mulſo decocta, cui paulum hyſſopi contriti ſit adiectum, & vuæ taminiæ pars quarta fico adiecta. Quòd ſi parum in vtrolibet genere medicamenta proficiunt, totum vlcus vſque ad ſanam carnem excidi oportet, & vlcere ablato, ſuper plagam medicamenta danda ſunt, primùm quæ pus citent, deinde quæ purgent, tum quæ impleant.

ENARRATIO.

IANVS Cornarius, vt annotauit Pantinus, pro meliceria, melicerin *legendum contendit: eſt autem affectio quam alij Cerion, Latini Fauum nominant; quæ quia foramina habeat maiora humorem ſimilem melli continentia, meliceris, hoc eſt fauus mellis nominatur. Celſus duas ſpecies meliceris ponit; per priorem quidem, quam maiorem eſſe dicit, propriè dictam melicerim intelligens; per poſteriorem verò, affectionem quæ achor appellatur: eſt etenim hæc vlcuſculum in capitis cute conſiſtens; vel, vt ait Aëtius, tenuia foramina habens, per quæ tenuis ſanies effluit, mediocriter viſcoſa. Galenus vnicam tantùm melicerim definit: quemadmodum Aëtius quoque & Æginета: neque fauum hunc cum meliceride confundunt, ſed inter ſe diſtinguunt, ac diuerſis capitibus de ſingulis tractant. de achoribus tamen, & fauis tanquam congeneribus morbis, eodem capite remedia cauſáſque ac ſigna deſcribunt.*

Raró fit, niſi in ſcapulis.

EX Aëtio reſtituendum monet Pantinus capillis, *quando in capite atque locis capillis obductis frequentiùs oriatur malum. Quanquam ſi de propriè dicta meliceride, & non de cerio ſeu fauo intelligamus, rectè auctor noſter intulerit ſcapulis maximè moleſtas eſſe melicerides.*

De Acrochordone, & Thymio, & Myrmeciis, & Clauo, curationibúſque eorum.

SVNT quædam verò verrucis ſimilia, quorum diuerſa nomina, vt vitia ſunt. Acrochordona Græci vocant, vbi ſub cute coit aliquid durius, & interdum paulo aſperius, coloris eiuſdem, infrà tenue, ad cutem latius, idque modicum eſt, quia raró fabæ magnitudinem excedit. Vix vnum tantùm eodem tempore naſcitur, ſed ferè plura maximeque in pueris, eaque nonnunquam ſubitò deſinunt, nonnunquam mediocrem inflammationem excitant. Sunt quæ etiam in pus conuertuntur. Ac *Thymion nominatur, quod ſuper corpus quaſi verrucula eminet, ad cutem tenue, ſuprà latius, ſubdu-

* acrothymion

rum,

rum, & in summo perasperum. Idque summum colorem floris thymi repræsentat, vnde ei nomen est, ibique facilè finditur, & cruẽtatur, nonnunquam aliquantũ sanguinis fundit, fereque * circa magnitudinem fabæ Ægyptiæ est, rarò maius, interdum perexiguum, modò vnum, modò autem plura nascuntur, vel in talis, vel palmis, vel inferioribus pedum partibus. Pessima tamen in obscœnis sunt, maximeque ibi sanguinem fundunt. Myrmecia autem vocantur, humiliora thymio, durioraque, quæ radices altiùs * exigunt, maioremque dolorem mouent, infrà lata, super autem tenuia, minus sanguinis mittunt, magnitudine vix vnquam lupini modum excedunt. Nascuntur ea quoque aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum. Clauus autem nonnunquam quidem etiam alibi, sed in pedibus tamen maximè nascitur, præcipuè tamen ex contuso, quamuis interdum aliter, doloremque etiam, si non aliàs, tamen ingredienti mouet. Ex his Acrochordon, * siue Thymium sæpe etiam per se finiuntur: & quo * minora sunt, eò magis. Myrmecia & claui sine curatione vix vnquàm desinunt. Acrochordon si excisa est, nullam radiculam relinquit, ideoque ne renascitur quidem. Thymio clauoque excisis subter rotunda radicula nascitur, quæ penitus descendit ad carnem, eaque relicta idem rursus * exigit. Myrmecia latissimis radicibus inhærent, ideoque ne excidi quidem sine exulceratione magna possunt. Clauum subinde deradere commodissimum est. Nam sine vlla vi sic emollescit, ac si sanguinis quoque aliquid emissum est, sæpe emoritur. Tollitur etiam, si quis eum circumpurgat, deinde imponit resinam, cui miscuit pulueris paulum, quem ex lapide molari contrito fecit. Cætera verò genera medicamentis adurenda sunt. Aliisque id quod ex fece vini: myrmeciis id, quod ex alumine & sandaraca fit, aptissimum. Sed ea, quæ circà sunt, foliis contegi debent, ne ipsa quoque exulcerentur. Deinde postea lenticula imponi solet. Tollit thymium etiam ficus in aqua cocta.

* citra

* adigunt,

* sic &

* maiora

ἀκροχορδών.

θύμιον.

* exit.

μυρμηκία:

ENARRATIO.

IOANNES Cæsarius annotauit hîc à Celso myrmecium in neutro genere vsurpatum, cõtra aliorum tam Græcorum quàm Latinorum auctorum consuetudinem, vt à quibus feminino genere myrmecia fertur. Paulus tamen Ægineta (sicuti Celsus libro IIII. capite XV.) neutro genere vsurpat.

Acrochordona Græci.

VERRVCA, inquit Ægineta, quæ acrochordon dicitur, exigua cutis eminentia est, doloris expers, callosa, rotunda, plurima parte habet basim angustam, & suspensa esse videtur: myrmecia autem, seu formicaria verruca sic dicta est, quòd ad contactum dolorem eiusmodi exhibeat qualis à morsu formicæ animalis contingit. Ad frigora, inquit, Ægineta formicarum morsibus similem sensum excitat. hæc non solùm in palmis, aut inferioribus partibus pedum, vt arbitratur Celsus, sed & in vniuerso corpore nascitur, frequentiùs tamen in iam dictis locis.

AcThymion.

ABVNDANT certè hæc potissimùm circa sedem, pudenda, ac media femora; rariùs tamen in aliis partibus, atque ibidem (vt etiam infert noster auctor) pessima sunt. Solent antẽ ea ita distinguere, vt alia mansueta, alia maligna appellent: atque hæc quidem incurabilia dicunt; illa verò curatu facilia.

Clauus autem nonnumquam.

CLAVVS, inquit Ægineta, circinatus in orbem callus coloris candidi, clauorum capitibus similis, toto corpore, sed pedum solo digitisq́; præcipuè, enascitur; dolor sequitur, & incessus impedimentum.

De pustularum generibus, & earum curationibus.

AT pustulæ maximè vernis temporibus oriuntur. Earum plura genera sunt. nam modò circa totum corpus partémve* aspredo quædam fit, similis his pustulis, quæ ex vrtica, vel ex sudore nascuntur, ἐξανθήματα Græci vocant, eaque modò rubent, modò coloré cutis non *exedunt. Nonnunquam plures similes varis oriuntur, nonnunquá maiores pustulæ liuidæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato, subestq́. his humor. Vbi hæ ruptæ sunt, infrà quasi exulcerata caro apparet, *ἑλκώδης Græcè *nominatur. Fiunt vel ex frigore, vel ex igni, vel ex medicamentis. *Psydracion autem paulo durior pustula est, subalbida, acuta, ex qua ipsa quod exprimitur humidum est. Ex pustulis verò nonnunquam etiam vlcuscula sunt, aut aridiora, aut humidiora: & modò tantùm cum prurigine, modò etiam cum inflammatione aut dolore. Exitque aut pus, aut sanies, aut vtrunque. Maximeque id euenit in ætate pucrili, rarò in medio corpore,

*asprituido
* excedũt.
* φλύκταιναι
*nominátur.
*φλυζάκιον

pore, sæpe in eminentibus partibus. Pessima pustula est, quæ ἐπινυκτὶς vocatur. Ea colore vel subliuida, vel subnigra, vel alba esse consueuit. Circa hanc autem vehemens inflammatio est, & cùm adaperta est, reperitur intùs exulceratio mucosa. Color est humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem eius est, neque enim ea faba maior est. Atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus, & ferè noctu. Vnde nomen quoque à Græcis ei Epinyctis impositum est. In omni verò pustularum curatione primum est, multùm ambulare, atque exerceri. Si quid ista prohibet, gestari. Secundum est, cibum minuere, abstinere ab omnibus acribus & extenuantibus, eademq. nutrices facere oportet, si lactens puer ita affectus est. Præter hæc is qui iam robustus est, si pustulæ minutæ sunt, desudare in balneo debet, simulque super eas nitrum inspergere, oleoque vinum miscere, & sic vngi. Tum descendere in solium. Si nihil sic proficitur, aut si *maius pustularum genus occupauit, imponenda lenticula est, detractaque summa pellicula ad medicamenta lenia transeundum. Epinyctis post lenticulam rectè herba quoque sanguinali, vel viridi coriandro curatur. Vlcera ex pustulis facta tollit spuma argenti cum semine fœnigræci mista, sic, vt his inuicem rosa, atq. intubi succus adiiciatur, donec mellis crassitudo fiat. Propriè ad eas pustulas, quæ infantes malè habent, lapidis, quem pyriten vocant P. VIII. ✱. cum quinquaginta amaris nucibus miscetur, adiiciunturq. olei cyathi tres. Sed priùs vngi ex cerussa pustulæ debent, tum hoc illini.

* malum: maius

ENARRATIO.

EXANTHEMATA *cutis sunt exulcerationes subrubicundæ, & asperæ; Hippocrates libro tertio Epidemion* ἐκθύματα, *quòd sponte è cute erumpant, in eaq; floreant, vocat. Plinius papulas, atque interdum pituitæ eruptiones appellat. At quæ priuatim* ἐξανθήματα *nominantur, inquit Actuarius, à crassis humoribus cuti impactis, vtplurimùm vbi densa est summa cuticula, conflantur.*

ἑλκώδες.

VARIANT *hîc exemplaria: siquidem nonnulla* φλυκταίνας *legunt: Pantinus* helcydria *rectiùs legendum arbitratur, quæ Galenus vlcerosas pustulas nominare solet.*

Psydracion.

PYNZANVM *exemplar* physacium *non omnino malè habet: malim tamen* Psydrachiam *scribere; sicuti Ioannes Manardus.*

nardus omnino legendum suspicatur: est autem psydrachium pustula dolorem inferens citra saniei collectionem, eamq́; ab ebulliente feruore, ut auctor est Aëtius, Græci ἔκζεμα vulgò appellant. Alexander Trallianus exigua capitis tubercula esse dicit, pustulis similia, quæ summam cutem excedunt.

Pessima pustula est.

EPINYCTIDES, *ut auctor est Galenus, nomen sortitæ sunt, quòd nocte nascantur: sunt autem ulcuscula sua sponte erumpentia pustularum specie, & subrubra; quibus apertis cruenta sanies desluit. Per diem non magnopere excruciant; per noctē autem grauis & magis quàm pro ratione ulceris dolor torquet. vide Paulū lib. IIII. cap. IX.*

De Scabie, & eius curatione.

* aliàs, humor cutis rubicundus, al. humor durior c. r. al. durities cutis.

SCABIES verò est, * durior cutis rubicundior, ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam ficciores. Exit in quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens, serpitque in quibusdam citò. Atque in aliis quidem ex toto desinit, in aliis verò certo tempore anni reuertitur. Quo asperior est, quoque prurit magis, eò difficilius tollitur. Itaque eam, quæ talis est, ἀγρίαν (id est feram) Græci appellant. In hanc quoque victus ratio eadem quæ suprà necessaria est. Medicamentum autem ad incipientem hanc idoneum est, quod fit ex spodij, croci, æruginis, singulorum P. I. ✱. piperis albi, omphacij, singulorum P. I. ✱. cadmiæ P. VIII. ✱. Aut vbi iam exulceratio est, id quod fit ex sulphuirs P. I. ✱. ceræ P. IIII. ✱. picis liquidæ hemina, olei sextariis duobus. Quæ simul incoquuntur, dum crassitudo mellis fiat. Est etiam quod ad Protarchum auctorem refertur. Habet hoc farinæ lupinorum sextarium, nitri cyathos quatuor, picis liquidæ heminam, resinæ humidæ selibram, aceti cyathos tres. Crocum quoque, lycium, ærugo, myrrha, cinis, æquis portionibus rectè miscentur, & ex passo coquuntur. Idque omnem pituitam vbique * sustinet. At si nihil aliud est, amurca ad tertiam partem decocta, vel sulphur pice liquida mistum, sicut in pecoribus proposui, hominibus quoque scabie laborantibus opitulantur.

* reprimit

ENARRATIO.

SCABIES *à Græcis* ψώρα *vocatur: affinis admodùm affectio cum Græcorum lepra, ut rectè annotauit Manardus: Differunt tamen, quòd lepra cum manifestis squammis cutem profundiùs per circulum depascatur; scabies autem, seu psora, superficiem*

ficiem tantùm variis figuris lædit, & furfuracea quædam corpora remittit. Lepram melancholicus succus committit, vt auctor est Actuarius; scabiē varij humores, eorumq; variæ miscellæ, constituunt. communis vtrique est cutis asperitas & pruritus: si verò tenues acrésque & serosæ humiditates succis permiscentur, impetigines suboriuntur, quæ facillimè in scabiem ac lepram degenerant.

ἀγρίαν.

PER ἀγρίαν, scabiem intelligere videtur eam, quæ crassiorem succum, puta melancholicum, originis suæ causam habuerit: hæc enim non rarò (sicuti secundo ab hoc § scriptum reliquit Celsus) in lepram Græcorum degenerat.

De Impetiginis speciebus, & curationibus.

IMPETIGINIS verò species sunt quatuor. Minimè mala est, quæ similitudine scabiem repræsentat. Nam & rubet, & durior est, & exulcerata est, & * roditur. Distat autem ab ea, quia magis exulcerata est, & varis similes pustulas habet, videnturque esse in ea quasi bullulæ quædam, ex quibus interposito tempore squamulæ resoluuntur, certioribusque hoc temporibus reuertitur. Alterum genus peius est, simile papulæ ferè, sed asperius rubicundiusque, figuras varias habens: squamulæ ex summa cute * descendunt, rosio maior est, celeriùs & latiùs procedit, certioribusque etiam nonnunquam * prior temporibus & fit, & desinit, Rubrica cognominatur. Tertia etiamnum deterior est: nam & crassior est, & durior, & magis tumet, in summa cute finditur, & vehementius rodit. Ipsa quoque squamosa, sed nigra procedit, & latè, & tardè * eminus serpit. In temporibus aut oritur, aut desinit, neque ex toto tollitur, Nigræ cognomen est. Quartum genus est, quod curationem omnino non recipit, distans colore: Nam subalbidum est, & recenti cicatrici simile, squamulasque habet pallidas, quasdam subalbidas, quasdam lenticulæ similes, quibus demptis, nonnunquā profluit sanguis. Alioqui verò humor eius albidus est, cutis dura atque fissa est, proceditque latiùs. Hæc verò omnia maximè genera oriuntur in pedibus & manibus, atque vngues quoque infestant. Medicamentum non aliud valentius est, quàm quod ad scabiem quoque pertinere sub auctore Protarcho retuli. Serapion autem nitri P. II. ✳. sulphuris P. IIII. ✳. excipiebat resina copiosa, eoque vtebatur.

* erodit.

* discedunt,

* nigra

* & minus serpit, neque in certis temp.

ENARRATIO.

QVANQVAM Scribonius Largus, & Cælius Aurelius lichena Græcis dictam, Latinorum impetiginem esse contendant; Celsus tamen hîc per impetiginem, Græcorum leprā intellexisse videtur, quemadmodum annotârunt Ioannes Mainardus & Fuchsius. Aliis tamen opinio hæc non satis placuit, quòd videlicet apud Græcos nusquam quatuor lepræ species, vt hîc à Celso impetiginis, describantur. Ego certè rem quodammodo in dubium vocârim; nisi potior eorum opinio videretur, qui per impetiginem, lepram Græcorum intellexerunt: nam, vt sequente paragrapho dicemus, papularum nomine lichenes seu impetiginem vulgo dictam à Celso intelligi certum est, quam interdum in impetiginem transire dicit: quod & de lichene Græci scribunt, quam in lepram non rarò degenerare contendunt. Tertium porrò atque quartum impetiginis genus Mainardus libro epistolarum medicinalium ad ionthosin refert; cuius Plinius meminit, principiúmque elephantiasis esse dicit: Galenus tumorem paruum & durum in faciei cute esse ait, & qui à succo crasso congregetur; Latini Varum nominant. Verùm, vt cum bona venia tanti viri quod sentio eloquar, nihil minùs quàm ionthosin comprehendisse videtur; præsertim quando sequente libro capite V. speciatim de varis scribat. Nam quantumuis tertium genus quod nigrum vocari dicit, in temporibus aut oriri, aut desinere dicit; subiungit tamen paulo post: hæc omnia genera maximè oriuntur in pedibus, & manibus, atque vngues quoque infestant, &c: vari autem faciei cutim tantùm dehonestant. Quo fit, vt quum obscurus admodùm hic locus sit, ingenuè nostram ignorantiam fateri potius duxerimus, quàm aliis erroris fenestram patefacere. Secundum verò genus, quod rubricam vocari dicit, ad quem affectum referam, nondum legisse memini.

De Papulis, & earum curatione.

PAPVLARVM verò duo genera sunt. Altera est in qua per minimas pustulas cutis exasperatur, & rubet, leuiterque roditur: medium habet* pauxillo leuius, tardè serpit: idque vitium maximè rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. Altera autem est, quam ἀγρίαν, id est, feram Græci appellant. In qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur, exulceraturque, ac vehementius & roditur, & rubet, interdum etiam pilos remittit. Quæ minus rotunda est, difficiliùs sanescit: nisi sublata est, in impetiginem vertitur: sed leuis papula, etiam si ieiuna saliua quotidie defricatur, sanescit. Maior commodissimè murali herba tollitur, si sub ea detrita est. Vt verò ad composita medicamenta veniamus, idem illud Protarchi tanto valentius in his est, quanto minus in his *vitij est: alterum ad idem Myronis, nitri *rubri, thuris, singulorum P. I. ✳. cantharidum purgatarum P. II. ✳. sulphuris

*paulo læuius,

*vitium
*ruffi,

ſulphuris ignem non experti tantundem, reſinæ terebinthinæ liquidæ P. XX. ✱. farinæ *lolij ſemis, gith cyathos tres, picis crudæ *vnum. *lolij ſext. III. *ſext.

ENARRATIO.

QVANQVAM doctiſsimus, ac mihi quondam ſumma neceſsitudine iunctus, Hadrianus Iunius in ſuo Nomenclatore dicat papulas, quæ & Boæ Plinio dicuntur, eſſe puerilem morbum qui rubore corpus obſidet, nimirum exiles maculas, rubras aut purpureas, interdum etiam nigricantes, ἐξανθήματα Græcis dicta, quæ Galenus 6. Epidemion ἐξανθήματα κεγχρώδη à milij ſimilitudine vocat: & Leonarthus Fuchſius eadem etiam duplicia eſſe contendat, ſublimia videlicet & lata ſeu humilia, atque illa ab iis qui barbaram ſequuntur medicinam morbillos vocari, lata verò variolas: Mihi tamen, ſaluo illorum iudicio, auctor noſter papulis ſuis idem aſſcripſiſſe videtur, quod Græci lichenibus: ſiquidem, vt habet auctor Introductorij (ſiue is Galenus ſiue alius fuerit) lichen cutis affectus eſt; eiúſque ſpecies duæ exiſtunt, vna tolerabilis mitiórque eſt, altera fera (ἄγριαν à Græcis vocari dicit Celſus) difficiliórque: ſquammulæ in his ex ſumma cute deſcendunt; ſub quibus locus rubicundior feréque exulceratus appâret. Hanc Ægineta non rarò in lepram degenerare auctor eſt: Galenus De compoſitione medicamentorum localium, ex lichene pſoram & lepram ordiri contendit. Quæ ſi cum Celſi noſtri papulis quis conferat, non poterit non fateri, eaſdem cum lichenibus eſſe papulas: nam & papularum duo depingit genera, & ex his id quod ferum vocari dicit, in impetiginem interdum tranſire dicit. Huc ſi remedia conferas, atque eadem expendas, videbis papulis eadem adſcribi remedia quæ & lichenibus, & vulgò dictæ impetigini vtilia eſſe cenſentur. Siquidem, vt vnum multorum loco in medium afferamus, Scribonius Largus, Galenus, Æginetа, ieiuni hominis ſaliua mitiorem lichenem ſanari contendunt: & Serenus Sammonicus capite XI. inquit:

Si verò vitium eſt quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere ſaliua.

Celſus noſter, Sed leuis papula, *inquit*, etiam ſi ieiuni ſaliua quotidie defricatur, ſaneſcit.

De Vitiliginis ſpeciebus, id eſt, de Alpho, & Melane, & Leuce, & earum curatione.

VITILIGO quoque, quamuis per ſe nullum periculum adfert, tamen fœda eſt, & ex malo corporis habitu fit. Eius tres ſpecies ſunt. Ἄλφος vocatur, vbi color albus eſt, ferè ſubaſper, & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Interdum etiam latius, & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger eſt, & vmbræ ſimilis. Cætera eadem ſunt. Λεύκη habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt: altius deſcendit, in eaque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt, ſed in aliis celeriùs, in aliis tardiùs. Alphos & Melas in

quibuſdam variis temporibus & oriuntur, & deſinunt. Leuce quem occupauit, non facilè dimittit. Priora curationem non difficilimam recipiunt, vltimum vix vnquam ſaneſcit: ac ſi quid ei vitio demptum eſt, tamen non ex toto ſanus color redditur. Vtrum autem aliquod horum ſanabile ſit, an non ſit, experimento facili colligitur. Incidi enim cutis debet, aut acu pungi. Si ſanguis exit, quod ferè fit in duobus prioribus, remedio locus eſt: ſi humor albidus, ſanari non poteſt: itaque ab hoc quidem abſtinendum eſt. Super id verò, quod curationem recipit, imponenda lenticula miſta cum ſulphure & thure, ſic vt ea contrita ex aceto ſit. Aliud ad idem, quod ad Hirenæum auctorem refertur, Alcyonium, nitrum, cuminum, fici folia arida paribus portionibus contunduntur, adiecto aceto. His in ſole vitiligo perungitur, deinde non ita multo pòſt, ne nimis erodatur, eluitur. Propriè*quidem Myrone auctore eos, quos Alphos vocari dixi, hoc medicamento perungunt, ſulphuris * P. II. ⁎. nitri P. IIII. ⁎. myrrhæ aridæ contritæ acetabulum miſcent, deinde in balneo ſuper vitiliginem inſpergunt farinam ex faba, tum hæc inducunt. Hi verò quos Melanas vocari dixi, curantur, cùm ſimul * contrita ſunt alcyonium, thus, hordeum, faba ſine oleo, in balneo ante ſudorem inſperguntur, *tum genus id vitiliginis defricatur.

*quidam

*P. ⁎. 3. aluminis ſciſſilis P. ⁎. 3. nitri P. ⁎. IIII. myrti radice cõtrita acetab.

*contrita alcyoniũ.

*actum

ENARRATIO.

VITILIGINVM, *inquit Aëtius, quæ Alphi Græcis dicuntur, generatio eiuſdem eſt ſpeciei cũ leuce & lepra; non tamen omnino in profundo caro in eis affecta eſt, ſed ſumma tantùm cutis, & velut ſquammulæ quædam vitiligines ipſæ affixæ inhærent; albæ quidem ex pituita, nigræ verò ex atræ bilis humore obortæ. Ioannes Mainardus albaram & morpheam Auicennæ ſub vitiliginis nomine comprehendi vult. & quoniam plurima quæ ad loci huius & aliorum intelligentiam de minoribus tumoribus & puſtulis facere poſſunt, idem libro ſeptimo capite ſecundo in medium adducit, lectorem eò relegatum volumus.*

Leuce quem occupauit.

ÆGINETA *tamen non omnem leucen incurabilem dicit: eſſe enim nonnunquam quando inciſa ſumma cute ſanguis effluat; & interdum rubicundiorem cutem euadere, ſi panniculo laneo aſperiore perfricata fuerit: quod quoties contigerit, ſpem ſanitatis adhuc eſſe; ſin lactea humiditas aut humor albus exeat, deſperatam eſſe, quòd nimirum caro, quam iam occupat, aliam formam induerit.*

AVRE-


AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER SEXTVS,

A BALDVINO RONSSEO *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

CAPVT I.

De vitiis singularum corporis partium.

De capillis fluentibus.



DIXI de his vitiis, quæ per totum corpus orientia, medicamentorum auxilia desiderant. Nunc ad ea veniam, quæ non nisi in singulis partibus incidere consuerunt, orsus à capite. In hoc igitur capillis fluentibus maximè quidem sæpe radendo succurritur. Adiicit* enim vim quandam ad continendum ladanum cum oleo mistum. Nunc de his capillis loquor, qui post morbum ferè fluunt. Nam quo minus caput quibusdam ætate nudetur, succurri nullo modo potest.

* etiam

ENARRATIO.

CALVITIVM fit quoties ex defectu humorum, non ex malignitate eorundem capilli defluunt; Græcis φαλάκρωσις dicitur. videmus interim interdum ætate aliquibus pilis nudari caput: nonnullis etiam non ætatis vitio, sed ex morbo capilli defluunt; quod ex raritate cutis & penuria essentiæ generantis pilos fit: atque ob id auctor noster ea quæ vim quandam ad cõtinendum habent, prodesse dicit; hoc est, ea quæ moderatè cutem densant, sic tamen vt ne refrigerent: quapropter moderatè astringentia admiscere oportet humectãtibus pharmacis, quale inter alia est ladanum.

CAPVT II.

De Porrigine, & eius curatione.

PORRIGO autem est, vbi inter pilos quædam quasi squa-
* à cute mulæ surgunt, eæque * acutæ resoluuntur, & interdum
madent, multo sæpius siccæ sunt. Idque euenit modò sine
vlcere, modò exulcerato loco: huic quoq. modò malo odore,
modò nullo accidente, fereque id in capillo fit, rariùs in bar-
ba, aliquando etiam in supercilio. Ac neque sine aliquo cor-
poris vitio nascitur, neque ex toto inutile est. Nam bene in-
tegro capite, non exit. Vbi aliquod in eo vitium est, non in-
commodum est, summam cutem potius subinde corrumpi,
quàm id, quod nocet, in aliam partem magis necessariam
verti. Commodius est ergo subinde pectendo repurgare,
quàm id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium offen-
* is dit, quod humore sequente fieri potest, magisque si * id etiam
* insuper mali odoris est, caput sæpe radendum est, dein * id supèr * ad-
* adlinendum iuuandum aliquibus ex leuiter reprimentibus, quale est ni-
trum cum aceto, vel ladanum cum myrteo vino, vel myroba-
lanum cum vino. Si parum per hæc proficitur, vehementio-
ribus vti licet, cum eo, vt sciamus, vtique in recenti vitio id
inutile esse.

ENARRATIO.

PORRIGINEM Auicennas furfures vocat, Græci πιτυρίασιν nominant: contingit autem hæc affectio à serosis humoribus; decidunt tenues & furfuraceæ squammulæ ex capitis cute citra exulcerationem, vt docet Paulus Ægineta: Celsus modò madere tanquam consortia exulcerationis (quoties videlicet humor acrior cutim exulceret) sæpiùs tamen sicca esse dicit, quæ à cute resoluuntur: atque ea quidem quæ vlcerato loco contingunt, mali esse odoris, neque omnino inutilia; quando capitis, hoc est, cerebri vitia ita commodissimè expurgentur.

CAPVT III.

De Sycosi, & eius curatione.

EST etiam vlcus, quod à fici similitudine σύκωσις à Græ-
cis nominatur. Caro excrescit, & id quidem generale
est.

eſt. Sub eo verò duæ ſpecies ſunt. Alterum vlcus durum, & rotundum eſt, alterum humidum, & inæquale. Ex duro exiguum quiddam, & glutinoſum exit: ex humido plus: & mali odoris. Fit verò vtrunque in his partibus, quæ pilis conteguntur. Sed id quidem quod calloſum, & rotundum eſt, maximè in barba. Id verò quod humidum, præcipuè eſt in capillo. Super vtrunque oportet imponere elaterium, aut lini ſemen contritum, & aqua* coactum, aut ficum in aqua decoctam, aut emplaſtrũ tetrapharmacum ex aceto ſubactum, terra quoque eretria ex aceto liquata rectè illinitur.

* coctum,

ENARRATIO.

AETIVS Amidenus quando thymos excreſcentes in ficos aut σύκωσιν degenerare dicit, aliam ab hac ſycoſi intellexiſſe videtur: ſiquidem is circa pudenda femoráque frequentiſsimè, taróque in facie oriri dicit: Oribaſius plerunque in capite naſci auctor eſt: Celſus in barba & capillo moleſtam eſſe contendit; eſt tamen quando in reliquo corpore, quanquam rariùs, contingat. Appellat autem ficos, vt auctor eſt Oribaſius, germina quædam ad modum vlcerum rotunda, ſubdura, rubentia, quæ dolor etiam concomitatur.

CAPVT IIII.

De Areis, & earum curationibus.

AREARVM quoque duo genera ſunt. Commune vtrique eſt, quòd emortua ſumma pellicula pili primùm extenuantur, deinde excidunt: ac ſi ictus is locus eſt, ſanguis exit liquidus, & mali odoris, increſcitque vtrunque in aliis celeriter, in aliis tardè. Peius eſt, quod denſam cutem, & ſubpinguem, & ex toto glabram fecit: ſed ea quæ ἀλωπεκία nominatur, ſub qualibet figura dilatatur, fit & in capillo, & in barba. Id verò quod à ſerpentis ſimilitudine ὀφίασις appellatur, incipit ab occipitio, duorum digitorum latitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus ſerpit, quibuſdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. Illud vitium in qualibet ætate eſt, hoc fere infantibus. Illud vix vnquam ſine curatione, hoc per ſe ſæpe finitur. Quidam hæc genera arearum ſcalpello exaſperant. Quidam illinunt

illinunt adurentia ex oleo, maximeque chartam combustam. Quidam resinam terebinthinam cum thapsia inducunt. Sed nihil melius est, quàm nouacula quotidie radere, qua cùm paulatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculæ. Neque antè oportet desistere quàm frequentem pilum nasci apparuerit. Id autem, quod subinde raditur, illini atramento scriptorio satis est.

ENARRATIO.

AREARVM causam Galenus esse dicit humorum vitiatorum redundantiam: atque ij quales quales tandem sint, ex colore cutis capitis cognoscere licet; quando color, vt idem testatur, similis efflorescat humoribus. Aliquibus enim mutata cutis albidior appâret, pituitæ redundantis testis; aliquibus nigrior, melancholici humoris indicium; aliis etiam pallidior, biliosi humoris exuberantis certissimum testimonium. Curare autem singulos affectus pro humoris varietate oportet, ac præpurgato corpore discussoriis medicamentis vtendum est, quando nihil alienius sit quā repellentia adhibere. Alopecias autem dictas volunt, quòd vulpibus peculiare sit vitium.

CAPVT V.

De Varis, & Lenticulis, & Ephelide, & eorum curationibus.

PENE ineptiæ sunt, curare Varos, & Lenticulas, & Ephelidas. Sed eripi tamen fœminis cura cultus sui non potest. Ex his autem quas suprà posui, Vari, Lenticulæq. vulgo notæ sunt, quamuis rarior ea species est, quam ξέινοι Græci vocant, cùm sit ea Lenticula rubicundior, & inæqualior. Εφηλὶς verò à plerisque ignoratur; quæ nihil est, nisi asperitas quædam, & durities mali coloris. Cætera non nisi in facie, Lenticulæ etiam in alia parte nonnunquàm nasci solent. De qua per se scribere alio loco, visum operæpretium non est. Sed Vari commodissimè tolluntur imposita resina, cui non minus quàm ipsa est, aluminis scissilis, & paulum mellis adiectum est. Lenticulam tollunt galbanum & nitrum, cùm pares portiones habent, contritaq. ex aceto sunt, donec ad mellis crassitudinem venerint. His corpus illinendum, & interpositis pluribus horis manè eluendum est, oleoque leuiter vngendum.

dum. Ephelidem tollit resina, cui tertia pars salis fossilis, & paulum mellis adiectum est. Ad omnia verò ista, atque etiam ad colorandas cicatrices potest ea compositio, quæ ad Tryphonem patrem auctorem refertur. In ea pares portiones sunt myrobalani* magmatis, cretæ cimolię subcærulæ, nucum amararum, farinæ ordei, atque erui, struthij albi, sertulæ campanæ seminis. Quæ omnia contrita, melle quàm amarissimo coquuntur, illitumque à vespere vsque manè eluitur.

*, croco-magmatis,

ENARRATIO.

VARI, vt diximus, exigui & duri in facie tumores sunt, qui vbi suppurati fuerint, euanescunt; ἴονθους Græci nominant. vtplurimùm verò eos infestant, qui barbam nutrire assolent, & quibus sanguis è naribus profluere sueuit. Ephelis est tuberculum & asperedo cutis in facie, ex inflammatione aut ardore solis prognata. Ξάινιον, vel ξίνιον, seu φακὸς, vt alia habent exemplaria, pustula aut tumor quidam est, sugillatis non omnino dissimilis, deducto vocabuli etymo ἀπὸ τοῦ ξαίνειν, quod percutere significat.

myrobalani magmatis.

MAGMA myrobalani vocat retrimenta ab expressâ myrobalano reliqua: ea enim lenticulis, psoris, varis commodissimè adhiberi auctor est Dioscorides.

CAPVT VI.

De oculorum morbis, curationibusque eorum, & primò de his morbis, qui lenibus medicamentis curantur.

SED hæc quidem mediocria sunt. Ingentibus verò, & variis casibus oculi nostri patent. Qui cùm magnam partem ad vitæ simul & vsum, & dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt. Protinus autem orta lippitudine quædam notæ sunt, ex quibus quid euenturum sit, colligere possimus. Nam *simul ac lacryma, & tumor, & crassa pituita cœperint, * si simul
si ea pituita lacrymæ mista est, & ea lacryma calida est, pituita verò alba, & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non est. At si lacryma multa, & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idque in vno oculo est, longum id, sed sine periculo futurum est. Idque lippitudinis genus minimè cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat, sed quandoque finitur. Si pi-

tuita alba & mollis esse incipit, lacrymæque miscentur, aut si
ea simul * hæ vtrunque oculum inuaserunt, potest esse breuior,
sed periculum vlcerum est. Pituita autem sicca & arida dolorem quidem mouet, sed maturiùs desinit, nisi quid exulcerauit. Tumor magnus si sine dolore est & siccus, sine vllo periculo est. Si siccus quidem, sed cum dolore est, ferè exulcerat, & nonnunquã ex eo casu fit, vt palpebra cum oculo glutinetur. Eiusdem exulcerationis timor in palpebris pupillisve est, vbi super magnum dolorem lacrymæ salsæ, cali-
* finito dæque eunt, aut etiam si tumore * infinito diu lacryma cum
* candida, pituita profluit. Peius etiamnum est, vbi pituita * calida, aut liuida est, lacryma calida aut multa profluit, caput calet, à temporibus ad oculos dolor peruenit, nocturna vigilia vrget. Siquidem sub his oculus plerunque rumpitur, votumque est, vt tantũ exulceretur. Intus ruptum oculum febricula iuuat.
* ex Si foras iam ruptus procedit, sine auxilio est. Si * de nigro aliquid albidum factum est, diu manet. At si asperum crassum est, etiam post curationem vestigium aliquod relinquit. Curari verò oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, vino, vetustissimus auctor Hippocrates memoriæ prodidit. Sed eorum tempora, & caussas parum explicuit, in quibus Medicinæ summa est. Neque minus in abstinentia, & alui ductione sæpe auxilij est. Hos igitur interdum inflammatio occupat, vbi cum tumore in his dolor est, sequiturque pituitæ cursus nonnunquam copiosior vel acrior, nonnunquam vtraque parte moderatior. In eiusmodi casu prima omnium sunt, quies & abstinentia. Ergo primo die loco obscuro cubare debet, sic vt à sermone quoque abstineat. Nullum cibum assumere, si fieri potest, ne aquam quidem: sin minus, certè quàm minimum eius. Quòd si graues dolores sunt, commodiùs secundo die; si tamen res vrget, etiam primo sanguis mittendus est, vtique si in fronte venæ tument, si firmo corpori materia superest. Si verò minor impetus, minus acrem curationem requirit, aluum, sed non nisi secundo, tertióve die, duci oportet. At modica inflammatio neutrum ex his
auxilium

auxilium desiderat. Satisque est vti quiete, & abstinentia. Neque tamen in lippientibus longum ieiunium necessarium est, ne pituita tenuior atque acrior fiat. Sed secundo die dari debet id, quod leuissimum videri potest ex his, quæ pituitam faciunt crassiorem, qualia sunt oua sorbilia. Si minor vis vrget, pulticula quoque, aut panis ex lacte. Insequentibus diebus, quantum inflammationi detrahetur, tantum adiici cibis poterit. Sed generis eiusdem, vtique vt nihil salsum, nihil acre, nihil ex his quæ extenuant, sumatur, nihil potui præter aquam. Et victus quidem ratio talis maximè necessaria est. Protinus autem primo die croci P. I. ✱. & farinæ candidæ quàm tenuissimæ P. II. ✱. excipere oportet oui albo, donec mellis crassitudinem habeat, idque in linteolum illinere, & fronti agglutinare, vt compressis venis pituitæ impetum cohibeat. Si crocum non est, thus idem facit. Linteolo an lana excipiatur, nihil interest. Supèr inungi verò oculi debent, sic vt croci quantum tribus digitis compræhendi potest, sumatur: myrrhæ ad fabæ, papaueris lacrymæ ad lenticulæ magnitudinem, eaque cum passo conterantur, & specillo super oculum inducantur. Aliud ad idem: Myrrhæ P. I. ✱. mandragoræ succi P. II. ✱. papaueris lacrymæ P. II. ✱. foliorum rosæ, cicutæ seminis, singulorum P. IIII. ✱. acaciæ P. IIII. ✱. gummi P. VIII. ✱. Et hæc quidem interdiu. Noctu verò, quò commodior quies veniat, non alienum est superimponere candidi panis interiorē partem ex vino subactam. Nam & pituitam reprimit, & si quid lacrymæ processit, absorbet, & oculum glutinari non patitur. Si graue id, & durum propter magnum oculorum dolorem videtur, oui & album, & vitellus in vas defundendum est, adiiciendumq́. eo mulsi paulum, idque digito permiscendum. Vbi facta vnitas est, demitti debet lana mollis bene carpta, quæ id excipiat, superque oculos imponi. Ea res & leuis est, & refrigerando pituitam coërcet, & non exarescit, & glutinari oculum non patitur. Farina quoque ordeacea cocta, & cum malo cotoneo cocto mista, commodè imponitur. Neque ab ratione abhorret etiam penicillo potissimum vti expresso: si leuior impetus

est, ex aqua: si maior, ex posca. Priora fascia deliganda sunt, ne per somnum cadant, & hoc superimponi satis est, quia & reponi ab *ipso commodè potest: & cùm inaruit, iterum madefaciendum est. Si tantum mali est, vt somnum diu prohibeat, eorum aliquid dandum est, quæ *ἀνώδυνα Græci vocant. Satisque est pucro, quod erui, viro quod fabæ magnitudinem impleat. In ipsum verò oculum primo die, nisi *immodica inflammatio est, nihil rectè coniicitur. Sæpe enim potius concitatur eo pituita, quàm minuitur. A secundo die graui quoque lippitudini per indita medicamenta rectè succurritur, vbi vel iam sanguis missus, vel aluus ducta est, aut vbi neutrum necessarium esse, manifestum est.

* ægro

* ναρκωτικὰ

* modica

ENARRATIO.

MORBI *oculos infestantes, vt varij atque multiplices sunt; sic variis sedibus vagantur: alij siquidem oculi propriæ ægritudines sunt, vt sunt ophthalmia, chymoses, pterygia, œdemata; alij communes sunt oculis atque ciliis; in quo albo comprehenduntur xerophthalmia & sclerophthalmia: alij verò circa cutem ciliorum sunt, vt sunt steatomata & melicerides: alij intùs circa cilia consistunt; cuius generis sunt sycosis, & grando: rhœades canthorum seu hirquorum morbus est, caligo ceratoeidis tunicæ. Circa rhagoïden tunicam oriuntur staphylomata, mydriases, phthisis, hypospasmi pupillæ: suffusio in ipso rhagoidis foramine consistit: glaucosis vitium est crystallini humoris.*

Qui cùm magnam partem.

SIC *Auicennas, Cruciatus, inquit, luminum omnium maximè excruciant, est enim oculus acerrimi sensus.*

Protinus autem orta.

LIPPITVDO *seu ophthalmia est oculorum phlegmone; ex accidenti tamen oculorum morbus esse videtur; quando, vt passim testatur Galenus, aliud nihil sit quàm inflammatio tunicæ os capitis & caluariam ambientis.*

Nam simul ac lachryma & tumor, &c.

TOTA *hæc periodus ex Hippocratis secundo de Prædictionibus desumpta est: ac proinde quoniam locis aliquot hìc restituendus est Celsus, Hippocratis verba subiungemus. Dicit autem sic: Oculi porrò lippientes optimè permutantur, si & lachryma & sordes, & tumor simul inceperint: si verò lachryma sordi fuerit permixta, & nō valdè calida, sordes autem alba fuerit & mollis, & tumor leuis, solutus; si ita hæc se habuerint, oculus conglutinabitur ad noctes, vt doloris exsors sit: atque hoc modo res minimè periculosa fuerit, ac minimè diuturna; si verò lachryma procedit multa, & calida cum paucissima sorde, ac paruo tumore, atque hoc ex altero oculo tantùm, tunc diuturnum valdè fit malum, verùm non periculosum; & doloris exsors est hic modus: & indicationem in his maximè expectare oportet, primam quidem ad vigesimam diem; si verò hoc tempus transmittat, ad quadragesimum expectanda est; si verò neque in his diebus sedetur, in sexaginta indicatur. Per totum autem tempus hoc sordem considerare oportet,*

oportet, an in digito misceatur, & alba ac mollis fiat, maximè sub indicationis tempus; si enim desinet, hæc faciet. At si vtrique oculi hæc perpetiantur, in maiori periculo sunt ne vlcerentur: verùm indicatio breuioris temporis erit. Sordes autem siccæ valdè dolorosæ sunt, sed citò iudicantur, si non vulnus acceperit oculus. Si verò tumor magnus fuerit, dolorisque exsors & siccus, periculo vacat; si verò cum dolore fuerit, malus est si siccus sit, & periculum est ne vlceretur oculus & concrescat. Sed & grauis est tumor si lachrymam coniunctam habeat, itémque dolorem: si enim lachryma procedit calida ac salsa, periculum est, & pupillam exulcerari & palpebras. Si verò tumor consederit, sed lachryma multa multo tempore effundatur, & sordes fuerint, viris quidem palpebrarum euersionem prædicere oportet, mulieribus autem ac pueris exulcerationem ac subuersionem palpebrarum. At si sordes pallidæ ac liuidæ fuerint & lachryma multa ac calida, & in capite ardor fuerit, & de tempore dolores in oculum incubuerint, & vigiliæ his accesserint, necesse est vlcus in oculo factum esse, & timor est quoque vt talis rumpatur. Prodest autem succedens febris, aut dolor ad lumbos innixus. Hactenus Hippocrates. *Celsus passim pituitam crassam pro sordibus reddidit.*

Nam simul ac.

LEGITO *ex iam citato loco,* Nam si simul.

sed quandoque finitur.

LEGE quandoque antè finitur, *vt quadragesimum diem intelligamus, quo nonnunquam solui morbum dixit Hippocrates.*

in palpebris pupillisve.

LEGE pupillisque.

Peius etiamnum est.

OMNIA *ferè exemplaria sic habent, idq; mendosè admodum; solum Oporini reliquis rectiùs, atque adeò Hippocratis Celsiq; mentem exprimens,* etiamnum *legit.*

Curari verò oculos.

HIPPOCRATES *sectionis sextæ Aphorismo* XXXI. *Dolores, inquit, oculorum meri potio, aut balneum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit. Meri quidem potio eos oculorum dolores sanat, qui ex copia sanguinis crassioris in venulis oculorum citra plenitudinem totius corporis contenti, procreantur: potest enim, vt auctor est Æginetæ, vinum calefacere, vacuare & obstructiones tollere; ac tale quidem potissimùm est, vt auctor est Aëtius, fuluum tenue, antiquum. Balneum autem, vt docet Galenus, iis prodest qui ab acribus humoribus ad oculos fluentibus citra corporis plenitudinem oriuntur. Per balneum autem intelligit, balneum aquæ dulcis, vt docet Paulus; hoc etenim dolores mitigat, acres humores euocat atque contemperat. Fomentum autem, auctore Galeno, confert, vbi nihil in oculos confluit; dissoluit enim eam quæ in ipsis est superfluitatem. Sanguinis verò missione si vniuersum corpus plenitudine laborauerit, nihil vtilius est; vt quæ sola à grauissimis ophthalmiis liberare possit, quemadmodum docet libro De sanguinis missione Galenus. At purgatio, si malis humoribus redundet homo, non minùs quàm phlebotomia ex vsu est: quod confirmat Hippocrates libro De visu, Ad lippitudinem annuam, dicens, ac popularem conducit capitis purgatio & ventris inferni.*

Neque minus.

IDEM *suadet Hippocrates libro De visu.*

Neque tamen in lippientibus.

QVOD *hîc oculis lippientibus panem ex lacte exhibet Celsus, contra Hippocratis mentem, atque adeò ipsam rationem esse videtur: nam Hippocrates lac dare caput dolentibus & febricitantibus malum esse auctor est, quòd lac suis vaporibus caput petat atque afficiat: Verùm quoniam variæ sunt lippitudinis caussæ, aliáque alia siccior sit, non cuiuis prodesse dicemus panem lacti infusum,*

fusum, sed ei tantum quæ siccior sit, & quæ ab acribus succis originem trahit; obtundit enim lac, hebetátque humorum acredinem, vt paragrapho de oculorum carbunculis annotauimus.

Myrrhæ P. I. ✳. mandragoræ.

ISTHVC *tanquam narcoticum non nisi maxima vrgente necessitate admiserit Galenus.*

& cum malo cotoneo.

SEMINA *cotonei, quàm malum ipsum, prætulerim; vt quæ venenositati inflammationum strenuißimè resistant: quanquam & ipsum cotoneum summè commendetur.* nisi immodica inflammatio est. *Pynzanum exemplar malè habet* nisi modica inflammatio est: *legendumque est* nisi immodica, *sicut reliqua omnia habent.*

De diuersis oculorum collyriis.

MVLTA autem multorumque auctorum collyria ad id apta sunt, nouisque etiam nunc misturis temperari possunt, cùm lenia medicamenta & modicè reprimentia, facilè & variè misceantur. *Ergò nobilissima exequar.

* Ego nobilium ex. *scilicet auctorum.*

ENARRATIO.

VARIA *admodùm medicamentorum ocularium materies existit; alia enim acrimoniam leniunt, alia contrariam his temperiem obtinent, recludendis vacuandisque iis quæ diu impacta fuerunt, accommodata: nonnulla sordicies abstergunt; alia his vicina sunt, smectica dicta ab exterendis sordibus; alia concoquunt, ac discutiunt; nonnulla etiam astringunt. At ex compositis oculorum remediis alia deliniuntur, simplicémque denominationem habent, alia xerocollyria, alia hygrocollyria vocantur.*

Philonis collyrium.

EST igitur Philonis, quod habet cerussæ elotæ, spodij, gummi, singulorum P. I. ✳. papaueris lacrymæ combustæ P. I. ✳. Illud scire oportet, hîc quoque omnia medicamenta, singula primùm per se teri, deinde mista, iterum adiecta paulatim vel aqua vel alio humore: gummi cùm quasdam alias facultates habeat, hoc maximè *præstare, vt vbi collyria facta inaruerunt, glutinata sint, neque frientur.

Gummi

* præstat,

Dionysij collyrium.

DIONYSII verò collyrium est, papaueris lacrymæ combustæ, donec *tenerescat, P. I. ✳ thuris combusti, gummi singulorum P. II. ✳. spodij P. IIII. ✳.

* inarescat,

Cleonis collyrium.

CLEONIS nobile admodum, papaueris lacrymæ frictæ P. I. ✱. croci P. I. ✱. gummi P. I. ✱. quibus cùm terun-tur, adiicitur rosæ succus. Aliud eiusdem valentius: Squamæ *æris quod στόμωμα appellant, P. I. ✱. croci P. II. ✱. spodij P. IIII. ✱. plumbi & eloti, & combusti P. VI. ✱. gummi tantundem. Eius aliud quoque ad idem est, maximè vbi multa pituita profluit. Castorei P. ✱. 3. aloës P. L. ✱. croci * P. L. ✱. myrrhæ P. II. ✱. lycij P. III. ✱. cadmiæ curatæ P. VIII. ✱. stibis tantundem, acaciæ succi P. XII. ✱. quod cùm gummi miscuit, liquidum in * pyxidicula seruatur. Theodotus verò huic compositioni adiecit papaueris lacrymæ combustæ P. I. ✱. æris combusti & eloti P. II. ✱. * nucleorum palmarum combustorum P. X. ✱. gummi P. XII. ✱.

*ferri aut chalybis

* P. XI.

* pyxidula

* aliàs: nucleos palmarum cõbustos numero X.

ENARRATIO.

Cleonis nobile.

EST & *aliud Cleonis collyrium, quod Galenus & Ægineta describunt: recipit autem, pompholygos, plumbi, singulorum uncias* V. *croci* ℥ I S. *squammæ æris quod stomoma dicitur* ℥ I. *gummi* ℥ III. *adiicitur aqua pluuiatilis. Atque hîc Ianus Cornarius commentariis suis in librum primum De compositione medicamentorum localium* squammæ ferri *legendum existimat; quanquam Celsus noster, atque eundem sequutus Plinius pro stomomate æris squammam reddiderint: Est enim stomoma, inquit, ferri perpurgamentum, & ad acies confirmatum. Ponitur tamen à Dioscoride inter medicamenta; verùm ab æris squamma distinguit, vt patet legenti Dioscoridem capitibus* XLIX. & L. *libri quinti. Andreas Matthiolus nec æris, nec ferri squammam esse contendit, commentariis suis in Dioscoridem, sed chalybis tantùm purissimi, & ad acies confirmati; auctoritate Galeni ductus, qui scribat æris squammam principem locum in desiccando inter cæteras obtinere, ferri verò maiore astringendi vi, quàm hæc pollere, & hac etiam maiore stomomatis: adhæc quòd Galenus dicat, aliã esse squammam æris, aliam ferri, aliam stomomatis. Docet porrò stomomatis conficiendi rationem Aristoteles libro quarto Meteororum in hunc modum:* Τήκεται δὲ καὶ ὁ εἰργασμένος σίδηρος, ὥστε ὑγρὸς γίγνεσθαι, καὶ πάλιν πήγνυσθαι. καὶ τὰ στομώματα ποιοῦσιν οὕτως. ὑφίσταται γὰρ, καὶ ἀποκαθαίρεται κάτω ἡ σκωρία, ὅταν δὲ πολλάκις πάθῃ, καὶ καθαρὸς γένηται, τοῦτο στόμωμα γίγνεται. *quod sic Latinè reddas: Sed & ferrum elaboratum liquescit, ita vt fluxum reddatur, & rursum concrescat: atque in hunc modum faciunt stomomata; siquidem scoria in fundum subsidet, & defecatur ferrũ: quum verò id sæpè factum est & purum euasit, stomoma efficitur.*

Theodoti

Theodoti collyrium, Acharistum appellatum.

AT ipsius Theodoti, quod à quibusdam ἀχάϱιστον nominatur, eiusmodi est. Castorei, nardi indici, singulorum P. I. ✱. lycij * P. ✱. papaueris lacrymæ tantundem, myrrhæ P. II. ✱. croci, cerussæ elotæ, aloës, singulorum P. III. ✱. cadmiæ botryodis elotæ, æris combusti, singulorum P. VIII. ✱. gummi * P. VIII. ✱. acaciæ succi P. XX. ✱. * stibis tantundem, quibus aqua pluuialis adiicitur.

*. P. II.
* P. XVIII.
* stibij

ENARRATIO.

AETIVS libro quarto sermone primo capite CIX. ἀχάϱιστον dictum putat, quòd digna illi gratia referri nequeat: ipsum tamen vocabuli etymon ingratitudinẽ quandam præ se ferre videtur. Cæterùm describuntur à Galeno diuersa collyria acharista: quæ etsi cum hac Theodoti descriptione parum conueniant, tamen quod ad facultatem attinet, hoc non multo inferiora censenda sunt.

Cythion vel Tephrion collyrium.

PRÆTER hæc ex frequentissimis collyriis est id, quod quidam Cythion, quidam à cinereo colore Tephrion appellant, amyli, tragacanthæ, acaciæ succi, gummi, singulorum P. I. ✱. papaueris lacrymæ P. II. ✱. cerussæ elotæ * P. IIII. ✱. spumæ elotæ P. VIII. Quæ æquè ex aqua pluuiali conteruntur.

* P. VIII.
spumæ elotæ P. XIIII.

Euelpidis collyrium, Trygodes nominatum.

EVELPIDES autem, qui ætate nostra maximus fuit ocularius medicus, vtebatur eo, quod ipse composuerat, Trygodes nominabat: Castorei P. II. ✱. lycij, nardi, papaueris lacrymæ, singulorum P. I. ✱. croci, myrrhæ, aloës, singulorum P. IIII. ✱. æris combusti * P. VIII. ✱. cadmiæ, & stibis, singulorum P. XII. ✱. acaciæ succi P. XXVI. ✱. gummi tantundem. Quo grauior verò quæque inflammatio est, eo magis leniri * medicamentum debet, adiecto vel albo oui, vel muliebri lacte. At si neque medicus, neque medicamentum præsto est, sæpius vtrumlibet horum in oculis penicillo ad ipsum

* P. VIIII.
* medicamento

ipsum facto infusum, id malum lenit. Vbi verò aliquis releuatus est, iamque cursus pituitæ constitit, reliquias fortasse leniores futuras discutiunt balneum & vinum. Igitur lauari debet leuiter, antè ex oleo perfricatus, diutiusque in cruribus & feminibus, multaque calida aqua fouere oculos, deinde per caput prius calida, tum egelida perfundi, à balneo cauere, ne quo frigore afflatúve lædatur: posthæc cibo paulo pleniore, quàm ex eorum dierum consuetudine, vti: vitatis tamen omnibus pituitam extenuantibus. Vinum bibere lene, subausterum, modicè vetus, neque effusè neque timidè, vt neque cruditas ex eo, & tamen somnus fiat, leniantur que intus latentia acria. Sed si quis in balneo sensit maiorem oculorum perturbationem quàm attulerat, quod incidere his solet, qui manente adhuc pituitæ cursu festinarūt, quamprimum discedere debet, nihil eo die vini assumere, cibi minus etiam quàm pridie. Deinde cùm primùm satis pituita substitit, iterum ad vsum balnei redire. Solet tamen euenire nonnunquàm, siue tempestatum vitio, siue corporis, vt pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, & minimè pituitæ cursus finiatur. Quod vbi incidit, iamque ipsa vetustate res matura est, ab his eisdem auxilium petendum est, id est balneo ac vino. Hæc enim vt in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possunt, & accendere, sic in veteribus, quæ nullis aliis auxiliis cesserunt, admodum efficacia esse consuerunt: videlicet hîc quoque vt alibi, cùm secunda vana fuerint, contrariis adiuuantibus. Sed antè tonderi ad cutem conuenit. Deinde in balneo aqua calida quamplurima caput atque oculos fouere, tum vtrumque penicillo detergere, & vngere caput irino vnguento: continereque in lectulo se, donec omnis calor qui conceptus est, finiatur, desinatque sudor, qui *necessariò in capite collectus est. Tum ad idem cibi vinique genus veniendum est sic, vti potiones meracæ sint, obtegendumque caput, & quiescendum. Sæpe enim post hæc grauis somnus, sæpe sudor, sæpe alui deiectio pituitæ cursum finit. Si leuatum malum est, quod aliquando sæpius fit, per plures dies idem fieri oportet, donec ex toto sanitas restituatur. Si diebus eis-

*necessarius

dem aluus nihil reddit, ducenda est, quo magis superiores partes leuentur. Nonnunquam autem ingens inflammatio tanto impetu erumpit, vt oculos sua sede propellat. πρόπτωσιν id, quoniam oculi procidunt, Græci appellant. His vtique, si vires patiuntur, sanguinem mitti: si id fieri non potest, aluum duci, longioremque inediam indici necessarium est. Opus autem lenissimis medicamentis est. Ideoque Cleonis collyrio, quidam *quod ex duobus antè positum est, vtuntur. Sed optimum est Nilei. Neque de vllo magis inter omnes auctores conuenit.

*quod du.

ENARRATIO.

Euelpides autem.

SI pondera nonnihil immutes, collyrium Scribonij, quod à colore φαιὸν, hoc est, fuscum seu subnigrum vocari dicit, effeceris: quod idem, & post eum Galenus, ac Aegineta ad epiphoras cum perseuerātia tumoris rectè applicari dicit. Trygodes autem vocari dicit, hoc est, faeculentum, ab acacia quæ ingreditur: solent enim ea priuatim fæculenta, aut τρυγώδη nominare, quæ multam in se acaciam recipiant.

iamque cursus pituitæ.

EIUS videlicet, vt ex Scribonio loco iam citato liquet; quæ ipso calore oculorum glutinosior visa fuerit, quod ferè sexto septimoque die accidere solet.

multaque calida aqua.

ETSI per se calida conueniat, vtiliorem tamen reddideris si fænugræcum, aut melilotum eidem incoxeris.

Nilei collyrium, omnium optimum.

ID habet nardi Indici, papaueris lacrymæ, singulorū P. I. ✱. gummi P. I. ✱. croci P. II. ✱. *foliorum rosæ recentium P. IIII. ✱. Quæ vel aqua pluuiatili, vel vino leni subaustero coguntur. Neque alienum est malicorium, vel sertulam campanam ex vino coquere, deinde conterere, aut myrrham nigram cum rosæ foliis miscere, aut hyoscyami folia, cum oui cocti vitello, aut farinam cum acaciæ succo, vel passo, aut mulso. Quibus si folia quoque papaueris adiiciuntur, aliquanto valentiora sunt. Horum aliquo præparato, penicillo fouere oculos oportet, ex aqua calida expresso: in qua antè mel myrti vel rosæ folia decocta sint. Deinde ex illis aliquid imponi. Præter hæc ab occipitio incisa cute, cucurbitula admouenda est. Quòd si per hæc restitutus oculus in sedem

*florum

ſuam non eſt, eodemque modo prolapſus permanet, ſcire oportet, lumen eſſe amiſſum. Deinde futurum, vt *inareſcat * induresCat
is, aut in pus vertatur. Si ſuppuratio ſe oſtendit, ab eo angulo qui propior tempori eſt, incidi oculus debet: vt, effuſo pure, & inflammatio, ac dolor finiatur, & intus tunicæ reſidant, quo minus fœda poſtea facies ſit. Vtendum deinde vel iiſdem collyriis eſt ex lacte, aut ouo, vel croco, cui album oui miſceatur. Ac ſi induruit & ſic emortuus eſt, ne in pus verteretur, quatenus fœdè prominebit, excidendum erit, ſic vt hamo ſumma tunica apprehendatur: infra id deinde ſcalpellus incidat *tantundem: medicamenta erunt coniicienda, donec * : tandem
omnis dolor finiatur. Iiſdem medicamentis in eo quoque oculo vtendum eſt, qui primùm procidit, deinde per plura loca *fixus eſt. * fiſſus

ENARRATIO.

GALENVS, & Æginetа non Nilenm, ſed Nilum vocant. vtile eſſe dicunt ad doloris anguſtiam, fluxum vberem, ac tenuem, puſtulas, ac prolapſus; deſcribuntq́; præter hoc, & aliud Nili collyrium quo vſus eſt Gallio ophthamicus; parùm tamen ab hac deſcriptione diſcrepat.

De carbunculis oculorum, & eorum curatione.

SOLENT etiam carbunculi ex inflammatione naſci, nonnunquam in ipſis oculis, nonnunquam in palpebris; & in ipſis oculis modò ab interiore, modò ab exteriore. In hoc caſu aluus ducenda eſt, cibus minuendus, lac potui dandum, vt acria quæ læſerunt, leniantur. Quod ad cataplaſmata & medicamenta pertinet, his vtendum, quæ aduerſus inflammationes propoſita ſunt. Atque hîc quoque Nilei collyrium optimum eſt: ſi tamen carbunculus in exteriore palpebræ parte eſt, ad cataplaſmata aptiſſimum eſt lini ſemen ex mulſo coctum: aut, ſi id non eſt, tritici farina eodem modo cocta.

ENARRATIO.

CARBVNCVLI, vt auctor eſt Aëtius, oculorum ruborem ab initio habent, adeò vt oculum ſibi perueri putent; tumorem verò aut eminentiam non ſtatim inducunt: nam ob immodicam caliditatem, velut rupitionem quandam carbunculus ſuſtinet, & quod

quod effluit ab ipso quum sit acre ac mordax, superficiem quidem carbunculi resiccat, & crustam inducit, vicinis verò locis morbum infert; & qui in palpebris carbunculi oriuntur, facilius certè quàm ij qui in oculis consistunt, curantur; siquidem hos curationem vix admittere auctor est Ægineta; & Aëtius perfectè sanari posse negat.

In hoc casu aluus.

SI corpus plethoricum sit, etiam vena tundenda est.

lac potui dandum.

SIC Paulus, Dolor, inquit, leniri debet lactis potione, item cibis frumentaceis, & alioqui boni succi, & omni acrimonia vacuis: cauendum tamen est ne aut febriat ægrotus, aut imbecillo ventriculo præditus sit: nam hîc nihil alienius esset quàm lactis vsus, vt quod bilescens facillimè aut acescens morbo nouam materiam suppeditaret: nam hac de causa Hippocrates, lac dare capite dolenti & febricitanti vetuit.

Quod ad cataplasmata.

CAVENDVM est ne frigefacientia cataplasmata applicemus, quod hac carbunculis admota, in oculum propellunt quod à carbunculo defluit; vnde non rarò non minus periculi immineret quàm ab ipso carbunculo.

De pustulis oculorum & curatione earum.

PVSTVLÆ quoq. ex inflammationibus interdum oriuntur. Quod si inter initia protinus incidit, magis etiam seruanda sunt, quæ de sanguine, & quiete suprà posui. Sin serius quàm vt sanguis mitti possit, aluus tamen ducenda est. Si id quoq. aliqua res inhibet, vtique victus ratio seruanda est. Medicamentis autem hîc quoque lenibus opus est, quale Nilei, quale Cleonis est.

ENARRATIO.

PVSTVLÆ, vt inquit Paulus, excrescentia quadam sunt corniformis membranæ, orta ex humore quopiam subexcoriante ipsius compagem; Græci φλύκταιναs, Arabes vesicas nominant; Aëtius & in albo & in palpebris, & plerunque circa corniformem membranam fieri dicit, atque eas superficiem tantùm aliquando occupare, quæ curatu faciles sint; nonnunquam etiam in profundo quodammodo delitescere, quæ ut difficiliùs curantur, ita non rarò (vt paulo pòst etiam infert Celsus) exulcerantur, & inducta tandem cicatrice visum si non planè abolent, certè admodum debilitant.

aluus tamen ducenda.

VEHEMENTES tamen purgationes, atque ea potissimùm quæ stomachum subruunt, euitandæ sunt: quare commodissimum erit aut picra, aut aliquo simili ducere aluum.

* Philetis collyrium, ad pustulas oculorum.

* φιλαλήθης * Philalethos

ID quoque, quod * Philetis vocatur, huic aptum est, Myrrhæ, papaueris lacrymæ, singulorum P. I. ✱. plumbi eloti, terræ samiæ, quæ ἀστὴρ vocatur, tragacanthæ, singulorum

P. IIII. *stibis cocti, amyli, singulorum P.XVI. ✱. spodij eloti, *stibij
cerussæ elotæ, singulorum P.VIII. ✱. Quæ aqua pluuiali excipiuntur. Vsus collyrij, vel ex ouo, vel ex lacte est.

ENARRATIO.

terræ samiæ.

SCRIBONIVS Largus cretam samiam dicere maluit.

*De vlceribus oculorum, & eorum curatione, & de διὰ *βαλάνꙋ collyrio.* *λιβάνꙋ

EX pustulis vlcera interdum fiunt, eaque recentia æquè lenibus medicamentis nutrienda sunt, & iisdem fere quæ suprà in pustulis posui. Fit quoque propriè ad hæc quod *diabalanu vocatur. *διὰ λιβάνꙋ Habet æris combusti & eloti, papaueris lacrymæ frictæ, singulorum P.I.✱. spodij eloti, turis, *stibis combusti, & eloti, myrrhæ, gummi, singulorum P.II. *stibij

ENARRATIO.

eaque recentia.

ID quidem verum est, si in superficie oculi exulceratio consistat: verùm si in profundum dehiscat, non ita facilè, etiam in ipso principio, curari potest; periculum enim est, ne acrimonia sua humores, atque adeò oculum ipsum corrodat atque exulceret.

Curatio oculorum aliquo casu imminutorum.

EVENIT etiam, vt oculi vel ambo, vel singuli, minores fiant, quàm esse naturaliter debeant. Idque & acer pituitæ cursus in lippitudine efficit, & continuati fletus, & ictus parum bene curati. In his quoque iisdem lenibus medicamentis ex muliebri lacte vtendum est. Cibis verò his qui maximè corpus alere, & implere consuerunt. Vitandaque omni modo caussa, quæ lacrymas excitet, curaque domesticorum, quorum etiam, si quid tale incidit, eius notitiæ subtrahendum: atque acria quoque medicamenta, & acres cibi non alio magis nomine his nocent, quàm quòd lacrymas mouent.

ENARRATIO.

PHTHISIN, *& atrophian oculi sic distinguunt Græci, vt phthisis oculi affectus sit, quo pupilla angustior, obscurior, rugosiórque reddatur, res visui obiectæ maiores appareant: Imminutus autem, aut macer oculus (Græci ἀτροφίαν, Auicennas profunditatem oculi nominat) vel omnino alimentum sentire non dicitur, quum ex vehementi capitis dolore aut in febribus acutis paulatim humiliatur, vel cauatur, aut in totum minor fit, & aliquanto obscurior, & visum impedit: differt tamen à tabe vel phthisi, quòd tabes solam pupillam, atrophia totum oculum occupet.*

Idq́ue & acer pituitæ cursus.

SOLET *etiam cephalalgias, & reliquas capitis imbecillitates subsequi, vt iam dictum est.*

De pediculis palpebrarum.

quo al. cùm GENVS quoque vitij est, qui inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur. Id φθειρίασιν Græci nominant. Quod cùm ex malo corporis habitu fiat, rarò non vltrà procedit. Sed fere tempore interposito, pituitæ cursus acerrimus sequitur, exulceratisq́ue vehementer oculis, aciem quoque ipsam corrumpit. His aluus ducenda, caput ad cutem tondendum, diuque quotidie ieiunis perfricandum. His, ambulationibus, aliisq́ue exercitationibus diligenter vtendum, gargarizandumq́ue ex mulso, in quo nepeta & pinguis ficus decocta sit: sæpe in balneo multa calida aqua fouendum caput. Vitandi acres cibi, lacte vinoq. pingui vtendum, bibendumq́ue liberalius quàm edendum est. Medicamenta verò intus
** aliàs ne acriores pituitæ concitentur. al. ne quid acrioris pituitæ côc.* quidem lenia danda sunt,* ne acriorem pituitam concitent. Super ipsos verò pediculos alia, quæ necare eos & prohibere ne similes nascantur, possint. Ad idipsum spumæ nitri P. I. ✻. sandaracæ P. I. ✻. vuæ taminiæ P. ✻. I. simul teruntur, adiiciturq́ue vetus oleum pari portione, atque acetum, donec ei mellis crassitudo sit.

*De oculorum grauioribus morbis, qui ex inflammationibus oriuntur, & validioribus medicamentis curantur, & de Andreæ collyrio, & de * diacerato.*

** διὰ κέρατος.*

** curantur* HACTENVS oculorum morbi lenibus medicamentis *nutriuntur. Genera deinde alia sunt, quæ diuersam curatio-

curationem desiderant, fereque ex inflammationibus nata sunt, sed finitis quoque his manentia. Atque in primis in quibusdam perseuerat tenuis pituitæ cursus, quibus aluus ab inferiore parte euocanda est, demendum aliquid ex cibo. Neque alienum est illini frontem compositione Andreæ, quæ habet gummi P. I. *. cerussæ, stibis, singulorum P. II. *. spumæ argenti & coctæ, & elotæ P. IIII. *. Sed & ea spuma ex aqua pluuiali coquitur, & arida hæc medicamenta ex succo myrti conteruntur. His illita fronte cataplasma quoque supèr iniiciendum ex farina, quæ frigida aqua coacta sit, cuique aut acaciæ succus, aut cupressus adiecta sit. Cucurbitula quoque, inciso vertice, rectè accommodatur, aut ex temporibus sanguis emittitur. Inungi verò eo debet quod habet squamæ æris, papaueris lacrymæ, singulorum P. *. ceruini cornu combusti & eloti, plumbi eloti, gummi, singulorum P. IIII. *. thuris P. XII. *. Hoc collyrium quia cornu habet, διὰ κέρατος nominatur. Quotiescunque non adiicio quod genus humoris adiiciendum sit, aquam intelligi volo.

ENARRATIO.

Atque imprimis.

EPIPHORAM intelligit, quamquam latiùs quodammodo epiphoræ nomen patêre videatur, vt quod omnem humiditatum delationem ad oculos, siue per angulos siue per totum oculum fiat, denotet. Est autem epiphoris non rarò comes inflammatio, interdum etiam citra eandem oriuntur, & desinunt: est & quando longas oculorum inflammationes subsequantur: de quibus hîc mentionem facere videtur Celsus.

Cucurbitula quoque.

VT videlicet impetũ fluoris reuellamus.

Hoc collyrium.

ALIVD ab hoc diaceratos collyrium describit Galenus quod recipit plumbi combusti, cornu ceruini cremati, singulorũ ℨ II. cerussæ, squammæ æris, amyli, thuris, sepiæ, testæ combustæ, æruginis, myrrhæ, gummi, singulorum vncia; aqua pluuiatili excipiuntur. Aëtius (sicuti etiam Galenus) varia ex cornu ceruino collyria describit.

Memigmenon, Euelpidis collyrium.

AD idem Euelpidis, quod μεμιγμένον nominabat. In eo papaueris lacrymæ, & albi piperis, singulæ vnciæ sunt, gummi libra, æris combusti P. I. *. Inter has autem curationes, post intermissioné aliquam prosunt balneum & vinum.

Cumque

Cumque omnibus lippientibus vitandi cibi sunt, qui extenuant, tum præcipuè quibus tenuis humor diu fertur. Quòd si iam fastidium est eorum, quæ pituitam crassiorem reddunt, sicut in hoc genere materiæ maximè promptum est, confugiendum est ad ea, quæ quia ventrem, corpus quoque astringunt.

De oculorum vlceribus supercrescentibus, sordidis, cauis, veteribus, & curationibus singulorum.

At vlcera si cum inflammatione finita non sunt, aut supercrescentia, aut sordida, aut caua, aut certè vetera esse consuerunt. Ex his supercrescentia collyrio, quod Memigmenon vocatur, optimè reprimuntur. Sordida purgantur & eodem, & eo quod Smilion nominatur.

Enarratio.

At vlcera si cum.

In vlceribus quæ cicatrice indigent, cauendum est ne supercrescentia aliqua sit, aut caro ipsa abundet, quòd videlicet superuenientes cicatrices visum impediant, & dum ex palpebris punguntur, fluxionem afferant. Porrò interdum afficitur tunica agnata, interim corniformis, aut angulorum aliquis seu palpebra ea affectione laborat. Nosse autem oportet quòd vlcus vel vulnus corniformis tunicæ periculosius sit, quàm reliquarum partium oculi, & si ea pars ipsius quæ pupillæ obiecta est, fuerit vlcerata, si vulnus ad interiora descendit, magna ex parte taliter affecti obcæcantur, teste Galeno.

Smilion collyrium.

Habet æruginis P. III. *. gummi tantundem, ammoniaci, minij sinopici, singulorum P. XVI. *. Quæ quidam ex aqua, quidam, quo vehementiora sint, ex aceto terunt.

Phynon collyrium Euelpidis.

Id quoque Euelpidis, quod *Phynona appellabat, huic vtile est: Croci P. I. *. papaueris lacrymæ, gummi, singulorum P. II. *. æris combusti & eloti, myrrhæ, singulorum P. IIII. *. piperis albi P. VI. *. Sed ante linitum hoc *vngendum est.

* *Aliâs Pyrrhon, vel Pyrrhona.*

* fingendũ

Sphærion collyrium Euelpidis.

ID quoque eiusdem, quod Sphærion nominabat, * eôdem valet. Lapidis hæmatitis eloti P.II. ✱. piperis grana sex, cadmiæ elotæ, myrrhæ, papaueris lacrymæ, singulorum P.III. ✱. croci P. IIII. ✱ gummi P.VIII. ✱. Quæ cum vino amineo conteruntur. * in eod.

ENARRATIO.

Id quoque eiusdem.

GALENVS *aliud orbiculare, sphærion dictum, ad Triphonem relatum collyrium describit, ab hoc nonnihil diuersum.*

Liquidum Euelpidis collyrium.

LIQVIDVM quoque medicamentum ad idem componebat, in quo erant hæc, æruginis P. ✱. *minij combusti, atramenti sutorij, cinnamomi, singulorum P.III. ✱. croci, nardi, papaueris lacrymæ, singulorum P.I. ✱. myrrhæ P.II. ✱. æris combusti P.III. ✱. cineris ex *odoribus P.IIII. ✱. piperis grana * XV. Hæc ex vino austero teruntur: deinde cum passi tribus heminis decoquuntur, donec corpus vnum fit. Idque medicamentum vetustate efficacius fit. * misy * oleribus, *id est, brassica.* * V.

ENARRATIO.

minij combusti.

MINIVM *intelligi potest de cinnabari, quæ catachresticωs atque abusiuè, minium etiam appellatur: potest nihilominus sinopicum minium intelligi, cuius in Smilio collyrio superiùs facta est mentio. Nam minium Hispanicum hîc nequaquam oportunum est; quippe venenum, vti sunt Plinius & Dioscorides abundè testes idonei: quanquam Strabo Hispanum sinopicâ terrâ non esse deterius existimat. Hæc Pantinus. Quid verò per cineres ex odoribus intelligat, me ignorare ingenuè confiteor.*

De cauis oculorum vlceribus, & curationibus.

CAVA verò vlcera commodissimè implent ex his quæ suprà posita sunt, Sphærion, & id quod * Philetis vocatur. Idem Sphærion vetustis vlceribus, & vix ad cicatricem venientibus optimè succurrit. * *aliàs,* Philalethis, φιλαλήθης

Hermonis collyrium.

Est etiam collyrium, quod cùm ad plura valeat, plurimum tamen proficere in his vlceribus videtur. Refertur ad Hermonem auctorem: habet piperis longi P. I.3.✳. albi *P. ✳. cinnamomi, costi, singulorum P. I.✳. atramenti sutorij, nardi, casiæ, castorei, singulorum P II.✳. gallæ P. V.✳. myrrhæ, croci, thuris, lycij, cerussæ, singulorum P. VIII.✳. papaueris lacrymæ P. XII.✳. aloes, æris combusti, cadmiæ, singulorum P. XVI.✳. acaciæ, stibis, gummi, sing. P. XXV.✳.

* P.V.

ENARRATIO.

Est etiam collyrium.

Collyrium hoc ad multa vtile est, & vnum multorum loco esse potest; siquidem caua vlcera explanat, cicatrices quodammodo inconspicuas reddit, pustulas sanat, oculum perturbatum conseruat, &, vt vno verbo omnia dicam, ad omnes desperatas affectiones conueniens est. Describitur tamen aliud ab Aëtio ad Hadrianum Imperatorem relatum collyrium, huic non omnino dißimile: verùm hoc nonnihil operosius est, & non minoris efficaciæ censendum est.

De cicatricibus oculorum, quæ ex vlceribus factæ sunt, & quomodo curari debeant, & de Asclepia, & Canopite & Pyxino, collyriis.

Factæ verò ex vlceribus cicatrices, duobus vitiis periclitantur, ne aut cauæ, aut crassæ sint. Si cauæ sunt, potest eas implere, id quod sphærion vocari dixi, vel id quod Asclepias nominatur. Habet papaueris lacrymæ P. II.✳. sagapeni, opopanacis, singulorum P. III.✳. æruginis P. IIII.✳. *cumini P. VIII.✳. piperis P. XII.✳. cadmiæ elotæ, cerussæ, singulorum P. XVI.✳. At si crassæ cicatrices sunt, extenuat vel Smilion, vel Canopite collyrium, quod habet cinnamomi, acaciæ, singulorum P. I.✳. cadmiæ elotæ, croci, myrrhæ, papaueris lacrymæ, gummi, singulorum P. II.✳. piperis albi, thuris, singulorum P. III.✳. æris combusti P. IX.✳. cum aqua pluuiatili. Vel Euelpidis Pyxinum, quod ex his constat: Salis fossilis P. IIII.✳. ammoniaci, thymiamatis P. VIII.✳. papaueris lacrymæ P. XII.✳. cerussæ P. XV.✳. piperis albi, croci

*gummi

siculi,

ficuli, *fingulorum P.LII.✱. gummi P.XIII.✱. cadmiæ elotæ P.IX.✱. Maximè tollere cicatricem *videtur, id quod habet gummi P.III.✱. æruginis P.I.✱. crocomagmatis P.IIII.✱.

* aliàs fingulorū XXXI.

ENARRATIO.

CAVÆ ex vlceribus cicatrices accuratè admodùm diligentérque tractandæ sunt, quòd videlicet periculum sit, ne dum easdē implere studemus, crassam quandam pelliculam procreemus, quæ visum impediat. Et rursus crassas cicatrices atque callosas, & quæ diuturnæ fuerunt, velle curare, est operam perdere, quòd maius periculum sit ex acrimonia collyriorum quibus cicatrices exterere nitimur, quàm emolumenti ex cicatricis imminutione expectandum sit: exulcerantur enim facilè vicinæ oculi partes. Videndum etiam est num vnà cum leucomate, vel cicatrice coniuncta sit, aut glaucosis aut suffusio: siquidem si harum alterutra affuerit, frustra cicatrices absterserimus. Cæterū abstergentia talia esse oportet, quæ morsus aut erosionis ferè expertia in totum sint, ea etenim oculis maximè conuenient: inter quæ primas facilè obtinet lac equæ cum modico melle assiduè illitum.

De alio genere inflammationis oculorum.

EST etiam genus inflammationis, in qua si cui tument ac distenduntur cum dolore oculi, sanguinem ex fronte emitti necessarium, multaque aqua calida caput atque oculos fouere, * gargarizari ex lenticula, vel ex fici cremore, inungi acribus medicamentis, quæ suprà comprehensa sunt, maximeque eo quod Sphærion nominatur, quod lapidem hæmatiten habet. Atque alia quoque vtilia sunt, quæ ad extenuandam aspritudinem fiunt, de qua protinus dicam. Hanc autem * inflammatio oculorum fere sequitur, interdum maior, interdum leuior, nonnunquam etiam ex aspritudine lippitudo fit, deinde aspritudinem ipsam auget, fitque ea in aliis breuis, in aliis longa, & quæ vix vnquam finiatur. In hoc genere valetudinis quidam crassas durasque palpebras, & ficulneo folio & asperato specillo, & interdum scalpello eradunt, versasque quotidie medicamentis suffricant. Quæ neque nisi in magna vetustaque aspritudine, neque sæpe facienda sunt. Nam melius eôdem ratione victus & idoneis medicamentis peruenitur. Ergo exercitationibus vtemur, & balneo frequentiore, multaque oculorum palpebras aqua calida fouebimus. Cibos autem sumemus acres, & extenuantes.

* gargarizare

* inflatio

ENARRATIO.

AN hæc sit genuina Celsi lectio, vehementer ambigo; præsertim quando verisimile sit Cornelium nostrum non fuisse adeò vecordem aut sui immemorem, vt nonum hoc genus inflammationis, inflammationem oculorum ferè subsequi dixerit: quo fit vt nisi quid obstet, loco inflammationis, τὸ inflationis *restituendũ censeã, idq́; tam in titulo quàm in principio paragraphi; legendumq́;* Est etiam aliud genus inflationis. *Inflari autẽ oculum dicũt, quoties absque manifesta causa turgens oculus, pituita redundantior est, & admodùm cum influxu prurit.*

inungi acribus medicamentis.

VEL hinc coniicere licet, non esse ei sermonem de inflammationibus, cum acria omnia inflammationem non solùm non compescerent, sed eidem fomitem quendam subministrarent, conceptámque iam augerent; inflationi cõtrà, vt quæ ex pituita originem habeat, optimè medeantur. Oportet tamen non immodicè acria, neque calida quæ adhibentur, esse, sed leuiter tantùm calida, habereque astrictionem quandam admixtam.

Cæsarianum collyrium.

AT medicamentum id quod Cæsarianum vocatur, habet atramenti sutorij P. I. ✱. misyos P. ✱. piperis albi P. V. ✱. papaueris lacrymæ, gummi, singulorum P. II. ✱. cadmiæ elotæ P. III. ✱. stibis P. VI. ✱. Satisq́ue constat, hoc collyrium aduersus omne genus oculorum valetudinis idoneum esse, exceptis his quæ lenibus* nutriuntur.

*Aliàs curantur.

ENARRATIO.

SI opobalsamum, æruginem rasam, & crocum addas, stacticum Prosechij reddideris.

Hieracis collyrium.

ID quoque quod Hieracis nominatur, ad aspritudinem potest: Habet myrrhæ P. I. ✱. ammoniaci thymiamatis P. II. ✱. æruginis rasæ P. IIII. ✱. cum aqua pluuiatili. Ad idem idoneum est etiam id quod *Canopite est, & id quod Smilion vocatur, & id quod Pyxinum, & id quod Sphærion. Si composita medicamenta non adsunt, felle caprino, vel quàm optimo melle satis commodè aspritudo curatur.

*Canopitę

ENARRATIO.

EXTAT apud Galenum quoddam collyrium ad obtusum visum, & scabras affectiones quod hieracinum appellat, nihil cum hoc commune habens.

De Xe-

De Xerophthalmia, genere aridæ lippitudinis.

EST etiam genus aridæ lippitudinis, ξηροφθαλμίαν Græci appellant: neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantùm, & cum dolore quodam *grauescunt, & noctu prægraui pituita inalescunt: quantoque *minor generis huius impetus, tanto finis minùs expeditus est. In hoc vitio multum ambulare, multum exerceri, lauari sæpe, ibique desudare, multaque frictione vti necessarium est. Cibi neque qui implent, neque nimium acres apti sunt, sed inter hos medij. Manè vbi concoxisse manifestum est, non alienum est ex sinapi gargarizare, tum deinde caput atque os diutius *perfricare.

* fere leui, & prurigine grauescunt & palpebræ citra duritiem vllam noctu prægraui pituita inhærescunt: * maior * aliàs defricare.

ENARRATIO.

LIPPITVDO sicca est, quoties subaridus factus fuerit oculus, & pruriginosus, & leuiter dolens citra duriciem palpebrarum, Græci ξηροφθαλμίαν vocant. Curationem huius non negligere oportet, quòd, si inueterauerit, suffusionis, vlcerationis ac staphylomatum causa sit.

Rhinion collyrium.

COLLYRIVM verò aptissimum est, quod Rhinion vocatur. Habet myrrhæ P. I. ✱. papaueris lacrymæ, acaciæ succi, piperis, gummi, singulorum P. I. ✱. lapidis hæmatitis, lapidis phrygij, lycij, lapidis scissilis, singulorum P. II. ✱. æris combusti P. IIII. ✱. Ac pyxinum quoque eodem accommodatum est.

ENARRATIO.

EST apud Galenum Phædro ascriptum Rhinion collyrium; est & apud eundem aliud collyrium quod rhinema inscribitur; neutrum tamen cum hoc conuenit.

Ad oculos scabros, collyria.

SI verò scabri oculi sunt, quod maximè in angulis esse consueuit, potest prodesse Rhinion id quod suprà positum est: potest similiter prodesse id quod habet æruginis rasæ, piperis longi, papaueris lacrymæ, singulorum P. ✱. II. piperis albi, gummi, singulorum P. ✱. IIII. cadmiæ elotæ, cerussæ,

ſingulorum P. VI. ✳. Nullum tamen melius eſt quàm Euelpidis, quod Baſilicon nominabat. Habet papaueris lacrymæ, ceruſſæ, lapidis * Aſij, ſingulorum P. II. ✳. gummi P. XIII. ✳. piperis albi P. IIII. ✳. croci P. VI. ✳. pſorici P. XIII. ✳. Nulla autem per ſe materia eſt, quæ Pſoricon nominetur, ſed chalcitidis aliquid, & cadmiæ dimidio plus ex aceto ſimul conteruntur, idque in vas fictile * additum, & contectum ficulneis foliis ſub terra reponitur, ſublatumque poſt dies viginti rurſus teritur, & ſic appellatur. Verùm in baſilico quoque collyrio conuenit, ad omnes affectus oculorum id eſſe idoneum, qui non * lenibus medicamentis curantur. Vbi non ſunt autem medicamenta compoſita, ſcabros angulos * leuant & mel & vinum. Succurritque & his, & aridæ lippitudini, ſi quis panem ex vino ſubactum ſuper oculum imponit. Nam cùm fere ſit humor aliquis, qui modò ipſum oculum, modò angulos, aut palpebras * exaſperat, ſic, & ſi quid prodit humoris, extrahitur, & ſi quid iuxtà eſt, repellitur.

* Aſſij,

ψωρικοῦ deſcriptio, quæ eadem fere & à Dioſcoride traditur.

* inditum

* leuibus

* læuant

* exaſperet,

ENARRATIO.

AETIVS lippitudinē ſcabrā appellat: ortum habet ex humorum acrimonia quæ angulos oculorum erodat atque exulceret, ac lachrymam ſalſam, & nitroſam ſtillet. His duobus affectibus congener ferè is morbus eſt quem ſclerophthalmiam vocant: eſt autem oculorum duricies, quoties dura fieri cilia contigerit, aut ipſum oculum duriorem & difficulter mobilem, intùs rubentem, & humorem nullum fundentem; eius curatio ferè eadem eſt quæ xerophthalmiæ: nam quæ humiditatē quodammodò eliciunt atque ſecernunt, eidem optimè medentur.

Nullum tamen melius.

SI aſium lapidem dempſeris, collyrium pſωricum Scribonij ad xerophthalmiam effeceris; commiſcentur autem aqua pluuiali.

Nulla autem per ſe.

DIOSCORIDES chalcitidos partes duas accipit, cadmiæ vnam tantummodo; & ex aceto conterit: Galenus autem de pſωrico ſic ſcribit. Conficitur hoc medicamentum dupla chalcitide admixta lithargyro, antè tamen vtriſque ex aceto acerrimo ſolutis, ſicq; in nouam ollam coniectis: nam fimo æſtate mediâ diebus quadraginta obrutum ſepelies.

Ad Caligationem oculorum, quæ propter lippitudinem oritur, remedia & collyria.

CALIGARE verò oculi nonnunquam ex lippitudine, nonnunquam etiam ſine hac propter ſenectutem, imbecilli-

cilitatémve aliam consuerunt. Si ex reliquiis lippitudinis id vitium est, adiuuat collyrium quod Asclepias nominatur. Adiuuat *id quod ex crocomagmate fit. * & id

ENARRATIO.

CALIGO interim confestim inuadere, modò etiam sensim se insinuare solet, quæ paulatim visum impedit atque labefactat: varias subsequitur causas; at quæ confertim irruit, originem suam tribuere solet neruo optico, crassis & glutinosis humoribus infarcto, aut eodem resolutionem patiente.

Si ex reliquiis.

NAM alioqui ante localia dicta remedia, opus esset venæ sectione, cucurbitularum medicarũ applicatione, aut alui purgatione.

Διὰ κέρως collyrium.

PROPRIE etiam ad id componitur, quod διὰ κέρως vocant: habet piperis P. I. ✱. croci *cilicis, papaueris lacrymæ, cerussæ, singulorum P. II. ✱. psorici, gummi, singulorum P. IIII. ✱. *cilicij, al. siculi,

ENARRATIO.

DIVERSVM planè ab isto διὰ κέρως collyriũ describit Alexander Trallianus libro primo vlceribus vetustis & malignis accommodum, & quod ingentes cicatrices exterat. Ægineta ab vtroque diuersum habet.

Ad caligationem oculorum, quæ propter senectutem, aut aliam imbecillitatem fit.

AT si ex senectute, aliáve imbecillitate id est, rectè inungi potest, & melle quàm optimo, & cyprino, & oleo vetere. Commodissimum tamen est, balsami partem vnam, & olei veteris, aut cyprini partes duas, mellis quàm acerrimi partes tres miscere. Vtilia quoque huic medicamenta sunt, quæ ad caliginem proximè, quæque ad extenuandas cicatrices supra comprehensa sunt. Cuicunque verò oculi caligabunt, huic opus erit multa ambulatione atque exercitatione, frequenti balneo, vbi totum quidem corpus perfricandum est, præcipuè tamen caput, & quidem irino, donec insudet, velandumque postea, nec detegendum antequam sudor & calor domi conquierint. Tum cibis vtendum acribus, & extenuantibus, interpositisque aliquibus diebus, ex sinapi gargarizandum.

ENAR-

ENARRATIO.

huic opus erit.

In vmbrosis potissimum locis deambulationes vtiles sunt: quin & infernarum partium exercitio vtendum docet Aëtius.

De suffusione oculorum.

SVFFVSIO quoque (quam Græci ὑπόχυσιν nominant) interdum oculi* potentiæ, qua cernit, se opponit. Quòd si inueterauerit, manu curandum est. Inter initia nonnunquam etiam certis obseruationibus discutitur. Sanguinem ex fronte vel naribus mittere, in temporibus venas adurere, gargarizando pituitam euocare, suffumigare oculos acribus medicamentis, inungere expedit. Victus optimus est, qui pituitam extenuat.

*pituitæ,

ENARRATIO.

HYPOCHYMA seu hypochysis, quam suffusionem dicunt Latini, est, vt ait Aëtius, humorum præterfusio, circa pupillam congelatorum, vt vbi perfecta fuerit, visum impediat. Paulus glaucoma & hypochyma pro vno eodémque morbi genere apud veteres vsurpatum fuisse auctor est: differunt tamen quòd glaucoma sit mutatio crystallini humoris in glaucum colorem; hypochyma verò, vt iam dictum est, humorum sit suffusio, inter vueam ac crystalloeiden tunicam concrescentium. Ac glaucomata quidem omnia curationem non recipiūt: suffusiones verò recipiunt, sed non omnes.

Sanguinem ex fronte.

CELSVS per omnia sibi similis in ocularibus morbis semper ex vena frontis sanguinem mittit. Galenus tamen, & quotquot sunt Græci primùm cubiti venam tundunt, ac deinde cucurbitulas occipitio cum scarificatione affigunt; deinde aut frontis venam aperiunt, aut vnam earum quæ in canthis oculorum delitescunt.

De resolutione oculorum, quæ Paralysis dicitur.

AC ne resolutio quidem oculorū, quam παράλυσιν Græci nominant, alio victus modo, vel aliis medicamentis curanda est. Exposuisse tantum genus vitij satis est. Igitur interdum euenit, modò in altero oculo, modò in vtroque, aut ex ictu aliquo, aut ex morbo comitiali, aut ex distentione neruorum, qua vehementer oculus ipse concussus est, vt his neque quoquam intendi possit, nec omnino consistat: sed huc illúcve sine ratione moueatur, ideoque ne conspectum quidem rerum præstet.

ENAR-

ENARRATIO.

TOTIVS oculi paralysis difficilem admodùm curationem admittit; atque ea potissimùm quæ natu grandioribus accidit: quòd si vnà cum ortus nostri principiis inuadat, prognosticis relinquenda est. Est tamen vbi circa solam palpebram fiat resolutio, ac tum quidem oculus semper conclusus est, & palpebra non sentit; sin oculus paralyticus sit, motus ad dextram & sinistram efficere non potest, quemadmodum nec sursum, nec deorsum, frequentissimè apoplexin, ac distentionem corporis comitatur, quanquam & priuatim sæpe inuadat.

De Mydriasi oculorum.

NON multum ab hoc malo distat id, quod μυδρίασιν Græci vocant. Pupilla effunditur & dilatatur, aciesque eius hebescit*: ac penè difficillimè genus id imbecillitatis eliditur. (* ac p. con- ligatur. Diffic.) In vtraque verò, id est, & paralysi, & mydriasi, pugnandum est per eadem omnia, quæ in caligine oculorum præcepta sunt, paucis tantùm mutatis: siquidem ad caput irino interdum acetum, interdum nitrum adiiciendum est*, melle inungi satis est. (*: oculos verò melle) Quidam in posteriore vitio calidis aquis vsi releuatique. Quidam sine vlla manifesta caussa subitò obcæcati sunt. Ex quibus nonnulli cùm aliquandiu nihil vidissent, repentina profusione alui lumen receperunt. Quo minus alienum videtur,* ex recenti re & interposito tempore medicamentis quoque moliri deiectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant. (* &)

ENARRATIO.

MYDRIASIM vel pupillæ dilatationem Aëtius valdè ægrè curabilem dicit; quum enim membranosa sit vniformis tunica; vbi semel distenta fuerit, induratur, neque facilè ampliùs contrahi potest: solet autem morbus hic puerilem potissimùm ætatem ob tunicarum imbecillitatem affligere.

Ex quibus nonnulli.

SPES enim est si materia ad infernas partes decumbat atque propellatur, humorum illapsum qui aceruatim ad oculos fiebat, aliò deriuandum; ac sic tandem pulsa morbi causa, morbum ipsum & minorem & leniorem futurum.

De imbecillitate oculorum.

PRÆTER hæc imbecillitas oculorum est, ex qua quidem interdiu satis, noctu nihil cernunt, quod in fœminam

bene respondentibus menstruis non cadit. Sed sic laborantes inungi oportet *sanguine iocinoris, maximè hircini, si minus, caprini, vbi id assum coquitur, excepto: atque edi quoque ipsum iecur debet. Licet tamen etiam iisdem medicamentis non inutiliter vti, quæ vel cicatrices, vel aspritudinem extenuant: quidam contrito semine portulacæ mel adiiciunt, catenus ne id ex specillo distillet, eoque inungunt. Exercitationibus, balneo, frictionibus, gargarizationibus iisdem, his quoque vtendum est.

*alias, humore iocin. al. sanie

ENARRATIO.

IMBECILLES oculi dicuntur, qui neque album, neque lucidum, neque ruffum spectare possunt, sed tali causa oblita illachrymare coguntur. Celsus sub imbecillis oculis nyctalopes, quos lusciosos aut muscitiosos vocant Latini, comprehendit: idq́ue, quum distinctæ sint affectiones, an satis rectè fecerit, iudicent alij: Est autem, vt ait Paulus, nyctalops vitium quo per diem homo cernit, sole deinde occiduo obscuriùs, nocte omnino nihil: aliis tamen contingit, vt nocte meliùs cernant, interdiu deteriùs; at nocte lucente luna, omninò nihil.

sanguine iocinoris.

IDEM tradit Trallianus, qui iecinori ac felli hircino plurimum in hoc casu attribuit: Iuuat, inquit, fel hircinum; prætereà succurrit nyctalopis iecur hircinum, si ex eo dum assatur ichora colligas, & inde lumina perungas; facit idem hepar ipsum commanducatum. Quin & vapor decocti iecinoris apertis oculis haustus nyctalopas sanat. Idem tradunt Dioscorides, & Plinius Naturalis historiæ libro XXVIII. capite XI.

Ad oculos, qui extrinsecus offenduntur, cùm sanguine suffusi sunt.

ET hæc quidem in ipsis corporibus oriuntur. Extrinsecus verò interdum si ictus oculum lædit, vt sanguis in eo suffundatur, nihil commodius est, quàm sanguine vel columbæ, vel palumbi, vel hirundinis inungere. Neque id sine caussa fit, cùm *horum acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redeat, *celeberrimeq́ hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes, aut id herba chelidonia restitui, quod per se sanescit. Eorum ergo sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissimè tuetur, hoc ordine, vt sit hirundinis optimus, deinde palumbi, minimè efficax columbæ & illi ipsi, & nobis. Supra percussum verò oculum ad inflammationem leniendam, non est alie-

*harum

*celerrimeque

est alienum imponere etiam cataplasmata. Sed* ammoniacus, vel quilibet alius quàm optimus teri debet, sic vt ei paulatim oleum adiiciatur, donec crassitudo strigmenti fiat. Id deinde miscendum est cum ordeacea farina, quæ ex mulso decocta sit. Facile autem recognitis omnibus, quæ medici quoque prodiderunt, apparere cuilibet potest, vix vllum ex his, quæ suprà comprehensa sunt, oculi vitium esse, quod non simplicibus quoque, & promptis remediis *submoueri possit.

*Armeniacus legendū, vt sub audiatur lapis. al. Sal ammouiacus,

*subitò remoueri

ENARRATIO.

GALENVS αἱματώδεις ὑποχύσεις, hoc est, sanguineas suffusiones, nominare solet.

vt sit hirundinis optimus.

ETSI hirundines in cibo sumptas ad aciem oculorum commendet Dioscorides, & post eundem Galenus; earundem tamen combustarum, aut exiccatarum puluerem cum melle, obscuris caliginosisq́; oculis vtilissimè illini dicat; nondum tamen, quod sciam, hoc elogio decantatū earundem sanguinem comperi. Verùm, vtut est, siue fabula siue res gesta sit, quod de chelidonia herba scribit Plinius, si apud omnes in confesso est, palumbinum, columbinum, turturúmque sanguinem ad sugillatos oculos plurimùm prodesse; cur non idem, sicuti hîc facit Cornelius noster, sanguini hirundinum attribuere audebimus? quando Aëtius idem asinino sanguini adscribat, & quando tota hirundinum substantia (excepto stercore) visum acuat?

Sed ammoniacus.

VARIANT hîc exemplaria; Pynzanum malè Ammoniacus: *reliqua rectius habent*, Armeniacus: *quod & annotauit Ioannes Cæsarius.*

CAPVT VII.

De aurium morbis, & curationibus.

HACTENVS in oculis ea reperiuntur, in quibus medicamenta plurimum possint. Ideoque ad aures transeundum est, quarum vsum proximum à luminibus natura nobis dedit. Sed in his aliquanto maius periculum est: nam vitia oculorum* intra ipsos nocent. Aurium inflammationes doloresque, interdum etiam ad dementiā mortemque præcipitant. Quo magis inter initia protinus succurrendum est, ne maiori periculo locus sit. Ergo vbi primum dolorem aliquis sensit, abstinere & continere se debet. Postero die, si vehementius malum est, caput tondere, idque irino vnguento ca-

*ipsis tantummodo noc.

lido perungere & operire. At magnus cum febre vigiliaque dolor exigit, vt sanguis quoque mittatur. Si id aliquæ caussæ prohibent, aluus soluenda est. Cataplasmata quoque calida subinde mutata proficiunt, siue fœni Græci, siue lini, siue alia farina ex mulso decocta est. Rectè etiam subinde admouentur spongiæ, ex aqua calida expressæ. Tum leuato dolore, ceratum circundari debet ex irino aut cyprino factum. In quibusdam tamen melius, quod ex rosa factum est, proficit. Si vehemens inflammatio somnum ex toto prohibet, adiici *cataplasmata debent, papaueris, *corticis fricti atque contriti, sic vt ex his pars dimidia sit, eaque tum simul ex passo misto *decoquatur. In aurem verò infundere aliquod medicamentum oportet, quod semper antè tepefieri conuenit, commodissimeque per strigilem instillatur. Vbi auris repleta est, super lana mollis addenda est, quæ humorem intus contineat. Et hæc quidem communia sunt. Medicamentum verò est & rosæ, & radicum arundinum succus, & oleum in quo lumbrici cocti sunt, & humor ex amaris nucibus, aut ex nucleo mali persici expressus. Composita verò ad inflammationem doloremque leniendum hæc fere sunt: Castorei, papaueris lacrymæ pares portiones conteruntur, deinde adiicitur his passum. Vel papaueris lacrymæ, croci, myrrhæ par modus, sic teritur, vt inuicem modò rosa, modò passum instilletur. Vel id quod amarum in ægyptia faba est, conteritur, rosa adiecta. Quibus myrrhæ quoque paulum à quibusdam miscetur, vel papaueris lacrymæ, aut thus cum muliebri lacte, vel amararum nucum cum rosæ succo. Vel castorei, myrrhæ, papaueris lacrymæ pares portiones cum passo. Vel croci P. I. *. myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum P. *. 3. quibus cùm teruntur, paulatim miscentur passi cyathi tres, mellis minus cyatho. Idque ex primis medicamentis est. Vel papaueris lacryma ex aceto. Licet etiam compositione vti Themisonis, quæ habet castorei, opopanacis, papaueris lacrymæ ex aceto, singulorum P. II. *. *spumæ lycij P. IIII. *. Quæ contrita passo excipiuntur, donec cerati crassitudinem habeant, atque ita reponuntur. Vbi vsus requiritur, rursus idem medica-

*cataplasmati
*cortices
*decoquãtur:
*argenti (al. nitri) spumæ, lycij

medicamentum adiecto passo, * specillo teritur. Illud perpetuum est, quotiescunque crassius medicamentũ est, quàm vt in aurem instillari possit, adiiciendum eum esse humorem, ex quo id componi debet, donec satis liquidum sit. Si verò pus quoque aures habent, rectè lycium per se infunditur, aut irinum vnguentum, aut porri succus cum melle, aut centaureæ succus cũ passo, aut dulcis punici mali succus in ipsius cortice tepefactus, adiecta myrrhæ exigua parte. Rectè etiam miscentur myrrhæ (quam στακτὴν * cognominat) P. I. ✱. croci tantundem, nuces amaræ * XV. mellis sesquicyathus. Quæ contrita, cùm vtendum est, in cortice punici mali tepefiant. Ea quoque medicamenta quæ oris exulcerati caussa componuntur, æquè vlcera aurium sanant. Quæ si vetustiora sunt, & multa sanies fluit, apta compositio est, quæ ad auctorem Erasistratum refertur, piperis P. I. ✱. croci P. I. 3. ✱. myrrhæ, misyos cocti, singulorum P. II. ✱. æris combusti P. II. ✱. Hæc ex vino teruntur. Deinde vbi inaruerunt, adiiciuntur passi heminæ tres, & simul coquuntur. Cùm vtendum est, adiicitur his mel & vinum. Est etiam Ptolemæi chirurgi medicamentum, quod habet lentisci P. I. ✱. gallæ P. I. ✱. omphacis P. I. ✱. succum punici mali. Est Menophili validum admodum, quod ex his constat, piperis longi P. I. ✱. castorei P. II. ✱. myrrhæ, croci, papaueris lacrymæ, nardi syriaci, thuris, malicorij, ex Ægyptia faba partis interioris, nucum amararum, mellis quàm optimi, singulorum P. IIII. ✱. Quibus, cùm teruntur, adiicitur acetum quàm acerrimum, donec crassitudo in his passi fiat. Est Cratonis, cinnamomi, casiæ, singulorum P. I. ✱. lycij, nardi, myrrhæ, singulorum P. I. ✱. aloes P. II. ✱. mellis cyathi tres, vini sextarius. Ex quibus vinum cum lycio decoquitur, deinde his alia miscentur. At si multum puris, malusque odor est, æruginis rasæ, thuris, singulorum P. II. ✱. mellis cyathi duo, aceti quatuor simul incoquuntur. Vbi vtendum est, dulce vinum miscetur. Aut aluminis scissilis, papaueris lacrymæ, acaciæ succi par pondus miscetur, hisque adiicitur hyoscyami succi dimidio minor quàm vnius ex superioribus portio, eaque trita, ex vino diluuntur.

* pistillo
* cognominant)
* XXV.

luuntur. Per ſe quoque hyoſcyami ſuccus ſatis proficit. Commune verò auxilium aduerſus omnes aurium caſus, iamque vſu comprobatum Aſclepiades compoſuit. In eo ſunt cinnamomi, caſiæ, ſingulorum P. I. ✱. floris iunci rotundi, caſtorei * albi, piperis longi, amomi, myrobalani, ſingulorum ſcrupuli duo, thuris maſculi, nardi ſyriaci, myrrhæ pinguis, croci, ſpumæ nitri, ſingulorum P. II. ✱. Quæ ſeparatim contrita, rurſus miſta ex aceto conteruntur, atque ita condita, vbi vtendum eſt, aceto diluuntur. Eodem modo commune auxilium auribus laborantibus eſt, Polybiij ſphragis ex dulci vino liquata. Quæ compoſitio priore libello continetur. Quòd ſi & ſanies profluit, & tumor eſt, non alienum eſt, miſto vino per oricularium clyſterem eluere, & tum infundere vinum auſterum cum roſa miſtum, cui ſpodij paulum ſit adiectum, aut lycium cum lacte, aut herbæ ſanguinalis ſuccum cum roſa, aut mali punici ſuccum cum exigua parte myrrhæ. Si ſordida quoque vlcera ſunt, melius mulſo eluuntur, & tum aliquod ex his, quæ ſuprà ſcripta ſunt, quod mel habeat, infunditur. Si magis pus profluit, & caput vtique tondendum eſt, & multa calida aqua perfundendum, & gargarizandum, & vſque ad laſſitudinem ambulandum, & cibo modico vtendum eſt. Si cruor quoque ex vlceribus apparuit, lycium cum lacte debet infundi, vel aqua, in qua roſa decocta ſit, ſucco aut herbæ ſanguinalis, aut acaciæ adiecto. Quòd ſi ſuper vlcera caro increuit, eaq. mali odoris * ſanguinem fundit, aqua tepida elui debet: * tamen infundi id, quod ex thure & ærugine, & aceto, & melle fit, aut mel cum ærugine incoctum. Squama quoque æris cum ſandaraca contrita per fiſtulam rectè inſtillatur.

[Margin: *, albi piperis & longi, | *ſaniem | *tandem al. tum]

ENARRATIO.

QVONIAM, ut quarto De locis affectis docet Galenus, ſecundum locum obtinet ſenſorium auditus in tenuitate à viſu; velut guſtus ſenſorium in craßitudine ſecundum locum obtinet à tactu: propterea ab oculis ad aures recto tramite progreditur Celſus. Eſt autem functionis auditus noxa triplex: aut enim debilitatur, aut deprauatur, aut aboletur; quare pro noxa differentia, interim ſurdaſtros, modò obaudientes, aliâs etiam ſurdos appellare ſolemus.

Aurium inflammationes.

AVRIVM dolorem solent vocare, vt auctor est Galenus, quoties in profundo ex auditorio meatu doloris sensus affligat; vnde in Prænotionibus Hippocrates: Auris dolor acutus cum febre continua, ac forti, horrendum est; periculum enim est deliraturum esse hominem, ac periturum. Proinde quum hic modus minimè tutus sit, citò mentem aduertere oportet etiam aliis signis, ac primo etiam die. Pereunt autem iuniores homines septimo die, & adhuc citius ex hoc morbo; senes verò longè tardiùs: nam febres, & deliria minùs ipsis accidunt; & hac de causa aures ipsis suppurantur. Verùm his quidem ætatibus recidiuæ morbi contingentes plurimos occidunt. at verò iuniores priusquam suppuratur auris, pereunt. Huic non absimile est quod Trallianus dicit, Siue meatus, inquit, siue alia ipsius interna particula quæpiam frequenter inflammatione laboret, acutissima pericula vicinia regionis, & genere substantiæ inducit: nam neruus qui internam auris superficiē sublinit, quum sit sensibilis, validos dolores, acutósque excitat, vt etiam cerebrum in consensum perducat, ita vt febres & deliria sic affectis oriantur.

ex amaris nucibus.

AMYGDALAS amaras, intelligit.

Composita verò.

SI quidem maximus, ac vehementissimus dolor ex inflammatione vrgeat, necesse est sensum stupefacientibus vti, quoties videlicet per dolorem ad mortis discrimen tendat æger; vtendúmque iis tantùm monet Paulus, quæ sensum leuiter stupefaciunt, quòd non mediocre periculum sit ne cerebrum neruo per quem facultas audiendi erogatur, vicinum, consortij lege afficiatur. Sed neque sæpiùs, sicuti docet Trallianus, eadem in vsum recipienda erunt; verùm vbi coactus fueris; idq; semel tantùm aut iterum tentandum tradit. Galenus tertio De compositione medicamentorũ localium libro, longo ante vsum tempore (siue pari pondere, siue duplo castoreo admisceatur opium) præparatum id esse debere scribit, & misceri in vehementissimis quidem doloribus pari, in minoribus verò duplo castorei; liquorem verò quo diluuntur ex mulso sapam esse vult, quòd multo magis quàm dulcia vina dolorem sedet.

specillo teritur.

ETSI Galenus, & Aetius, sicuti Celsus quoque, specillum adiiciant, Ianus tamen Cornarius τὸ specillo supernacaneum esse putat.

myrrhæ (quam στακτὴν &c:

HOC est, pinguedinis recentis myrrhæ cum aqua exigua tusæ, & origano expressæ; sic enim stacten describit Dioscorides: Celsus paulo post myrrham pinguem appellat.

Est Menophili validum.

GALENVS compositionem hanc partim ab obturatione liberantem, partim resiccantem, partim discutientem, ac nonnihil concoctoriam esse dicit; adiicit tamen alumen scissile, & loco longi piperis albũ substituit.

Polybij sphragis.

HIC iam tertiò monitum velim lectorem, passim pro Polybij pastillo Polyidæ restituendum esse.

cui spodij paulum.

SI in puluerem redigatur spodium, ac auribus infletur, per se prodesse dicit Trallianus.

id, quod ex thure.

IDEM planè habet Alexander Trallianus.

Aduersus aurium vermes.

VBI verò vermes orti ſunt, ſi iuxtà ſunt, protrahendi oriculario ſpecillo ſunt. Si longiùs, medicamentis enecandi, cauendumq́ue ne poſtea naſcantur. Ad vtrunque proficit album veratrum cum aceto contritum. Elui quoque aurem oportet vino, in quo marrubium decoctum ſit. Sic emortui vermes in primam auris partem * prouocabuntur, vnde facillimè educi poſſunt.

* prolabuntur,

ENARRATIO.

VERMES in auribus aut generatos, aut extrinſecus illapſos amara & acria occîdunt, & ex imo in ſummā auris, vnde facillimè euelli poßint, euocant.

Elui quoque aurem.

IDEM effecerit apſinthium, ſi in vino decoquatur, atq. ex eo ablutio aut ſuffitus fiat.

Ad compreßa aurium foramina.

SIN foramen auris compreſſum eſt, & intus craſſa ſanies ſubeſt, mel quàm optimum addendum eſt. Si id parum proficit, mellis cyatho & dimidio, æruginis raſæ P. II. ✱. adiiciendum eſt, incoquendumq́ue, & eo vtendum. Iris quoque cum melle idem proficit. Item mellis & roſæ ſcrupuli duo. Item galbani P. II. ✱. myrrhæ cum melle, & fellis taurini, ſingulorum P. II. ✱. vini quantum ſatis eſt ad myrrham diluendam.

ENARRATIO.

EST interdum vbi impediente craſſa ſorde aurium foramina compreßiora ſint, Græci θλάσιν vocant: in qua quidem affectione nihil adhibendum præcipit Hippocrates; verùm ſi humor craſſus ſit, omnibus modis eliciendus eſt: cui negocio oportuniſſima ſunt, quæcunque citra mordacitatem tenuium ſunt partium: cuius generis cenſentur quæ lapides in renibus conterunt. in quem vſum Galenus libro κτ̀ τόπους radices cucumeris ſylueſtris, ari, dracunculi, brioniæ ac ſimilium plurimùm commendat.

Ad grauem auditum.

VBI verò grauius aliquis audire cœpit, (quod maximè poſt longos capitis dolores euenire conſueuit,) in primis aurem ipſam conſiderare oportet. Apparebit enim aut cruſta,

qualis

qualis super vlcera innascitur, aut sordium coitus. Si crusta est, infundendum est aut oleum calidum, aut cũ melle ærugo, vel porri succus, aut cum mulso nitri paulum. Atque vbi crusta à corpore iam recedit, eluenda auris aqua tepida est, quo faciliùs ea per se diducta oriculario specillo protrahatur. Si sordes æquè molles sunt, eodem specillo eximendæ sunt. At si duræ sunt, acetum & cum eo nitri paulolum coniiciendum est. Cumque emollitæ sunt, eodem modo elui aurem purgarique oportet. Quòd si capitis grauitas manet, attondendum idem, & leniter, sed diu perfricandum est: adiecto vel irino vel *laureo oleo, sic vt vtrilibet paulum aceti misceatur: tum diu ambulandum, leniterque post vnctionem aqua calida caput fouendum. Cibisque vtendum ex imbecillissima, & media materia, magisque assumendæ dilutæ potiones, nonnunquam gargarizandum est. Infundendum autem in aurem castoreum cum aceto, & laureo oleo, & succo radiculæ corticis: aut cucumeris agrestis succus, adiectis *contritis rosæ foliis. Immaturæ quoque vuæ succus cum rosa instillatus, aduersus *surditatem satis proficit.

* laurino

* contritæ

* sordiditatem

ENARRATIO.

Quòd si capitis grauitas.

Trallianus humerorum exercitationes admittit, easque ex vsu esse dicit: verùm equitationes & gestationes quæ in curru obeuntur, suspectas habet, quòd videlicet vertiginosum quodammodo hominem reddant. subinde caput tondendum dicit, atque id perfricandum, quoties grauari & crassis succis quodammodo infarciri senserimus. Calida etiam lauacra laudat: verùm si marina ad manum sit, eandem præfert.

Ad sonitum aurium intra seipsas.

Alivd vitij genus est, vbi aures intra seipsas sonant. Atque hoc quoque fit, ne externum sonum accipiant. Leuissimum est, vbi id ex grauedine est. Peius, vbi ex *morbis, capitisve longis doloribus incidit. Pessimum, vbi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, prouenit. Si ex grauedine est, purgare aurem oportet, & spiritum continere, donec inde humor aliquis expumet. Si ex morbo vel capitis dolore, quod ad exercitationem, frictionem, perfusionem,

* morbo

gargarizationemque pertinet, eadem facienda sunt. Cibis
non vtendum nisi extenuantibus. In aurem dandus radiculæ
succus cum rosa, vel cum succo radicis ex cucumere agresti,
laurino vel castoreum ex aceto, & laureo oleo. Veratrum quoque
cum aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur, & inde
collyrium factum in aurem demittitur. Si sine his cœpit,
ideoque nouo metu terret, in aurem dari debet castoreum
laurino cum aceto, vel irino, vel laureo oleo, aut huic mistum ca-
aut storeum cum succo nucum amararum, aut myrrha & nitrum
cum rosa & aceto. Plus tamen in hoc quoque proficit victus
ratio. Eademque facienda sunt, quæ suprà comprehendi, cum
maiore quoque diligentia: & præterea donec his sonus finia-
tur, à vino abstinendum. Quòd si simul & sonus & inflam-
laurinū matio est, laureum oleum coniecisse abunde est, aut id quod
ex amaris nucibus exprimitur, quibus quidam vel castoreum,
vel myrrham miscent.

ENARRATIO.

AVRIVM sonitus accidere solet, interim ex multa sensus acrimonia, & subtilitate; magna autem ex parte flatuosum spiritum subsequi consueuit: quin & ex febrium decretoriis (quod omnium leuissimum est, & manu auxiliari non eget, vt quod per se curetur breui) malum hoc oritur; & interdum ex partium imbecillitate conualescentibus ex morbis, eóque peius censendum, quo maioribus morbis succedat: nam, vt in Prorrheticis auctor est Hippocrates, in febre ardente, sonitibus aurium accedentibus cum visus hebetudine, & grauitate in naribus accedente, melancholico modo mente mouentur.

Ad ea quæ in aurem inciderunt extrahenda.

SOLET etiam interdum in aurem aliquid incidere, vt cal-
culus, aliquódve animal. Si pulex intus est, compellen-
quam dum eo lanæ paulum est, quo ipse is subit, & simul extra-
hitur. Si non est secutus, aliúdve animal est, specillum lana
inuolutum in resinam quam glutinosissimam, maximeque
terebinthinam demittendum, idque in aurem iniiciendum,
ibique vertendum est. Vtique enim comprehendet & exi-
met. Sin aliquid exanime est, specillo oriculario protrahen-
dum est, aut hamulo retuso paulum recuruato. Si ista nihil
profi-

proficiunt, poteſt eodem modo reſina protrahi. Sternutamenta quoque admota id commodè elidunt, aut oriculario clyſtere aqua vehementer intus compulſa. Tabula quoque collocatur media inhærens capitibus vtrinque pendentibus, ſuperq́ue eam homo deligatur in id latus verſus, cuius auris eo modo laborat, ſic vt extra tabulam emineat. Tum malleo caput tabulæ, quod à pedibus eſt, feritur: atque ita concuſſa aure, id quod ineſt, excidit.

ENARRATIO.

Sternutamenta quoque.

STERNVTAMENTIS enim, vt docet Trallianus, admotis, meatus auris, ſpiritus concuſſione mouentur, & reſerantur; atque ita commodè id quod incidit eliditur.

aut oriculario clyſtere.

SI praui humores in auribus creuerint, plurimùm proderit eoſdem aqua mulſa eluere, ac deinde clyſteri oriculario (μηλοτίδας aut ὠτεγχύτας vocant) in aures immiſſo, ſuctu quod nocet euellitur.

Tabula quoque.

EANDEM curandi rationem tradit ex Archigene Galenus, & poſt illum Aëtius: Ægineta aurem ſuper circulum quendam imponit, capútque vehementiùs concutit.

CAPVT VIII.

De Narium morbis, & curationibus.

NARES verò intus exulceratas fouere oportet vapore aquæ calidæ, id eſt ſpongia expreſſa atque admota. Fit & ſubiecto vaſe oris anguſti, calida aqua repleto. Poſt id fomentum illinenda vlcera ſunt, aut plumbi recremento, aut ceruſſa. Aut argenti ſpumam cum quolibet horum aliquis conterit, eiq́ue dum teritur, inuicem vinum & oleum myrteum adiicit, donec mellis craſſitudinem *fecerit. Sin autem *faciat.
ea vlcera *circa nares ſunt, pluresq́. cruſtas & odorem fœdum *intra
habent, quod genus Græci ὄζαιναν appellant, ſciri quidem debet, vix ei malo poſſe ſuccurri. Nihilominus tamen hæc tentari poſſunt, vt caput ad cutem tondeatur, aſſidueq́ue vehementer perfricetur, multa calida aqua perfundatur, multa ei ambulatio ſit, cibus modicus, neque acer, neque valentiſſimus. Tum in narem ipſam mel cum exiguo modo reſinæ te-

rebinthinæ coniiciatur, quod ſpecillo quoque inuoluto lana fit, attrahaturque ſpiritu is ſuccus, donec in ore guſtus eius ſentiatur. Sub his enim cruſtæ reſoluuntur, quæ tum per ſternutamenta elidi debent. Puris vlceribus vapor aquæ calidæ ſubiiciendus eſt. Deinde adhibendum aut lycium ex vino dilutum, aut amurca, aut omphacium, aut menthæ, aut marrubij ſuccus, aut atramentum ſutorium, quod candens factum, deinde contritum ſit: aut interior ſcillæ pars contrita, ſic vt horum cuilibet mel adiiciatur. Cuius in cæteris admodum exigua pars eſſe debet: in atramento ſutorio tanta, vt ea miſtura liquida * fiat, cum ſcilla vtique pars maior, inuoluendumque lana ſpecillum eſt, & in eo medicamento intingendum, eoque vlcera implenda ſunt. Rurſuſque linamentum inuolutum & oblongum eodem medicamento illinendum, * demittendumque in narem eſt, & ab inferiore parte leniter deligandum. Idque per hyemem, & ver, bis die: per æſtatem, & autumnum ter die fieri debet. Interdum verò etiam in naribus carunculæ quædam ſimiles muliebribus mammis naſcuntur, hæque * imis partibus, quæ carnoſiſſimæ ſunt, inhærent. Has curare oportet, medicamentis adurentibus, ſub quibus ex toto conſumuntur. Polypus verò eſt caruncula, modò alba, modò ſubrubra, quæ narium oſſi inhæret, & modò ad labra pendens, narem implet, modò retrò per id foramen, quò ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, adeò increſcit, vti poſt vuam conſpici poſſit, ſtrangulatque hominem maximè, auſtro aut euro flante, fereque mollis eſt, rarò dura: eaque magis ſpiritum impedit, & nares dilatat, * quæ fere καρκινώδης eſt, itaque attingi non debet. Illud aliud genus fere quidem ferro curatur, interdum tamen inareſcit, ſi addita in narem per linamentum aut penicillum ea compoſitio eſt, quæ habet minij ſinopici, chalcitidis, calcis, ſandaracæ, ſingulorum P. I. ✱. atramenti ſutorij P. II. ✱.

[Margin notes: * ſit, | * demitt. in nares, & | * in im. p. q. cartilaginoſæ πολύπους. | * fereque]

ENARRATIO.

OZÆNÆ, vt inquit Galenus, ex acrium & putredinoſorum humorum fiunt influxu: nam ſi ſolùm acres fuerint, incurabilia vlcera facere ſolent, non tamen graueolentia; Scribonius grauem narium odorem vertit ozænas; eſtq; curatu admodum

dum difficile aut incurabile omnino vitium. Oportet attamen, si curationem aggrediamur, affectam partem per pharmaca mixtam vim habentia resiccare, hoc est per repellentia simul & discussoria.

Puris vlceribus.

HIC *simplicia vlcera ab ozænis distinguit.*

Interdum verò etiam.

Σαρκώματα vocat Paulus Ægineta.

Polypus verò est.

POLYPVS *est tumor præter naturam in naribus, ex crassis & viscosis humoribus generatus: Hippocrates ex pituita nasci auctor est. Species autem eius recensentur ab eodem, libro De morbis; quas Celsus hîc sigillatim enarrasse videtur.*

CAPVT IX.

De Dentium dolore, & curationibus.

IN Dentium autem dolore, qui ipse quoque maximis tormentis annumerari potest, vinum ex toto circuncidendum est. Cibo quoque primo abstinendum, deinde eo modico molliq́ue vtendum, ne mandentis dentes irritet, tum extrinsecus admouendus per spongiam vapor aquæ calidæ, imponendumq́ue ceratum ex cyprino aut irino factum, lanaque id comprehendendum, caputq. velandum est. Quòd si grauior is dolor est, vtiliter & aluus ducitur, & calida cataplasmata super * maxillas iniiciuntur, & ore humor calidus cum medicamentis aliquibus continetur, sæpiusq́ue mutatur. Cuius rei caussa & quinquefolij radix in vino mixto coquitur, & hyoscyami radix, vel in posca, vel in vino mixto coquitur, sic vt paulum his salis adiiciatur, & papaueris non *nimium: aridi cortices, & mandragoræ radix, eodem modo. Sed in his tribus vtique vitandum est, ne quod haustum erit deuoretur. Ex populo quoque alba, cortex radicis in hunc vsum in vino mixto rectè coquitur, & in aceto * cornu ceruinum rasum, & nepeta cum teda pingui: ac * ficus item pinguis vel in mulso, vel in aceto & melle, ex quibus cùm ficus *decocta est, is humor percolatur. Specillum quoque lana inuolutum in calidum oleum demittitur, eoque * ipso dens fouetur. Quinetiam quædam quasi cataplasmata in dentem ipsum illinuntur. * in quem vsum ex malo punico acido atque arido, malicorij pars interior cum pari portione, & gallæ, &

*maxillā

*minimū: al., non nimium ar. cor.

*cornu ceruin fragmentum

* ficu item pingui

*discocta

* ipse

* ad

 pinei

pinei corticis conteritur, miſceturque his minium: eaque contrita aqua pluuiatili coquuntur. Aut panacis, papaueris lacrymæ, peucedani, vuæ taminiæ ſine ſeminibus, pares portiones conteruntur. Aut galbani partes tres, papaueris lacrymæ pars quarta. Quicquid dentibus admotum eſt, nihilominus ſupra maxillam, ceratum, quale ſuprà poſui, eſſe debet lana obtectum. Quidam etiam myrrhæ, cardamomi, ſingulorum P. I. ✶. croci, pyrethri, *ficorum partes, ſingulorum P. IIII. ✶. ſinapis P. VIII. ✶. contrita linteolo illinunt, imponuntque in humero partis eius qua dens dolet. Si is ſuperior eſt, à ſcapulis: ſi inferior, à pectore. Idque dolorem leuat: & cùm leuauit, protinus ſubmouendum eſt. Si verò exeſus eſt dens, feſtinare ad eximendum eum, niſi res coëgit, non eſt neceſſe. Sed cum omnibus fomentis, quæ ſuprà poſita ſunt, adiiciendæ quædam valentiores compoſitiones ſunt, quæ dolorem leuant, *quales hæ ſunt. Habet autem papaueris lacrymæ P. I. ✶. piperis P. II. ✶. *pſoreos P. X. ✶. quæ contrita galbano excipiuntur: idque circundatur. Aut Menemachi maximè ad maxillares dentes, in qua ſunt croci P. I. ✶. cardamomi, thuris fuliginis, ficorum* partes, pyrethri, ſingulorum P. IIII. ✶. ſinapi P. VIII. ✶. Quidam autem immiſcent pyrethri, piperis, elaterij, ſingulorum P. I. ✶. aluminis ſciſſilis, papaueris lacrymæ, vuæ taminiæ, ſulphuris ignem non experti, bituminis, lauri baccarum, ſinapis, ſingulorum P. II. ✶. Quòd ſi dolor eximi eum cogit, & piperis ſemen cortice liberatum, & eodem modo bacca hederæ coniecta in id foramen, dentem findit, iſque *forte ſtans excidet. Et plani piſcis, quam paſtinacam noſtri, τρυγόνα Græci vocant, aculeus torretur, deinde conteritur, reſinaque excipitur, quæ denti circundata hunc ſoluit. Et alumen ſciſſile in id foramen *contectum demitti commodius eſt, quia ſic dente ſeruato, dolorem leuat. Hæc à medicis excepta ſunt. Sed agreſtium experimento cognitum, cùm dens dolet herbam menthaſtrum cum ſuis radicibus velli debere, & in peluem coniici, ſupraque aquam infundi, collocarique iuxta ſedentem hominem vndique veſte contectum, tum in peluem candentes ſilices demitti,

* ficorum pinguium, *fortaſſe legendū*, *aut* paruarū. *al.* caprificorum pulueris, *id eſt* cineris, *al.* fermenti putris,

* qualis fere eſt, quæ habet pap.

* pſoreos

* paruarum, *vel* pinguiū: *vt ſuprà.* *al.*, piperis

* per teſtas exc.

Paſtinaca.

* coniectū: ſed id tū canna inuolutum demitti comm *al.* coniectum dentem citat. ſed id tamen inuolutum in lanula demitti

mitti, sic vt aqua tegantur, hominemque eum hiante ore vaporem excipere, vt suprà dictum est, vndique inclusum. Nam & sudor plurimus sequitur, & per os continens pituita defluit, idque sæpe longiorem, sæpe annuam valetudinem bonam præstat.

ENARRATIO.

ETSI nonnulli contendant, dentem sicut os est, doloris esse expertem; Galenus tamen tum libro De vsu partium sexto, tum libro De oßibus, asserit eos euidentem vim sentiendi habere: idq; se experientia in seipso, libro De compositione medicamentorum localium, comperisse apertè confirmat: percepit etenim in semetipso, non dolentem modò, sed etiam pulsantem dentem, quemadmodum carnosæ partes inflammatione vexatæ consueuerunt. vnde non immeritò Celsus dentium dolorem maximis tormentis annumerari posse dicit. Consistit ergo dentium dolor, vel in dentium, vt iam dixi, substantia aut in neruo ad radicem subtracto, vel in gingiuarum inflammatione. In genere tamen omnes quotquot sunt dentium dolores, Galenus duabus contrariis caussis acceptas fert, inopiæ videlicet & redundantiæ alimenti quod ipsis suppeditatur: inopia quidē aridiores, tabidiores & tenuiores eos reddit; redundantia verò consimilem in eis excitare affectionē potest, qualis est circa carnosas partes phlegmone. Celsus singulas doloris dentium caussas parùm perpendens, confusa admodùm remedia in medium profert: ac quantumuis experientia comprobata pleraque sint, & ratio ipsa dictet eadem vtilia admodùm esse; in hoc tamen non satis obseruasse methodum videtur, quòd frigidis calida, calidisq; frigida statim subiunxerit.

& quinquefolij radix.

QVINQVEFOLII *radici non modò ea facultas attribuitur, vt dentium dolori mederi poßit, verùm etiam eosdem illæsos seruare creditur, si quotidie cōmanducetur.*

Ex populo albâ.

ISTHVC *an verum sit, ambigo.*

Specillum quoque.

CLARIVS *nonnihil Scribonius Largus hanc curandi rationem describit: Vbi dolor, inquit, fuerit, auriscalpium lana molli inuoluitur; deinde tingitur feruentißimo oleo; atque ita denti primùm, deinde proximis gingiuis superponitur bis ter've, donec hebetescat aliqua ex parte dolor: post hoc medicamento dens operitur. Si repetierit, aut permanserit nihilominus aliquis dolor, super medicamentum auriscalpium cum lana ex oléo candenti eodem modo imponere sæpiùs oportebit, hoc est donec dolor tollatur.*

vuæ timineæ.

IAM *antè dictum est* tamineæ *legendum esse.*

pyrethri, ficorum partes.

HIC, *vt in Menemachi statim subsequente compositione,* ficorum pinguium *substitues; quod & annotauit Ioannes Cæsarius.*

Et plani piscis, quam.

PLINIVS *libro* XXXII. *capite* VII. *Pastinaca, inquit, radio scarificare gingiuas, & in dolore est vtilißimum, conteriturque is, & cum helleboro albo illitus dentem sine vexatione extrahit.*

Et alumen scissile.

IDEM *testatur Scribonius Largus: Nec minùs, inquit, alumen fissum linteolo spisso circundatum, & ita dolenti pressum diutiùs continere prodest.*

herbam menthastrum.

MENTHASTRVM *commanducatum dentibus dolentibus summè prodesse auctor est Scribonius.*

CAPVT X.

De Tonsillis, & earum cura.

SI verò tonsillæ sine exulceratione per inflammationem intumuerunt, caput velandum est extrinsecus, is locus vapore calido fouendus, multa ambulatione vtendum, caput in lecto sublime habendnm, gargarizandumque est ex reprimentibus. Radix quoque ea, quam dulcem appellant, *contusa & in passo, mulsóve decocta idem præstat. *Leniterque quibusdam medicamentis eas illini non alienum est, quæ hoc modo fiunt: Ex malo punico dulci succus exprimitur, & eius sextarius in leni igne coquitur, donec ei mellis crassitudo sit, tum croci, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum P. II. ✱. per se conteruntur, paulatimque his adiiciuntur vini lenis cyathi duo, mellis vnus, deinde priori succo ista miscentur, & rursus leniter incoquuntur. Aut eiusdem succi sextarius eodem modo coquitur, atque eadem ratione trita ei adiiciuntur hæc: Nardi *P. ✱. omphacij P. I. ✱. cinnamomi, myrrhæ, casiæ, singulorum P. I. ✱. Eadem autem hæc & auribus, & naribus purulentis accommodata sunt. Cibus quoque in hac valetudine lenis esse debet, ne exasperet. Quòd si tanta inflammatio est vt spiritum impediat, in lecto conquiescendum, à cibo abstinendum, neque assumendum quicquam præter aquam calidam est. Aluus quoque ducenda est. Gargarizandum ex fico & mulso. Illinendum mel, cum omphacio. Intrinsecus admouendus, sed aliquanto diutius, vapor aquæ calidæ, donec ea suppurent, & per se aperiantur. Si pure substante non rumpuntur, hi tumores incidendi sunt, deinde ex mulso calido gargarizandum ex fico. At si modicus quidem tumor & exulceratio est, furfurum cremori ad gargarizandum *paulum mellis adiiciendum est, illinendaque vlcera hoc medicamento. Passi quamdulcissimi tres heminæ ad vnam coquuntur, tum adiicitur thuris P. I. ✱. croci, myrrhæ, singulorum P. I. ✱. *leniterque omnia rursus feruescunt. Vbi plura vlcera sunt, eodem

Radix dulcis.
*cont. in p.
*Lenibusque
*P. V.
*ex fico paul.
*leuiterque

eodem furfurum cremore, vel lacte gargarizandum est. Atque hîc quoque cibis lenibus opus est, quibus adiici dulce vinum potest.

ENARRATIO.

QVEMADMODVM glandulæ induratæ, inquit Paulus, strumæ appellantur; ita etiam tonsillæ inflammationem expertæ, aut supra modum naturalem auctæ, & veluti desiccatæ, cibi potúsque & spiritus iter impedientes, è regione sibi inuicem vtrimque oppositæ, eodem partis vocabulo tonsillæ, Græcis ἀντιάδες nominantur, alij παρίσθμια dicere malunt, hodie columellam appellant. Inflammatio ex dolore & colore dignoscitur: siquidem vbi solummodò tument, aperto ore maiores quidem, cæterùm sibi ipsis concolores appârent; verùm vbi inflammatio easdem exercet, seipsis rubicundiores, & dolorificæ redduntur.

CAPVT XI.

De Oris vlceribus, & curationibus, & quæ Antheræ sunt.

VLCERA autem oris, si cum inflammatione sunt, & parum pura ac rubicunda sunt, optimè his medicamentis curantur, quæ suprà posita ex malis punicis fiunt. Continendusque sæpe ore reprimens cremor est, cui paulum mellis sit adiectum. Vtendum ambulationibus, & non acri cibo. Simulatque verò pura vlcera esse cœperunt, lenis humor, interdum etiam quàm optima aqua ore continenda est. Prodestque assumptum purum vinum, pleniorque cibus, dum acribus vacet. Inspergique vlcera debent alumine scissili, cui dimidio plus gallæ immaturæ sit adiectum. Si iam crustas habent, quales in adustis esse consuerunt, adhibendæ sunt hæ compositiones quas Græci ἀνθηρὰς nominant. Iunci quadrati, myrrhæ, sandaracæ, singulorum P. IIII. *. aluminis pares portiones. Aut croci, myrrhæ, singulorum P. II. *. iridis, aluminis scissilis, sandaracæ, singulorum P. IIII. *. iunci quadrati P. VIII. *. Aut gallæ, myrrhæ, singulorum P. II. *. aluminis scissilis P. II. *. rosæ foliorum P. IIII. *. Quidam autem croci P. *. aluminis scissilis, myrrhæ, singulorũ P. I. *. sandaracæ P. II. *. iunci quadrati P. IIII. *. miscent. Priora arida insperguntur. Hoc cum melle illinitur, neque vlceri-

bus tantùm, ſed etiam tonſillis. Verùm ea longè periculoſiſſima vlcera ſunt, quas ἄφθας Græci appellant, ſed in pueris: hos enim ſæpe conſumunt, in viris & mulieribus idem periculum non eſt. Hæc vlcera à gingiuis incipiunt, deinde palatum, totumque os occupant, tum ad vuam faucesq. deſcendunt. Quibus obſeſſis, non facile fit, vt puer conualeſcat. Ac miſerius etiam eſt, ſi lactens adhuc infans eſt, quominus imperari remedium aliquod poteſt. Sed in primis nutrix cogenda eſt exerceri ambulationibus, hiſque operibus, quæ ſuperiores partes mouent. Mittenda in balneum, iubendaque ibi calida aqua mammas perfundere, tum alenda cibis lenibus, & his qui facilè non corrumpuntur. Potiones, ſi febricitat puer, aquæ: ſi ſine febre eſt, vini diluti. Ac ſi aluus nutrici ſubſtitit, ducenda eſt. Si pituita eius in os coit, vomere
* ros, debet. Tum ipſa vlcera perungenda ſunt melle, cui *rhus, quem ſyriacum vocant, aut amaræ nuces adiectæ ſunt. Vel miſtis inter ſe roſæ foliis aridis, pineis nucleis, menthæ coliculo, melle. Vel eo medicamento, quod ex moris fit, quorum ſuccus eodem modo quo punici mali ad mellis craſſitudinem coquitur, eademque ratione ei crocum, myrrha, alumen, vinum, mel, miſcetur. Neque quicquam dandum,
* à quo *ad quod humor euocari poſſit. Si verò iam firmior puer eſt, gargarizare debet his fere, quæ ſuprà comprehenſa ſunt. At
* leniora ſi *lenia medicamenta in eo parum proficiunt, adhibenda ea, quæ adurendo cruſtas vlceribus inducant. Quale eſt ſciſſile alumen, vel chalcitis, vel atramentum ſutorium. Prodeſt
* maxima etiam fames, & abſtinentia quanta * maximè imperari poteſt. Cibus debet eſſe lenis. Ad purganda tamen vlcera interdum caſeus ex melle rectè datur.

ENARRATIO.

quas Græci ἀνθηρὰς.

ANTHERAS, inquit Ioannes Manardus libro octauo, vocant medici, compoſitiones quaſdam ægritudinibus oris accommodatas, quibus roſa miſcentur: quo fit vt non, floridas antidotos, reddendum putet, vti fecit Marcellus Virgilius, ſed eadem voce vtendum, vbi & hunc Celſi locum citat. Videtur tamen paulo latiùs apud medicos antheræ nomen vſurpatum: nam Celſus ipſe capite XVIII. huius libri, medicamento

*mento anthera dicto, non solùm ad oris, sed & ad pudendarum partium vlcera vtitur: & Galenus libro De compositione medicamentorum localium quarto, illitionem ad oculos antheram dictam describit. Præterea Paulus Ægineta ad fissuras calcaneorum aliam compositionem antheram nominatam recenset; quarum neutra, contrà quàm Manardus refert, rosas recipit; sicuti nec hæ quas hîc in medium producit auctor noster, præter eam quæ ordine tertia est, quæ rosæ foliorum * p^o IIII. recipit. Habet tamen Scribonius compositũ quoddam medicamentum, quod anthera vocari dicit, ad omnia vlcera accommodum rosas recipiens.*

sed in pueris.

SECVNDO libro pueritiæ maximè familiares esse aphthas dictum est, atque easdem Galenus in pueris contrà quàm auctor noster facillimè curari auctor est; quæ verò accidunt iis qui ad perfectam ætatem peruenerunt, non ita facilè, præsertim vbi ob vitiosorum humorum defluxum excitantur.

CAPVT XII.

*De * linguæ vlceribus.*

* linguarum

Linguæ quoque vlcera non aliis medicamentis egent, quàm quæ prima parte superioris capitis exposita sunt. Sed quæ in latere eius nascuntur, diutissimè durant. Videndumque est, num contrà dens aliquis acutior sit, qui sanescere sæpe vlcus eo loco non sinit, ideoque limandus est. *Gingiuæ

CAPVT XIII.

De parodontidibus, gingiuarum tuberculis, deque aliis vlceribus gingiuarum.

Aldus coniungit hoc caput cum præcedente, neque titulum addit.

**παρουλίδας*

SOLENT etiam interdum iuxta dentes in gingiuis tubercula quædam oriri dolentia, * παροδοντίδας Græci appellant. Hæc initio leniter sale contrito perfricare oportet, aut inter se mixtis sale fossili, combusto cupresso, nepeta, deinde eluere os cremore lenticulæ, & inter hæc hiare, donec pituitæ satis profluat. In maiore verò inflammatione iisdem medicamentis vtendum est, quæ ad vlcera oris suprapositasunt: & mollis linamenti paulum inuoluendum aliqua compositione ex his, quas antheras vocari dixi, demittendumque id inter dentem & gingiuam: quòd si durior erit, & id prohibebit, extrinsecus admouendus erit spongiæ vapor calidus, imponendumque ceratum. Si suppuratio se ostendet, diutius eo

vapore vtendum erit, & continendum ore calidum mulsum, in quo ficus decocta sit. Itemque * subcrudum incidendum, ne si diutius ibi pus permanserit, os lædat. Quòd si maior is tumor est, commodiùs totus exciditur, sic vt ex vtraque parte dens liberetur. Pure exempto, si leuis plaga est, satis est ore calidam aquam continere, & extrinsecus fouere eodem vapore. Si maior est, lenticulæ cremore: vti iisdem medicamentis, quibus cætera vlcera oris curantur. Alia quoque vlcera in gingiuis plerunque oriuntur, quibus eadem quæ in reliquo ore succurrunt. Maximè tamen mandere ligustrum oportet, succumque * eum ore continere. Fit etiam interdum, vt ex gingiuæ vlcere, siue * parodontides sint, siue non sint, diutius pus feratur. Quod aut dente corrupto, aut fracto, vel aliter vitiato osse, maximeque id per fistulam venire consueuit. vbi incidit, locus aperiendus, dens eximendus: testa ossis, si qua * excessit, recidenda est: si quid vitiosi est, radendum. Post quæ, quid fieri debeat, suprà in aliorum vlcerum curatione comprehensum est. Si verò à dentibus gingiuæ recedunt, eædem antheræ succurrunt. Vtile est etiam pyra, aut mala non permatura mandere, & ore eum humorem continere. Idemque præstare non acre acetum in ore retentum potest.

* tuberculum

* eius

* παρῳδόντις vel παρελὶς fuit, siue non fuit, d. p. feratur, aut d. c. a. fr. v. a. v. o. m. id p. f. v. cõsueuit. Quod vbi

* abscessit,

ENARRATIO.

Solent etiam.

SVSPICATVR hîc mendum esse post Manardum Gulielmus Pantinus, legendúmque παρουλίδες, idq; quod Galenus, Ægineta, & Aëtius, & ante eos Scribonius Largus, ita nominârunt. est autem, vt scribunt, Parulis exiguus abscessus gingiuas infestans, Epulis autem tuberculum carnis est iuxta dentium aliquem in gingiuis oriens. Mihi verò, vt aliquid post tantos viros liceat, non omnino malè παρῳδόντιδες legi videtur, quando vocabuli ipsius etymon abscessum circa dentes exprimere videatur: nam quod Pynzanum perperam parotidibus impresserit, clarius est quàm vt dici debeat, præsertim quando dictio ipsa abscessum aurium denotet, tum quòd Celsus paulo pòst de parotidibus scribat.

CAPVT XIIII.

De Vuæ morbo, & curatione.

VVÆ vehemens inflammatio terrere quoque debet. Itaque in hac abstinentia necessaria est, & sanguis rectè mitti-

mittitur: & si id aliqua res prohibet, aluus vtiliter ducitur, caputque super hæc velandum, & sublimius habendum est: tum aqua gargarizandum, in quà simul rubus & lenticula decocta sit. Illinenda autem ipsa vua vel omphacio, vel galla, vel alumine scissili, sic vt cuilibet eorum mel adiiciatur. Est etiam medicamentum huic aptum, quod Andronium appellatur. Constat ex his, alumine scissili, squama æris rubri, atramento sutorio, galla, myrrha, misy. Quæ per se contrita mistaque rursus paulatim adiecto vino austero teruntur, donec his mellis crassitudo *sit: vbi horum aliquo illita vua est, chelidoniæ quoque succo per cochlear illita vua maximè prodest. Fere multa pituita decurrit, cumque ea quieuit, ex vino calido gargarizandum. Quòd si minor in ea inflammatio, laser terere, eique adiicere frigidam aquam satis est, eamq. aquam *cochleario exceptam ipsi vuæ subiicere: Ac mediocriter eam tumentem aqua quoque frigida, eodem modo subiecta, reprimit. Ex eadem autem aqua gargarizandum quoque est, vel cum lasere, vel sine *eo hac curatione vuæ subiecta est.

Andronium.

* sit. Chel. q. succus p. c. i. v. m. prodest. Vbi horũ aliquo illita vua est fere m.

*cochleari

* eo. Acde cur. vuæ productæ per manũ ratio subiecta est.

ENARRATIO.

Gurgulio, columella, & vua, tam particulæ, quàm affectus nomen est: est autem caruncula, quam gutturi natura pro tegumento dedit, quæ voci ad magnitudinem, & pulchritudinẽ confert. quare Paulus ex Ægina medicus, gurgulionem tanquam aliquod vocis plectrum esse dicit: per eum enim aër ingreditur, scinditur, ac vehementia impetus eiusdem rumpitur. subiacet autem caruncula hæc distillationibus à capite, quæ eandem frequentissimè corripiunt; ac pro similitudine rei cui assimilatur denominationem accipere solet: siquidem quoties acino vuæ simile summum gurgulionis appâret, vua appellatur; at si eadem caruncula in longum per defluxionem deducatur, columella dicitur; quemadmodum si gracilescat omnino, & loro similis propendeat, lorum vocatur affectio.

quod Andronium.

DESCRIBIT § LXIII. *aliud medicamentum Andronium Largus: quod habet, mali granati corticis * p° X. mali terræ * p° IX. aloës * p° IIII. myrrhæ * p° II. gallæ * p° VIII. aluminis fissi * p° III. æris floris * p° II. teruntur, inquit, & cribrantur sicca, & curiosè deinde admiscetur passum creticum, dum habeat mellis spissitudinem: quod vt operosius ad herpetem, sacrum ignem, cancrúmque oris vtilissimum dicit.*

CAPVT XV.

De Cancro oris.

SI quando autem vlcera oris cancer inuasit, primò considerandum est, num malus corporis habitus sit, eique occurrendum, deinde ipsa vlcera curanda. Quòd si in summa parte id vitium est, satis proficit anthera humido vlceri arida inspersa: sicciori cum exigua parte mellis illita. Si paulo altius, chartæ combustæ partes duæ, auripigmenti pars vna. Si penitus malum descendit, chartæ combustæ partes tres, auripigmenti pars quarta. Aut pares portiones salis fricti, & iridis *frictæ. Aut item pares portiones chalcitidis, calcis, auripigmenti. Necessarium autem est linamentum in *rosa tingere, & super adurentia medicamenta imponere, ne vicinum & sanum locum lædant. Quidam etiam in acris aceti heminam frictum salem coniiciunt, donec tabescere desinat: deinde id acetum coquunt, donec exsiccetur, eumque salem contritum inspergunt. Quoties autem medicamentum iniicitur, & antè & pòst os diluendum est, vel cremore lenticulæ, vel aqua in qua aut eruum, aut * oleæ, aut verbenæ decoctæ sint, sic vt cuilibet eorum paulum mellis misceatur. Acetum quoque ex scilla retentum ore, satis aduersus hæc vlcera proficit*. Ex aceto cocto sali, sicuti suprà demonstratum est, rursus mixtum acetum. Sed & diu continere vtrumlibet, & id bis aut ter die facere, prout vehemens malum est, necessarium est. Quòd si puer est, cui id incidit, specillum lana inuolutum in medicamentũ demittendum est, & super vlcus tenendum, ne per imprudentiam adurentia deuoret. Et si dolor in gingiuis est, mouenturque aliqui dentes, *refici eos oportet: nam curationes vehementer impediunt. Si nihil medicamenta proficient, vlcera erunt adurenda. Quod tamen in labris ideo non est necessarium, quoniam excidere commodius est. Et id quidem æquè adustum atque excisum, sine ea curatione, quæ corpori manu adhibetur, impleri non potest. Gingiuarum verò ossa, quæ hebetia sunt, in perpetuum

*fractæ.
* rosaceo
*oleæ folia,
* : & ex
* refigi

petuuum vstione nudantur. Neque enim postea caro increscit. Imponenda tamen adustis lenticula est, donec sanitatem, qualis esse potest, recipiant.

ENARRATIO.

MOLESTVM admodùm vitium est, vt ait Largus, quoties cancer os corripit, quòd in initiis neglectum breui temporis spacio mortis causa est. oportet igitur quamprimùm visum fuerit, & ante quàm latiùs serpat, eidem obuiam ire, atque vt possimus optimè mederi. in quem vsum summè commendat præcedente capite à nobis asscriptum medicamentum Andronium.

CAPVT XVI.

De Parotidibus, quæ sub auribus oriuntur.

HÆC in capite fere medicamentis egent. Sub ipsis verò auribus oriri παρώτιδες solent, modò in secunda valetudine ibi inflammatione orta, modò post longas febres, illuc impetu morbi conuerso. Id abscessus genus est. Itaque nullam nouam curationem desiderat. Animaduersionem tantummodo hanc habet necessariam, quia si sine morbo id intumuit, primum *reprimentium experimentum est. Si ex aduersa valetudine, illud inimicum est, maturarique, & quàm primùm aperiri, commodius est.

*reprimẽtibus experiẽdum est.

ENARRATIO.

PAROTIDES sunt è genere inflammationum: fiunt autem glandulis circa aures affectis. Vsu autem venire videmus, vt interdum in secunda valetudine emergant; quemadmodum hîc quoque infert Celsus: nonnunquam etiam post morbos, maximéque febres, illuc impetu morbi per decretorium conuerso, & facta digestione euidenti accidunt: quæ sanè tanquam minimè exitiales promptißimè curantur, ac securitatem promittunt, plurimósque à grauißimis etiã accidentibus vendicant. Quinetiam contingit nonnunquam ex humorum redundantia, proficisci cum grauedine naturam irritante parotides: feruntúrque in pericula non leuia, nisi maturè suppurentur, ac digerantur. Galenus omnibus parotidibus pharmaca attractoria adhibet; atque si hæc nihil efficiant, etiam cucurbitulas applicat: Adnitimur enim, inquit, vt humor peccans ex profundo ad cutem attrahatur; idq́; potißimùm, si in capite affectio sit firmata, humoribus videlicet in ipso obfirmatis. Celsus nescio quàm rectè in dextera valetudine ortis parotidibus reprimentia applicat.

CAPVT

CAPVT XVII.

De Vmbilici prominentis curatione.

AD Vmbilicos verò prominentes, ne manu ferroque vtendum ſit, antè tentandum eſt, vt abſtineant, aluus his ducatur, imponatur ſuper vmbilicum id, quod ex his conſtat: Cicutæ & fuliginis, ſingulorum P. I. ✱. ceruſſæ elotæ P. IIII. ✱. plumbi eloti P. VIII. ✱. ouis duobus, quibus etiam ſolani ſuccus adiicitur. Hoc dilutius impoſitum eſſe oportet, & interim conquieſcere hominem, cibo modico vti, ſic vt vitentur omnia inflantia.

ENARRATIO.

PLINIVS prociduum Vmbilicum nominat; Græci, vt docet Paulus libro ſexto, ἐξομφαλὸν vocant, alij pueros quibus prociduus eſt vmbilicus, Exumbilicares dicere ſolent: Auicennas vmbilici augmentum appellat. Efficitur autem variis de cauſis: contingit enim interdum peritonæo illîc dirupto ac procidente, aut omento, aut inteſtino: interdum colluuie ocioſi humoris ſub vmbilico contractâ; interdum verò carne ſubnatâ; aliquando ſanguine irrumpente propter venæ aut arteriæ rupturam, vt in aneureſmatis: interdum non ſanguine, verùm ſpiritu ſolùm irruente. Curatur iiſdem quibus ramex inguinum: quanquam non vſque adeò vehementia requirat.

CAPVT XVIII.

De obſcœnarum partium vitiis, & curationibus.

PROXIMA ſunt ea, quæ ad partes obſcœnas pertinent, quarum apud Græcos vocabula & tolerabiliùs ſe habent, & accepta iam vſu ſunt, cùm omni ferè medicorum volumine atque ſermone iactentur: apud nos fœdiora verba, ne conſuetudine quidem aliqua verecundiùs loquentium *commendata ſunt: vt difficilis hæc explanatio ſit, ſimul & pudorem, & artis præcepta ſeruantibus. Neque tamen ea res à ſcribendo deterrere me debuit. Primùm vt omnia quæ ſalutaria accepi, comprehenderem: dein quia in vulgus eorum curatio etiam præcipuè cognoſcenda eſt, quæ inuitiſſimus quiſque alteri oſtendit.

* accommodata

*De Colis morbis, & *curationibus.*

IGITVR si ex inflammatione Coles intumuit, reducique summa cutis, aut rursus induci non potest, multa calida aqua fouendus locus est. Vbi verò glans contecta est, oriculario quoque clystere inter eam, cutemque aqua calida inserenda est. Si mollita sic & extenuata cutis, * ducenti paruit, expeditior reliqua curatio est. Si tumor vicit, imponenda est vel lenticula, vel marrubium , vel oleæ folia ex vino cocta, sic vt cuilibet eorum, dum teritur, mellis paulum adiiciatur. Sursumque coles ad ventrem deligandus est. Quod in omni curatione eius necessarium est. Isque homo continere se debet, & abstinere à cibo, & potione aquæ tantùm à siti vindicari. Postero die rursus adhibendum iisdem rationibus aquæ fomentum est, & cum vi quoque experiundum, an cutis sequatur. Eaque si non parebit, leuiter * summo scalpello concidenda erit. Nam cùm sanies profluxerit, extenuabitur is locus, & faciliùs cutis ducetur. Siue autem hoc modo victa erit, siue nunquam repugnauerit, vlcera vel in cutis * vlteriore parte, vel in glande vltráve eam in cole reperientur: quæ necesse est, aut pura siccáve sint, aut humida, & purulenta. Si sicca sunt, primùm aqua calida fouenda sunt: deinde imponendum lycium ex vino est, aut amurca cocta cum eodem, aut cum rosa butyrum. Si leuis his humor inest, vino eluenda sunt, tum butyri, & rosæ * mollis paulum, & resinæ terebinthinæ pars quarta adiicienda est, eoque vtendũ. * Aut si pus ex his profluit, ante omnia elui mulso calido debent. Tum imponi piperis P. I. ✱. myrrhæ P. II. ✱. croci, misyos cocti, singulorum P. II. ✱. Quæ ex vino austero coquuntur, donec mellis crassitudinem habeant. Eadem autem compositio tonsillis, vuæ * madentiori, nariumque vlceribus accommodata est. Aliud ad eam, piperis P. I. ✱. myrrhæ P. I. ✱. croci P. II. ✱. misyos cocti P. I. ✱. æris combusti P. II. ✱. quæ primùm ex vino austero conteruntur, deinde vbi inaruerunt, iterum teruntur ex passi tribus cyathis, & incoquuntur, donec visci crassitudinem habeant. Ærugo quoque cum cocto melle, & ea

*reducenti
* summa
* interiore
*. & mellis
* At
*mandenti, oris, nar.

* A[illegible] quæ ad oris vlcera suprà comprehensa sunt, curant. *Aut Era- [illegible]i compositio, aut Cratonis rectè super purulenta natura- li[illegible]ponitur. Folia quoque oleæ ex nouem cyathis vini co- quuntur. His adiicitur aluminis scissilis P. IIII. ✳. lycij P. VIII. ✳.
* At mellis sesquicyathus. *Ac si plus puris est, id medicamentum ex melle: si minus, ex vino diluitur. Illud perpetuum est, post curationem dum inflammatio manet, quale suprapositum est, cataplasma super dare, & quotidie vlcera eadem ratione curare. Quod si pus & multum, & cum malo odore cœpit profluere, elui cremore lenticulæ debet, sic, vt ei mellis paulum adiiciatur: aut oleæ, aut lentisci folia, vel marrubium decoquendum est, eoque humore eodem modo cum melle vtendum, imponendaque eadem, aut etiam omphacium cum melle, aut id quod ex ærugine & melle ad aures fit, aut compositio Andronis, aut anthera, sic, vt ei paulum mellis adiiciatur. Quidam vlcera omnia, de quibus adhuc dictum est, lycio ex vino curant. Si verò vlcus latius atque altius serpit, eodem modo elui debet. Imponi verò, aut ærugo, aut omphacium cum melle, aut Andronis compositio, aut
*myrrhæ, croci, marrubij, * myrrhæ, aut croci, aluminis scissilis cocti, rosæ foliorum aridorum, gallæ, singulorum P. I. ✳. minij sinopici P. II. ✳. Quæ per se singula primùm teruntur, deinde iuncta iterum melle adiecto, donec liquidi cerati crassitudinem
*habeant, in æneo * habeant: tum in æneo vase leniter coquuntur, ne superfluant. Cùm iam guttæ indurescunt, vas ab igne remouetur, idque medicamentum, prout opus est, aut ex melle aut ex vino liquatur. Idem autem per se etiam ad fistulas vtile est. Solet etiam interdum ad neruos vlcus descendere, profluitque pituita multa, sanies tenuis malique odoris,
*coacta, at. aq. * non cocta, aut aquæ similis, in qua caro recens lota est. Doloresque is locus & punctiones habet. Id genus quamuis inter purulenta est, tamen lenibus medicamentis curandum est, quale est emplastrum τετραφάρμακον ex rosa liquatum, sicut thuris quoque paulum ei misceatur. Aut id quod ex butyro, rosa, resina, melle fit, suprà verò à me positum est. Præcipueque id vlcus multa calida aqua fouendum est, velandumque, neque

que frigori committendum. Interdum autem per ipsa vlcera, coles sub cute exesus, sic vt glans excidat. Sub quo casu cutis ipsa circuncidenda est. Perpetuumq́. est, quoties glans, aut ex cole aliquid vel excidit, vel abscinditur, hanc non esse seruandam, ne concidat, vlcerique agglutinetur, ac neque reduci possit postea, & fortasse fistulam quoque vrinæ includat. Tubercula etiam, quæ φύματα Græci vocant, circa glandem oriuntur, quæ vel medicamentis vel ferro aduruntur: & cùm crustæ exciderunt, squama æris inspergitur, ne quid ibi rursus increscat.

ENARRATIO.

Igitur si ex.

CELSVS vitium hoc sequente libro φίμωσιν, alij περιφίμωσιν dicere maluerunt.

vel lenticula.

SCRIBONIVS Largus lentem coctam & ex aqua tritam, & rosaceo oleo admixtam, mirificè prodesse auctor est; & si maior tumor sit, mali granati corium ex aqua coctum & tritum lenticulæ pari pondere miscere docet.

Ac si plus puris est.

OMNE etenim vlcus, in quauis etiam parte corporis, sordidum, purgat mel per se, aut cum iride, terra malo aut simili aliquo mixtum.

lycio ex vino curant.

EST enim lycium, vt auctor est Galenus, ἑτερογενὲς, hoc est ex diuersi generis substantiis coalitum: vnde quum & digerat & desiccet non parum, & astrictionis cuiusdam particeps sit, ad vlcera contumacia, & putredines vtilissimum dicit.

De Cancri, qui in cole nascitur, curatione.

HÆC citra cancrum sunt, qui cùm in reliquis partibus, tum in his quoque vel præcipuè vlcera infestat. Incipit à nigritie, quæ si cutem occupauit, protinus specillum subiiciendum, eaque incidenda est, deinde oræ vulsella prehendendæ: tum quicquid corruptum est, excidendum, sic vt ex integro quoque paulum * demat, idq́. adurendum. Quoties *demas,
quid vstum est, id quoque sequitur, vt imponenda lenticula sit, deinde vbi crustæ exciderunt, vlcera sic, vt alia, curentur. At si cancer ipsum colem occupauit, inspergenda aliqua sunt ex adurentibus, maximeq́. id quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur. Si medicamenta vincuntur, hîc quoque scalpello quicquid corruptum est, sic vt aliquid etiam integri * trahat, præcidi debet. Illud quoque æquè perpetuum * detra-
est, exciso cancro vulnus esse adurendum. Sed siue ex me- hat,

 dicamen-

dicamentis, ſiue ex ferro cruſtæ occalluerunt, magnum periculum eſt, ne his decidentibus ex cole profuſio ſanguinis inſequatur. Ergo longa quiete & immobili penè corpore opus eſt, donec ex ipſo cruſtæ puræ leniter reſoluantur. At ſi vel volens aliquis, vel imprudens, dum ingreditur, immaturè cruſtas diduxit, & fluit ſanguis, frigida aqua adhibenda eſt. Si hæc parum valet, decurrendum eſt ad medicamenta, quæ ſanguinem ſuppriment. Si ne hæc quidem ſuccurrunt, aduri diligenter & timidè debet, neque vllo poſtea motu dandus eidem periculo locus eſt.

ENARRATIO.

CANCER omnibus locis naſcitur, maximè tamen fungoſis.

protinus ſpecillum.

SOLI cancri, vt auctor eſt Galenus, curationem huiuſcemodi admittunt, qui in ſumma parte corporis hærent, quique exulcerati ſunt, atque adeò laborantes fatigant, vt ipſi vltro chirurgi operam efflagitent, & ſimul in talibus partibus exiſtant, quas reſecare aut exurere vnà cum radicibus poßis: ac tum quidem præmonendi ſunt tam aſtantes, quàm æger ipſe de periculo quod ex ſanguinis profuſione oriri poßit: nam niſi ſumma cautio adhibeatur, metuendum eſt ne propter vaſorum multitudinem, profuſio ſanguinis ſequatur, quæ ægrè ſiſti poſſit. Phagedænas autem, & alia maligna vlcera, eodem quo cancros modo curare docet Galenus.

De Phagedæna in cole naſcentis curatione.

NONNVNQVAM etiam id * genus ibi cancri, quod φαγέδαινα à Græcis nominatur, * oriri ſolet, in quo minimè differendum, ſed protinus iiſdem medicamentis occurrendum eſt, & ſi parum valent, ferro adurendum. Quædam etiam nigrities eſt, quæ non ſentitur, & ſerpit, ac ſi ſuſtinuimus, vſque ad veſicam tendit, neque ſuccurri poſtea poteſt. Si id in ſumma glande circa fiſtulam vrinæ eſt, prius in ea tenue ſpecillum demittendum eſt, ne claudatur: deinde id ferro adurendum. Si verò altè penetrauit, quicquid occupatum eſt, præcidendum eſt. Cæterùm eadem, quæ in aliis cancris, facienda ſunt.

* genus cancri * ibi oriri

De Carbunculo, qui in cole naſcitur.

OCCALLESCIT etiam in cole interdum aliquid, idque omni penè ſenſu caret, quod ipſum quoq. excidi debet.

Carbun-

Carbunculus autem ibi natus, vt primùm apparet, oriculario clystere eluendus est. Deinde ipse quoque medicamentis vrendus, maximeque chalcitide cum melle, aut ærugine cum cocto melle. * Vbi is excidit, liquidis medicamentis vtendum est, quæ ad * ora vlceris componuntur.

* oras

* aut ouillo stercore & contrito cum eodẽ melle. Vbi is

De Testiculorum morbis, & eorum curatione.

IN testiculis verò, si qua inflammatio sine ictu orta est, sanguis ex talo mittendus est, à cibo abstinendum, imponendum * ex faba farina ex mulso cocta, cum cumino contrito ex melle cocto. Aut contritum cuminum cum cerato ex rosa facto. Aut lini semen frictum, contritum, & in mulso coctum, aut tritici farina ex mulso cocta cum cupresso, aut lilij radix contrita. * Aut si iidem induruerunt, imponi debet lini vel fœnigræci semen ex mulso coctum, aut ex cyprino ceratum: aut simila ex vino contrita, cui paulum croci sit adiectum. Si vetustior iam durities est, maximè proficit cucumeris agrestis radix ex mulso cocta, deinde contrita. Si ex ictu tument, sanguinem mitti necessarium est, magisque si etiam liuent. Imponendum verò vtrumlibet ex his, quæ cum cumino componuntur, supraque proposita sunt. Aut ea compositio quæ habet nitri cocti P. I. ✱. resinæ pineæ, gummi, singulorum P. II. ✱. vuæ tamiñiæ sine seminibus P. IIII. ✱. mellis quantum satis sit ad ea cogenda. Quod si ex ictu testiculis aliquid * desit, fere quoque increscit, neque aliter succurri potest, quàm si inciso scroto, & pus emissum, & ipse testiculus excisus est.

* cataplasma ex fabæ far. c. m. c. c. c. contrito & ex m. cocto.

* At si

* hæsit, f. pus quoq.

ENARRATIO.

In testibus verò.

SERENVS *Sammonicus ex vino decoquit, dicens:*

Vel bulbi ex mulso, vel cera immixta cupresso,
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.

cocta cum cupresso.

IDEM *tradit Plinius libro* XXIIII. *capite* V. *& Serenus, vt iam dixi; nisi quòd ceram ex mulso, cupresso, admiscet. Hippocrates cupressi ramenta, & amaracum in passo aqua temperato decoquit, atque colluit vlceratas partes.*

Si vetustior iam.

ORIBASIVS *& Ægineta lolij farinam eidem addunt.*

De Rhagadiis, & Condylomate, & Hæmorrhoidibus, aliisque ani morbis, & curationibus eorum: & primò de Rhagadiis.

* necnō in
* abhorrendas
* scinditur.
* œsypum
* Et quol.
* nec

ANVS quoque multa tædiique plena mala recipit, * nec in se multum * abhorrentes curationes habet. At primùm in eo sæpe, & quidem pluribus locis, cutis * exciditur, Ῥαγάδια Græci vocant. Id si recens est, quiescere homo debet, & in aqua calida desidere. Columbina quoque oua coquenda sunt, & vbi indurerunt, purganda: deinde alterum iacere in aqua bene calida debet, altero calido foueri locus, sic vt inuicem vtroque aliquis vtatur. Tum tetrapharmacum, aut rhypodes rosa diluendum est, aut * hyssopum recens miscendum cum cerato liquido ex rosa facto. Aut eidem cerato liquido plumbum elotum adiiciendum. Aut resinæ terebinthinæ myrrha, aut spumæ argenti vetus oleum. * Et quolibet ex his id perungendum. Si quicquid læsum est, extrà est, neque intus reconditum, eodem medicamento tinctum linamentum superdandum est, & quicquid antè adhibuimus cerato contegendum. In hoc autem casu neque acribus cibis vtendum, neque asperis, nec alum comprimentibus: * ne aridum quidem quicquam satis vtile est, nisi admodum paulum. Liquida, lenia, pinguia, glutinosa meliora sunt. Vino leni vti nihil prohibet.

ENARRATIO.

RHAGADES siue fissuræ in sede fiunt, quandoque in astrictiore parte seu musculo adstringente; quandoque verò in ano: & aliquando ex influentium acrimonia consistunt; aliquando autem propter condylomatum inflammationem, partes circumsitæ rupturam sustinent. Curationes quidem primùm per medicamenta; deinde, si non successerint, per chirurgiam fiunt.

Columbina quoque oua.

IDEM testatur Hippocrates libro De fistulis; recipit tamen pro aqua vinum nigrum, vt intestinum constrinet.

De Condylomate.

CONDYLOMA autem est tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet. Id vbi ortum est, quod ad quietem, cibos, potionesque pertinet, eadem seruari debent, quæ proximè scripta sunt. Iisdem etiam ouis rectè tubercu-

berculum id fouetur. Sed deſidere antè homo in aqua debet, in qua verbenæ decoctæ ſunt ex reprimentibus. Tum rectè imponitur & lenticula cum exigua mellis parte, & ſertula campana ex vino cocta, & rubi folia contrita cum cerato ex roſa facto, & cum eodem cerato contritũ vel cotoneum malũ, vel malicorij ex vino cocti pars interior, & chalcitis *cocta *vſta
atque cõtrita, deinde *hyſſopo ac roſa excepta. Et ex ea compoſitione, quæ habet thuris P. I. ✱. aluminis ſciſſilis P. II. ✱. ceruſſæ P. III. ✱. ſpumæ argenti P. V. ✱. Quibus dum teruntur, inuicem roſa & vinum inſtillatur. *œſypo, ac roſ. id eſt roſaceo.
Vinculum autem ei loco linteolum, aut panniculus quadratus eſt, qui ad duo capita duas anſas, ab altera verò parte totidem faſcias habet: cumque ſubiectus eſt, anſis ad ventrem datis à poſteriore parte in eas adductæ faſciæ coniiciuntur, atq. vbi artatæ ſunt, dexteriori ſiniſtra, ſiniſteriori dextra procedit, circumdatæque circa aluum inter ſe nouiſſimè nodo deligantur. Sed ſi vetus condyloma iam induruit, neque ſub his curationibus deſidit, aduri medicamento poteſt, quod ex his conſtat, æruginis P. II. ✱. myrrhæ P. IIII. ✱. gummi P. VIII. ✱. thuris P. XII. ✱. ſtibis, papaueris lacrymæ, acaciæ, ſingulorũ P. XVI. ✱. quo medicamento quidam etiam vlcera, de quibus proximè dixi, renouant. Si *hoc parum in condylomate proficit, adhiberi poſſunt etiam vehementiùs adurentia. Vbi conſumptus eſt tumor, ad medicamenta lenia tranſeundum eſt. *id nondum in

ENARRATIO.

CONDYLOMATA interim cum inflammatione fiunt, interim ſine eâdem: quæ inflammationis expertia ſunt, mollia eſſe conſueuerunt; quæ verò inflammationem adiunctam habent, dura magna ex parte ſunt. Celſus inflammationem ſolam ſubſequi contendit. Sunt autem condylomata tubercula quæ in ſede fiunt, rugâ aliquâ corporum in ano conduplicatorum inſurgente, ac præter naturam intumeſcente; nonnulli varices cæcas appellant: Paulus non antè quàm obcalluerit condyloma appellat; ſiquidem quando intumuit tantùm, tuberculum nominat. quod & Celſus feciſſe videtur, qui paulo pòſt fungum vlcus pro tuberculo Æginetæ accepiſſe videtur: nam quid aliud per fungũ velit, ingenuè fateor me ignorare.

Vinculum autem ei loco.

HVIC nõ abſimile eſt Heliodori vinculũ quod inſcribitur, Caſſuta iũctura ad anũ.

De Hæmorrhoidibus.

TERTIVM autem vitium eſt, ora venarum *tanquam ex capitulis quibuſdam ſurgentia, quæ ſæpe ſanguinem *tanq. ca.

fundunt,

fundunt, αἱμοῤῥοΐδας Græci vocant. Idq́ue etiam in ore vuluæ fœminarum incidere consueuit. Atque in quibusdam parum tutò supprimitur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non fiunt. Habent enim purgationẽ hanc, non morbum. Ideóque curati quidam cum * sanguinis exitum non haberent, inclinata in præcordia ac viscera materia, subitis & grauissimis morbis correpti sunt. Si cui verò id nocet, is desidere in aqua ex verbenis debet: imponere maximè malicorium cum aridis rosæ foliis contritum, aut ex his aliqua quæ sanguinem supprimunt. Solet autem * oriri inflammatio, maximè vbi dura aluus eum locum læsit. Tum in aqua dulci desidendum est, & id fouendum ouis, imponendi vitelli cum rosæ foliis ex passo * subacto: idq́ue si intus est, digito illinendum: si extrà, supèr illitum panniculum imponendum est. Ea quoque medicamenta, quæ recentibus scissuris posita sunt, hîc idonea sunt. Cibis verò in hoc casu iisdem, quibus in prioribus, vtendum est. Si ista parum iuuant, solent imposita medicamenta adurentia, ea capitula absumere. At si iam vetustiora sunt, sub auctore Dionysio inspergenda sandaraca est, deinde imponendum quod ex his constat: Squamæ æris, auripigmenti, singulorum P. V. ✱. saxi calcis P. VIII. ✱. postero die acu compungendum. Adustis capitulis fit cicatrix, quæ sanguinem fundi prohibet. Sed quoties is suppressus est, ne quid periculi afferat, multa exercitatione digerenda materia est. Prætereaque & viris & fœminis, quibus menstrua non proueniunt, interdum ex brachio sanguis mittendus est.

* sanguis ex. n. haberet,

* ibi oriri

* subactis:

ENARRATIO.

IDEM *tradit Auicennas; atque eas tantùm curationem recipere docet, quæ prominent: nam quæ in profundo delitescunt, incurabiles dicit: fiunt enim hæmorrhoides quandoque in osculo vteri, quandoque in collo, & aliquando in ipso vtero; & aliquando, licet rarò, in pudendo contingunt. Respondent per omnia iis quæ in ano sunt: nam & sanguinem sæpenumerò profundunt.*

Ideoq́ue curati quidam.

SIC *Hippocrates sexto De morbis vulgaribus, Qui hæmorrhoides habent, inquit, neque peripneumonia, neque pleuritide, neque phagedæna, neque furunculo, neque tuberculis terebinthi figuram habentibus, corripiuntur; fortaßis autem neque lepra, fortaßis neque vitiligine. Rationem reddidimus secundo libro, vbi multa ad locum hunc facientia in medium attulimus.*

Si amus

Si anus vel os vuluæ procidit, qua curatione vtendum sit.

AT si anus ipse, vel os vuluæ procidit (nam id quoque interdum fit) considerari debet purúmne id sit, quod prouolutum est, an humore mucoso *circundatum. Si purum est, in aqua desidere homo debet, aut salsa, aut cum verbenis, vel malicorio incocta. Si humidum, vino austero subluendum est, illinendumque fæce vini combusta. Vbi vtrolibet modo curatum est, intus reponendum est, imponendaque plantago contrita, vel folia salicis in aceto cocta, tum linteolum, & supèr lana æquè deliganda, cruribus inter se deuinctis.

* circundetur.

ENARRATIO.

aut salsa.

PER muriam (inquit Aëtius) aut aquam marinam priùs anum fouere solemus prolapsum; & sæpe nullo alio auxilio opus habemus.

plantago contrita.

IN pueris tamen astringentium vsum remittere oportet, & mitiora adhibere.

De vlcere fungo simili in ano.

FVNGO quoque simile vlcus in eadem sede nasci solet. Id, si hyems est, egelida: si aliud tempus, frigida aqua fouendum est: deinde * spuma æris inspergenda, supraque ceratum ex myrteo factum, cui paulum *squamæ fuliginis, calcis sit adiectum. Si id hac ratione non tollitur, vel medicamentis vehementioribus, vel ferro adurendum est.

* squama

* æris squamæ, thuris ful. & cal. s. adiectum, si hac rat.

CAPVT XIX.

De digitorum vlceribus.

DIGITORVM autem vetera vlcera commodissimè curantur, aut lycio, aut myrrha cocta, cùm vtrilibet vinum adiectum est. In iisdem recedere ab vngue caruncula cum magno dolore consueuit, πτερύγιον Græci appellant. Oportet alumen melinum rotundum in aqua liquare, donec mellis crassitudinem habeat: tum quantum eius aridi fuit, tantundem mellis infundere & *radiculam miscere, donec similis

* rudicula

croco colore fiat, eoque illinere. Quidam ad eundem vſum
*malunt: cùm decoquere ſimul * maluam ſolent: cùm paria pondera aluminis aridi & mellis miſcuerint. Si hac ratione ea non exciderunt, excidenda ſunt: deinde digiti fouendi aqua ex verbenis, imponendumq́. ſupèr medicamentum ita factũ: Chalcitis, malicorium, ſquama æris excipiuntur fico pingui leniter cocto ex melle. Aut chartæ combuſtæ, auripigmenti, ſulphuris ignem non experti par modus cerato miſcetur ex myrteo
*ſquamæ æris facto. Aut æruginis raſæ P. I. ✱. * ſquamæ P. II. ✱. mellis cyatho coguntur, aut pares portiones miſcentur, ſaxi calcis, chalcitidis, auripigmenti. Quicquid horum impoſitum eſt, tegendum linteolo aqua madefacto eſt, tertio die digitus reſoluendus eſt. Si quid aridi eſt, iterum excidendum, ſimiliſque adhibenda curatio eſt. Si non vincitur, purgandus ſcalpello, tenuibuſque ferramentis adurendus eſt, & ſicut reliqua vſta curandus eſt. At vbi ſcabri vngues ſunt, circumaperiri debent, quà corpus contingunt, tunc ſuper eos ex hac compo-
*aliquid ſitione * æquè imponi ſandaracæ, ſulphuris, ſingulorum P. II. ✱.
*aliàs P. IIII. nitri, auripigmenti, ſingulorũ * P. II. ✱. reſinæ liquidæ P. VIII. ✱. Tertioque id die reſoluendum eſt. Sub quo medicamento
*naſcuntur. vitioſi vngues cadunt, & in eorum locum meliores * renaſcuntur.

ENARRATIO.

πτερύγιον.

SVNT nonnulli qui perperam πτερύγιον cum παρωνυχίαις, hoc eſt Latinorum Reduuiis, confundant, atque idem eſſe exiſtiment; quòd πτερύγιον has magnâ ex parte ſubſequi ſoleat. Eſt autẽ πτερύγιον (quemadmodum auctor eſt Ægineta libro 6. cap. 85.) in vnguibus carnis incrementum partem vnguis operiens. Fit autem potiſſimùm in pedis manúſque pollicibus. in pedibus quidem ex offenſione magna ex parte: in manibus autem ex neglectâ reduuiâ, & poſt inflammationem in pus mutatâ.

excipiuntur fico.

AETIVS caricas pingues torret, ita vt probè teri poſſint; atque ſic cum melle miſcet.

At vbi ſcabri vngues.

GRÆCI leproſos vngues dicunt: Auicenna baras, & lepram patientes vngues vocat: Celſus, ſicut & Plinius, ſcabros dicere maluit.

AVRE-

AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER SEPTIMVS, DE CHIRVRGIA.

A Baldvino Ronsseo *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

De Chirurgica, & qui in ea claruerint, & qualis esse Chirurgus debeat, & quid in hoc libro describatur.



Tertiam esse medicinæ partem, quæ manu curet, & vulgo notum, & à me propositum est. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit, sed manu tamen plurimum præstat, estque eius effectus inter omnes medicinæ partes euidentissimus. Siquidem in morbis cùm multum fortuna conferat, eademque sæpe salutaria, sæpe vana sint, potest dubitari secunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit. In his quoque, in quibus medicamentis maxime nitimur, quamuis profectus euidentior est, tamen sanitatem & per hæc frustra quæri, & sine his reddi sæpe manifestum est. Sicut in oculis quoque deprehendi potest, qui à medicis diu vexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quæ manu curat, euidens est, omnem profectum, vt aliquid ab aliis adiuuetur, hinc tamen *plurimum trahere. * vt plur.
Hæc autem pars cùm sit vetustissima, magis tamen ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate, quàm à prioribus ex-

culta est. Deinde posteaquàm diducta ab aliis habere professores suos cœpit, in Ægypto quoque increuit, Philoxeno maximè auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissimè comprehendit. Gorgias quoque & Sostratus, & *Hieron, & Apollonij duo, & Ammonius Alexandrinus, multique alij celebres viri, singuli quædam repererunt. Ac Romæ quoque non mediocres professores, maximeque nuper Tryphon pater, & Euelpistus, * &, vt ex scriptis eius intelligi potest, horum eruditissimus Meges, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei disciplinæ adiecerunt. Esse autem chirurgus debet adolescens, aut certè adolescentiæ propior, manu strenua, stabili, nec vnquàm intremescente, eaque non minus sinistra, quàm dextra promptus, acie oculorum acri, claraque, animo intrepidus, immisericors, sic vt sanari velit eum, quem accipit, non vt clamore eius motus, vel magis quàm res desiderat, properet, vel minus quàm necesse est, secet: sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. Potest autem requiri, quid huic parti propriè vendicandum sit, quia vulnerum quoque vlcerumq. multorum curationes, quas alibi executus sum, chirurgi sibi vendicant. Ego eundem quidem hominẽ posse omnia ista præstare concipio. Atque vbi se diuiserunt, eum laudo, qui quamplurimum percipit. Ipse autem huic parti ea reliqui, in quibus vulnus facit medicus, non accipit, & in quibus vulneribus vlceribúsve plus perfici manu, quàm medicamento credo: tum quicquid ad ossa pertinet, quæ deinceps exequi adgrediar, dilatisque in aliud volumen ossibus, in hoc cætera explicabo: præpositisque his, quæ in qualibet parte corporis fiunt, ad ea, quæ proprias sedes habent, transibo.

*Herones,

* Phlegetis filius, &, vt

CAPVT I.

De Luxatis.

LVXATA igitur, in quacunque parte corporis sunt, quamprimum sic curari debent, vt quà dolor est, ea scalpello cutis crebro incidatur, *detergaturque eodem aduerso profluens

*detergeaturque

fluens sanguis. Quòd si paulò tardiùs subuenitur, iamque etiam rubor est, qua rubet corpus, si tumor quoque accessit, quacunque is est, *id optimum auxilium est. Tum superdanda reprimentia sunt: maximeque lana succida ex aceto & oleo. Quòd si leuior is casus est, possunt etiam sine scalpello imposita eadem mederi. Et si nihil aliud est, cinis quoque maximè ex sarmentis. Si is non est, quilibet alius ex aceto, vel etiam ex aqua coactus. * id idem.

ENARRATIO.

Luxata igitur.

IMPROPRIE admodùm luxationis nomine hic vsus videtur Celsus pro contusione: clarum nanque est luxatum membrum id propriè dici, quod suo loco motum est; de quo sequenti libro tractat.

CAPVT II.

De his quæ per se intumescunt, quomodo excidenda, & curanda sint.

VERVM hoc quidem promptum est. In his autem negotium maius est, quæ per se vitio intus orto intumescunt, & ad suppurationem spectant. Ea omnia genera abscessuum esse aliàs proposui, medicamentaque eis idonea executus sum. Nunc superest, vt dicam in iisdem quæ manu fieri debeant. Ergo priusquam indurescant, cutem incidere, & cucurbitulam accommodare oportet, quæ quicquid illuc malæ corruptæque materiæ coiit, extrahat, idque iterum tertioque rectè fit, donec omne indicium inflammationis *excidat. Neque tamen fas non est, nihil *cucurbitula agere. Interdum enim, sed rarò, quicquid abscedit, velamento suo includitur, id antiqui tunicam nominabant. Meges, quia tunica omnis neruosa est, dicit non nasci sub eo vitio neruum, quo caro consumeretur, sed subiecto iam vetustiore pure callum circundari. Quod ad curationis rationem nullo loco pertinet, quia quicquid dixi, si tunica est, idem si callus est, fieri debet. Neque vlla res prohibet, etiam si callus est, tamen quia cingit, tunicam nominari. Tum pure quoque maturior * excedat. * cucurbitulam *Tunica.*

hæc interdum esse consueuit. Ideoque quod sub ea est, extrahi per cucurbitulam non potest. Sed facilè id intelligitur, vbi nihil admota illa mutauit. Ergo siue id incidit, siue iam durities est, in hac auxilij nihil est. Et vt aliàs scripsi, vel auertenda concurrens eò materia, vel digerenda, vel ad maturitatem perducenda est. Si priora contigerunt, nihil præter ea necessarium est. Si pus maturuit in alis quidem & in inguinibus, rarò secandum est. Item vbicunque mediocris abscessus est. Item quoties in summa cute, vel etiam carne vitium est, nisi festinare * curantis imbecillitas cogit. Satisque est * cataplasmata efficere, vt per se pus aperiatur. Nam fere sine cicatrice potest esse is locus, qui expertus ferrum non est. Si autem altius malum est, considerari debet, neruosúsne is locus sit, an non sit. Nam si sine neruis est, candenti ferramento aperiri debet. Cuius hæc gratia est, quòd exigua plaga diutius ad pus euocandum patet, paruaque postea cicatrix fit. At si nerui iuxtà sunt, * in his periculum est, ne vel distendantur hi, vel membrum debilitent. Necessaria verò opera scalpelli est. Sed cætera etiam subcruda aperiri possunt. Inter neruos verò vltima expectanda maturitas est, quæ cutem extenuet, eique pus iungat, quò propiùs reperiatur. Itemque *aliam rectam * plagam desiderant in * carne, quia fere vehementer cutem * extenuat, tota ea super pus excidenda est. Semper autem vbi scalpellus admouetur, id agendum est, vt & quamminimæ, & quàm * parcissimæ plagæ sint: cum eo tamen vt necessitati succurramus & in modo & in numero. Nam maiores sinus, latiùs interdum etiam duabus aut pluribus lineis incidendi sunt. Dandaque opera, vt imus sinus exitum habeat, nequis humor intus subsidat, qui proxima & adhuc sana rodendo sinuet. Est etiam in rerum natura, vt cutis latiùs excidenda sit. Nam vbi post longos morbos totus corporis habitus vitiatus est, lateque se sinus * diffudit, & in eo pars cutis pallet, scire licet eam iam emortuam esse, & inutilem futuram. Ideoque excidere commodius est, maximè si circa articulos maiores id euenit, cubantemq́. ægrum fluens aluus * exercuit, neque per alimenta quicquam corpori accedit.

* cubantis
* cataplasmatis
* in hoc
* alia
* solum pl.
* cute: alia, quia
* extenuāt,
* paucissimæ
* suffudit,
* exhaurit, al. exhausit,

dit. Sed excidi ita debet, vt plaga ad similitudinem myrtei folij fiat, quo faciliùs sanescat. Idque perpetuum est. * Vbicunque medicus ex quacunque caussa cutem excîdit, pure effuso in alis vel inguinibus, linamento opus non est. Spongia ex vino imponenda est. In cæteris partibus si æquè ea linamenta superuacua sunt, purgationis caussa paulum mellis infundendum, dein glutinantia supèr danda. Si illa necessaria sunt, super ea quoque similiter dari spongia eodem modo ex vino expressa debet. Quando autem linamentis opus sit, quando non sit, aliàs dictum est. Cætera eadem, incisa suppuratione, facienda sunt, quæ vbi per medicamenta rupta est, facienda esse proposui.

*, vb. m. & quac. de cau. c. excidat. Pure.

Enarratio.

ABSCESSVM, ἀπόστημα Græci vocant. eius duplex genus est, vt XIIII. methodi medendi docet Galenus; vnū, quum phlegmone in pus versâ, pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectum; alterum, quum nulla præcedente phlegmonè humor aliquis statim ab initio, isq; aliâs specie alius, cæterùm omnino acris, in parte aliqua colligitur. Porrò excoriat hic circumposita corpora, spacium videlicet sibi moliens, vel inter duas tunicas, vel sub certis membranis.

Ergo priusquam.

ETSI quam maximè vtilis sit vsus cucurbitæ; cauendum tamen est, ne ante vniuersalem purgationem applicetur, quòd periculum sit ne plus noxij humoris ad particulam affectam attrahatur, quàm per eandem euacuari poßit.

Si pus maturuit.

IDEM suadere videtur Galenus XIII. methodi Therapeuticæ: Si pus aliquod, inquit, notabile in suppurante particula sit contentum, non expedit (quod nonnulli faciunt) protinus incidere; imò exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, quorum vsus ex affectu sit coniectatus. A duris autem abstinendum est; qualia emplastra sunt: nam & phlegmones reliquias contrahunt, & rursus phlegmonem in ægra parte excitant; quo fit vt Celsus cataplasmata satis id efficere dixerit. Verùm cur si inflammationi contumax sit phlegmon, in alis & inguinibus raro secandum dicat, admodùm demiror; præsertim quando Galenus, Aëtius, atque alij omnes intrepidè sectionem faciant, adhibita interim cautione, ne neruos, arterias aut tendones incidamus. Nam alioqui si vltra tempus sectionem differamus, grauißimo symptomati fenestrā aperiemus. siquidem (vt secundo De arte curatiua ad Glauconem libro Galenus) tumores qui in abscessum vertuntur, tardè inciduntur, aut medici imperitia, aut eorum qui curantur timiditate, sectionem non admittentium, sed diutiùs protelando, cutem ab eiusmodi pure erodi sustinentium. hanc vniuersam à congesto in abscessu pure, attriti panniculi in modum, vehementer attenuari sæpè contingit, vnde & eiusmodi cutem ægrè coalescere videmus. Resectione igitur tam in alis quàm in inguinibus, ex Galeni & Aëtij Amideni præscripto, vtemur ad myrtei folij formam, longa videlicet & angusta; quin etiam si sic ferat occasio, vt sub axillis pars aliqua ex erosione computruerit, non verentur portionem aliquam suppurantis partis exscindere.

Semper

Semper autem.

SIQVIDEM magnarum sectionum occasione, vt auctor est Galenus libro XIII. Methodi particula vbi ad cicatricem est perducta, non solùm turpißima redditur, sed etiam fit imbecillis, & quæ sæpe homini admotus sit in mora.

ad similitudinem myrtei folij.

SECTIO quæ myrtacei folij formam imitatur, est longitudinis, quàm latitudinis maioris, ac facillimè curationem admittit: nam circularis figura ad curationem inidonea est. atque ob id rotunda vlcera difficilius curationem recipere dicunt.

linamento opus non est.

GALENVS tantùm siccantibus vtitur. De mellis præparaturâ legito eundem De arte curatiua secundo.

CAPVT III.

De bonis malisúe signis exulceratorum.

PROTINVS autem quantum curatio efficiat, quantumque aut sperari aut timeri debeat, ex quibusdam signis intelligi potest, fereque iisdem quæ in vulneribus exposita sunt. Nam bona signa sunt, somnum capere, facilè spirare, siti non confici, cibum non fastidire, si febricula fuit, ea vacare. Itemque habere pus album, *leue, non fœdi odoris. Mala sunt, vigilia, spiritus grauitas, sitis, cibi fastidium, febris, pus nigrum, aut feculentum, & fœdi odoris. Item procedente curatione eruptio sanguinis: aut si antequàm sinus carne impleatur, oræ *carnosæ fiunt. Illa quoque ipsa carne hebete nec firma, deficere tamen animam, vel ipsa curatione vel postea, pessimum omnium est. Quinetiam morbus ipse siue subitò solutus est, dein suppuratio exorta est, siue effuso pure permanet, non iniustè terret. Estque inter causas timoris, si sensus in vulnere rodentium non est. Sed vt hæc ipsa fortuua huc illúcve *discernit, sic medici partium est, eniti ad *reperiendam sanitatem. Ergo quoties vlcus *resiluerit, eluere id: si reprimendus humor videbitur, vino ex aqua pluuiatili misto, vel aqua in qua lenticula cocta sit, debebit. Si purgandum erit, mulso: rursúsque imponere eadem. Vbi iam repressus videbitur humor, vlcúsque purum erit, producí carnem conueniet, & foueri vulnus pari portione vini ac mellis, superque imponi spongia ex vino & rosa tincta. Per quæ

*laeue

*callosæ fiunt, il.q. i.c.h.n. firma. Deficere t. a. vel in ipsa

*decernit,

*recuperandam

*resilierit,

quæ cùm caro producatur, plus tamen (vt aliàs quoque dixi) victus ratio eo confert, id est solutis iam febribus & cibi cupiditate reddita, balneū rarum, quotidiana, sed lenis, gestatio, cibi potionesq. corpori reficiendo. * Apteque omnia quæ per medicamenta suppuratione quoq. rupta sequuntur, sed quia magno malo vix sine ferro mederi licet, in hunc locum reseruata sunt. * aptæ. Quæ o. p. m. s. q. rupta seq.

ENARRATIO.

Itemque habere pus album.

PVS, *inquit in Prædictionibus Hippocrates, optimū est, si candidum, æquale, læuéque & quàm minimè fœtidum est: maximè verò contrarium huic, deterrimum est; nam quod putidum, & graueolens est, putrefactionem denotat.*

& foueri vulnus.

VINVM *enim per se inter omnia præsidia est aptißimum, quum glutinandi vim quam habet vlceribus necessariam ad penitiores vsque partes transmittat: hinc Hippocrates, Vlcera, inquit, vniuersa nisi vino humectare non oportet, si non in articulo fuerit vlcus. Celsus ad modicam abstersionem non omnino malè mel addidit.*

CAPVT IIII.

De fistulis.

ADVERSVS fistulas quoque, si altiùs penetrant, vt ad vltimas demitti collyrium non possit, si tortuosæ sunt, si multiplices, maius in manu quàm in medicamentis præsidium est, minusque operæ est, si sub cute transuersæ feruntur, quàm si *rectè intus tendunt. Igitur si sub cute transuersa fistula est, demitti specillum debet, supraq. id ea incidi: si flexus reperiuntur, hi quoque simul specillo & ferro *persequendi sunt. Idemque faciendum, si plures se quasi ramuli ostendunt. Vbi ad fines fistulæ ventum est, excidendus ex toto callus est, superque fibulæ dandæ, & medicamentum quo glutinetur. At si rectà subter tendit, vbi, quò maximè ferat, specillo exploratum est, *excidi is sinus debet, dein fibula oris cutis iniicienda est, & æquè glutinantia medicamenta superdanda sunt. Aut si corruptius vlcus, quod interdum osse vitiato fit, vbi id quoque curatum est, pus mouentia. Solent autem inter costas fistulæ subter *exire: quod vbi incidit, eo

* rectæ

* persecandi

* incidi

* ire,

loco costa ab vtraque parte decidenda & eximenda est, ne quid intus corruptum relinquatur: solent * vbi crustas transierunt, septum id, quod transuersum à superioribus visceribus intestina discernit, violare. Quod intelligi & ex loco, & ex magnitudine doloris potest, & quia nonnunquam spiritus eò cum humore quasi bullante prorumpit, maximeque si hunc ore ille continuit. In eo medicamini locus nullus est. In cæteris verò quæ circa costas sanabilia sunt, pinguia medicamenta inimica sunt, cæteris quæ ad vulnera accommodantur, vti licet. Optimè tamen sicca linamenta, vel, si purgandum aliquid videtur, in melle tincta imponuntur. Ventri nullum os subest, sed ibi perniciosæ admodum fistulæ fiunt; adeo vt Sostratus insanabiles esse crediderit. Id non ex toto ita se habere vsus ostendit. Et quidem (quod maximè mirum videri potest) tutior fistula est contra iecur, & lienem, & ventriculum, quàm contra intestina: non quo perniciosior res ibi sit, sed quo alteri periculo locũ faciat. Cuius experimento moti quidam auctores *parũ modum rei cognouerunt. Nam venter sæpe etiam telo perforatur, prolapsaque intestina conduntur, & oras vulneris suturæ comprehendunt, quod quemadmodum fiat, mox indicabo. Itaque etiam vbi tenuis fistula abdomen perrumpit, excidere eam licet, suturaque oras coniungere. Si verò ea fistula intus patuit, excisa necesse est latius foramen relinquat, quod nisi magna vi vtique ab interiore parte sui non potest, qua quasi membrana quædam finit abdomen, quam περιτόναιον Græci vocant. Ergo vbi aliquis ingredi ac moueri cœpit, rumpitur illa sutura, atque intestina soluuntur. Quo fit, vt pereundum homini sit. Sed non omni modo res ea desperationem habet. Ideoq. tenuioribus fistulis adhibenda curatio est.

* autẽ vbi

* scripserunt, parum tamẽ mod.

ENARRATIO.

pus mouentia.

POST callosarum partium sectionem, carnosis quidem partibus suppurandi ductum exhibemus, & desquammata ossa exiccare conabimur, inquit Aëtius. Basilicum quidem emplastrum suppurandi vim habet; cephalica autem omnia siccandi.

Solent autem.

PAVLVS *Æginæta nequaquam attingendas, vel certè cum multa artificiosáque diligentia attrectandas dicit.*

De ani

De ani fiſtulis.

PROPRIAM etiamnum animaduerſionem deſiderant *ex,
*ea, quæ in ano ſunt. In *hac demiſſo ſpecillo, ad vlti- *hanc ad has
mum eius caput incidi cutis debet, dein nouo foramine ſpe-
cillum educi lino ſequente, quod in aliam eius partem ob idi-
pſum perforatam coniectum ſit. Ibi linum prehendendum,
vinciendumque cum altero capite eſt, vt laxè cutem, quæ ſu-
per fiſtulam eſt, teneat. Idque linum eſſe debet crudum,&
duplex triplexve,ſic tortum vt vnitas facta ſit. Interim autem
licet negotia agere, ambulare, lauari, cibum capere perinde
atque ſaniſſimo. Tantummodo id linum bis die ſaluo nodo
ducendum eſt,ſic vt ſubeat fiſtulam pars quæ *ſuperior fuerit. *exterior
Neque committendum eſt, vt id linum putreſcat. Sed ter-
tio quoque die nodus reſoluendus eſt,& ad caput alterum re-
cens linum alligandum, eductoque vetere, id in fiſtula cum
ſimili nodo relinquendum. Sic enim id paulatim cutem,quæ
ſupra fiſtulam eſt, incîdit, ſimulque & id ſaneſcit, quod à li-
no relictum eſt, & id quod ab eo mordetur , inciditur. Hæc
ratio curationis longa,ſed ſine dolore eſt. Qui feſtinat, aſtrin-
gere cutem lino debet, quo celerius ſecet,noctuque* penicil- *ex pen.
lo tenuia quædam intus demittere, vt cutis hoc ipſo extenue-
tur,quo extenditur. Sed hæc dolorem mouent. Adijcitur ce-
leritati * ſic, vt tormento quoque, ſi & linum & id quod ex *ſicut
penicillo eſt, aliquo medicamento illinitur,ex his quibus cal-
lum excedi poſui. Poterit tamen fieri vt ad ſcalpelli curatio-
nem etiam illò loci veniendum ſit, ſi intus fiſtula fert, ſi mul-
tiplex eſt. Igitur in hæc genera demiſſo ſpecillo duabus lineis
incidenda cutis eſt, vt media inter eas habenula tenuis admo-
dum eijciatur, ne protinus *ora coëant, ſitque locus aliquis *oræ
linamentis, quæ quàm pauciſſima ſuperinijcienda ſunt, om-
niaque eodem modo facienda, qui in abſceſſibus poſitus eſt.
Si verò ab vno ore plures ſinus erunt,* rectè fiſtula ſcalpello *recta
erit incidenda,ab eo cæteræ quæ iam patebunt lino excipien-
dæ: ſi intus aliqua procedet, quò ferrum tutò peruenire non
poterit,collyrium demittendum erit. Cibus autem in omni-

bus eiuſmodi caſibus, ſiue manu ſiue medicamentis, agetur, dari debet humidus, potio liberalis, diuque aqua: vbi iam caro increſcit, tum demum & balneis raris vtendum erit, & cibis corpus implentibus.

ENARRATIO.

In hac demiſſo ſpecillo.

PAVLVS Ægineta, hanc per linum curandi rationem, ad eos tantùm pertinere auctor eſt, qui ſcalpellũ pertimeſcunt. Cæterùm Celſus hunc medendi modum ex Hippocratis libro De fiſtulis mutuatus eſt, vbi ſic habet: Crudum linum tenuiſsimum accipito, & ad palmi longitudinem quincuplicato, & pilum equinum circumdato; deinde facto ſpecillo ſtanneo in ſumma parte perforato, & initio lini complicati in ſpecillum immiſſo, in fiſtulam demittito, & ſimul ſiniſtræ manus digitũ in ſedem indito, &c.

Neque committendum eſt.

HIPPOCRATES ne putreſcat, equinâ ſetâ obuoluit.

Qui feſtinat.

GALENVS in eiuſmodi caſu perquirendum ab ægrotante dicit, malit'ne tardiùs ac ſine magna moleſtia ſanari; an celeriùs, ſed cum maiore tormento.

CAPVT V.

De Telis è corpore extrahendis.

TELA quoque quæ illata corporibus intus hæſerunt, magno negotio ſæpe eiiciuntur. Suntque quædam difficultates ex generibus eorum, quædam ex his ſedibus, in quas illa penetrarunt. Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte qua venit, aut ab ea in quam tetendit. Illic viam qua redeat, ipſum ſibi fecit. Hîc à ſcalpello accipit. Nam contra mucronem caro inciditur. Sed ſi non altè telum inſedit, & in ſumma carne eſt, aut certè magnas venas & loca neruoſa non tranſiit, nihil melius eſt, quàm quà venit, id euellere. Si verò plus eſt, per quod telo reuertendum, quàm quod perrumpendum eſt: iamque venas neruoſque id * tranſit, commodius eſt aperire quod ſupereſt, * itaque extrahere. Nam & propiùs petitur, & tutiùs euellitur, & in maiore membro ſi medium mucro tranſiit, faciliùs ſaneſcit quod peruium eſt, quia vtrinque medicamento fouetur. Sed ſi retro telum recipiendum eſt, amplianda ſcalpello plaga eſt, quo faciliùs id ſequatur, quoque minor oriatur inflammatio: quæ maior

* tranſiit,
* eaque al. ac ita

fit,

fit, si ab illo ipso telo dum redit, corpus laniatur. Item si ex alia parte vulnus aperitur, laxius esse debet, quàm vt telo postea transeunte amplietur. Summa autem vtraque* parte ita habenda cura est, ne neruus, ne vena maior, ne arteria incidatur. Quorum vbi aliquid detectum est, excipiendum hamo retuso est, abducendumque scalpello. Vbi autem satis incisum est, telum eximendum est, tum quoque eodem modo & eadem cura habita, ne *sub eo quod eximetur, aliquid eorum lædatur, quæ tuenda esse proposui. Hæc communia sunt. Propria quædam in singulis telorum generibus* subiicienda sunt, quæ protinus subiiciam. Nihil tam facilè in *corpore quàm sagitta conditur, eademque altissimè* insidit. Hæc autem eueniunt, & quia magna vi fertur illa, & quia ipsa *in angusto est. Sæpius itaque ab altera parte, quàm ex qua venit, recipienda est, præcipueque quia fere spiculis cingitur, quæ magis laniant, si retro, quàm si contrà trahuntur. Sed inde aperta via, caro diduci debet ferramento ad similitudinem facto Græcæ literæ ψ. Deinde vbi apparuit, si *mucro, si arundo inhæret, propellenda est, donec ab altera parte adprehendi & extrahi possit. Si iam illa decidit, solumque intus ferrum est, mucro vel digitis adprehendi, vel *forfice, atq. ita educi debet. Neque alia ratio extrahendi est, vbi ab ea parte qua venit, euelli magis placuit. Nam ampliato vulnere, aut arundo, si inest, euellenda est: aut si ea non est, ferrum ipsum. Quod si spicula apparuerunt, eaque breuia & tenuia sunt, *forfice ibi comminui debent, vacuumque ab his telum educi: si ea maiora valentioraque sunt, *fissis scriptoriis calamis contegenda, ac ne quid lacerent, sic euellenda sunt. Et in sagittis quidem hæc obseruatio est. Latum verò telum si conditum est, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti vulneri ipsi quoque ingens vulnus adiiciamus. Euellendum est ergo genere quodam ferramenti, quod Diocleum Græci graphiscum vocant, quoniam auctorẽ Dioclem habet, quem inter priscos maximosque medicos fuisse iam posui. Lamina vel ferrea vel ænea etiam ab altero capite duos vtrinque deorsum conuersos vncos habet, ab altero duplicata lateribus,

*parte hab.
*ab eo
*adiicienda
*corpus
*incedit.
*angusta est.
*mucroni arundo
*forcipe,
*forcipe
*fixis

*extrema, leuiterque in

*leuiterque extrema in eam partem inclinata, quæ sinuata est, insuper ibi etiam parte inclinata, quæ perforata est. Hæc iuxta telum transuersa demittitur. Deinde, vbi ad imum mucronem ventum est, paulum torquetur, vt telum foramine suo excipiat. Cùm in cauo mucro est, ilico duo digiti subiecti partis alterius vncis, simul & ferramentum id extrahunt & telum. Tertium genus telorum est, quod interdum euelli debet, plumbea glans, aut lapis, aut simile aliquid, quod perrupta cute, integrum intus insedit. In omnibus his latius vulnus aperiendum, idque quod inest, ea quà venit, forfice extrahendum est. Accedit verò aliquid difficultatis sub omni ictu, si telum vel ossi inhæsit, vel in articulo se inter duo ossa demersit, in osse vsque eo mouendum est, donec is locus laxetur, qui mucronem momordit, & tum vel manu vel forfice telum extrahendum est, quæ ratio in dentibus quoque eiiciendis est. Et vix vnquam ita telum non sequitur. Sed si morabitur, excuti quoque *ictum aliquo ferramento poterit. Vltimum est, vbi non euellitur, terebra iuxtà forare, ab eo quoque foramine ad speciem literæ ᛘ contra telum os excidere, sic vt lineæ quæ* deducuntur, ad telum spectent: eo facto id necesse est labet, & facilè auferatur. Inter duo verò ossa si per ipsum articulum perruperit, circa vulnus duo membra fasciis habenisve deliganda, & per has in diuersas partes diducenda sunt, vt neruos distendant. Quibus extentis laxius inter ossa spatium est, vt sine difficultate telum recipiatur. Illud videndum est, sicut in aliis locis posui, ne quis neruus, aut vena, aut arteria à telo lædatur, dum id extrahitur, eadem scilicet ratione quæ suprà posita est. At si venenato quoque telo qui ictus est, iisdem omnibus, si fieri potest, etiam festinantius actis adiicienda curatio est, quæ vel epoto veneno, vel à serpente ictis adhibetur. Vulneris autem ipsius extracto telo medicina non alia est, quàm quæ esset, si corpore icto nihil inhæsisset. De qua satis alio loco dictum est.

*victum

*diducuntur,

ENAR-

ENARRATIO.

PROLIXE admodùm Celsus atque clarè telorum eximendorum rationem edocuit; adeò vt ampliore enarratione non egeat.

Diocleum.

IOANNES Cæsarius, legendum fortaßis belelcum, ἀπὸ τοῦ βέλους καὶ ἕλκω, vel belulcum ex eadem deriuatione; sed κατὰ συναίρεσιν ο καὶ ε vocalium. Ægineta eiusdem meminit; alij Diocleum à Diocle inuentore nominant.

At si venenato.

PAVLVS Ægineta totam carnem quæ veneno iam immutata est, si quidem fieri potest, præcidere iubet; agnosci autem eam quod à sana carne differat: pallida enim, sublinida, & velut emortua apparet.

CAPVT VI.

De Gangliis, & Meliceride, & Atheromate, & Steatomate capitis tuberculis.

HÆC venire in qualibet parte corporis possunt. Reliqua certas sedes habent, de quibus dicam, orsus à capite. In hoc multa variaque tubercula oriuntur, γαγγλία, μελικηρίδας, & ἀθερώματα nominant, aliisque etiamnum vocabulis quædam alij discernunt, quibus ego στεατώματα quoque adiiciam. Quæ quamuis & in ceruice & in alis & in lateribus oriri solent, per se tamen non posui, cùm omnia ista mediocres differentias habeant, ac neque periculo terreant, neque diuerso genere curentur. Omnia autem ista & ex paruulo incipiunt, & diu paulatimque increscunt, & tunica sua includuntur. Quædam ex his dura ac renitentia, quædam mollia cedentiaque sunt: quædam spatio nudantur, quædam tecta capillo suo permanent, fereque sine dolore sunt. Quid intus habeant, vt coniectura præsagiri potest, sic ex toto cognosci, nisi cùm * eiecta sunt, non potest. Maximè tamen in his quæ renituntur, aut lapillis quædam similia, aut concreti confertique pili reperiuntur. In his verò quæ cedunt, aut melli simile aliquid, aut tenui pulticulæ, aut quasi rasæ cartilagini, aut carni hebeti, & cruentæ, quibus * aliqui colores esse consuerunt, fereque ganglia renituntur. Atheromati subest, quasi tenuis pulticula. Meliceridi liquidior humor, ideoque pressus

* execta

* aliique

preſſus circumfluit. Steatomati pingue quiddam, idque latiſſimè patere conſueuit, reſoluitque totam cutem ſuperpoſitam, ſic, vt ea labet, cùm in cæteris ſit adſtrictior. Omnia deraſa antè, ſi capillis conteguntur, per medium oportet incidere: ſed ſteatomatis tunica quoque ſecanda eſt, vt effundatur quicquid intus coit: quia non facilè à cute, *ſubiecta carne, ea ſeparetur. in cæteris ipſa tunica inuiolata ſeruanda eſt. Protinus autem alba & intenta ſe oſtendit. Tum ſcalpelli manubriolo diducenda à cute & à carne eſt, eiiciendaq. cum eo quod intus tenet. Si quando tamen ab inferiore parte tunicæ muſculus inhæſit, ne is lædatur, ſuperior pars illius decidenda, alia ibidem relinquenda eſt. Vbi tota exempta eſt, committendæ oræ, fibulaque his iniicienda, & ſupèr medicamentum glutinans dandum eſt. Vbi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum eſt, pus mouentia adhibenda ſunt.

* & ſub c. ea ſeparetur,

ENARRATIO.

γαγγλία.

CELSVS ganglia in capite potiſſimùm oriri dicit; quamuis & alias ſedes habeant: Paulus & Aëtius id negant, ac frequentiùs quidem manuum iuncturas ac talos occupare dicunt, rariúſque cubitum & caput. Eſt autem ganglium tumor inæqualis, paruus, & dum comprimitur ſtupidum ſenſum exhibens, non in alto, ſed ipſa ſub cute radices agens.

neque diuerſo genere.

GANGLIA tamen, ſi talos aut manuum iuncturas obſederint, ſectionem recuſant, quã alioqui in capite admittunt; quum aliàs periculum eſſet ne ſectione pars affecta mutila redderetur.

& tunica ſua includuntur.

IN hoc ab abſceſſibus differunt, qui nulla peculiari membrana, aut tunica incluſi ſunt.

Maximè tamen in his.

VIDETVR hìc tacitè innuere tuberculi quandam ſpeciem, in qua res diuerſæ continentur; exempli cauſa, cœnum, rhombus, mucus, oſſa, pili, lapides, oſtraca, & id genus alia, quale non ita dudum videre contigit. Erat ſupra genu tumor, quem nec omnino renitentem, nec cedentem rectè appellaueris. hic indies magis ac magis excreſcebat; & quum medicamentis non cederet, ad manus operam deuenimus. inciſione igitur facta primùm ſanguis, deinde ſubſtantia quædam papyro bibulæ non abſimilis ſeſe obtulit; quam cùm paulatim cum ſua tunica euulſiſſemus, vulnus ſicuti reliqua recentia vulnera reſtituimus. Aëtius ſub atheromate comprehendiſſe videtur, quum dicit, aliquando in pultaceo humore lapidoſa quædam duráque corpora, & alia tanquam ſulphuris ramenta comprehendi; aliquando velut gallinarum oſsicula manſa; interdum etiam ſe inueniſſe teſtatur velut pilos craſſiſſimo humore complicatos.

ſed ſteatomatis tunica.

IN meliceride & atheromate tunicæ inciſionẽ formidamus, quòd nimirum ſi humor euacuatus fuerit, ac tumor conciderit,

tunica difficulter excoriari & curari poterit: necesse enim est tunicam seu membranam humorem continentem auferri; nam si vel minima illius portio relinquatur, renascendi illius occasionem præbebit. In steatomate autem quum adiposa illa pinguedo difficulter effluat, in tunicæ dissectione, usqueadeò urgens periculum non est; quòd quum non concidat tumor, leni occasione tunicam ipsam eduxeris.

CAPVT VII.

De oculorum vitiis quæ scalpello & manu curantur.

SED vt hæc neque genere vitij neque ratione curationis inter se multum distant, sic in oculis, quæ manum postulant, & ipsa diuersa sunt, & aliter aliterque curantur. Igitur in superioribus palpebris vesicæ nasci solent pingues grauesque, quæ vix attollere oculos sinunt, leuesque pituitæ cursus, sed assiduos in oculis mouent. Fere verò in pueris nascuntur. Oportet compresso digitis duobus oculo, atque ita cute intenta, scalpello * transuersam lineam incidere, suspensa leuiter manu, ne vesica ipsa vulneretur, & vt * locus ei patefactus est, ipsa prorumpat, tum digitis eam apprehendere oportet, & euellere. Facilè autem sequitur. Dein superungi collyrio debet ex his aliquo, quo lippientes oculi superinunguntur, paucissimisque diebus cicatricula inducitur. Molestius est, vbi incisa vesica est. Effundit enim humorem, neque postea, quia tenuis admodum est, pôtest colligi. Si fortè id incidit, eorum aliquid imponendum est, quæ puri mouendo sunt.

*transuersa

* quà locus

ENARRATIO.

PAVLVS *libro sexto hydatides nominat: Est autem, vt ipse dicit, pinguis quædam substantia palpebræ cuti naturaliter substrata. Horis antelucanis potissimùm defluxione tentantur, neque contra solis splendorem cernere sustinent, sed illachrymant continuísque lippitudinibus infestantur. pueris (quemadmodum docet Celsus) peculiare vitium; atque iis præsertim qui natura humidiores sunt. Auicennas alsernac, Haliabbas scissuram nominat.*

De Crithe tuberculo palpebrarum.

IN eadem palpebra super pilorum locum, tuberculum paruulum nascitur, quod à similitudine ordei, à Græcis κριθὴ nominatur. Tunica quiddam quod difficulter maturescit,

comprehenſum eſt. Id vel calido pane, vel cera ſubinde calefacta foueri oportet, ſic ne nimius is calor ſit, ſed facilè ea parte ſuſtineatur. Hac enim ratione ſæpe diſcutitur, interdum concoquitur. Si pus ſe oſtendit, ſcalpello diuidi debet, & quicquid intùs humoris eſt exprimi. Eodem deinde vapore poſtea quoque foueri, & ſuper inungi, donec ad ſanitatem perueniat.

ENARRATIO.

CRITHE tuberculum eſt oblongum figura hordeum repræſentans; ordeolum ob id ab Auicenna nominatur: alij πόσθιον ſeu præputiolum dicere maluerunt.

cera ſubinde calefacta.

EIVSDEM facultatis eſt muſcæ atque apis corpus, abiecto capite, ſi eodem crithe fricetur.

De Chalaziis palpebrarum.

ALIA quoque quædam in palpebris huic non diſſimilia naſcuntur, ſed *neque vtique figuræ eiuſdem, & mobilia ſimul atque digito huc vel illuc impelluntur. Ideoque ea χαλάζια vocant. Hæc incìdi debent, ſi ſub cute ſunt, ab exteriore parte: ſi ſub cartilagine, ab interiore. Dein ſcalpelli manubriolo *diducenda ab integris partibus ſunt. Ac ſi intùs plaga eſt, inungendum primò lenibus, deinde acrioribus. Si extrà, ſuperdandum emplaſtrum, quo id glutinetur.

*nec

*deducenda

ENARRATIO.

CHALAZIVM Latini grandinem nominant: dicunt autem grandine affici palpebras, vt auctor eſt Aëtius, quum emerſis ipſis rotundæ quædam eminentiæ pellucidæ grandini ſimiles apparent; quibus diſſectis humor euacuatur ſimilis candido oui. Paulus ocioſi humoris in palpebra colluuiem eſſe dicit. Fit etiam extra palpebras nonnunquam chalazia ſubduris fabis perſimilis: hæc quando violentiùs attingitur, dolores ingentes ſuſcitat.

De vngue oculorum, quod πτερύγιον à Græcis vocatur.

VNGVIS verò, quod pterygion Græci vocant, eſt membranula neruoſa oriens ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eiq́ officit. Sæpiùs à narium, interdum etiam à temporum parte naſcitur. Hunc recen-

tem

tem non difficile eſt diſcutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis extenuantur. Si inueterauit, iamque ei craſſitudo quoque acceſſit, excidi debet. Poſt abſtinentiam verò vnius diei, vel aduerſus in ſedili contra medicum is homo collocandus eſt, vel ſic auerſus, vt in gremium eius caput reſupinus effundat. Quidam ſi in ſiniſtro oculo vitium eſt, aduerſum: ſi in dextro, reſupinum collocari volunt. Alteram autem palpebram à miniſtro diduci oportet, alteram à medico. Sed ab hoc, ſi ille aduerſus eſt, inferiorem: ſi ſupinus, ſuperiorem. Tum idem medicus hamulum acutum paulum mucrone intus recuruato ſubiicere extremo vngui debet, eumque infigere, atque eam quoque palpebrã tradere alteri, ipſe hamulo apprehenſo leuare vnguem, eumq. acu traiicere linum trahente. Deinde acum ponere, lini duo capita apprehendere, & per ea erecto vngue, ſi qua parte oculo inhæret, manubriolo ſcalpelli diducere, donec ad angulum veniat. Deinde inuicem modò remittere, modò attrahere, vt ſic & initium eius, & finis anguli reperiatur. Duplex enim periculum eſt, ne vel ex vngue aliquid relinquatur, quod exulceratum vix vllam recipiat curationem, vel ex angulo quoque caruncula abſcindatur, quæ ſi vehementiùs vnguis ducitur, ſequitur. Ideoq. decipit: ac ſi abſciſſa eſt, *pateſcit foramen, per quod poſtea ſemper humor deſcendit, *ῥυάδα Græci vocant. Verus ergo anguli finis vtique noſcendus eſt, qui vbi ſatis conſtitit, non nimium adducto vngue ſcalpellus adhibendus eſt, deinde excidenda ea membranula, ne quid ex angulo lædatur. Eo deinde ex melle linamentum ſuperdandum eſt, ſupraque linteolum, & aut ſpongia, aut lana ſuccida; proximiſque diebus diducendus quotidie oculus eſt, ne cicatrice inter ſe palpebræ glutinentur. Siquidem id quoque tertium periculum accedit, eodemque modo linamentum imponendum, ac nouiſſimè inungendum collyrio, quo vlcera ad cicatricem perducuntur. Sed ea curatio *vere eſſe debet, aut certè ante hyemem. De qua re ad plura loca pertinente ſemel dixiſſe ſatis erit. Nam duo genera curationum ſunt. Alia in quibus eligere tempus non licet, ſed vtendum eſt eo, quod

*patefit al. patefecit

*ῥυκάδα

*verna

incidit, ſicut in vulneribus, & in fiſtulis. Alia in quibus nullus dies vrget, & expectare tutiſſimum & facile eſt, ſicut euenit in iis, quæ & tardè increſcunt, & dolore non cruciant, in his ver expectandum eſt. Aut ſi quid magis preſſit, melior tamen autumnus vel æſtas, quàm hyems eſt. Atque is ipſe medius, iam fractis æſtatibus, nondum ortis frigoribus. Quo magis autem neceſſaria pars erit, quæ tractabitur, hoc quoque maiori periculo ſubiecta eſt, & ſæpe quo maior plaga facienda, eo magis hæc temporis ratio ſeruabitur.

ENARRATIO.

EANDEM curandi rationem deſcribunt Paulus & Aëtius: Caßius duplex pterygij genus facit; primum, quoties neruoſa quædam eminentia adnatæ adnaſcitur, quæ ab angulo maiori oritur, & progreditur vſque ad corneam, & pupillam: alterum, quũ adnata in calloſum tuber excreſcit; quo piſcatores maximè infeſtari idem auctor eſt.

Duplex enim periculum.

PRÆTER hæc etiam cauendum docet Aëtius ne palpebras attingamus; inciſis enim palpebris, inquit, his concretiones accidunt.

quod exulceratum vix.

NON ſolùm exulceratur, ſed & frequenter regeneratur, quemadmodum de tunica meliceridis iam anteà diximus: quare ſi quid eius reliquum ſit, pharmaco aliquo conſumendum eſt.

ῥυάδα Græci vocant.

IOANNES Cæſarius autoritate Hermolai Barbari, & Galeni ῥυάδα (cùm anteà eſſet ῥυπάδα) legendum contendit; nec malè: nam & Paulus ſic appellat: Aëtius verò ῥοιάδα nominat.

De Encanthide tuberculo.

EX CVRATIONE verò vnguis, vt dixi, vitia naſcuntur, quæ ipſa aliis quoque de cauſſis oriri ſolent. Interdum enim fit in angulo parum vngue exciſo, vel aliter tuberculum, quod palpebras parum diduci patitur, ἐγκανθὶς Græcè nominatur. Excidi hamulo & circuncidi debet, hîc quoque diligenter temperata manu, ne quid ex ipſo * abſcindat. Tum exiguum linamentũ reſpergendum eſt, vel cadmia, vel atramento ſutorio, inque eum angulum diductis palpebris inſerendum, ſupraque eodem modo deligandum, proximiſque diebus ſimiliter nutriendum, tantùm vt primis aqua egelida, vel etiam frigida foueatur.

* abſcindatur.

ENAR-

ENARRATIO.

ENCANTHIDEM *vocat, quum magnus oculi angulus ad nasum auctus carne excreuit: Auicenna additionem carnis lachrymalium vocat. Morbus canibus admodùm familiaris, atque eos potissimùm homines inuadit, qui frequenter in mari versantur. Estque duplex: aut enim maligna est, aut non maligna; atque hæc quidem dolore vacat, mollis, & sublaxa est: Illa inæqualis, & pungentes dolores affert, ac in totum dimittenda est vt incurabilis.*

ne quid ex ipso abscindatur.

NAM *si quid eius exscindatur, periculum est ne subsequatur ῥύσις.*

De Ancyloblepharo oculorum vitio.

INTERDVM inter se palpebræ coalescunt, aperirique non potest oculus. Cui malo solet etiam illud accedere, vt palpebræ cum albo oculi cohærescant: scilicet cùm in vtroque fuit vlcus negligenter curatum. Sanescendo enim quod diduci potuit & debuit, *glutinabit, ἀγκυλοβλέφαρον sub vtroque vitio Græci vocant. Palpebræ tantùm inter se cohærentes, non difficulter diducuntur, sed interdum frustra, nam rursus glutinantur. Experiri tamen oportet, quia bene res sæpius cedit. Igitur aduersum specillum inserendum, diducendæque eo palpebræ sunt, deinde exigua penicilla interponenda, donec exulceratio eius loci finiatur. *Aut vbi albo ipsius oculi palpebra inhæsit, Heraclides Tarentinus auctor est, aduerso scalpello subsecare magna cum moderatione, vt neque ex oculo, neque ex palpebra quicquam abscindatur, ac si necesse est, ex palpebra potius. Post hæc inungatur oculus medicamentis, quibus aspritudo curatur, quotidieque palpebra *vertatur, non solum vt vlceri medicamentum inducatur, sed etiam ne rursus inhæreat, ipsique *etiam præcipiatur, vt sæpe eam duobus digitis attollat. Ego sic restitutum esse neminem memini. Meges se quoque multa tentasse, neque vnquam profuisse, quia semper iterum oculo palpebra inhæserit, memoriæ prodit.

*glutinauit,

*At

*euertatur,

*ægro etiã

ENARRATIO.

PAVLVS *Ægineta* συμφύοντας ὀφθαλμοὺς *nominat; Auicennas innisfcationem appellat: Aëtius quum ad album concretio palpebrarum facta fuerit, & oculi*

motus impeditur, affectionem ἀγκύλωσιν vocat.

Heraclides Tarentinus.

IDEM *ferè est quod Aëtius faciendum suadet, dum scalpello pterygiû destinato concretionem exoluit. anceps tamen videtur esse curandi ratio.*

De Aegilope, fistula oculorum.

ETIAMNVM in angulo, qui naribus propior est, ex aliquo vitio quasi parua fistula aperitur, per quam pituita assiduè distillat, αἰγίλωπα Græci vocant; idque assiduè malè habet oculum, nonnumquam etiam exeso osse vsq. ad nares penetrat, idque interdum naturam carcinomatis habet. Vbi intentæ venæ, &* recuruatæ sunt, * color pallet, cutis dura est, & leui tactu irritatur, inflammationemque in eas partes, quæ coniunctæ sunt, euocat. Ex his eos qui quasi carcinoma habent, curare periculosum est. Nam mortem quoque ea res maturat. * Ea verò quibus ad nares tendit, superuacuum: neque enim sanescunt. At quibus id in angulo est, potest adhiberi curatio, * cùm * eam non ignotum sit esse difficilem, quantoque angulo propius id foramen est, tanto difficilior est, quoniam peranguftum est in quo versari manus possit. Recenti tamen re mederi facilius est. Sed hamulo summum eius foraminis excipiendum, deinde totum id cauum, sicut in fistulis dixi, vsque ad os excidendum, oculoque & cæteris iunctis partibus bene obtectis, os ferramento adurendum est vehementius. Quod si iam carie vexatum est, quo crassior his* squama accedat, quidam adurentia imponunt, vt atramentum sutorium, vel chalcitidem, vel æruginem rasam. Quod & tardius & non idem facit. Osse adusto curatio sequitur eadem, quæ in cæteris vstis.

* æquatæ
* colore pallent,
* Eos
* quamuis
* eo, ne
* huic sq. abscedat,

ENARRATIO.

QVAM Celsus & Græci ægilopa vocant, Plinius epinyctida appellare videtur; est enim, vt scribit libro XX. *cap.* VI. *epinyctis vlcus aciem hebetans & in angulo oculi perpetim humor emanans: quam definitionem non omnino malè conuenire ægilopi dixerit, quisquis eius accidentia penitiùs considerârit; perpetim enim ex angulo humor distillat, & aciem oculorum (si diutiùs perseuerauerit, quod ferè fit,) hebetat. Vix curationẽ admittit; tum partium tenuitatis causa, tum periculi ne oculus consortij lege afficia-*

afficiatur. Quòd si exeso osse ad nares vsque penetrârit, carcinomatis naturam iam quodammodo induit: quo fit vt periculi plenum malum, ac mortem si non inferre, curationi certè omnino rebelle esse dicamus.

os ferramento adurendum.

VSTIONIS modū docet Aëtius lib. VII. cap. LXXXVI. Paulus cousque adurit dum squamma abscedat; ait tamen esse qui terebra vsi, humorem aut pus in nares deriuare contenderint.

De Pilis palpebrarum oculum irritantibus.

PILI verò qui in palpebris sunt, duabus de caussis oculum irritare consueuerunt. Nam modò palpebræ superioris summa cutis relaxatur, & procidit: quo fit, vt eius pili ad ipsum oculum conuertantur, quia non simul cartilago quoque se remisit. Modò sub ordine naturali pilorum alius ordo subcrescit, qui protinus intus ad oculum tendit. Curationes verò hæ sunt. Si pili nati sunt, qui non debuerunt, tenuis acus ferrea ad similitudinem hastæ lata, in ignem coniicienda est. Deinde candens sublata palpebra sic, vt eius perniciosi pili in conspectum curantis veniant, *sub ipsis pilorum radicibus (*super) ab angulo immittenda est, vt ea tertiam partem palpebræ *transuat. (*transeat.) Deinde iterum tertioque vsque ad alterum angulum. Quo fit, vt omnes pilorum radices adustæ emoriantur. Tum superimponendum medicamentum est, quod inflammationem prohibeat, atque vbi crustæ exciderunt, ad cicatricem perducendum. Facillimè autē id genus sanescit: quidam aiunt acu transui iuxta pilos in exteriorem partem palpebræ oportere, eamque transmitti duplicem capillum muliebrem ducentem: atque vbi acus transiit, in ipsius capilli sinum, quà duplicatur, pilum esse iniiciendum, & per eum in superiorem palpebræ partem attrahendum, ibique corpori adglutinandum & imponendum medicamentum, quo *foramen quoque glutinetur: (*ferrumen) sic enim fore, vt is pilus in exteriorem partem postea spectet. Id primùm fieri non potest, nisi in pilo longiore, cùm fere breues eo loco nascantur. Deinde si plures pili sunt, necesse est longum tormentum, cùm toties acus transuet, magnam inflammationem moueat. Nouissimè cùm humor aliquis ibi subsit, oculo & ante per pilos, & tum per palpebræ foramina affecto, vix fieri

potest,

potest, vt gluten, quo vinctus est pilus, non resoluatur. Eoque fit, vt is eò vnde vi abductus est, redeat. Ea verò curatio, quæ palpebræ laxioris ab omnibus frequentatur, nihil habet dubij. Siquidem oportet contecto oculo mediam palpebræ cutem, siue ea superior, siue inferior est, apprehendere digitis, ac leuare, tum considerare quantulo detracto futurum sit, vt naturaliter se habeat. Siquidem hîc quoque duo pericula circunstant: si nimium fuerit excisum, ne contegi oculus non possit: si parum, ne nihil actum sit, & frustra sectus aliquis sit.
*Quod *Quà deinde incidendum videbitur, per duas lineas atramen-
* inferiore to notandum est, sic vt de * interiore quæ pilos continet, & propiore ei linea aliquid relinquatur, quod apprehendere acus postea possit. His constitutis scalpellus adhibendus est, & si superior palpebra est, antè: si inferior, postea propiùs ipsis pilis incidendum, initiumque faciendum in sinistro oculo, ab eo angulo qui tempori: in dextro, ab eo qui naribus propior est, idque quod inter duas lineas est, excidendum. Deinde oræ vulneris inter se simplici sutura committendæ, operiendusque oculus est: & si parum palpebra descendet, laxanda vtique: si nimium, aut adstringenda, aut etiam rursus tenuis habenula ab vlteriore ora excidenda. Vbi secta est, aliæ suturæ adiiciendæ, quæ supra tres esse non debent. Præter hæc in superiore palpebra sub pilis ipsis incidenda linea est, vt ab inferiore parte diducti pili sursum spectent. Idque si leuis inclinatio est, etiam solùm satis tuetur. Inferior palpebra eo non eget. His factis, spongia ex aqua frigida expressa supèr deliganda est. Postero die glutinans emplastrum iniiciendum. Quarto sutura tollenda est, & collyrio quod inflammationes reprimit, superinungendum.*

ENARRATIO.

VTRVMQVE *vitium Græci indifferenter* τριχίασιν *nominant: particularius tamen* διστιχίασιν *vocant pilorum subcretionem, duplicémque eorundem ordinem: Galenus* τριχῶντα βλέφαρα, *Auicennas inuersos & additos pilos appellat. Ex multa humiditate ferè oriri solet. Palpebræ verò laxationem propriè* φαλάγγωσιν *dicunt.*

quidam aiunt acu.

IDEM *tradit Paulus lib.* VI. *cap.* XIII, *atque hanc quidem euulsionem anabrochismum appellat, atque vtiliorem longè ea dicit,*

dicit, quæ per adustionem fit: quam tamen auctor noster potiore loco habere videtur.

ne contingi oculus.

Et ne si altiùs vulnus actum sit, musculus lædatur. Chirurgiæ hanc rationem habes apud Aëtium libro VII.

De Lagophthalmo oculorum.

NONNVNQVAM autem nimium sub hac curatione excisa cute euenit, vt oculus non contegatur. Idque interdum etiam alia de caussa fit, λαγωφθαλμον Græci appellant. In quo si nimium palpebræ deest, nulla id restituere curatio potest. Si exiguum, mederi licet: paulum infra supercilium cutis incidenda est lunata figura, cornibus eius deorsùm spectantibus. Altitudo esse plagæ vsque ad cartilaginem debet, ipsa illa nihil læsa. Nam si ea incisa est, palpebra concidit, neque attolli posteà potest. * Cute igitur tantùm diducta fit, vt paulum in ima oculi ora descendat, hiante scilicet supèr plaga, in quam linamentum coniiciendum est, quod & coniungi diductam cutem prohibeat, & in medio carunculam citet: quæ vbi eum locum impleuit, postea rectè oculus operitur. * Cutis

ENARRATIO.

LAGOPHTHALMVM vocant, quoties superior palpebra sursum retracta est, & apertus est oculus; sicuti in leporibus accidere solet: Auicennas palpebræ inuersationem, & ascera vocat. Accidit autem aut naturaliter, aut ex cicatrice vulneris. Chirurgiam hanc ex Demosthene refert Aëtius libro VII. *capite* LXXIII.

De Ectropio.

VT superioris autem palpebræ vitium est, quòd parum descendit, ideoque oculum non contegit; sic inferioris, quòd parum sursum attollitur, sed pendet & hiat, neque potest cum superiore committi. Atque id quoque euenit interdum ex simili vitio curationis, interdum etiam senectute, ἐκτρόπιον Græci vocant. Si ex mala curatione est, eadem ratio medicinæ est, quæ suprà posita est, plagæ tantùm cornua ad maxillas, non ad oculum, conuertenda sunt. Si ex senectute est, tenui ferramento id totum extrinsecus adurendum est,

deinde melle inungendum, & quarto die vapore aquæ calidæ fouendum, inungendumque medicamentis ad cicatricem perducentibus.

ENARRATIO.

ECTROPII dicuntur quibus inferior palpebra inuersa est. Paulus nunquam à natura prouenire auctor est; sed nonnunquam ex relaxatione quam medicamenta in id efficacia inflammatione praecedente concitârunt: Celsus contrarium dicit; qui ex senectute non rarò oriri vult.

De Staphylomate oculi.

HÆC fere circa oculum in angulis palpebrisque incidere consueuerunt. In ipso autem oculo nonnunquam summa attollitur tunica, siue ruptis intus membranis aliquibus, siue laxatis, & similis figura acino fit. Vnde id σταφύλωμα Græci vocant. Curatio duplex est. Altera ad ipsas radices per medium transuere acu duo lina ducente. Deinde alterius lini duo capita ex superiore parte, alterius ex * interiore adstringere inter se, quæ paulatim secando id excidunt. Altera in summa parte eius ad lenticulæ magnitudinem excidere, deinde spodium aut cadmiam infricare. Vtrolibet autem facto, album oui lana excipiendum & imponendum, posteaque vapore aquæ calidæ fouendus oculus, & lenibus medicamentis vngendus est.

* inferiore

ENARRATIO.

STAPHYLOMA Latinè vuationem dicere possis: curatur autem manus actione, vt docet Ægineta, non vt abolitum visum restituamus, verùm vt moderatum ægrotanti decorem conciliemus.

Altera ad ipsas radices.

PRIORIS *huius curationis Paulus lib.* VI. *cap.* XIX. *& Aëtius lib.* VII. *cap* XXXV. *meminerunt: vbi fusiùs multo actionis huius modum explicat Aëtius, atque actionem secundum constrictionem vocat.*

De Clauis oculorum.

CLAVI autem vocantur callosa in albo oculi tubercula, quibus nomen à figuræ similitudine est. Hos ad imam radicem perforare acu commodissimum est, infraque eam excidere, deinde lenibus medicamentis inungere.

ENAR-

ENARRATIO.

QVUM maximum factum fuerit staphyloma, ut extra palpebras transgrediatur, & induretur ita ut ipsa corniformis tunica circumcirca callosa facta sit, & affectionem constringat, clauus appellatur, inquit Aëtius, quoniam per omnia claui capiti similis existit. Hæc affectio visus detrimentum, & figuræ deformitatem coniunctam habet, atque ægrè omnino curationem admittit: nam quantumuis per chirurgiam deformitati aliquo modo consulere possimus, visus certè iacturam nunquam aut rarò resarciemus.

De natura oculorum, & eorum suffusione.

SVFFVSIONIS iam aliâs feci mentionem, quia cùm recens incidit, medicamentis quoque sæpe discutitur. Sed vbi vetustior facta est, manus curationem desiderat, quæ inter subtilissimas haberi potest. De qua antequam dico, paucis ipsius oculi natura indicanda est. Cuius cognitio, cùm ad plura loca pertineat, tum vel præcipuè ad hunc pertinet. Is igitur summas habet duas tunicas, ex quibus superior à Græcis κεραπειδὴς vocatur. * Ea qua parte alba * est, satis crassa, pupillæ loco extenuatur. Huic inferior adiuncta est media parte, quà pupilla est, modico foramine concaua, circà tenuis, vlterioribus partibus ipsa quoque plenior, quæ * ῥαγοειδὴς à Græcis nominatur. Hæ duæ tunicæ cùm interiora oculi cingant, rursus sub his coëunt, extenuatæque, & in vnum coactæ, per foramen, quod inter ossa est, ad membranam cerebri perueniunt, eique inhærescunt. Sub his autem qua parte pupilla est, locus vacuus est: deinde infra rursus tenuissima tunica, quam Herophilus ἀραχνοειδῆ nominauit. Ea media subsidit, * eoque cauo continet quiddam, quod à vitri similitudine ὑαλοειδὲς Græci vocant. Id neque liquidum, neque aridum est, sed quasi concretus humor, ex cuius colore pupillæ color vel niger est, vel cæsius, cùm summa tunica tota alba sit. Id autem superueniens ab interiore parte membranula includit, sub his gutta humoris est, oui albo similis, à qua videndi facultas proficiscitur, κρυσταλλοειδὴς à Græcis nominatur. Igitur vel ex morbo, vel ex ictu concrescit humor sub duabus tunicis, quà locum vacuum esse proposui: isque pau-

* Eaque
*, est s. crassa pup.
* χοροειδὴς
* eaque al. suoque

latim indurescens interiori potentiæ se opponit. *Vitiique eius plures species sunt, quædam sanabiles, quædam quæ curationem non admittunt. Nam si exigua suffusio est, si immobilis, colorem verò habet marinæ aquæ, vel ferri nitentis, & à latere sensum aliquem fulgoris relinquit, spes superest. Si magna est, si nigra pars oculi amissa naturali figura * in aliam vertit, si suffusioni color cæruleus est, aut auro similis, si labat, & hac atque illac mouetur, vix vnquam succurritur. Ferè verò peior est, quo ex grauiore morbo, maioribúsve capitis doloribus, vel ictu vehementiore orta est. Neque idonea * curatio si senilis ætas est, quæ sine nouo vitio tamen aciem hebetem habet. At ne puerilis quidem, sed inter hæc media ætas. Oculusquoque curationi neque exiguus, neque concauus satis opportunùs est, atque ipsius suffusionis quædam maturitas est. Expectandum igitur est donec iam non fluere, sed * durities quædam concreuisse videatur. Ante curationem autem modico cibo vti, bibere aquam triduo debet, pridie ab omnibus abstinere. Post hæc in aduerso sedili collocandus est loco lucido, * lumine aduerso, sic vt contrà medicus paulo altiùs sedeat. A posteriore autem parte caput eius, qui curabitur, minister contineat, * & immobile id præstet. Nam leui motu eripi acies in perpetuum potest. Quin etiam ipse oculus qui curabitur, immobilior faciendus est, super alterum lana imposita & deligata. Curari verò sinister oculus dextra manu, dexter sinistra debet. Tum acus admouenda * est, aut acuta, aut fortè non nimium tenuis, eaque demittenda. Sed recta est per summas duas tunicas medio loco inter nigrum oculi & angulum tempori propiorem è regione mediæ suffusionis, sic ne qua vena lædatur. Neque tamen timidè demittenda est, quia inani loco excipitur. Ad quem cùm ventum est, ne mediocriter quidem peritus falli potest, quia prementi nihil renititur. Vbi eò ventum est, inclinanda acus ad ipsam suffusionem est. Leuiterque ibi verti & paulatim eam deducere infra regionem pupillæ debet: vbi deinde eam transit, vehementius imprimi vt inferiori * parti insidat. Si hæsit, curatio expleta est. Si subinde redit, eadem acu

* Vitij eius
* , in al. vertitur,
* curationi,
* duritie quadam
* lumini aduersus, sic vt contra medicum
* vt
* est acuta, aut certè nō demittenda, sed recta est, per
* parte

acu magis concidenda, & in plures partes dissipanda est, quæ singulæ & faciliùs conduntur, & minus * latè officiunt. Post hæc educenda acus recta est, imponendumque est lana molli exceptum oui album, & supra, quod inflammationem coërceat, atque ita deuinciendum. Post hæc opus est quiete, abstinentia, lenium medicamentorum inunctionibus, cibo, qui postero die satis maturè datur, primùm liquido, ne maxillæ laborent, deinde, inflammatione finita, tali, qualis in vulneribus propositus est. Quibus vt aqua quoque diutius bibatur, necessariò accedit.

* latis

ENARRATIO.

Is igitur summas.

QVANQVAM Galenus atque eo posteriores, sex oculi tunicas esse dicāt; Celsus tamen, in hoc antiquos sequutus, tres tantùm, corneam videlicet, rhagoïdem, quæ & choroeides dicitur, & arachnoeidem describit; atque inter has duos tantùm humores, eum nempe qui à crystalli similitudine crystallinus, & à vitro fuso hyaloeides appellatur, constituit. Galenus atque eo posteriores, his tertium humorem adiiciunt, quem aqueum nominant. Realdus Columbus excrementum quoddam esse existimat; in hoc Theophilum sequutus, qui ab aqueo humore lachrymas exprimi suspicatus est: quæ opinio aliis non satis placet, quòd ex oculorum glandulis easdem ferri dicunt.

Igitur vel ex morbo.

GALENVS & Paulus etiam ex immoderato vomitu fieri dicunt.

quædam sanabiles.

OCVLVS, inquit Paulus, suffusione tentatus concluditur, & palpebra magno digito ad oculum premitur, eiq; adducitur, simúlque hac illac exprimitur; & deinde oculo aperto, & mente ei adhibita suffusionem conspicimus: in iis enim quibus humor nondum coaluit, fusio quædam ex digiti impreßione oboritur, ac primùm latior appâret; rursum in suam figuram, & magnitudinem recurrit. At in confirmatis suffusionibus nulla immutatione, nec latitudinis nec figuræ ex impreßione obuenit. Discretionem prætereà, sicuti & Celsus, ex colore, atque eandem planè curationē describit. quare si quis huius loci ampliorem enarrationem requirat, eundem lib. VI. cap. XXI. consulat.

De Pituita oculorum.

DE pituitæ quoque tenuis cursu, qui oculos infestat, quatenus medicamentis agendum est, iam explicui. Nunc ad ea veniam, quæ curationem ex manu postulant. Animaduertimus autem quibusdam nunquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere, quæ res aspritudinem continuat, * ex leuibus momentis inflammationes & lippitudines

* &

excitat, totam denique vitam hominis infestat. Idque in quibusdam nulla ope adiuuari potest, in quibusdam sanabile est. Quod primum discrimen est, nosse oportet, vt alteri succurratur, alteri manus non iniiciatur. Ac primùm superuacua curatio est in his qui ab infantibus id vitium habent, quia necessariò mansurum est vsque mortis diem. Deinde non *necessario etiam in his, quibus non multa, sed acris pituita est. Si quidem manu nihil adiuuantur, medicamentis, & victus ratione, quæ crassiorem pituitam reddit, ad sanitatem perueniunt. Lata etiam capita vix medicinæ *patent. Tum interest venæ pituitam emittant, quæ inter caluariam & cutem sunt, an quæ inter membranam cerebri, & caluariam. Superiores ferè per tempora oculos rigant, inferiores per eas membranas, quæ ab oculis ad cerebrum tendunt. Potest autem adhiberi remedium his, quæ supra os fluunt, non potest his, quæ sub osse. Ac ne his quidem succurritur, quibus pituita vtrinque descendit, quia leuata altera parte, nihilominus altera infestat. Quid sit autem, hac ratione cognoscitur. Raso capite ea medicamenta, quibus in lippitudine pituita suspenditur, à superciliis vsque ad verticem illini debent. Si sicci oculi esse cœperunt, apparet per eas venas, quæ sub cute sunt, irrigari. Si nihilominus madent, manifestum est sub osse descendere. Si est humor, sed leuior, duplex vitium est. Plurimi tamen ex laborantibus reperiuntur, quos superiores venæ exerceant, ideoque pluribus etiam opitulari licet. Idque non in Græcia tantummodo, sed in aliis quoque gentibus celebre est, adeò vt nulla medicinæ pars magis per nationes *quoque exposita sit. Reperti in Græcia sunt, qui nouem lineis cutem capitis inciderint, duabus in occipitio rectis, vna super eas transuersa, dein duabus super aures, vna inter eas item transuersa, tribus inter verticem & frontem rectis. Reperti sunt, qui à capite* rectè eas lineas ad tempora *diducerent, cognitisque ex motu maxillarum musculorum initiis, leuiter super eos cutem inciderent, *inductisque per retusos hamos oris insereret linamenta, vt neque inter se cutis antiqui fines committerentur, & in medio caro incresceret, quæ venas ex

quibus

* necessaria

* parent

* quasque

* rectas vel rectà

* deducerent,

* diductisq;

quibus humor ad oculos transiret adstringeret. Quidam etiam atramento duas lineas duxerunt, à media aure ad mediam alteram aurem, deinde à naribus ad verticem. Tum vbi lineæ committebantur, scalpello inciderunt, & * post sanguine fuso, os ibidem adusserunt. Nihilominus autem & in temporibus, & inter frontem atque caluariam eminentibus venis idem candens ferrum admouerunt. Frequens curatio est, venas in temporibus adurere, quæ fere, quidem in eiusmodi malo tument, sed tamen vt inflentur, magisque se ostendant, ceruix antè modicè deliganda est: tenuibusque ferramentis & retusis venæ adurendæ, donec in oculis pituitæ cursus conquiescat. Id enim signum est quasi excæcatorum itinerum, per quæ humor ferebatur. * Valentior tamen medicina est, vbi tenues conditæque venæ, ideoque legi non possunt. Eodem modo ceruice deligata, retentoque ab ipso spiritu, quo magis venæ prodeant, atramento notare eas contra tempora & inter * ceruicem, ac frontem, deinde ceruice resoluta, quà notæ sunt, venas incidere, & sanguinem mittere. Vbi satis fluxit, tenuibus ferramentis adurere. Contra tempora quidem, timidè, ne subiecti musculi, qui * maxillas tenent, sentiant: inter frontem verò & verticem, vehementer, vt sic squama ab osse recedat. Efficacior tamē etiamnum est Afrorum curatio, qui verticem vsque ad os adurunt, sic vt squamam remittat. Sed nihil melius est, quàm quod in Gallia quoque Comata fit, vbi venas in temporibus & in superiore capitis parte legunt. Adusta quomodo curanda sint, iam explicui. Nunc illud adiicio, neque vt crustæ decidant, neque vt vlcus impleatur adustis venis esse properandum, ne vel sanguis erumpat, vel citò pus supprimatur, cùm per hoc siccescere eas partes opus sit, per illud exhauriri opus non sit. si quando tamen sanguis eruperit, infricanda medicamenta esse, quæ sic sanguinem supprimant, ne adurant. Quemadmodum autem venæ deligendæ sint, quidque lectis his faciendum sit, cùm venero ad crurum varices, dicam.

* post sanguinem effusum

* Violentior

* verticem ac frontē oportet, deinde

* maxillā

ENAR-

ENARRATIO.

PITVITÆ tenuis cursum Græcorum esse epiphoram dictum est: ad quam licet non planè eadem esse videatur, proximè accedit Plinio oculorum illachrymatio dicta.

Reperti in Græcia sunt.

CVRATIONEM hanc quæ per vstionem fit, non admodùm commendat Aëtius, quòd vstione ad profundum facta, vnà cum alienis humoribus etiam naturales absumantur, & ad extremã siccitatem oculus deducatur, vnde & incurabilis affectio oriatur.

Frequens curatio est.

TVM videlicet quum vasa in fronte & temporibus distenta, & caput quodammodò reuinctum esse videatur.

CAPVT VIII.

De aurium morbis, qui manu & scalpello curantur.

VERVM vt oculi multiplicem curationem, etiam manus exigunt: sic in auribus admodum pauca sunt, quæ in hac medicinæ parte tractentur. Solet tamen euenire vel à prima natali die protinus, vel postea facta exulceratione, deinde per cicatricem aure repleta, vt foramen in ea nullum sit, ideoq; audiendi vsu careat. Quod vbi incidit, specillo tentandum est, alténe id repletum, an in summo tantùm glutinatum sit. Nam si altè est, prementi non cedit: si in summo, specillum protinus recipit. Illud attingi non oportet, ne sine effectus spe distentio oriatur neruorum, & ex ea mortis periculum sit. Hoc facilè curatur. Nam quà cauum esse debet, vel medicamentum aliquod imponendum est ex adurentibus, vel candente ferro aperiendum, vel etiam scalpello incidendum. Cumq; id patefactum, & iam vlcus purum est, iniicienda eò pinna est, illita medicamento cicatricem inducente: circaq; idem medicamentum dandum, vt cutis circa pinnam sanescat: quo fit vt ea remota, postea facultas audiendi sit. At vbi aures, in viro puta, perforatæ sunt, & offendunt, traiicere id cauum celeriter candente acu satis est, vt leniter eius ora exulcerentur, aut etiam adurente medicamento idem exulcerare, postea deinde imponere id quod purget, tum quod eum locum repleat, & sic cicatricem inducat. Quòd si magnum id foramen est (sicut solet esse in his,

his, qui maiora pondera auribus gesserunt) incidere quod superest ad extremum oportet: suprà deinde oras scalpello exulcerare, & postea suere, ac medicamentum, quo id glutinetur, imponere. Tertium est, si quid ibi curti est, sarcire: quæ res cùm in labris quoque & naribus fieri possit, eandé etiam rationem habeat, simul explicanda est.

ENARRATIO.

Solet tamen euenire. *Ὑπερσαρκῶντα Græci vocant. Describit autem Paulus libro* VI. *capite* XXIII. *eandem planè chirurgiæ rationem.*

CAPVT IX.

Curta in auribus, labrisque ac naribus, quomodo sarciri & curari poßint.

CVRTA igitur in his tribus, ac si qua parua paria sunt, curari possunt. Si qua maiora sunt, aut non recipiunt curationem, aut ita per hanc ipsam deformantur, vt minus indecora antè fuerint. Atque in aure quidem & naribus deformitas sola timeri potest. In labris verò si nimium contracta sunt, vsus quoque necessarij iactura fit, quia minùs facilè & cibus assumitur, & sermo explicatur. Neque enim creatur ibi corpus, sed ex vicino adducitur: quod in leui* mutatione, & nihil eripere, & fallere oculum potest: in magna non potest. Neque senile autem corpus, neque quod mali habitus est, neque in quo difficulter vlcera sanescunt, huic medicinæ idoneum est, quia nusquam celeriùs cancer occupat, aut difficiliùs tollitur. Ratio curationis eiusmodi est. Id quod *curatum est, in quadratum redigere, ab interioribus eius angulis lineas transuersas incidere, quæ citeriorem partem ab vlteriore ex toto diducant: deinde ea quæ sic *reposuimus, in vnum adducere. Si non satis iunguntur, vltra lineas, quas antè fecimus, alias duas lunatas, & ad plagam conuersas immittere, quibus summa tantùm cutis diducatur. Sic enim fit, vt facilius quod adducitur, sequi possit: quod non vi cogendum

* mutilatione,

* curtum *al.* curtatum *al.* curandum

* resoluimus,

est,

*demiſsũ
*tamen
*imíſve narium al. genarum
* *hæ quinque voces irrepſerunt è margine.*
*curta

eſt, ſed ita adducendum, vt ex facili ſubſequatur, & *dimiſſum non multum recedat. Interdum *autem ab altera parte cutis haud omnino adducta, deformem quem reliquit locum, reddit. Huiuſmodi loci altera pars incidenda, altera intacta habenda eſt. Ergo neque ex imis auribus, neque ex medio naſo *imis venarum partibus, neque ex angulis labrorum quicquam attrahere tentabimus. Vtrinque autem petemus, ſi quid ſummis auribus, ſi quid imis, **ſi quid aut medio naſo*, aut mediis naribus, aut mediis labris deerit. Quæ tamen interdum etiam duobus locis *curata eſſe conſuerunt. Sed eadem ratio curandi eſt. Si cartilago in eo quod inciſum eſt eminet, excidenda eſt. Neque enim aut glutinatur, aut acu tutò traiicitur. Neque longè tamen excidi debet, ne inter duas oras liberæ cutis, vtrinque coitus puris fieri poſſit. Tum iunctæ oræ inrer ſe ſuendæ ſunt, vtrinque cute apprehenſa, & quà priores lineæ ſunt, eà quoque ſuturæ iniiciendæ ſunt. Siccis locis, vt in naribus, illita ſpuma argenti ſatis proficit. In vlteriores verò lunataſque plagas linamentum dandum eſt, vt caro increſcens vulnus impleat, ſummaque cura quod ita ſutum eſt, tuendum eſſe, apparere ex eo poteſt, quod de cancro ſuprà poſui. Ergo etiam tertio quoque die fouendum erit vapore aquæ calidæ, rurſuſq. idem medicamentum iniiciendum, fereq. ſeptimo die glutinatum eſt. Tum ſuturæ eximi, & vlcus ad ſanitatem perduci debent.

ENARRATIO.

Curta.

GRAECI *κολοβώματα* vocant, vt ait Paulus.

CAPVT X.

De Polypi curatione per ferrum.

POLYPVM verò, qui in naribus naſcitur, præcipuè ferro curari iam aliàs poſui. Ergo etiam hunc ferramento acuto in modum ſpathæ facto reſoluere ab oſſe oportet: adhibita diligentia, ne infrà cartilago lædatur, in qua difficilis curatio eſt.

tio est. Vbi abscissus est, vnco ferramento extrahendus est. Tum implicitum linamentũ, vel aliquid ex penicillo respergendum est medicamento, quo sanguis supprimitur, eoque nares leniter implendæ. Sanguine suppresso, linamento *vulnus purgandum est. Vbi purum est, eò pinna eodem modo, quo in aure suprà positum est, medicamento illita, quo cicatrix inducitur, intus demittenda, donec ex toto id sanescat. * vlcusculum

ENARRATIO.

NON quiuis polypi manualem actionem admittunt; sed qui neque malefici admodùm, sed laxi quodammodo & friabiles sunt: nam duri & tactu renitentes, liuidi ac maligni, ceu cancri naturam induentes attingi non debent, ac non nisi candente ferro vrendi atque extirpandi sunt.

CAPVT XI.
De Ozæna.

ID autem vitium, quod ὄζαινα à Græcis vocatur, si medicamentis non cederet, quemadmodum manu curandum esset, apud magnos Chirurgos non reperi. Credo, quia res rarò ad sanitatem satis proficit, cùm aliquod in ipsa curatione tormentum habeat. Apud quosdam tamen positum est, vel *sutilem fistulam, vel enodem scriptorium calamum in narem esse coniiciendum, donec sursum ad os perueniat: tum per id tenue ferramentum candens dandum esse ad ipsum os, deinde adustum locum purgandum esse ærugine & melle. Vbi purus est, lycio ad sanitatem perducendum. Vel narem incidendam esse ab ima parte ad os, vt & conspici locus possit, & faciliùs candens ferramentum admoueri. Tum sui narem debere, & adustum quidem vlcus eadem ratione curari. Suturam verò illini vel spuma argenti, vel alio glutinante. * subtilem

De oris vitiis, quæ manu & ferro curantur.
CAPVT XII.

De dentibus.

IN ore quoque quædam manu curantur. Vbi in primis dentes nonnunquam mouentur, modò propter radicum

*madescentium imbecillitatem, modò propter gingiuarum * arescentium vitium. Oportet in vtrolibet candens ferramentum gingiuis *infidat. admouere, vt leuiter attingat, non vt * incidat. Adustæ gingiuæ melle illinendæ, & mulso eluendæ sunt. Vt pura vlcera esse cœperunt, arida medicamenta infricanda sunt ex his quæ reprimunt. Si verò dens dolores mouet, eximiq. eum, quia medicamenta nihil adiuuant, placuit, circumradi debet, vt gingiua ab eo resoluatur. Tum is concutiendus est. Eaque facienda, donec bene moueatur. Nam dens hærens cum summo periculo euellitur, ac nonnunquam maxilla loco mouetur. Idque etiam maiore periculo in superioribus dentibus fit, quia potest tempora oculósve concutere. Tum *forcipe, & sic in reliquis. si fieri potest manu, si minus, * forfice, dens excipiendus est. Ac si exesus est, antè id foramen vel linamento, vel bene accommodato plumbo replendum est, ne sub forfice confringatur. Recta verò forfex ducenda est, ne inflexis radicibus *rarum, os * earum, cui dens inhæret, parte aliqua frangatur. Neque ideo nullum eius rei periculum est, vtique in dentibus breuibus, qui ferè longiores radices habent. Sæpe enim forfex cùm dentem comprehendere non possit, aut frustra conprehendat, os gingiuæ prehendit & frangit. Protinus autem vbi plus sanguinis profluit, scire licet, aliquid ex osse fractum esse. Ergo specillo conquirenda est testá, quæ recessit, & volsella protrahenda est. Si non sequitur, incidi gingiua debet, donec *factum *intumescit labans ossis testa recipiatur. Quod si * fractum statim non est, * indurescit extrinsecus maxilla, vt is hiare non possit. *aut Sed imponendum calidum ex farina * & fico cataplasma est, donec ibi pus moueatur. Tum incidi gingiua debet. Pus quoque multum profluens, ossis fracti nota est. Itaque etiam tum id extrahi conuenit. Nonnunquam etiam eo læso, fistula fit, quæ eradi debet. Dens autem scaber, qua parte niger est, radendus est, illinendusque rosæ flore contrito, cui gallæ quarta pars, & altera myrrhæ sit adiecta. Continendumque ore crebro vinum meracum. Atque in eo casu velandum caput, ambulatione multa, frictione capitis, cibo non acri vtendum est. At si ex ictu, vel alio casu aliqui labant

dentes,

dentes, auro cum his qui bene hærent vinciendi ſunt. Continendaq́. ore reprimentia, vt vinum in quo malicorium decoctum, aut in quo galla candens coniecta ſit. Si quando etiam in pueris alter dens naſcitur quàm prior excidat, is qui cadere debuit, circum purgandus & euellendus eſt, is * qui *autem qui
natus eſt in locum prioris quotidie digito adurgendus, donec ad iuſtam magnitudinem perueniat. Quotieſcunque dente exempto radix relicta eſt, protinus ea quoque ad id facta * forfice, *forcipe, quam ῥιζάγραν
quam rhizan Græci vocant, eximenda eſt. Tonſillas autem, quæ poſt inflammationes indurerunt, ἀντιάδες autem à Græcis appellantur, cùm ſub leui tunica ſint, oportet digito circumradere & euellere: ſi ne ſic quidem reſoluuntur, hamulo excipere, & ſcalpello excidere, tum vlcus aceto eluere, & illinere vulnus medicamento, quo ſanguis ſupprimatur.

ENARRATIO.

Nam dens hærens.

OMNIBVS dentibus id commune eſt, quòd ex tertia neruorum ſyzygia tenues nerui ad eorundem radices ferantur, quibus venulæ ac paruæ arteriæ ſubſternuntur; vnde præterquam alia oſſa ſentiunt, & nutriuntur, & quodammodo, ait Galenus, per arteriam pulſant. Superiores autem inferioribus tenaciùs implantantur, ac fixiùs hærent, altiúſque ſuas radices figunt: nam & numero & longitudine radicum inferiores vincunt; vnde & maiori cum moleſtia euelluntur, & conuulſionis periculum non rarò inferunt, cerebro ipſo lege conſortij affecto.

Si quando etiam in pueris.

ISTVD appendicem dentium nominant: radicitus enim euulſus dens, nequaquam renaſcitur.

De Vua.

VVA ſi cum inflammatione deſcendit, doloríque eſt, & ſubrubicundi coloris, præcidi ſine periculo non poteſt. Solet enim multum ſanguinem effundere. Itaque melius eſt his vti, quæ aliàs propoſita ſunt. Si verò inflammatio quidem nulla eſt, nihilominus autem ea vltra iuſtum modum à pituita * deducta eſt, & eſt tenuis, acuta, alba, præcidi debet. Item- *diducta.
q́ue ſi ima, liuida, & craſſa, * ſumma, tenuis eſt. Neque quic- *ſ. verò, ten.
quam commodius eſt, quàm volſella prehendere, ſub eaque quod volumus excidere. Neque enim vllum periculum eſt,

ne plus minúſve præcidatur, cùm liceat tantùm infra volſellam relinquere, quantum inutile eſſe manifeſtum eſt, idque præcidere quo longior vua eſt, quàm eſſe naturaliter debet. Poſt curationem eadem facienda ſunt, quæ in tonſillis proximè poſui.

ENARRATIO.

ÆGINETA duplicem quæ per manum adminiſtratur, vuæ curationem deſcribit; alteram videlicet quæ vſtione, atque aliam quæ volſella obitur. Atqui contractæ omnes, cruentæ, rotundæ nec oblongæ vel ſubnigræ vuæ, attingi ſcalpello non debent. præcidendum autem id eſt, quod præter naturæ modum eminet, ita vt non nimis altè inciſio fiat, præciſam enim vuam celerrimè iugulare auctor eſt Aëtius.

De Lingua.

LINGVA verò quibuſdam cum ſubiecta parte à primo natali die iuncta eſt, qui ob id ne loqui quidem poſſunt. Horum extrema lingua volſella prehendenda eſt, ſub eaque membrana incidenda, magna cura habita, ne venæ quæ iuxtà ſunt, violentur, & profuſione ſanguinis noceant. Reliqua curatio vulneris in prioribus poſita eſt. Et plerique quidem vbi conſanuerunt, loquuntur. Ego autem cognoui, qui ſucciſa
*promeret lingua cùm abunde ſuper dentes eam * premeret, non tamen loquendi facultatem cōſecutus eſt. Adeò in medicina etiam vbi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt, id quod ſequi conuenit.

ENARRATIO.

VITIVM hoc Æginèta ἀγκυλόγλωσσον nominat: Auicenna abbreuiationem linguæ vocat: alij ligationem linguæ dicere maluerunt.

De Abſceſſu ſub lingua.

*non mouet: SVB lingua quoque interdum aliquid abſcedit, quod ferè conſiſtit in tunica, doloreſque magnos * mouet: quod ſi exiguum eſt, incidi ſemel ſatis eſt: ſi maius, ſumma cutis vſque ad tunicam excidenda eſt, deinde vtrinque oræ hamulis excipiendæ, & tunica vndique circundata liberanda eſt: magna diligentia per omnem curationem habita, ne qua maior vena incidatur.

De Labris.

LABRA autem sæpe finduntur, eaq́ue res habet cum dolore etiam hanc molestiam, quòd sermo prohibetur, qui subinde eas rimas cum dolore diducendo sanguinem citat. Sed has, si in summo sunt, medicamentis curare commodius est quæ ad vlcera oris fiunt. Si verò altiùs descenderunt, necessarium est tenui ferramento adurere, quod spathæ simile quasi transcurrere, non imprimi debet. Postea facienda eadem sunt, quæ in auribus adustis exposita sunt.

CAPVT XIII.

De Ceruicis vitiis, & curatione.

AT in ceruice inter cutem & asperam arteriam tumor increscit, βρογχοκήλην Græci vocant, quo modò caro hebes, modò humor aliquis melli aquæ've similis includitur, interdum etiam minutis ossibus pili immisti. Ex quibus quicquid est, quod tunica continetur, potest adurentibus medicamentis curari, quibus summa cutis cum superiecta tunica *exeritur. Quo facto, siue humor est, profluit: siue quid densius, digitis educitur, tum vlcus sub linamentis sanescit. Sed scalpelli curatio breuior est. Medio *tumore vna linea inciditur vsque ad tunicam. Deinde vitiosus sinus ab integro corpore digito separatur, totusq́ue cum velamento suo eximitur. Tum aceto cui vel salem vel nitrum aliquis adiecit, eluitur, oræq́ue vna sutura iunguntur, cæteraque eadem quæ in aliis suturis superiniiciuntur. Leniter deinde, ne fauces vrgeat, deligatur: si quando autem tunica eximi non potuerit, intus inspergenda adurentia, *linamentisq́ue id curandum est, cæteris pus mouentibus.

*exeditur al. exuritur.

*tumor

*linamentis, idque

ENARRATIO.

At in ceruice.

BRONCHOCELE *tumor grandis & rotundus est in ceruice, ab interiore parte, quam bronchon nominant, denominationem sortita: omnis enim tumor apud antiquos κήλη vocabatur. Ægineta, sicut & Aëtius, duplicem bronchoceles differentiam.*

tiam posuit; alteram videlicet quæ partium dilatatione fiat, atque hanc tanquam deploratam omnino relinquendam consulunt; alteram in qua aut humor aliquis aut substantia in tunica continetur, quemadmodum iam antè de steatomate, atheromate & meliceride diximus: atque hæc curationem admittit, eámque duplicem, nempe aut per incisionem aut per ustionem.

CAPVT XIIII.

De Vmbilici vitiis.

SVNT etiam circa Vmbilicum plura vitia, de quibus propter raritatem inter auctores parum constat. Verisimile est autem id à quoque prætermissum, quod ipse non cognouerat, à nullo id quod non viderat fictum. Commune omnibus est, vmbilicum indecorè prominere. Caussæ requiruntur. Meges tres has posuit. Modò intestinum eò irrumpere, modò omentũ, modò humorem. Sostratus nihil de omento dixit. Duobus iisdem adiecit, carnem ibi interdum increscere, eamque modò integram esse, modò carcinomati similem. Gorgias ipse quoque omenti mentionem omisit. Sed eadem tria causatus, spiritum quoque interdum eò dixit irrumpere. Hieron omnibus his quatuor positis, & omenti mentionem habuit, & eius quod simul & omentum & intestinum habuerit. Quid autem horum sit, his indiciis cognoscitur. Vbi intestinum prolapsum est, tumor neque durus, neque mollis est, omni frigore *comminuitur: non solùm sub omni calore, sed etiam retento spiritu crescit. Sonat interdum, atque vbi resupinatus est aliquis, delapso intestino ipse desidit. Vbi verò omentum est, cætera similia sunt, tumor mollior ab *ima parte, *latus extenuatum in ventrem est, si quis apprehendit, elabitur. Vbi vtrunque est, indicia quoque mista sunt, & inter vtrunque mollities. At caro durior est, semperque etiam resupinato corpore tumet, prementiq. non cedit, prioribus facilè cedentibus. Si vitiosa est, easdem notas habet, quas in carcinomate exposui. Humor autem si premitur, circumfluit. At spiritus pressus cedit, sed protinus redit, resupinato quoque corpore tumorem in eadem figura tenet. Ex his id quod ex spiritu vitium est, medicinã non admittit. Caro quoque carcinomati similis cum periculo tractatur.

* non imminuitur:

* vna

* latus, ex tenuatus in verticem est:

Itaque

Itaque omittenda est. Sana excidi debet, idque vulnus linamentis curari. Humorem quidam vel inciso summo tumore effundunt, & vulnus * iisdem linamentis curant. In reliquis variæ sententiæ sunt. Ac resupinandum quidem corpus esse res ipsa testatur, vt in * vterũ siue intestinum, siue omentum est, delabatur. Sinus verò vmbilici tum vacuus à quibusdam duabus regulis * exceptus est, vehementerque earum capitibus deligatis, ibi emoritur. A quibusdam * ad imum acu traiectatur, duo lina ducente, deinde vtriusque lini duobus capitibus diuersæ partes astringuntur. Quod in vua quoque oculi fit. Nam * sic id quod supra vinculum est, moritur. Adiecerunt quidam, vt antequam vincirent, summum vna linea inciderent, exciderentque quo faciliùs digito demisso, quod illuc irrupisset, depellerent, tum deinde * vinxerunt. Sed abunde est, iubere spiritum continere, vt tumor quantus maximus esse potest, se ostendat, tum imam basim eius atramento notare, resupinatoque homine digitis tumorem eum premere, vt si quid delapsum non est, manu cogatur. Post hæc vmbilicum attrahere, & quà nota atramenti est, lino vehementer astringere. Deinde partem superiorem aut medicamentis, aut ferro adurere donec emoriatur, atque vt cætera vsta vlcus mutrire. Idque non solùm vbi intestinum vel omentum vel vtrumque est, sed etiam vbi humor est, optimè proficit. Sed antè quædam vitanda sunt, ne quod ex vinculo periculum sit. Nam curationi neque infans, neque aut robustus annis, aut senex aptus est, sed à septimo ferè anno ad quartumdecimum. Deinde ei corpus idoneum est id, quod integrum est. At quod mali habitus est, quodque papulas, impetigines, similiaque habet, idoneum non est. Leuibus quoque tumoribus facilè subuenitur. At in eorum, qui nimis magni sunt, curatione periculum est. Tempus autem anni & autumnale, & hybernum vitandum est. Ver idoneum maximè est. Ac prima æstas non aliena est. Præter hæc abstinere pridie debet. neque id satis est: sed aluus quoque ei ducenda est, quo faciliùs omnia quæ excesserunt, intra aluum considant.

* iidem
* ventrem
* excipitur.
* id vitiũ
* sic adstricta, id quod infra
* vincirẽt.

ENARRATIO.

Ἐξόμφαλον *vocari diximus: Paulus easdem vmbilici prominentis causas, & signa libro* VI. *capite* LI. *describit.*

Idq́ue non solùm.

ÆGINETA *tamen actionem hanc ad omenti aut intestini curationem tantùm pertinere auctor est: Nam si caro, inquit, aut humor aut sanguis vitium creârit, tumoris medio circulatim præciso, deinde eo quod incidet extra peritonæum sublato, curationem in vmbilico carni generandæ dicatæ tentabimus.*

CAPVT XV.

Quomodo aqua hydropicis emittatur.

AQVAM his qui hydropici sunt, emitti oportere aliâs dixi. Nunc quemadmodum id fiat, dicendum. Quidam autem sub vmbilico fere quatuor interpositis digitis à sinistra parte. Quidam ipso vmbilico perforato, facere consueuerunt. Quidam cute primùm adusta, deinde interiore abdomine inciso, quia quod per ignem diuisum est, minus celeriter coit. Ferramentum autem demittitur, magna cura habita, ne qua vena incidatur. Id tale esse debet, vt ferè tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat. Demittendumq́ue ita est, vt membranam quoque transeat, qua caro ab interiore parte finitur, eò tum plumbea aut ænea fistula iniicienda est, vel recuruatis in exteriorem partem labris, vel in *media circumsurgente *quodam nodo, ne tota intus delabi possit, huius ea pars quæ intrà, paulo longior esse debet, quàm quæ extrà, vt vltra *vlteriorem membranam procedat. Per hanc effundendus humor est. Atque vbi maior pars eius euocata est, cludenda demisso linteolo fistula est, & in vulnere, si id vstum non est, relinquenda. Deinde per insequentes dies circa singulas heminas emittendum, donec nullum aquæ vestigium appareat. Quidam tamen etiam non vsta cute protinus fistulam recipiunt, & super vulnus spongiam expressam deligant. Deinde, postero die rursus fistulam demittunt, quod recens vulnus paulum diductum patitur, vt si quid humoris superest, emittatur. Idq́ue bis ita fecisse contenti sunt.

*medio

*quadam mora,

*interiorem

ENAR-

ENARRATIO.

Demittendumque ita est.

CAVENDVM tamen est, ne ea parte sectionem moliamur, cui vitium incumbit: nam si liene primariò affecto ortum sit, dexteriore vmbilici parte sectionem faciemus; sin primario iecinoris affectui malum fuerit acceptum, à sinisteriore vmbilici parte dissecabimus: sed & non quæuis hydropis species chirurgiam admittit, verùm ea tantùm, quæ ascites dicitur, in qua videlicet humor in vterum influit.

CAPVT XVI.

De intestinorum vulneratorum curationibus.

NONNVNQVAM autem venter ictu aliquo perforatur, sequiturque vt intestina euoluantur. Quod vbi incidit, protinus considerandum est, an integra ea sint, deinde an his color suus maneat. Si tenuius intestinum perforatum est, nihil profici posse iam retuli. Latius intestinum sui potest, non quòd certa fiducia sit, sed quòd dubia spes certa desperatione sit potior. Interdum enim glutinatur. Tum si vtrumlibet intestinum liuidum, aut pallidum, aut nigrum est, quibus illud quoque necessariò accedit, vt sensu careat, medicina omnis inanis est. Si verò adhuc ea sui coloris sunt, cum magna festinatione succurrendum est. Momento enim alienantur externo & insueto spiritu circundata. Resupinandus autem homo est coxis erectioribus. Et si angustius vulnus est, quàm vt intestina commodè refundantur, incidendum est donec satis pateat. Ac si iam sicciora intestina sunt, perluenda aqua sunt, cui paulū admodum olei sit adiectum. Tum minister oras vulneris leuiter diducere manibus suis, vel etiam duobus hamis membranæ interiori iniectis debet medicus priora semper intestina quæ posteriora prolapsa sunt, condere, sic vt orbium singulorum locum seruet. Repositis omnibus, leniter homo concutiendus est. Quo fit, vt per se singula intestina in suas sedes diducantur, & inibi * concidant. *considant
His conditis omentum quoque considerandum est, ex quo si quid iam nigri & emortui est, forfice excidi debet. Si quid integrum est, * leuiter super intestina * diduci: futura autem * leniter * deduci:

neque summæ cutis, neque interioris membranæ per se satis proficit, sed vtriusque. Et quidem duobus linis *vincienda est spissior, quàm alibi: quia & rumpi faciliùs motu ventris potest, & non æquè magnis inflammationibus pars ea exposita est. Igitur in duabus acubus fila traiicienda, eaq́. duabus manibus tenẽda, & prius interiori mẽbranæ sutura iniicienda est, sic vt sinistra manus in dexteriore ora, dextra in sinisteriore à principio vulneris orsa, ab interiori parte in exteriorem acum immittat. Quo fit, vt ab intestinis ea pars semper acuum longè *sit, quæ retusa est. Semel vtraque parte traiecta permutandæ acus inter manus sunt, *vt ea sit in dextra, quæ fuit in sinistra, ea veniat in sinistram, quam dextra continuit. Iterumq́ue eodem modo per oras immittendæ sunt. Atque ita tertio & quarto, deincepsq́ue permutatis inter manus acubus includenda plaga. Posthæc eadem fila, eædemq́ue acus ad cutem transferendæ. Similique ratione ei quoque parti vtraque sutura iniicienda, semper ab interiore parte acubus venientibus, semper inter manus traiectis. Dein glutinantia iniicienda. Quibus aut spongiam, aut succidam lanam ex aceto *impressam accedere debere manifestius est, quàm vt semper dicendum sit. Impositis his leuiter deligari venter debet.

*facienda vel iniicienda

*sit quæ acuta, propinqua quæ ret.e.

*expressam

ENARRATIO.

Interdum enim glutinatur.

PRÆSERTIM *si non discissum, neque altè vulneratum fuerit: verùm & tunc quidem difficulter conglutinatur, tum propter intestinorum, vt antè diximus, substantiam, tum quòd vulnus ipsum oculis sese non offerat, atque localia non admittat; sicuti in omnibus intrinsecis videre licet, in quibus per potiones eadem consolidare solemus.*

Et si angustius vulnus.

PRIVS *tamen considerandum monet Galenus, & post eum Albucas, an flatus intestinum distendens, ipsum remitti prohibeat: nam tum quidem ante vlteriorem vulneris apertionem resoluentibus ac modicè calidis fouendum est intestinum, atque sensim in suam sedem restituendum. vide Paulum libro* VI. *capite* LII.

CAPVT

CAPVT XVII.

De Interiore parte abdominis rupta, & qua ratione curanda sit.

INTERDVM tamen vel ex ictu aliquo, vel retento diutius spiritu, vel sub graui fasce interior abdominis membrana superiore cute integra, rumpitur. Quod fœminis quoque ex vtero sæpe euenire consueuit, fitque præcipuè circa ilia, sequitur autem cùm superior caro mollis sit, vt non satis intestina contineat, hisque intenta cutis indecorè intumescat. Atque id quoque aliter ab aliis curatur. Quidam enim per acum duobus linis ad imam basim immissis, sic vtrinque deuinciunt, quemadmodum & in vmbilico, & in yua positum est, vt quicquid * super vinculum est, emoriatur: quidam medium tumorem excidunt, ad similitudinem myrtacei folij, quod semper eodem modo seruandum esse iam posui, & tum oras sutura iungunt. Commodissimum est autem resupinato corpore, experiri manu, qua parte is tumor maximè cedat, quia necesse est ea parte rupta membrana sit, quaque integra est, ea magis obnitatur, tum qua rupta videbitur, *immittendæ scalpello * duæ tunicæ sunt, vt exciso medio interior membrana vtrinq. recentem plagam habeat, quia quod vetus est, sutura non coit, loco pâtefacto. Si qua parte membrana non nouam plagam, sed veterem habet, tenuis excidenda habena est, quæ tantùm ora eius exulceret. Cætera, quæ ad suturæ reliquam curationem pertinent, suprà comprehensa sunt.

* supra

* inciden-dæ

* duæ li-neæ

ENARRATIO.

PER abdominis membranam peritonæum intelligit; Arabes siphac nominant. est autem peritonæum circa pubis os tenuißimum; vnde & ibidem facillimè disrumpitur, illácque intestina in scrotum ruunt.

De Varicibus ventris.

PRÆTER hæc euenit, vt in quorundam ventribus varices sint, quarum quia nulla alia curatio est, quàm quæ in cruribus esse consueuit, tum eam partem explanaturus, hanc quoque eò differo.

CAPVT XVIII.

De Testiculorum natura, & morbis eorum.

VENIO autem ad ea, quæ in naturalibus partibus circa testiculos oriri solent, quæ quo faciliùs explicem, prius ipsius loci natura paucis proponenda est. Igitur testiculi simile quiddam *medullis habent. Nam sanguinem non emittunt, & omni sensu carent. Dolent autem in ictibus & inflammationibus tunicæ, quibus hi continentur. Dependent verò ab inguinibus per singulos neruos, quos κρεμαςῆρας Græci nominant, cum quorum vtroque binæ descendunt & venæ & arteriæ. Hæ autem tunica conteguntur tenui, neruosa, sine sanguine, alba, quæ *ἐρυθροειδὴς à Græcis nominatur: super eam valentior tunica est, quæ interiori vehementer ima parte inhæret, Darton Græci vocant. Multæ deinde membranulæ venas & arterias, eosque neruos comprehendunt. Atque inter duas quoque tunicas superioribus partibus leues, paruulæque sunt. Hactenus propria vtrique testiculo & velamenta & auxilia sunt. Communis deinde vtrique, omnibusque interioribus sinus est, qui iam conspicitur à nobis, ὄσχεον Græci, scrotum nostri vocant, isque ab ima parte mediis tunicis leuiter innexus est, à superiore tantùm circundatus est. Sub hoc igitur plura vitia esse consuerunt. Quæ modò ruptis tunicis, quas ab inguinibus incipere proposui, modò his integris fiunt. Siquidem interdum vel ex morbo primùm inflammatur, deinde postea pondere abrumpitur, vel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica, quæ diducere ab inferioribus partibus intestina debuit, tum pondere eò deuoluitur, aut omentum, aut etiam intestinum. Atque ibi reperta via, paulatim ab inguinibus in inferiores quoque partes *demissum, subinde neruosas tunicas, & ob id eius rei patientes diducit, ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην Græci vocant, apud nos indecorum, sed commune his Herniæ nomen est. Deinde si descendit omentum, nunquam in scroto tumor tollitur, siue inedia fuit, siue corpus huc illúcve conuersum, aut aliquo

* glandulis

* ἐλαφροειδὴς

Scrotum

* nisum,

Hernia.

aliquo modo collocatum. Itemque si retentus est spiritus, non magnopere increscit, tactu verò inæqualis est, & mollis, & lubricus. At si intestinum quoq. descendit, *tumor is sine inflammatione modò minuitur, modò increscit. Estque ferè sine dolore, & cùm conquiescit aliquis, aut iacet, interdum ex toto *desidit, interdum sic *diuiditur, vt in scroto exiguæ reliquiæ maneant. *At si clamore & satietate, & si sub aliquo pondere is homo nixus est, crescit, frigore omni contrahitur, calore *diffunditur. Estque tum scrotum & rotundum, & tactu leue, idque quod subest, lubricum est: si pressum est, ad inguen reuertitur, demissumque iterum cum quodam quasi murmure deuoluitur. Et id quidem in leuioribus malis euenit. Nonnunquam autem, stercore *accepto vastius tumet, retroque compelli non potest: adfertque tum dolorem & scroto, & inguinibus, & abdomini: nonnunquam stomachus quoque affectus, primùm ruffam bilem per os reddit, deinde viridem, quibusdam etiam nigram. Integris verò membranis interdum eam partem humor *distringit. Atque eius quoque species duæ sunt. Nam vel inter tunicas is increscit, vel in membranis, quæ ibi circa venas & arterias sunt, vbi hæ grauatæ occaluerunt. Ac ne ei quidem humori, qui inter tunicas est, vna sedes est. Nam modò inter summam & mediam, modò inter mediam & imam consistit. Græci communi nomine quicquid est, ὑδροκήλην appellant: nostri, vt scilicet nullis discriminibus satis cognitis, hoc quoque sub eodem nomine, quo *priora habent. Signa autem quædam communia sunt, quædam propiora. Communia, quibus humor deprehenditur. Propria, quibus locis humorem subesse dicimus: si tumor est, nunquam ex toto se remittens, sed interdum leuior, aut propter famem, aut propter febriculam, maximeque in pueris, isque moris est, si non nimius humor subest. At si is vehementer increuit, renititur sic, vt vter repletus, & arte astrictus. Venæ quoque in scroto inflantur, & si digito pressimus, cedit humor, circunfluensque id quod non premitur, attollit, & tanquam in vitro cornúve per scrotum apparet, isq. (quantum in ipso est) sine dolore est. Sedes autem

* humor his
* definit,
* discutitur,
* At clam.
* distenditur.
* concepto
* distendit.
* propiora

autem eius ſic deprehenditur: Si inter ſummam mediamque tunicam eſt, cùm digitis duobus preſſimus, paulatim humor inter eos reuertens ſubit, ſcrotum ipſius albidius eſt. Si ducitur, aut nihil, aut paruulum intenditur, teſticulus ea parte neque* viſu, neque tactu ſentitur. At ſi ſub media tunica eſt, intentum ſcrotum magis ſe attollit, adeò, vt ſuperior coles ſub tumore eo deliteſcat. Præter hæc æquè integris tunicis ramex innaſcitur, κιρσοκήλην Græci appellant, cùm venæ intumeſcunt. Hæ quoque intortæ conglomeratæque ad ſuperiorem partem, vel ipſum ſcrotum implent, vel mediam tunicam, vel imam. Interdum etiam ſub ima tunica circa ipſum teſticulum neruumque eius increſcunt. Ex his eæ quæ in ipſo ſcroto ſunt, oculis patent: hæ verò quæ mediæ imæ've tunicæ inſident, vt magis conditæ, non æquè quidem cernuntur, ſed tamen etiam viſui ſubiectæ ſunt, præterquàm quòd & tumoris aliquid eſt, pro venarum magnitudine & modo: & id prementi magis renititur, ac per ipſos venarum toros inæquale eſt: & qua parte id eſt, teſticulus magis iuſto dependet. Cùm verò etiam ſuper ipſum teſticulum neruumque eius, id malum increuit, aliquanto longiùs teſticulus ipſe deſcendit, minorq. altero fit, vtpote alimento amiſſo. Rarò, ſed aliquando caro quoque inter tunicas increſcit, σαρκοκήλην Græci vocant. Interdum etiam ex inflammatione tumet ipſe teſticulus, ac febres quoque adfert, & niſi celeriter ea inflammatio conquieuit, dolor ad inguina atque ilia peruenit, parteſque hæ intumeſcunt: neruus ex quo teſticulus dependet, plenior fit, ſimulque indureſcit: ſuper hæc inguen quoque nonnunquam varices implent, βουβωνοκήλην appellant.

* niſu, vel nixu.

E'NARRATIO.

quos κρημαςῆρας.

ALII paraſtatas nominant: ſpinalis medullæ ex cerebro propagines ſunt.

quæ ἐρυθροειδής.

VERBVM hoc (inquit Ioannes Cæſarius) quum de eo diu iam dubitaſſem quonam modo ſcribendum eſſet, propterea quòd nondum ad manum mihi erant Galeni opera Græca omnia, vnde ipſum reſtitui poſſe coniectabam; nec falsò: tandem à doctiſſimo Georgio Agricola reſtitutum accipio; qui tamen & ipſe de eius verbi ſcriptura, ſe aliquando dubitaſſe literis ad me ſcriptis teſtatur, quòd apud ipſum Galenum loco vno

aut

aut altero ita ſcriptum inuenerit, ἐρυτροειδὴς, per τ non per θ, in eodem ſignificatu; id quod Atticorum cõſuetudine, proprietatéve factum à Galeno exiſtimat, ut qui ρ pro λ ſcribere conſueuerunt, ut κρίβανον ἀντὶ τοῦ κλιβανοῦ. Verùm quum idem verbum apud eundem Galenum locis compluribus, & apud alios eiuſdem profeßionis auctores ſcriptum inueniſſet, eo quo nunc modo annotatum eſt, hîc quoque ſcribendum adiudicabat; verbum videlicet deductum ἀπὸ τοῦ ἐλύτρου καὶ εἶδος. Sunt tamen alij doctißimi viri, quibus per θ ſcribendum magis placuerit, quum paßim in ſuis tranſlationibus tunicam aut pelliculam rubicundam reddiderint.

Nonnumquam autem ſtercore.

PAVLVS interdùm periculum afferre docet; & Aëtius mortem nonnunquam minari contendit.

Signa autem quædam.

AETIVS libro XIIII. capite XXII. ex Leonida clariùs paulo ſigna hæc deſcribit, in hunc modum: Hernia aquoſa quandoque ex occulta, quandoque ex manifeſta cauſa contingit: ex occulta quidem, quum aquoſus humor circa partes corpuſculorum quæ ſcrotum contexunt, ac implicant, ſanguini admixtus collectus fuerit: ex manifeſta verò, quando ex plaga colliſis aut fractis vaſis ſanguis effluens ad aquoſam ſubſtantiam tranſmutatur. Vbi igitur ſponte conſtiterit aquoſus humor collectus, ſubflauus ac pallidus is inuenitur; ubi verò ex plaga, cruentam ac fœculentam materiam inuenies. Humor autem vel intra rubicundam teſticuli pelliculam conſiſtit, vel extra eam, inter ipſam & pelliculas adiacentes; vel in propria pellicula velut veſica quadam continetur: atque hoc genus herniam in tunica ſuperaguata vocamus. Aliquando verò duplex hernia oboritur, quum collectio, & in rubicunda tunica, & in ſuperaguata conſiſtit. Si quidem igitur in pellicula rubicunda humor collectus fuerit, tumor unius coloris appâret, ſine dolore: in principio dum adhuc parua collectio eſt ad contactum cedens; poſteà verò aucta collectione, teſticulus humore undique circumdatus occultatur, ac tumor in ambitu extentus ac renitens, ad tactum herniæ carnoſæ ſuſpicionem pleriſque exhibet. poſſunt tamen tactu diſcerni: nam hernia carnoſa omnino renititur; verùm aquoſa digitis cedit. Si verò in ſuperaguata tunica humor colligitur, tumor ipſe, ſiue magnus ſiue paruus fuerit, omnino circumſcribetur. At ſi ſimul in rubicunda quoque pellicula collectus fuerit, duo tumores deprehendentur, alter in ſuperaguata, alter in rubicunda tunica. Quòd ſi extra rubicundam pelliculam collectio fiat, teſticulus tactui occurrit. Hæc ex Leonida Aëtius: quæ ideò adſcripta volui, quòd ad capitis huius declarationem plurimùm facere viderentur. Solent porrò herniæ aut ramicis ſpecies hiſce nominibus diſtinguere: ἐντεροκήλην vocant, quoties in ſcrotum inteſtinum deuoluitur; Latini inteſtinorum ramicem, Auicenna rupturam nominat. ἐπιπλοκήλην, ſi omentum deſcendat; Auicenna Zirbi, Latini omenti ramicem dicunt. ὑδροκήλην, Latini & Auicenna indifferenter aquæ ramicem appellant. σαρκοκήλην autem carnoſum ramicem dicimus; ut κιρσοκήλην, varicoſum: quod accidit quoties venæ ultra modum repletæ glomerantur. Si affectio compoſita eſt ex omenti & inteſtini ſimul prolapſu, ἐπιπλοεντεροκήλην vocant: βουβωνοκήλην verò, ſi non in ſcrotum, ſed in inguina deuoluantur contenta; nos inguinis ramicem dicimus.

CAPVT XIX.

De testiculorum curationibus communibus, & primò de incisione & curatione inguinis, vel scroti.

HIS cognitis, de curatione dicendum est, in qua quædam communia omnium sunt, quædam propria singulorum. Priùs de communibus dicam. Loquar autem nunc de his, quæ scalpellum desiderant. Nam quæ vel sanari non possint, vel aliter nutriri debeant, dicendum erit, simul *ad species singulas venero. Inciditur autem interdum inguen, interdum scrotum. In vtraque curatione, homo ante *triduum bibere aquam, pridie abstinere etiam à cibo debet; ipso autem die collocari supinus: deinde si inguen incidendum est, idque iam pube contegitur, antè radendum est, & tum extento scroto, vt cutis inguinis intenta sit, id incidendum sub imo ventre, qua cum abdomine tunicæ inferiores committuntur. Aperiendum autem audacter est, donec summa tunica, quæ ipsius scroti est, incidatur, perueniaturq. ad eam, *qua media est plaga facta. Foramen deorsum versus subest. In id demittendus est sinistræ manus digitus index, vt diductis interuenientibus membranulis *simul laxet. Minister autem sinistra manu comprehenso scroto, sursum versus eum debet extendere, & quammaximè ab inguinibus abducere: primùm cum ipso testiculo, dum medicus omnes membranulas, quæ super mediam tunicam sunt, si digito deducere non potest, scalpello abscindat. Deinde sine eo, vt is *delapsus ipsi plagæ iungatur, digitoque inde promatur, & super ventrem cum duabus suis tunicis collocetur. Inde si qua vitiosa sunt, circuncidenda sunt. In quibus cùm multæ venæ discurrant, tenuiores quidem præcidi protinus possunt: maiores verò antè longiore lino deligandæ sunt, ne periculosè sanguinem fundant. Sin media tunica vexata erit, aut sub ea malum increuerit, excidenda erit, sic, vt altè ad ipsum inguen præcidatur. Infrà tamen non tota demenda est. Nam quod ad basim testiculi vehementer cum ima tunica connexum est,

*ac ad

*triduo

*quæ med. est. Plaga facta for.

*sinum

*elapsus

est, excidi sine summo periculo non potest. Itaquē ibi relinquendum est. Idem in ima quoque tunica, si læsa est, faciendum est. Sed non à summa inguinis plaga, verùm infrà paulum ea abscindenda, ne læsa abdominis membrana inflammationes moueat. Neque tamen nimium ex ea sursum relinquendum est, ne postea sinuetur, & sedem eidem malo præstet. Purgatus* ita testiculus per ipsam plagam, cum venis & arteriis, & neruo suo* leuiter demittendus est, videndumque ne sanguis in scrotum descendat, neve concretus aliquo loco maneat. Quæ ita fient, si venis vinciendo medicus prospexerit: lina quibus capita earum continebuntur, extra plagam dependere debebunt, quæ pure orto sine vllo dolore excident. Ipsi autem plagæ iniiciendæ duæ fibulæ sunt, & insuper medicamentum quo *glutinentur. Solet interdum ab altera ora necessarium esse aliquid excidi, vt cicatrix maior & latior fiat. Quod vbi incidit, linamenta supèr non *fulcienda, sed leuiter tantùm ponenda sunt, supraque ea quæ inflammationem repellant, id est, ex aceto vel lana succida vel spongia. Cætera eadem quæ vbi pus moueri debet, adhibenda sunt. At cùm *infrà incidi oportet, resupinato homine subiicienda sub scroto sinistra manus est, deinde id vehementer apprehendendũ, & incidendum. Si paruulum est quod nocet, modicè, vt tertia pars integra ad sustinendum testiculum infrà relinquatur. Si maius est, etiam amplius, vt paulum tantummodo ad imum, cui testiculus insidere possit, integrum maneat. Sed primò rectus scalpellus, quamleuissima manu teneri debet, donec scrotum ipsum diducat. Tum inclinandus mucro est, vt *transuersa membrana secet, quæ inter summam mediamque tunicam sunt. At si vitium in proximo est, mediam tunicam attingi non oportet. Si sub illa quoque conditur, etiam illa incidenda est, sic vt tertia quoque, si illa vitium tegit. Vbicunque repertum malum est, ministrum ab inferiore parte exprimere moderatè scrotum oportet, medicum digito, manubriolo, vel scalpello diductam inferiorem partem tunica extrà collocare: deinde eam ferramento, quod ad similitudinem curuum vocant, incidere,

* itaque
* leniter
*glutinetur.
*farcienda
*inguen
* transuersas membranas

sic vt in eadem intrare duo digiti, index & medius, possint. His deinde * coniectis, excipienda reliqua pars tunicæ, & inter digitos scalpellus immittendus est, eximendumq. aut effundendum quicquid est noxium. Quamcunque autem tunicam quis violauit, illam quoque debet excidere, ac mediam quidem (vt supra dixi) quàm altissimè ab inguine, imam autem paulo infrà. Cæterum antequam excidantur, hæ quoque vinciri lino * summè debent, & eius lini capita extra plagam relinquenda sunt, sicut in * aliis quoque venis, quæ id requisierint. Eo facto testiculus intus reponendus est, oræque scroti suturis inter se committendæ, neque paucis, ne parum glutinentur, & longior fiat curatio; neque multis, ne inflammationem augeant. Atque hìc quoq. videndum est, ne quid in scroto sanguinis maneat. Tum imponenda glutinantia sunt. Si quando autem in scrotum sanguis defluxit, aliquidve concretum ex eo decidit, incidi subter id debet, purgatoque eo spongia acri aceto madens circundari. Deligatur autem vulnus omne, quod ex his caussis factum est. Si dolor nullus est, quinque primis diebus non est resoluendum, sed bis die tantùm aceto * irroranda lana vel spongia. Si dolor est, tertia die resoluendum, & vbi fibulæ sunt, hæ incidendæ, vbi linamentum, id mutandum est: rosaque & vino madefaciendum id, quod imponitur. Si inflammatio increscit, adiiciendum prioribus cataplasma ex lenticula & melle, vel ex malicorio, quod in austero vino coctum sit, vel ex his mistis. Si sub his inflammatio non conquierit, post diem quintum multa calida aqua vulnus fouendum, donec scrotum ipsum & extenuetur, & rugosius fiat. Tum imponendum cataplasma ex triticea farina, cui resina pinea adiecta sit. Quæ ipsa si robustus curatur, ex aceto: si tener, ex melle coquenda sunt. Neque dubium est, quodcunque * initium fuit, si magna inflammatio est, quin ea, quæ pus mouent, imponenda sint. Quòd si pus in ipso scroto ortum est, paulum id incidi debet, vt exitus detur. Linamentumque eatenus imponendum est, vt foramen tegat. Inflammatione finita, propter neruos * priore cataplasmate, dein cerato vtendum est. Hæc propriè ad eius-

* confectis
* summæ
* illis
* irrorandum
* vitium
* propiore

ad eiusmodi vulnera pertinent. Cætera & in curatione, & in victu similia his esse debent, quæ in alio quoque vulnerum genere præcepimus.

ENARRATIO.

deinde si inguen incidendum.

ETSI omnes veteres intestinorum ramicis inciso inguine curationem moliti sint; Paulus tamen à recentioribus magis probatam dicit eam quæ per vstionem fit, quam & ipse Aetius commendat: nam, Tutißima, inquit, curatio herniarum, chirurgia & vstione perficitur, si peritus artifex contingat; tutior tamen ipsâ chirurgiâ est vstio.

CAPVT XX.
De intestini curatione.

HIS propositis, ad singulas species veniendum est, ac si cui paruulo puero intestinum descendit, ante scalpellum experienda iunctura est. Fascia eius rei causa fit, cui imo loco pila assuta est ex panniculis facta, quæ ad repellendum intestinum ipsi illi subiicitur, deinde reliqua fasciæ pars arctè circundatur, sub quo sæpe & intùs compellitur intestinum, & inter se tunicæ glutinantur. Rursus si ætas processit, multumque intestini descendisse ex tumore magno patet, adiiciunturque *dolor & vomitus, quæ ex stercore, & ex cruditate eò delapso ferè accidunt, scalpellum adhiberi sine pernicie non posse manifestum est. Leuandum tantummodo malum, & per alias curationes extrahendum est. Sanguis mitti ex brachio debet; deinde, si vires patiuntur, imperanda tridui abstinentia est: si minus, certè pro vi corporis quàm *longissimè. Eodem verò tempore supèr habendum cataplasma ex lini semine, quod antè aliquis ex mulso decoxerit. Post hæc & farina hordeacea cum resina iniicienda, & is demittendus in solium aquæ calidæ, cui oleum quoque adiectum sit, dandumque aliquid cibi *lenis calidi. Quidam etiam aluum ducunt. Id ducere aliquid in scrotum potest, educere ex eo non potest. Per ea verò, quæ suprà scripta sunt, leuato malo, si quando aliàs dolor reuerterit, eadem erunt facienda. Sine

* dolores

* longissima.

* leuis

dolore quoque, si multa intestina prolapsa sunt, secari superuacuum est, non quòd excludi à scroto non possint, nisi tamen id inflammatio prohibuit, sed quò repulsa inguinibus immorentur, ibique tumorem excitent, atque ita fiat mali non finis sed mutatio. At in eo quem scalpello curari oportebit, simulatque ad mediam tunicam vulnus in inguine factum peruenerit, duobus hamulis ea iuxta ipsas oras apprehendi debebit, dum eductis omnibus membranulis medicus eam liberat. Neque enim * cum periculo læditur, quæ * excidenda est, cùm intestinum esse nisi sub ea non possit. Vbi * deducta autem erit, ab inguine vsque ad testiculum incidi debebit, sic, ne * ipse lædatur, tum excidi. Ferè tamen hanc curationem puerilis ætas, & modicum malum recipit. Si vir robustus est, maiusque id vitium est, extrahi testiculus non debet, sed in sua sede permanere. Id hoc modo fit. Inguen eadem ratione vsque ad mediam tunicam scalpello aperitur, eaque tunica eodem modo duobus hamis excipitur, sic vt à ministro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat: tum ea tunica deorsum versus scalpello inciditur, sub eaque index digitus sinistræ manus ad imum testiculum demittitur, eumque ad plagam compellit. Deinde dextræ manus duo digiti pollex atque index, venam & arteriam & neruum, tunicamque eorum à superiore tunica diducunt. Quod si aliquæ membranulæ prohibent, scalpello resoluuntur, donec ante oculos tota iam tunica sit. Excisis quæ excidenda sunt, repositoque testiculo, ab ora quoque eius vulneris, quod in inguine est, demenda habenula paulò latior est, quo maior plaga fit, & plus creare carnis possit.

* non nisi cum
* incidēda
* diducta
* is ipse

ENARRATIO.

Ægineta *cum tantùm qui ex intensione oritur, intestinorum ramicem chirurgiâ curandum dicit: Alexander Benedictus libro* XXIIII. *capite* XXVII. *à se primùm proditum curandi citra ferramentum alium modum describit: qui etsi manum omnino desiderare videatur, vnica tamen punctione constat, & nec sanguinis profluuium, neque vllam inflammationem comitem habet; eam curationem non solùm in intestini, sed & in omenti ramice vtilissimam dicit.*

CAPVT

CAPVT XXI.

De Omenti curatione.

AT si omentum descendit, eodem quidem modo, quo suprà scriptum est, aperiendum inguen diducendæque tunicæ sunt. Considerandum autem est, maiórne is modus, an exiguus sit. Nam quod paruulum est, super inguen in aluum vel digito vel auerso specillo repellendum est. Si plus est, sinere oportet dependere, quantum ex vtero prolapsum est, idque adurentibus medicamentis illinere, donec emoriatur & excidat. Quidam hîc quoque duo lina acu traiiciunt, binisq. singulorum capitibus diuersas partes astringunt. Sub quo æquè, sed tardiùs emoriatur. Adiicitur tamen hîc quoque celeritati, si omentum super vinculum illinitur medicamentis quæ sic exedunt, ne erodant, *σηπτικὰ Græci vocant. * σηπτὰ
Fuerunt etiam qui omentum forfice præciderent, quod in paruulo non est necessarium. Si maius est, potest profusionem sanguinis facere. Siquidem omentum quoque venis quibusdam etiam maioribus illigatum est. Neque verò si *discusso ventre id prolapsum forfice præciditur, cùm & emortuum sit, & aliter tutiùs auelli non possit, inde huc exemplum transferendum est. Vulnus autem curari, si *relictum omentum est, sutura debet. Si id amplius *fuit, & extrà emortuum est, excisis oris, sicut suprà propositum est. Si verò humor intùs est, incidendum est, in pueris quidem inguen, nisi in his quoque liquoris eius maior modus prohibet: in viris verò & vbicunque multus humor subest, scrotum. Deinde si inguen incisum est, eò protractis tunicis humor effundi debet. Si scrotum, & sub hoc protinus vitium est, nihil aliud quàm humor est effundendus, abscindendæque membranulæ sunt, si quæ eum continuerunt: deinde eluendum id ex aqua, quæ vel salem adiectum, vel nitrum habeat: si sub media imáve tunica, totæ hæ extra scrotum collocandæ, excidendæque sunt.

* discisso
* reductū
* fluit,

CAPVT

Caput XXII.
De Ramicis curatione.

Ramex autem, si super ipsum scrotum est, adurendus est tenuibus & acutis ferramentis, quæ ipsis venis infigantur, cum eo ne amplius quàm has vrant, maximeque vbi inter se implicatæ glomerantur, eò ferrum id admouendum est, tum supèr farina ex aqua frigida subacta iniicienda est, vtendumq. eo vinculo, quod idoneum esse ani curationibus posui. Tertio die lenticula cum melle imponenda est, pòst eiectis crustis vlcera melle purganda, rosa implenda, ad cicatricem aridis linamentis perducenda sunt. Quibus verò super mediam tunicam venæ tument, incidendum inguen est, atque tunica promouenda, ab eaq. venæ digito vel manubriolo scalpelli separandæ. Qua parte verò inhærebunt, & ab superiore & ab inferiore parte lino vinciendæ, tum sub ipsis vinculis præcidendæ, reponendusque testiculus est. At vbi supra tertiam tunicam ramex insedit, mediam excidi necesse est. Deinde, si duæ trésve venæ tument, & ita pars aliqua obsidetur, vt maiore * vitio vacet, idem faciendum quod suprà scriptum est, vt ab inguine & à testiculo deligatæ venæ præcidantur, isque condatur. Sin totum id ramex obsederit, per plagam demittendus digitus index erit, subiiciendusque venis, sic vt paulatim protrahat æquè adducendo, donec is testiculus par alteri fiat. Tum fibulæ oris sic * vinciendæ, vt simul eas quoque venas comprehendant. Id hoc modo fit: Acus ab exteriore parte oram vulneris perforat. Tum non per ipsam venam, sed per membranam eius immittitur, per eamque in alteram oram compellitur. Venæ vulnerari non debent, ne sanguinem fundant. Membrana semper inter has venas est, ac neque periculum affert, & * filo comprehensas illas abundè tenet. Itaque etiam satis est, duas fibulas esse: tum venæ quæcunque protractæ sunt in ipsum inguen, * auerso specillo comprehendi debent: soluendi fibulas tempus inflammatione finita & purgato vulnere est, * vt * vna simul & oras

* sui parte vit.
* iniiciendæ,
* filum
* auerso specillo cõpelli d.
* &
* ima

oras & venas cicatrix deuinciat. Vbi verò inter imam tunicam & ipsum testiculum neruumque eius ramex ortus est, vna curatio est, quæ totum testiculum abscindit. Nam neque ad generationem quicquam is confert, & omnibus indecorè, quibusdam etiam cum dolore dependet. Sed tum quoque inguen incidendum, media tunica promenda, atque excidenda est, idem in ima faciendum, neruusque ex quo testiculus dependet, præcidendus. Post id venæ & arteriæ ad inguen lino deligandæ, & infra vinculum abscindendæ sunt.

ENARRATIO.

Ramex autem si.

VIDE *ne non legendum sit* De varicis curatione: *& rursum*, Varex autem; *ita vt hîc varicosum ramicem intelligamus, quemadmodum iam antè quoque per omentum ac intestinum, omenti atque intestini ramicem comprehendimus: nam quòd ita legendum censeam, facit quòd curatio quam hîc habet Celsus, omnino conueniat cum ea quam varicoso ramici asscribit Paulus: quanquam si quis veterem lectionem seruare malit, non improbe.*

CAPVT XXIII.

De Carne quæ inter tunicas testiculorum concreuit, & de neruo indurato.

CARO quoque, si quando inter tunicas concreuit, nihil dubij est, quin eximenda sit, sed id ipso scroto inciso fieri commodius est. At si neruus induruit, curari res neq. manu neque medicamento potest. Vrgent enim febres ardentes, & aut virides aut nigri vomitus: præter hæc ingens sitis, & linguæ aspritudo, fereque à die tertio spumans bilis aluo cum rosione redditur. Atque neque assumi facilè cibus, neque contineri potest, neq. multo pòst extremæ partes frigescunt, tremor oritur, manus sine ratione extenduntur, deinde in fronte frigidus sudor, eumque mors sequitur.

ENARRATIO.

At si neruus induruit.

SVADENT *propterea alij, vt ramicem hunc ceu deploratum, ac desperatæ salutis omnino, relinquamus prognosticû, ac repudiemus.*

CAPVT XXIIII.

De Ramice inguinis.

VBI verò in ipſo inguine ramex eſt, ſi tumor modicus eſt, ſemel incidi: ſi maior, duabus lineis debet, vt medium excidatur: deinde non extracto teſticulo, ſicut inteſtinis quoque prolapſis interdum fieri docui, colligendæ venæ, vinciendæque vbi tunicis inhærebunt, & ſub his nodis præcidendæ ſunt. Neque quicquam noui curatio vulneris eius requirit.

ENARRATIO.

deinde non extracto.

NON ſolùm à teſticulis temperandum eſt, ſed & à peritonæo, quòd id inciſum magnum admodùm periculum afferat.

CAPVT XXV.

Ad tegendam glandem colis, ſi nuda eſt.

AB his ad ea tranſeundum eſt, quæ in cole ipſo fiunt, in quo ſi glans nuda eſt, vultque aliquis eam decoris cauſſa tegere, fieri poteſt, ſed expeditiùs in puero quàm in viro. In eo cui id naturale eſt, quàm in eo, qui quarundam gentium more circumciſus eſt. In eo cui glans parua iuxtaque eam cutis, ſpatioſior verò ipſe coles eſt; quàm in quo contraria his ſunt. Curatio autem eorum, quibus id naturale eſt, eiuſmodi eſt: Cutis circa glandem *apprehenditur & extenditur, donec illam ipſam condat; ibique deligatur. Deinde iuxta pubem in orbem tergus inciditur, donec coles nudetur: magnaque cura cauetur ne vel vrinæ iter, vel venæ, quæ ibi ſunt, incidantur. Eo facto cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus, *eoque linamenta dantur, vt caro increſcat & id impleat, ſatiſq; velamenti ſuprà latitudo plagæ *præſtat. Sed donec cicatrix ſit, vinctum eſſe id debet, in medio tantùm relicto exiguo vrinæ itinere. At in eo qui circumciſus

*prehenditur.

*ſuper eoque

*præſtet.

cumcisus est, sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est. Non ita *dolet, quia summo soluto, diduci deorsum vsque ad pubem manu potest. Neque ideò sanguis profluit. Resoluta autem cutis rursus extenditur ultra glandem. Tum multa frigida aqua fouetur, *emplastrumque circà datur, quod valentem inflammationem reprimat, proximisque diebus vt propè à fame victus est, ne fortè eam partem satietas excitet. Vbi iam sine inflammatione est, deligari debet à pube vsque circulum. Super glandem autem aduerso emplastro imposito induci. Sic enim fit, vt inferior pars glutinetur, superior ita sanescat, ne inhæreat.

* verò dol.

*emplastroq. circumdatur, quod valenter

ENARRATIO.

PAVLVS Æginetα lib. VI. cap. LIII. duplicem administrationis modum explicat: inter artis tamen opera neutrum requiri, docet; tum quòd affectus obeundis muniis nullam difficultatem pariat; tum quòd neque tantum indecori afferat, vt chirurgi operâ omnino opus sit.

Quomodo glans penis contecta aperiri possit.

CONTRA si glans ita contecta est, vt nudari non possit, quod vitium Græci φίμωσιν appellant, aperienda est. Quod hoc modo fit: Subter à summa ora cutis inciditur recta linea vsque ad frænum, atque ita superius tergus relaxatum cedere retro potest. Quòd si parum sic protectum est, aut propter angustias, aut propter duritiem tergoris, protinus triangula forma cutis ab inferiore parte excidenda est, sic vt vertex eius ad frænum basis in tergo extremo sit. Tum superdanda linamenta sunt, aliaque medicamenta quæ ad sanitatem perducant. Necessarium autem est donec cicatrix sit conquiescere. Nam ambulatio atterendo vlcus sordidum reddit.

Infibulandi ratio.

INFIBVLARE quoque adolescentulos interdum vocis, interdum valetudinis caussa quidam consuerunt. Eiusque hæc ratio est. Cutis quæ super glandem est extenditur, nota-

* perforetur, turque vtrinque à lateribus atramento quà *perforatur, deinde remittitur. Si super glandem notæ reuertuntur, nimis apprehensum est, & *vltrà notari debet. Si glans ab his libera est, is locus idoneus fibulæ est. Tum quà notæ sunt, cutis acu filum ducente transuitur, eiusque fili capita inter se deligantur, quotidieque id mouetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant. Vbi hæ confirmatæ sunt, exempto filo fibula *additur, quæ quo melior, eo leuior est. Sed hoc quidem *sæpius inter superuacua, quàm inter necessaria est.

* infrà

* inditur, quæ quo leuior, eo melior est.

Capvt XXVI.

De Vrinæ reddendæ difficultate, & de Calculo, curationibusque eorum.

Res verò interdum cogit *emoliri manu vrinam, cùm illa non redditur, aut quia senectute iter eius collapsum est, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex sanguine intus se opposuit. At mediocris quoque inflammatio sæpe eam reddi naturaliter prohibet. Idque non in viris tantummodo, sed in fœminis quoq. interdum necessarium est. Ergo æneæ fistulæ fiunt, quæ vt omni corpori ampliori minorique sufficiant, ad mares tres, ad fœminas duæ medico habendæ sunt. Ex virilibus maxima decem & quinque est digitorum: media, duodecim: minima, nouem. Ex muliebribus, maior nouem: minor, sex. Incuruas verò esse eas paulum, sed magis viriles oportet, *leuesque admodum: ac neque nimis plenas, neque nimis tenues. Homo tum resupinus, eo modo quo in curatione ani figuratur, super subsellium aut lectum collocandus est. Medicus autem à dextro latere sinistra quidem manu colem masculi continere, dextra verò fistulam demittere in iter vrinæ debet. Atque vbi ad ceruicem vesicæ ventum est, simul cum cole fistulam inclinatam in ipsam vesicam compellere, eamque vrina reddita recipere. Fœmina breuius vrinæ similiter & rectius iter habet, quod mammulæ simile inter imas oras super naturale positum, non minus sæpe auxilio

* emollire

* læuesque

auxilio eget, *aliquanto minus difficultatis *exigit. Nonnunquam etiam prolapsus in ipsam fistulam calculus, qui subinde ea extenuatur, non longè ab exitu inhæreſcit. Eum si fieri poteſt, oportet * vellere, vel oriculario ſpecillo, vel eo ferramento, quo in ſectione calculus protrahitur. Si id fieri non potuit, cutis extrema quamplurimum attrahenda, & condita glande lino vincienda eſt, deinde à latere recta plaga coles incidendus, & calculus eximendus eſt, tum cutis remittenda. Sic enim fit, vt inciſum colem integra pars cutis contegat, & vrina naturaliter profluat. * ſed aliq. *exhibet. * euellere,

Enarratio.

At mediocris quoque.

QVIBVS *in vrinaria fiſtula, inquit Hippocrates, tubercula naſcuntur, ſuppuratione facta, & eruptione ſoluitur.*

Quæ curatio calculoſis adhibeatur.

CVM veſicæ verò calculique facta mentio ſit, locus ipſe exigere videtur, vt ſubiiciam quæ curatio calculoſis, cùm aliter ſuccurri non poteſt, adhibeatur. Ad quam feſtinare, cùm præceps ſit, nullo modo conuenit: ac neq. in omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio id experiendum eſt, ſed ſolo vere, in eo corpore, quòd iam nouem annos, nondum quatuordecim exceſſit, & ſi tantum mali ſubeſt, vt neque medicamentis vinci poſſit, neque etiam trahi poſſe videatur, quo minus interpoſito aliquo ſpatio interimat. Non quo * interdum etiam temeraria medicina proficiat, ſed quo ſæpius vtique in hoc fallat, in quo plura & genera & tempora periculi ſunt. Quæ ſimul cum ipſa curatione proponam. Igitur vbi vltima experiri ſtatutum eſt, antè aliquot diebus victu corpus præparandum eſt, vt modicos, vt ſalubres cibos, vt minimè glutinoſos aſſumat, vt aquam bibat. Ambulandi verò inter hæc exercitatione vtatur, quo magis calculus ad veſicæ ceruicem deſcendat. Quod an inciderit, digitis quoque, ſicut in curatione docebo, demiſſis cognoſcitur. Vbi eius rei fides eſt, pridie is puer in ieiunio continendus eſt, & tum loco calido * tamen non

lido curatio adhibenda, quæ hoc modo ordinatur: Homo præualens & peritus in ſedili alto conſidit, ſupinumque eum & aduerſum ſuper genua ſua coxis eius collocatis comprehendit, reductiſque eius cruribus, ipſum quoque iubet manibus ad ſuos poplites datis eos quàm maximè poſſit attrahere; ſimulque ipſe ſic eos continet. Quòd ſi robuſtius corpus eius eſt qui curatur, duobus ſedilibus iunctis duo valentes inſidunt, quo & ſedilia & interiora crura inter ſe * deligantur, ne diduci poſſint. Tum is ſuper duorum genua eodem modo collocatur, atque alter prout conſedit ſiniſtrum crus eius, alter dextrum, ſimulq. ipſe poplites ſuos attrahit. Siue autem vnus, ſiue duo continent, ſuper humeros eius ſuis pectoribus incumbunt. Ex quibus euenit, vt inter ilia ſinus ſuper pubem ſine vllis rugis ſit extentus, & in anguſtum compulſa veſica, facilius calculus capi poſſit. Præter hæc etiamnum à lateribus duo valentes obiiciuntur, qui circunſtantes * leuare, vel vnum vel duos, qui puerum continent, non ſinunt. Medicus deinde diligenter vnguibus circuncifis, *atq. ſiniſtra manu duos eius digitos, indicem & medium, leniter prius vnum, deinde alterum in anum eius demittit, dextraque digitos ſuper imum abdomen leniter imponit, ne ſi vtrinque digiti circa calculum vehementer concurrerint, veſicam lædant. Neque verò feſtinanter in hac re, vt in pleriſque, agendum eſt, ſed ita vt quammaximè id tutò fiat. Nam læſa veſica neruorum diſtentiones cum periculo mortis excitat. Ac primùm circa ceruicem quæritur calculus. Ibi repertus minore negotio expellitur. Et ideò dixi, ne curandum quidem, niſi cùm hoc indiciis ſuis cognitum eſt. Si verò aut ibi non fuit, aut receſſit retro, digiti ad vltimam veſicam dantur, paulatimque dextra quoque manus eius vltrà tranſlata ſubſequitur. Atque vbi repertus eſt calculus, qui neceſſe eſt in manus incidat, eo curioſius deducitur, quo minor * leuiorque eſt, ne effugiat, id eſt, ne ſæpius agitanda veſica ſit. Ergo vltra calculum dextra ſemper manus eius opponitur, * ſiniſtræ digiti deorſum eum compellunt, donec ad ceruicem peruenitur. In quam ſi oblongus eſt, ſic compellendus eſt, vt pronus exeat: ſi planus, ſic,

* deligentur,

* leuari *al.* ableuari *al.* labare

* ſedet, atque ſiniſtræ manus duos digitos

* læuiorq.

* ſiniſtra digitis eũ compellit,

fic, vt tranſuerſus ſit: ſi quadratus, vt duobus angulis ſedeat: ſi altera parte plenior, ſic vt priùs ea, qua tenuior ſit, euadat. In rotundo nihil intereſſe ex ipſa figura patet, niſi ſi * leuior altera parte eſt, vt ea antecedat. Cùm iam eò * venit, vt incidi ſuper veſicæ ceruicē iuxta anum cutis plaga lunata vſque ad ceruicem veſicæ * debeat, cornibus ad coxas ſpectantibus paulum, deinde ea parte qua ſtrictior ima plaga eſt, etiamnum ſub cute altera tranſuerſa plaga facienda eſt, qua ceruix aperiatur, donec vrinæ iter pateat, ſic vt plaga paulo maior, quàm calculus ſit. Nam qui * metu fiſtulæ, quàm illo loco * οὐρήθραν Græci vocant, parum patefaciunt, cum maiore eodem periculo reuoluuntur, quia calculus iter, cùm vi prèmitur, facit, niſi accipit. Idque etiam pernicioſius eſt, ſi figura quoque calculi vel aſpritudo aliquid eò contulit. Ex quo & ſanguinis profuſio, & diſtentio neruorum fieri poteſt. Quæ ſi quis euaſit, multo tamen patentiorem fiſtulam habiturus eſt, rupta ceruice, quàm habuiſſet inciſa. Cùm verò patefacta eſt, in conſpectū calculus venit, in cuius corpore nullum diſcrimen eſt. Ipſe ſi exiguus eſt, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi poteſt. Si maior, eiiciendus à ſuperiore ei parte vncus eſt, eius rei cauſſa factus. Is eſt ad extremum tenuis, in ſemicirculi ſpeciem retuſæ latitudinis, ab exteriori parte * leuis, qua corpori iungitur, ab interiori aſper, qua calculum attingit. Iſque longior potiùs eſſe debet. Nam breuis extrahendi vim habet. Vbi iniectus eſt, in vtrunque latus inclinandus eſt, vt appareat calculus, & teneatur; quia ſi apprehenſus eſt, ille ſimul inclinatur. Ideoque eo * minimo opus eſt, ne cùm adduci vncus cœperit, calculus intùs effugiat, hic in oram vulneris incidat, eamque conuulneret. In quâ re quod periculum eſſet, iam ſuprà propoſui. Vbi ſatis teneri calculum patet, eodem penè momento triplex motus adhibendus eſt, in vtrunque latus, deinde extra; ſic tamen, vt leniter id fiat, paulumque primò calculus attrahatur: quo facto, attollendus vncus extremus eſt, vti intus magis maneat, faciliuſque illum producat. Quòd ſi aliquando à ſuperiore parte calculus parum commodè comprehendatur, à latere erit apprehenden-

* læuior
* venit, incidi
* debet,
* meatum
* χοιράδα vel οὐριάδα
* læuis,
* minimè

hendendus. Hæc est simplicissima curatio. Sed varietas rerum quasdam etiamnum animaduersiones desiderat. Sunt enim quidam non asperi tantummodo, sed spinosi quoque calculi, qui per se quidem delapsi in ceruicem, sine vllo periculo eximuntur. In vesica verò non tutò vel hi conquiruntur, vel attrahuntur, quoniam vbi illam conuulnerarunt, ex distentione neruorum mortem maturant: multoque magis, si spina aliqua vesicæ inhæret, eamque cùm duceretur, duplicauit. Colligitur autem eo, quòd difficiliùs vrina redditur, in ceruice calculum esse: eo quòd cruenta destillat, illum esse spinosum, maximeque id sub digitis quoque experiendum est, neque adhibenda manus, nisi id constitit. Ac tum quoque leniter intus digiti obiiciendi, ne violenter promouendo conuulnerent, tum incidendum. Multi hîc quoque scalpello vsi sunt. Meges (quoniam is infirmior est, potestque in aliqua prominentia incidere, incisoque super illam corpore, quà cauum subest, non secare, sed relinquere, quod iterum incidi necesse sit) ferramentum fecit rectum, in summa parte labrosum, in ima semicirculatum acutumque. Id receptum inter duos digitos indicem ac medium super pollice imposito sic deprimebat, vt simul cum carne, si quid ex calculo prominebat, incideret. Quo * cùm sequebatur, vt semel quantum satis esset, aperiret. Quocunque autem modo ceruix ea parte facta est, leniter extrahi, quod asperum est, debet, nulla propter festinationem vi admota.

*consequebatur,

ENARRATIO.

in eo corpore, quod.

ÆGINETA tamen etiam ante nonum annum, idq; vsque ad XIIII. propter corporum mollitudinem, pueros facillimè curationem recipere auctor est: senes autem, quòd corpus eorum contumax sit, vix sanescere; mediam ætatem, medio inter has se habere loco.

Ambulandi verò.

NON solùm ambulandum, sed & concutiendum corpus alii censent; atque interdum ex alto saltare iubent, vt eo impetu lapis loco dimoueatur.

Nam læsa vesica.

QVVM enim neruosa planè sit vesica, eadem læsa facilè in consortium trahet spinalem medullam, & cerebrum ipsum; vnde & lethales omnino conuulsiones oriuntur.

Signa

Signa calculorum, vel arenosorum, vel mollium.

At calculus arenosus, & antè manifestus est; quoniam, & vrina quæ redditur, arenosa est: & in ipsa curatione, quoniam inter subiectos digitos neque æquè * leniter renititur, & insuper dilatatur. Item mollis calculus, & ex pluribus minutisque, sed inter se parum astrictis compositus * indicatur, in se attrahens quasdam quasi squamulas. Hos omneis leniter permutatis subinde digitorum vicibus sic oportet * abducere, ne vesicam lædant, neve intùs aliquæ dissipatæ reliquiæ maneant, quæ postmodum curationi difficultatem faciant. Quicquid autem ex his in conspectum venit, vel digitis vel vnco eximendum est. At si plures calculi sunt, singuli protrahi debent; sic tamen, vt si quis exiguus superérit, potius relinquatur. Siquidem in vesica difficulter inuenitur, inuentusque celeriter effugit. Ita longa inquisitione vesica læditur, excitatque inflammationes mortiferas, adeò vt quidam secti, cùm diu frustraq. per digitos vesica esset agitata, decesserint. Quibus accedit etiam quòd exiguus calculus, ad plagam vrina postea * promouente, excidit. Si quando autem is maior, non videtur, nisi rupta ceruice, extrahi posse, findendus est. Cuius repertor Ammonius, ob id Lithotomos cognominatus est. Id hoc modo fit. Vncus iniicitur calculo, sic vt facilè eum * concussum quoque teneat, ne is retro reuoluatur. Tum ferramentũ adhibetur crassitudinis modicæ, prima parte tenui, sed retusa, quod admotum calculum ex altera parte ictum findit: magna cura habita, ne aut ad ipsam * vesicam per ferramentum perueniat, aut calculi fractura ne quid incidat.

* sed len.

* indicatur, de se abstrahẽs

* adducere,

* promouetur, & excidit.

* concussus

* vesicam fer.

ENARRATIO.

Si quando autem is.

CVRATIONEM *hanc tanquam minimè tutam hodie ferè reiiciunt. Paulus minus periculi in paruo, quàm magno lapide esse testatur, quòd qui magno calculo torqueantur, cruciatibus atque inflammationibus perferendis magis assueuerint, ac proinde ad dissectionẽ aut curationẽm opportunius sese habeant.*

De Calculis fœminarum.

HÆ verò curationes in fœminis quoque similes sunt: de quibus *tamen parum propriè quædam dicenda sunt. Siquidem in his vbi paruulus calculus est, scalpellus superuacuus est, quia *is vrinam in ceruicem non compellit, quæ & breuior, quàm in maribus, & laxior est. Ergo & per se sæpe excidit, & si in primo quod est angustius inhæret, eodem tamen vnco sine vlla noxa educitur. At in maioribus calculis necessaria eadem curatio est. Sed virgini subiici digiti tanquam masculo: mulieri per naturalia eius debent. Tum virgini quidem sub ima sinisteriore ora. Mulieri verò inter vrinæ iter & os pubis incidendum est, sic vt vtroque loco plaga transuersa sit: neque terreri conuenit, si plus ex muliebri corpore sanguinis profluit.

* parum propriè, tamē quædam
* cum vrina in ceruicem cō pellit,

ENARRATIO.

RARIVS multò mulieres, quàm viri calculis afficiuntur; idque tum propter colli vesicæ breuitatem; tum etiam eiusdem (vt sic dicam) amplitudinem: vnde crassos & fœculentos humores minore quàm viri molestia excernunt. quibus accedit, quòd dum iuuenes sunt, quietiores ac sedentariæ magis viris sint.

Sed virgini subiici digiti.

QVOD virginibus per anum, non secus ac in viris, digitos subiicimus, in caussâ est tum pudendi ipsius angustia, tum pelliculæ hymenis impedimentum.

Quæ curatio calculo euulso habenda sit.

CALCVLO euulso, si valens corpus est, neque magnopere vexatum, sinere oportet sanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur. Atque ingredi quoque eum paulum non alienum est; vt excidat, si quid intùs concreti sanguinis mansit. Quòd si per se non destitit, rursus ne vis omnis intereat, supprimi debet. Idque protinus in imbecillioribus ab ipsa curatione faciendum est. Siquidem vt distentione neruorum periclitatur aliquis, dum vesica eius agitatur: sic alter metus *excipitur remotis medicaminibus, ne tantum sanguinis profluat vt occidat. Quod ne incidat, desidere is debet

* excipit

debet in acre acetum, cui aliquantum salis sit adiectum. Sub quo & sanguis ferè conquiescit, & astringitur vesica, ideoque minus inflammatur. Quod si parum proficit, agglutinanda cucurbitula est, & inguinibus & coxis, & super pubem. Vbi iam satis vel euocatus est sanguis, vel prohibitus, resupinus collocandus est; sic vt caput humile sit, coxæ paulũ excitentur: ac super * vlcus imponendum est duplex aut triplex linteolum, aceto madens. Deinde interpositis duabus horis, in solium is aquæ calidæ resupinus demittendus est, sic, vt à genibus ad vmbilicum * aqua teneat, cætera vestimentis circundata sint, manibus tantummodo pedibusque nudatis, vt & minus digeratur, & ibi diutius maneat. Ex quo sudor multus oriri solet, qui spongia subinde * facilè detergendus est, finisque eius fomenti est, donec infirmando offendat. Tum multo is oleo perungendus, inducendusque hapsus lanæ mollis, tepido oleo repletur, qui pubem & coxas & inguina, & plagam ipsam contectam eodem ante se linteolo protegat, isque subinde oleo tepido madefaciendus est, vt neque frigus ad vesicam admittat, & neruos leniter molliat. Quidam cataplasmatis calefacientibus vtuntur. Ea plus pondere nocent, * quæ vesicam vrgendo vulnus irritant, quàm calore proficiunt. Ergo ne vinculum quidem vllum necessarium est. Proximo die, si spiritus difficiliùs redditur, si vrina non excedit, si locus circa pubem maturè intumuit, scire licet in vesica sanguinem concretum remansisse. Igitur demissis eodem modo digitis leniter pertractanda vesica est, & discutienda si qua coierunt. Quo fit, vt per vulnus postea procedant. Non alienum etiam est, oriculario clystere acetum nitro mistum per plagam in vesicam compellere. Nam sic quoque discutiuntur, si qua cruenta coierunt. Eaque facere etiam primo die conuenit. Si timemus, ne quid intus sit, maximeque vbi ambulando id elicere imbecillitas prohibuit, cætera eadem facienda sunt: vt demittatur in solium, vt eodem modo panniculus, eadem lana superiniiciatur. Sed neque sæpe, neque tamdiu in aqua calida puer habendus, quàm adolescens est; infirmus quàm valens; leui, quàm grauiore inflammatione

Marginal notes: * vulnus; * in aqua; * in facie; * quia

adfectus: is cuius corpus digeritur, quàm is cuius astrictum est. Inter hæc verò si somnus est, & æqualis spiritus, & madens lingua, & sitis modica, & venter * imus, sed & mediocris est cum febre modica dolor, scire licet rectè procedere curationem. Atq. in his inflammatio fere quinto vel septimo die finitur. Qua leuata, solium superuacuum est. Supini tantummodo vulnus aqua calida fouendum est, vt si quid * vrinæ rodet, abluatur. Imponenda autem medicamenta sunt pus mouentia, & si purgandum vlcus videbitur, melle linendum. Id si rodet, rosa temperabitur. Huic curationi aptissimum videtur Enneapharmacum emplastrum. Nam & seuum habet ad pus mouendum, & mel ad vlcus repurgandum: medulla etiam, maximeque vitulina, quod in id ne fistula relinquatur, præcipuè proficit. Linamenta verò tum super vlcus non sunt necessaria, super medicamentum ad id continendum, rectè imponuntur. At vbi vlcus purgatum est, puro linamento ad cicatricem perducendum est. Quibus temporibus tamen, si felix curatio non fuit, varia circa pericula oriuntur. Quæ præsagire protinus licet, si continua vigilia est, si spiritus difficultas, si lingua arida est, si sitis vehemens, si venter imus tumet, si vulnus hiat, si * transiliens vrina id non rodit, si similiter ante tertium diem quædam liuida excidunt, si is aut nihil, aut tardè respondet, si vehementes dolores sunt, si post diem quintum magnæ febres vrgent, & fastidium cibi permanet, si cubare in ventrem iucundius est. Nihil tamen prius est, distentione neruorum, & ante nonum diem vomitu bilis. Sed cùm inflammationis sit metus, succurri abstinentia modicis & tempestiuis cibis, inter hæc fomentis, de quibus suprà scripsimus, oportet.

* imus sedet, mediocris & cum

* vrina

* transfluens

ENARRATIO.

Deinde interpositis.

SVNT quibus hæc curatio non satis arrideat.

hapsus lanæ mollis.

HAPSVS id Latinis dici videtur, quod Græcis πίλημα: ita enim Linacer verbum illud vertit πίλημα in Therapeutica Galeni duobus, quos obseruaui, locis. Cæterũ πίλημα Suidas exponit σκέπασμα: Hesichius ζώνη. Hapsus ergo significare videri potest, vel sacculum, crumenam, vel huiusmodi aliquid tectorium, aut velamẽ aut cingulum sacculi aut crumenæ modo factum. hæc Cæsarius.

CAPVT XXVII.

De cancro qui excisa vesica nascitur, & qua curatione vti deceat.

PROXIMVS cancri metus est: is cognoscitur, si & per vulnus, & per ipsum colem fluit sanies mali odoris, cumque * eo quædam à concreto sanguine non abhorrentia, tenuesque carunculæ * lanulis similes: præter hæc si oræ vulneris aridæ sunt, si dolent inguina, si febris non desuit, eaque in noctem augetur, si inordinati horrores accedunt. Considerandum autem est, in quam partem cancer is tendat. Si ad colem, indurescit is locus, & rubet, & tactu dolorem excitat, testiculique intumescunt. Si in ipsam vesicam, ani dolor sequitur, coxæ durescunt, non facilè crura extendi possunt. At si in alterutrum latus, oculis id expositum est, paresque vtrinque easdem notas, sed minores habet. Primùm autem ad rem pertinet, corpus rectè iacere, vt superior pars semper * eadem sit, in quam vitium fertur: ita si ad colem it, supinus is collocari debet: si ad vesicam, in ventrem: si in latus, in id quod integrius est. Deinde vbi ventum fuerit ad curationem, homo in aquam demittetur, in qua marrubium decoctum sit, aut cupressus, aut myrtus: idemque humor clystere intus * adiicietur. Tum superponetur lenticula cum malicorio mista, quæ vtraque ex vino decocta sint: vel rubus aut oleæ folia eodem modo decocta aliaque medicamenta, quæ ad cohibendos purgandosque cancros proposuimus, ex quibus, si qua erunt arida, per scriptorium calamum inspirabuntur. Vbi stare cœperit cancer, mulso vulnus eluetur. Vitabiturque eo tempore ceratum, quod ad * recipiendum id malum corpus emollit: potiùs plumbum elotum cum vino inungetur, superque idem linteolo illitum imponetur. Sub quibus peruenire ad sanitatem potest: cum eo tamen quòd non ignoremus, orto Cancro sæpe affici stomachum, cui cum vesica quoddam consortium est, exque eo fieri, vt neque retineatur cibus, neque si quis retentus est, concoquatur, neque corpus alatur:

* ea
* lamulis al. squamulis
* ea sit.
* iniicietur.
* decipiendum

alatur: ideoq́ue ne vulnus quidem aut purgari, aut ali possit, quæ necessariò mortem maturant: sed vt his succurri nullo
* die modo potest, sic à primo tamen * diu tenenda ratio curationis est. In qua quædam obseruatio ad cibum quoque potionemq́ue pertinens necessaria est. Nam cibus inter principia non nisi humidus dari debet. Vbi vlcus purgatum est, ex media materia olera & salsamenta semper aliena sunt. Potione
* immodica. opus est non * modica. Nam si parum bibitur, accenditur vulnus, & vigilia vrget, & vis corporis minuitur. Si plus æquo assumitur, subinde vesica impletur, eoq́ue irritatur. Non nisi aquam autem bibendam esse manifestius est, quàm vt subin-
* euenire. de dicendum sit. Solet verò sub eiusmodi victu * venire, vt aluus nõ reddatur. Hæc aqua ducenda est, in qua vel fœnum græcum, vel malua decocta sit. Idem humor rosa mistus in
* adigendus ipsum vulnus oriculario clystere * agendus est, vbi id rodit vrina, neque purgari patitur. Fere verò primò per vulnus exit hæc, deinde eo sanescente diuiditur, & pars per colem descendere incipit, donec ex toto plaga claudatur, quod interdum tertio mense, interdum non ante sextum, nonnunquã exacto quoque anno fit. Neque desperari debet solida glutinatio vulneris, nisi vbi aut vehementer rupta ceruix est, aut ex cancro multæ magnæq́ue carunculæ, simulq́ue neruosa aliqua exciderunt. Sed vt vel nulla ibi fistula, vel exigua admodum relinquatur, summa cura prouidendum est. Ergo cùm iam
* intendit ad cicatricem vulnus * tendit, extentis iacere feminibus & cruribus oportet, nisi tamen molles arenosíve calculi fuerunt. Sub his enim tardiùs vesica purgatur. Ideoq́ue diutius plagam patere necessarium est, & tum demum vbi iam nihil tale extrà fertur, ad cicatricem perduci: quòd si antequam vesica purgata est, oræ se glutinarunt, dolorq́ue & inflam-
* auerso matio redierunt, vulnus digitis vel * aduerso specillo diducendum est, vt torquentibus exitus detur, hisq́ue effusis tum diu-
* supra tius * pura vrina descendat. Tum demum quæ cicatricem
* extendédiq́ue, inducant, imponenda sunt, * extendiq́ue, vt suprà docui,
* icti. al. iuncti. pedes quàm maximè * vincti. Quòd si fistulæ metus ex his causis, quas proposui, subesse videbitur, quo faciliùs claudatur ea,

tur ea, vel certè coanguſtetur, in anum quoque danda plumbea fiſtula eſt: extentiſque cruribus, femina talique inter ſe deliganda ſunt, donec qualis futura eſt, cicatrix ſit.

ENARRATIO.

QVVM cancroſa vlcera antiqui maligna & difficulter curationem recipientia, nonnunquam ſoleant nominare, inducor omnino, vt & hîc Celſum noſtrum cancri nomen pro ſordido vlcere cum inflammatione accepiſſe credam; idq; potiſsimùm, quòd dicat, Is locus rubet, & tactu &c. *Neque enim, vt cuiuis notum eſt, cancer rubet, ſed ex nigrore quopiam liuet potiùs. His accedit quòd neque ſtatim niſi poſt exulcerationem ſanies mali odoris effluet.*

orto Cancro ſæpe affici ſtomachum.

SICVTI *per propaginem neruorum cum ſtomacho conſortium ſortita eſt veſica; ſic & eidem iecur facillimè coafficitur: procedunt enim duo validi meatus ab aörta ad veſicam; vnde contingit nonnunquam veſica affecta, nec hepar, nec ſtomachum omnino ſuo fungi officio.*

CAPVT XXVIII.

Si naturalia fœminarum concubitum non admittunt, quomodo curari conueniat.

ET hoc quidem commune eſſe maribus & fœminis poteſt. Propriè verò quædam ad fœminas pertinent, vt in primis quòd earum naturalia nonnunquam inter ſe glutinatis oris, concubitum non admittunt. Idque interdum euenit protinus in vtero matris, interdum exulceratione in his partibus facta, & per malam curationem his oris ſaneſcendo iunctis. Si ex vtero eſt, membrana ori vuluæ oppoſita eſt. Si ex vlcere, caro id repleuit. Oportet autem membranam duabus lineis inter ſe tranſuerſis incidere ad ſimilitudinem litteræ X, magna cura habita, ne vrinæ iter violetur. Deinde vndique eam membranam excidere: * ac ſi caro increuit, neceſſarium eſt recta linea patefacere. Tum ab ora vel volſella vel hamo apprehenſam, tanquam habenulam excidere: & intus implicitum in longitudinem linamentum, λημνίσκον Græci vocant, in aceto tinctum demittere, ſupraque ſuccidam lanam aceto madentem deligare. Tertio die ſoluere * vlcus, & ſicut alia vlcera curare. Cumque iam ad ſanitatem tendet, plumbeam fiſtulam

* at

* , & vlcus ſicut

ſiſtulam medicamento cicatricem inducente illinere, eamque intus dare. Supraque idem medicamentum iniicere, donec ad cicatricem plaga perueniat.

ENARRATIO.

quòd earum naturalia.

AETIVS, ſi ex vtero malum ſit, trifariam id accidere docet: nam quibuſdam in ipſius pudendi alis, ſiue labiis membrana aut caro obturans adnaſcitur; aliis in ipſo pudendi ſinu id contingit; aliis circa vteri oſculum eadem ſit obturatio.

ad ſimilitudinem literæ X.

ÆGINETA, & Aëtius recta linea ſcalpello ſiſtulis accommodato commiſſuram diſſoluunt.

CAPVT XXIX.

Qua curatione partus emortuus ex vtero excutiatur.

* concepit

VBI *concipit autem aliqua, ſi iam propè maturus partus intus emortuus eſt, neque excidere per ſe poteſt, adhibenda curatio eſt, quæ numerari inter difficillimas poteſt. Nam & ſummam prudentiam moderationemque deſiderat, & maximum periculum affert. Sed ante omnia vuluæ natura mirabilis, cùm in multis aliis, tum in hac re quoque facilè cognoſcitur. Oportet autem ante omnia reſupinam mulierē tranſuerſo lecto ſic collocare, vt feminibus eius ipſius ilia comprimantur. Quo fit, vt & imus venter in conſpectu medici ſit, & infans ad os vuluæ compellatur, quæ emortuo partu id comprimit, ex interuallo verò paulum *dehiſcere. Hac occaſione vſus medicus, vnctæ manus indicem digitum primùm debet inſerere, atque ibi continere, donec iterum *ad os aperiatur, rurſuſque alterum digitum demittere debebit, & per eaſdem occaſiones alios, donec tota eſſe intùs manus poſſit. Ad cuius rei *facultatem multum confert, & magnitudo vuluæ, & vis neruorum eius, & corporis totius habitus, & mentis etiam robur, cùm præſertim intus nonnunquam etiam duæ manus dari debeant. Pertinet etiam ad rem quam calidiſſimum eſſe imum ventrem, & extrema corporis, neque *cum inflammatione incepiſſe, ſed recenti re protinus

* dehiſcit.

* os adaperiatur.

* facilitatem

* dum inflammationē cœpiſſe,

protinus adhiberi medicinam. Nam si corpus iam intumuit, neque demitti manus, neque educi infans, nisi ægerrimè potest, sequiturque sæpe cum vomitu & cum tremore mortifera neruorum distentio. Verùm intùs emortuo corpori manus iniecta protinus habitum eius sentit. Nam aut in caput aut in pedes conuersum est, aut in transuersum iacet, fere tamen sic vt vel manus eius vel pes in propinquo sit. Medici verò propositum est, vt eum manu dirigat, vel in *caput, vel etiam in pedes, si fortè aliter compositus est: ac si nihil aliud est, manus vel pes apprehensus, còrpus rectiùs reddit: nam manus in caput, pes in pedes eum conuertet. Tum si caput proximum est, demitti debet vncus vndique læuis, acuminis breuis, qui vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti rectè iniicitur, deinde attractus infantem educit. Neque tamen quolibet is tempore extrahi debet. Nam si compresso vuluæ ore id tentatum est, non emittente eo infans abrumpitur, & vnci acumen in ipsum os vuluæ delabitur, sequiturque neruorum distentio, & ingens periculum mortis. Igitur compressa vulua, conquiescere: hiante, leniter trahere oportet, & per has occasiones paulatim eum educere. Trahere autem dextra manus vncum, sinistra intùs posita infantem ipsum, simulque dirigere eum debet. Solet etiam euenire, vt is infans humore distendatur, exque eo profluat fœdi odoris sanies. Si quid tale est, indice digito corpus illud forandum est, vt effuso humore extenuetur. Tum id leniter per ipsas manus recipiendum est, nam vncus iniectus * facilè hebeti corpusculo eleuabitur. In quo quid periculi sit, suprà positum. Sed in pedes quoque conuersus infans non difficulter extrahitur: quibus apprehensis per ipsas manus commodè educitur. Si verò transuersus est, neque dirigi potuit, vncus alæ iniiciendus, paulatimque attrahendus est. Sub quo fere ceruix replicatur, retroque caput ac reliquum corpus spectat. Remedio est, ceruix præcisa, vt separatim vtraque pars auferatur. Id vnco fit, qui priori similis in * interiorem tantùm partem per totam aciem exacuitur. Tum id agendum est, vt antè caput, deinde reliqua pars auferatur, quia fere

* manus.

* enectus corp. facilè elabitur.

* interiore t. parte p. t. acie

maiore parte extracta, caput in vacuā vuluam prolabitur: extrahíque sine summo periculo non potest, si tamen id incidit, super ventrem mulieris duplici panniculo iniecto, valens homo non imperitus à sinistro latere eius debet assistere, & super imum ventrem eius duas manus imponere, alteraque alteram premere. Quo fit, vt illud caput ad os vuluæ compellatur. Idq. eadem ratione quæ suprà posita est, vnco extrahitur. At si pes alter iuxtà repertus est, alter retro cum corpore est, quicquid *protractum est, paulatim abscindendum est: & si clunes os vuluæ vrgere cœperunt, iterum retro repellendæ sunt, conquisitusq. pes eius adducendus. Aliæque etiamnum difficultates faciunt, vt qui solidus non exit, concisus eximi debeat. Quoties autem infans protractus est, tradendus ministro est. Is eum supinis manibus sustinere, medicus deinde sinistra manu leniter trahere vmbilicum debet, ita ne abrumpat, dextraque eum sequi vsque ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit, hisque vltimis apprehensis venulas membranulasque omnes eadem ratione manu diducere à vulua, totumque illud extrahere, & si quid intus præterea concreti sanguinis remanet. Tum compressis in vnum feminibus, illa in conclaui collocanda est, modicum calorem sine vllo perflatu habente. Super imum ventrem eius imponenda lana succida in aceto & rosa tincta. Reliqua curatio talis esse debet, qualis in inflammationibus, & in his vulneribus, quæ in neruosis locis sunt, *adhibeatur.

*prolapsum

Secunda.

*adhibetur.

ENARRATIO.

Tum si caput proximum est.

QVONIAM vnci mentionem hîc facit, non fuerit inutile explicare, qui potissimùm loci vncum admittant. In capite igitur, ad infigendum instrumentum idonei sunt oculi, aurium meatus, os, menti pars inferior: in thorace, axillæ, claniculæ, præcordia, pectus, vertebrarum articuli, inguinum: in cruribus, ossa pubis, fœmineum pudendum.

Igitur compressa vulua.

TVM enim infusionibus pinguibus vtendum est ex præscripto Aëtij: adhæc insessionibus, irrigationibus & cataplasmatis; quò inflammatione aliquatenus sedata, & osculo dilatato fœtus educatur.

Trahere autem dextra.

Æqualiter trahendum est, non solùm in directum, sed & in obliquum.

CAPVT XXX.

De Ani vitiis, & eorum curatione.

ANI quoque vitia vbi medicamentis non vincuntur, manus auxilium desiderant. Ergo, si qua scissa in eo vetustate induruerunt, iamque callum habent, commodissimum est ducere aluum, tum spongiam calidam admouere, vt relaxentur illa, & foras prodeant. Vbi in conspectu sunt, scalpello singula excidere, & vlcera *renouare, deinde imponere linamentum molle, & supèr linteolum illitum melle, locumque eum molli lana implere, & ita vincire altero die, deincepsque cæteris lenibus medicamentis vti, quæ ad recentia eadem vitia necessaria esse aliâs proposui, & vtique per primos dies sorbitionibus eum sustinere, paulatim deinde cibis adiicere aliquid, generis tamen eius, quod eodem loco præceptum est. Si quando autem ex inflammatione pus in his oritur, vbi primùm id apparuit, incidendum est, ne anus ipse suppuret. Neque tamen antè properandum est: nam si crudum incisum est, inflammationis multum accedit, & puris aliquanto amplius concitatur. His quoque vulneribus, lenibus cibis, iisdemque medicamentis opus est.

* remouere,

De condylomatum curatione.

AT tubercula, quæ condylomata appellantur, vbi induruerunt, hac ratione curantur: Aluus ante omnia ducitur, tum volsella tuberculum apprehensum iuxta radices exciditur. Quod vbi factum est, eadem sequuntur, quæ suprà post curationem adhibenda esse proposui. Tantummodo si quid increscit, squama æris coërcendum est. Ora etiam venarum fundentia sanguinem sic tolluntur: Vbi sanguini qui effluit, sanies adiicitur, aluus *acriùs ducitur, quo magis *oræ promoueantur. Eoque fit, vt *omnia vela, quasi capitula conspicua sint. Tum si capitulum exiguum est, basimq. tenuem habet, astringendum lino paulum suprà est, quàm vbi cum

* acrioribus
* ora
* omnes venæ al. omnia venarum

* ex aqua ano committitur. Imponenda ſpongia * aqua calida eſt, donec id * libeat. * doleat. Deinde aut vngue, aut ſcalpello ſupra nodum id exulcerandum eſt. Quod niſi factum eſt, magni dolores ſubſequuntur, interdum etiam vrinæ difficultas. Si id maius eſt, & baſis latior, hamulo vno aut altero excipiendum eſt, paulumque ſupra baſim incidendum, neque relinquendum quicquam ex eo capitulo, neque quicquam ex ano demendum eſt. Quod conſequitur is, qui neque nimium, neque parùm hamos ducit. Quà inciſum eſt, acus debet immitti, infraque eam lino id capitulum alligari: ſi duo triáve ſunt, imum quodque primum curandum eſt. Si plura, non omnia ſimul, ne tempore eodem vndique teneræ cicatrices ſint: ſi ſanguis profluit, excipiendus eſt ſpongia, deinde linamentũ imponendum. Vngenda femina & inguina, & quicquid iuxta vlcus eſt, ceratumque ſuperdandum eſt. Farina ordeacea calida implendus is locus eſt: ſic deligandus eſt. Poſtero die is deſidere in aqua calida debet, eodemque cataplaſmate foueri. Ac bis die, & ante curationem, & poſt eam, ceruices ac femina liquido cerato perungenda ſunt, tepidoque is loco continendus. Interpoſitis quinque aut ſex diebus, oriculario ſpecillo linamenta educenda. Si capitula ſimul non exciderunt, digito promouenda. Tum lenibus medicamentis, iiſdemque, quæ alibi poſui, vlcera ad ſanitatem perducenda. Finito vitio, quemadmodum agendum eſſet, iam aliâs ſuperiùs expoſui.

ENARRATIO.

VT omnia vela.

MIHI *magis placeret lectio, ſi τὸ* omnia vela, *in τὸ* omnes venæ, quaſi capitula conſpicuæ, *reddas. Habes autem apud Paulum lib.* VI. *cap.* LXXIX. *aliam, quæ per chirurgiam fit, adminiſtrationem.*

CAPVT XXXI.

De varicum curatione.

AB his ad crura proximus tranſitus eſt, in quibus orti varices non difficili ratione tolluntur. Huc autem & earum venularum quæ in capite nocent, & eorum varicum qui

in ven-

in ventre sunt, curationem distuli: quoniam vbique eadem est. Igitur vena omnis, quæ noxia est, aut adusta tabescit, aut manu exciditur. Si recta est, si quamuis transuersa, tamen simplex, si modica est, melius aduritur. Si curua est, & velut in orbes quosdam implicatur, pluresque inter se inuoluuntur, vtilius eximere est. Adurendi ratio hæc est: Cutis superinciditur; tum patefacta vena, tenui & retuso ferramento candente modicè premitur, vitaturque, ne plagæ ipsius oræ adurantur, quas reducere hamulis facile est. Id interpositis fere quaternis digitis per totum varicem fit, & tum superimponitur medicamentum, quo adusta sanantur. * At excidi- *Excidendi ratio hæc est: tur hoc modo: Cute eadem ratione super venam incisa, hamulo oræ excipiuntur, scalpelloque vndique à corpore vena diducitur, caueturque, ne inter hæc ipsa lædatur; eique retusus hamulus subiicitur, * impositoque eodem ferè spatio quod *interpositoque suprà positum est, in eadem vena idem fit: quæ quò tendat, facilè hamulo extento cognoscitur. Vbi iam idem, quacunque varices sunt, factum est, vno loco adducta per hamulum vena præciditur, deinde quà proximus hamus est, attrahitur & euellitur, * ibi rursus abscinditur. Ac sic vndique varicibus *ibique crure liberato, tum plagarum oræ committuntur, & super emplastrum glutinans iniicitur.

CAPVT XXXII.

Curatio digitorum cohærentium.

At si digiti vel in vtero protinus, vel propter communem exulcerationem postea cohæserunt, scalpello diducuntur, dein separatim vterque non pingui emplastro circundatur. Atque ita per se vterque sanescit. Si verò fit vlcus in digito, posteaque malè inducta cicatrix curuum eum reddit, primùm malagma tentandum est. Dein, si id nihil prodest (quod & in veteri cicatrice, & vbi nerui læsi sunt, euenire consueuit) videre oportet, neruine id vitium, an cutis sit. Si nerui est, attingi non debet, neque enim sanabile est: si cutis,

tota cicatrix excidenda eſt, quæ ferè calloſa efficit, vt extendi digitum non patiatur, tum rectus ſic ad nouam cicatricem perducendus eſt.

ENARRATIO.

At ſi digiti.

QVVM exactius quàm quiſquam alius ſingulas chirurgiæ partes abſoluerit Celſus, neſcio quomodo adnatos digitos prætermiſerit: ſiquidem ſicuti cohærentes digiti ſectione curantur; ſic & ſi qui adnaſcantur digiti, ſtatim præcidendi ſunt.

CAPVT XXXIII.

De Gangrænæ curatione.

GANGRÆNA inter vngues alaſque aut inguina naſci, & ſi quando medicamenta vincuntur, membrum præcidi oportere, alio loco mihi dictum eſt. Sed id quoque cum periculo ſummo fit. Nam ſæpe in ipſo opere, vel profuſione ſanguinis, vel animæ defectione moriuntur. Verùm hîc quoque nihil intereſt an ſatis tutum præſidium ſit, quod vnicum eſt. Igitur inter ſanam vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro vſque ad os eſt: ſic vt neque contra ipſum articulum id fiat: & potius ex ſana parte aliquid excidatur, quàm ex ægra relinquatur. Vbi ad os ventum eſt, reducenda ab eo ſana caro, & circa os ſubſecanda eſt, vt ea quoque parte ali-
* oſſis quid * os nudetur: dein id ſerrula præcidendum eſt, quàm proximè ſanæ carni etiam inhærenti: ac tum frons oſſis
* læuando quam ſerrula exaſperauit, * leuanda eſt, ſupraque inducenda cutis, quæ ſub eiuſmodi curatione laxa eſſe debet, vt quàm maximè vndique os contegat. Quò cutis inducta non fuerit, id linamentis erit contegendum, & ſuper id ſpongia ex aceto deliganda. Cætera poſtea ſic facienda, vt in vulneribus,
* non debet, in quibus pus moueri * debet, præceptum eſt.

ENARRATIO.

& potiùs ex ſanâ parte.

GALENVS mortificatam partem ita reſecandam vult, vt nihil prorſus putridi ac carioſi ſuperſit: periculum enim eſt, ne ſi quid reliqui ſit, id quod ſanum eſt contagione contaminet.

AVRELII CORNELII CELSI DE RE MEDICA LIBER OCTAVVS,

A BALDVINO RONSSEO *Gandensi, medico, Enarrationibus illustratus.*

CAPVT I.

*De positu & figura * totius humani corporis.* ** ossium totius*

SVPEREST ea pars quæ ad ossa pertinet, quæ quo faciliùs accipi possit, priùs positus, figurasque eorum indicabo. Igitur caluaria incipit ex interiore parte concaua, extrinsecus gibba, vtrinque læuis, & quà cerebri membranam contegit, & quà cute capillum gignente contegitur. Eaque simplex ab occipitio & temporibus, duplex vsque in verticem à fronte est. Ossaque eius ab exterioribus partibus dura, ab interioribus, quibus inter se connectuntur, molliora sunt. Interque ea venæ discurrunt, quas his alimentum subministrare credibile est: raro autem caluaria solida sine suturis est. Locis tamen æstuosis faciliùs inuenitur. Et id caput firmissimum, atque à dolore tutissimum est: ex cæteris, quo suturæ pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior est. Neque enim certus earum numerus est, sicut ne locus quidem. Ferè tamen duæ super aures, tempora à superiore capitis parte discernunt. Tertia ad aures per verticem tendens occipitium à summo capite diducit. Quarta ab eodem vertice per medium

dium caput ad frontem procedit, eaq́. modò sub imo capillo desinit, modò frontem ipsam secans, inter supercilia, finitur. Ex his cæteræ quidem suturæ in vnguem committuntur. Hæ verò quæ super aures transuersæ sunt, totis oris paulatim extenuantur, atque ita * inferiora ossa superioribus leniter * insidunt. Crassissimum verò in capite os post aurem est, * quia capillus, vt verisimile est, ob idipsum non gignitur. Sub his quoque musculis qui tempora * connectunt, os * medium in interiorem partem * inclinatum positum est. At facies suturam habet maximam, quæ à tempore incipiens, per medios oculos naresq́. transuersa peruenit ad alterum tempus. A qua breues duæ sub interioribus angulis deorsum spectant. Et malæ quoque in summa parte singulas transuersas suturas habent. A mediisque naribus aut superiorum dentium * gingiuis per medium palatum vna procedit; aliaq́. transuersa idem palatum secat. Et suturæ quidem in plurimis hæ sunt. Foramina autem intra caput maxima oculorum sunt, deinde narium, tum quæ in auribus habemus. Ex his quæ oculorum sunt, recta simpliciaque ad cerebrum tendunt. Narium duo foramina osse medio discernuntur. Siquidem * hæc primùm à superciliis angulisque oculorum osse inchoantur ad tertiam fere partem: deinde in * cartilagine versæ quo propius ori descendunt, eo magis caruncula quoque molliuntur. Sed ea foramina, quæ * à summis ad imas nares simplicia sunt, ibi rursus in bina itinera diuiduntur. Aliaque ex his ad fauces peruia spiritum & reddunt & accipiunt, alia ad cerebrum tendunt. In vltima parte in multa & tenuia foramina dissipantur, per quæ sensus odoris nobis datur. In aure quoque primò rectũ & simplex iter procedendo flexuosum fit, quod ipsum iuxta cerebrum in multa & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi est: iuxta ea duo paruuli quasi sinus sunt, superque eos finitur os, quod transuersum à genis tendens ab inferioribus ossibus sustinetur, iugale appellari potest, ab eadem similitudine, à qua id Græci ζυγώδες appellant. Maxilla verò est molle os, eaque vna est, cuius eadem & media & etiam ima pars mentum est, à quo vtrinque procedit

[Margin notes: * infirmiora; * insident. al. incidũt.; * quâ; * cõtegũt.; * malarum; * inclinatam; * maxilla; * hæ; * cartilaginem; * ab imis ad summas; Iugale.]

cedit ad tempora, solaque ea mouetur. Nam malæ cum toto osse, quod superiores dentes *exigit, immobiles sunt. Verùm *excipit, ipsius maxillæ partes extremæ quasi bicornes sunt. Alter processus intrà latior, vertice ipso tenuatur, longiusque procedens sub osse iugali subit, & super id temporum musculis illigatur. Alter breuior & rotundior, & in eo sinu qui iuxta foramina auris est, cardinis modo fit: ibique huc & illuc se inclinans maxillæ *facultatem motus præstat. Duriores osse *facilitatem dentes sunt, quorum pars maxillæ, pars superiori ossi malarum hæret. Ex his quaterni primi quia secant, τομικοὶ à Græcis *τεμνικοὶ nominantur, hi deinde quatuor caninis dentibus ex omni Canini. parte cinguntur. Vltra quos vtrinque fere maxillares qua- Maxillares terni sunt, præterquam in his in quibus tres vltimi qui serò gigni solent, non increuerunt. Ex his priores singulis radicibus, maxillares vtiq. binis, quidam etiam ternis quaternísve nituntur. Fereque longior radix breuiorem dentem edit, rectique dentis recta etiam radix, curui flexa est: ex eadem radice in pueris nouus dens subit, qui multo sæpiùs priorem expellit, interdum tamen supra infráve eum se ostendit. Caput autem spina excipit. Ea constat ex vertebris quatuor & viginti. Septem in ceruice sunt, duodecim ad costas, reliquæ quinque sunt proximæ costis. Hæ teretes breuesque ab vtroque latere, processus duos exigunt: *mediæ perforatæ, quà *medio spinæ medulla cerebro commissa descendit, circà quoque *per duos processus tenuibus cauis peruiæ, per quæ à mem- *subter brana cerebri similes membranulæ deducuntur. Omnesque vertebræ exceptis tribus summis à superiore parte in ipsis processibus parũ desidentes sinus habent, ab inferiore alios deorsum versus processus exigunt. Summa igitur protinus caput sustinet, per duos sinus receptis exiguis eius processibus. Quo fit, vt caput sursum deorsum *versus *tuberibus exasperetur, *versum *inferitur secunda superiori parti *inferiore. Quod ad circuitum per- *moueatur, & tuber. tinet, pars summa angustiore orbe finitur. Itaque superior summæ circundata, in latera quoq. caput moueri finit. Tertia eodem modo secundam excipit. Ex quo facilis ceruici mobilitas est. Ac ne *sustinere quidem caput posset, nisi *sustineri

vtrinque recti valentesque nerui collum continerent, quos *καρώτας Græci appellant. Siquidem horum inter omnes flexus alter semper intentus vltrà prolabi superiora non patitur. Iamque vertebra tertia tubercula quæ inferiori inserantur, *excipit. Cæteræ processibus deorsum spectantibus, in inferiores insinuantur, ac per sinus quos vtrinque habent, superiores accipiunt, multisque neruis & multa cartilagine continentur. Ac sic vno flexu modico in *promptum dato cæteris negotiis homo & rectus insistit, & alioqui ad necessaria opera curuatur. Infra ceruicem verò summa costa contra humeros sita est, inde vndecim inferiores vsque ad imum pectus perueniunt, hæque primis partibus rotundæ & leniter quasi capitulatæ, vertebrarum transuersis processibus ibi quoque paulum *insinuatis inhærent. Inde *patescunt, & in exteriorem partem recuruatæ, paulatim in cartilaginem degenerant. Eaque parte rursus in interiora leniter flexæ committuntur cum osse pectoris. Quod valens ac durum à faucibus incipit, ab vtroque latere lunatum, & à præcordiis iam ipsum quoque cartilagine mollitum terminatur: sub costis verò prioribus quinque, quas *νόθας Græci nominant, breues tenuioresque, atque ipsæ quoque paulatim in cartilaginem versæ, extremis abdominis partibus inhærescunt, imaque ex his maiore iam parte nihil nisi cartilago est. Rursus à ceruice duo lata ossa vtrinque ad scapulas tendunt, nostri scoptula operta, ὠμοπλάτας Græci nominant. Ea in summis verticibus sinuata ab his triangula, paulatimque latescentia ad spinam tendunt, & quo latiora quaque parte sunt, hoc hebetiora. Atque ipsa quoque in imo cartilaginosa, posteriore parte velut innatant, quoniam nisi in summo nulli ossi inhærescunt. Ibi verò validis musculis neruisque constricta sunt. At à summa costa paulo interius quàm vbi ea media est, os excrescit, ibi quidem tenue, procedens verò quo propiùs lato scapularum ossi fit, eo plenius latiusque & paulatim in exteriora curuatur: quod propius altera verticis parte modicè intumescens, sustinet iugulum. Id autem ipsum recuruum ac neque inter durissima ossa numerandum, altero capite in eo quod

* exigit.

* promptu

* sinuatis

* latescūt,

* ἑώας

Scoptula operta.

quod poſui, altero in exiguo ſinu pectoralis oſſis inſidit: paulumque motu brachij mouetur, & cum lato oſſe ſcapularum infra caput eius, neruis & * cartilagini connectitur. Hinc humerus incipit, extremis vtrinque capitibus tumidus, mollis, ſine medulla, cartilaginoſus: medius teres, durus, medulloſus, leniter gibbus, & in priorem & poſteriorem, interiorem & exteriorem partem. Prior autem pars eſt, quæ à pectore eſt, poſterior quæ ab ſcapulis, interior quæ ad latus tendit, exterior quæ ab eo recedit: quod ad omnes articulos pertinere in vlterioribus patebit. Superius autem humeri caput rotundius, quàm cætera oſſa, de quibus adhuc dixi, * verticulatis ſcapularum * oſſibus paruo exceſſu inſeritur, ac maiore parte ex tranſitu neruis deligatur. At inferius duos proceſſus habet, inter quos quod medium eſt, magis etiam extremis partibus ſinuatur. Quæ res ſedem brachio præſtat, quod conſtat ex oſſibus duobus. Radius, quem κερκίδα Græci appellant, ſuperior breuiorque, & primò tenuior, rotundo & leniter cauo capite exiguum humeri tuberculum recipit, atque ibi neruis & cartilagine continetur. Cubitus inferior longiorque, & primo plenior in ſummo capite, duobus quaſi verticibus extantibus in ſinu humeri, quem inter duos proceſſus eius eſſe propoſui, ſe inſerit. Primò verò duobus radiis brachij oſſa iuncta paulatim dirimuntur, rurſuſque ad manum coëunt, modo craſſitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis eſt. Dein radius in caput cartilaginoſum conſurgens, in verticem eius ſinuatur. Cubitus rotundus in extremo, parte altera paulum procedit. Ac ne ſæpius dicendum ſit, illud ignorari non oportet, plurima oſſa in cartilaginem * deſidere, nullum articulum non ſic finiri. neque enim aut moueri poſſet, niſi * leui inniteretur; aut cum carne neruiſque coniungi, niſi ea media quædam materia committeret. In manu verò prima palmæ pars ex multis minutiſque oſſibus conſtat, quorum numerus incertus eſt. Sed oblonga omnia & triangula ſtructura quadam inter ſe connectuntur, cùm inuicem ſuperior alterius angulus, alterius planicies ſit, eoque fit ex his * vnius oſſis pau-

* cartilagine

* verticillatis

* oſſibus inſeritur,

Radius.

Cubitus.

* deſinuere

* læui

* veluti vnius

lum in interiora concaui species. Verùm ex manu duo exigui processus in sinus radij coniiciuntur. Tum ex altera parte recta quinque ossa ad digitos tendentia palmam explent, à quibus ipsi digiti oriuntur, qui ex ossibus ternis constant, omniumque eadem ratio est. Interius os in *verticem sinuatur, recipitque *exterioris exiguum tuberculum, neruique ea continent, à quibus orti vngues indurescunt. Ideoque non ossi, sed carni magis radicibus suis inhærent. Ac superiores quidem partes sic ordinatæ sunt. Ima verò spina in coxarum osse desidit, quod transuersum longeque valentissimum, vuluam, vesicam, rectum intestinum tuetur, idque ab exteriore parte gibbum, ad spinam resupinatum, à lateribus, id est, in ipsis coxis sinus rotundos habet: à quibus oritur os, quod pectinem vocant, idq. *super intestina sub pube transuersum ventrem firmat: rectius in viris, recuruatum magis in exteriora in fœminis, ne partum prohibeat. Inde femina oriuntur, quorum capita rotundiora etiam quàm humerorum sunt, cùm illa ex cæteris rotundissima sint. Infrà verò duos processus à priore & à posteriore parte habent. Dein dura, & medullosa & ab exteriore parte gibba: rursus ab *inferioribus quoque capitibus intumescunt. Superiora in sinus coxæ, sicut humeri in ea ossa, quæ scapularum sunt, coniiciuntur, tum infrà *introrsus leniter tendunt, quo æqualius superiora membra sustineant. Atque in eo inferiora quoque capita media sinuantur, quo faciliùs excipi à cruribus possint. Quæ commissura, osse paruo, molli, cartilaginoso tegitur, patellam vocant. Hæc supèr innatans, nec vlli ossi inhærens, sed carne & neruis deligata, pauloque magis ad femoris os tendens, inter omnes crurum flexus iuncturá tuetur. Ipsum autem crus est ex ossibus duobus. Etenim per omnia femur humero, crus verò brachio simile est: adeò vt habitus quoque & decor alterius ex altero cognoscatur, quod ab ossibus incipiens, etiam in carne respondet. Verùm alterum os ab exteriore parte suprà positum est, quod ipsum quoque Sura rectè nominatur. Id breuius, supraque tenuius ad ipsos talos intumescit. Alterum à priore parte positum, cui Tibiæ nomen

*vertice
*superioris
Pecten.
*subter.
Femina.
*inferiori quoque parte
*extrorsus
Patella.

men est, longius & in superiore parte plenius solum cum femoris inferiore capite committitur, sicut cum humero cubitus. Atque ea quoque ossa infra supraque coniuncta *media, vt in brachio dehiscunt. Excipitur autem crus infra *ossa ex transuerso talorum, idq. ipsum super os calcis situm est, quod quadam parte sinuatur, quadam excessus habet, & procedentia ex talo recipit, & in sinum eius inseritur. Idque sine medulla durum, magisq. in posteriorem partem proiectum, teretem ibi figuram repræsentat. Cætera ossa pedis ad eorum quæ in manu sunt, similitudinem instructa sunt. Plantæ palmis, digiti digitis, vngues vnguibus, respondent.

* medio,
* osse

ENARRATIO.

rarò autem caluaria solida sine suturis est.

SVTVRÆ capiti in hunc vsum attributæ sunt, tum vt fuliginosi humores, & recrementa, per easdem commodiùs expurgarentur atque transmitterentur; tum vt prohiberent ne vnico ictu tota caluaria confringeretur. Quare siue externas siue internas causas spectes, soliditas cerebri, vt hîc inferre videtur Celsus, capite firmitudinem nullam afferet: verùm id grauißimis periculis subiiciet. sicuti inueni cuidam in cuius caluaria suturarum vestigia nulla apparebant, Patauij accidisse Realdus Columbus libro primo Anatomicarum administrationum refert: qui quum grauißimo capitis dolore premeretur, atque appositißimis remediis sedando dolori vteretur, non priùs dolere desiit, quàm vitam morte commutaret. Adde quòd qui solida atque crassa caluaria sunt, stolidi, indociles, atque obliuiosi magna ex parte sint. Si quis tamen hîc Celso patrocinari velit, atque inferre, caput quò pauciores suturas habeat, eò minùs subiacere externis lædentibus caussis; is tamen fateatur necesse est, internis afficientibus caußis magis subiectum esse.

Neque enim certus.

OCTO tantùm generatim suturæ esse dicuntur; quarum tres, lambdoides videlicet, sagittalis & coronalis, propriæ ac veræ vocantur; quinque reliquæ spuriæ appellantur, quas rectius commissuras quàm suturas dixeris; cuiusmodi sunt squammosæ duæ, atque ea quam additamentum lambdoeidis suturæ Galenus vocat, & illa quæ à canis temporum ortum habet, eáque quæ os frontis à capitis osse discriminat.

Narium duo foramina.

HVIVS reddit Galenus libro De vsu partium VIII. rationem.

Maxilla verò.

NON solùm homini, sed & omnibus animantibus maxilla superior motu caret, crocodilo excepto, qui eandem mouet, inferioremque immobilem seruat, psittacóque, qui (vti à nonnullis obseruatum est) vtranque maxillam simul eodémque tempore mouet, separatímque alterutram.

Duriores osse dentes.

DVRISSIMI dentes sunt, præsertim molares & canini (nam incisorij reliquis molliores sunt) vt cibis conficiendis sufficerent, neque ab his contererentur.

Vltra quos vtrinque.

GALENVS & reliqui Anatomici

vtrinque quinos molares constituunt: esse tamen quandoque, quod rarius est, quando quaterni tantùm sint.

præterquam in his.

CELSVS hîc eos dentes intelligere videtur, quos genuinos ac nouissimos vocant; vulgus, quòd tardè nascantur, sapientiæ dentes appellat; rarò siquidem ante XXVIII. annum aut trigesimũ proueniunt; vti etiam nonnullis, quemadmodum memoriæ prodit Plinius, ante sexagesimum aut octuagesimum annum non pullulascunt.

Omnesque vertebræ.

SVPREMA tamen vertebra omnium capacissima & tenuissima est, protinúsque caput ipsum sustinet, per duos sinus receptis suis processibus; aliquando quidem exactè complectitur secundæ vertebræ tubercula, & gibbositates vel capitis eminentias, aliquando ab illis recedit plurimùm. Processum habet à superiore sui parte omnium magis obtusum, & parùm admodùm prominentem, adeò vt hunc nullum esse dicat Galenus; à lateribus vtrinque alium transuersum, perforatum, parte antica conspicuum. Secunda vertebra angustior validiórque est, processum admodum magnum & plurimùm bifidum habens à parte posteriore; duos item alios à lateribus superioris vertebræ similes, sed eos multo minores tantùm. Eius verò processum posteriorem, qui bifidus est, Hippocrates dentem vocat; Galenus à figura turbinata pyrenoïden; eminet enim, ac sursum spectat priori spondylo vtrinque quibusdam vinculis alligatus, quæ ab vtroque superioris vertebræ latere partis internæ prodeunt: ita vt valido rotundóque ligamento nixæ duæ priores vertebræ, caput in vtramuis partem flectant. Hæc Carolus Stephanus, libro De diss. part. hum. corporis.

χαρίστας Græci appellant.

CÆSARIVS: Sic quidem Ludonicus Cælius auctor Latinarum Lectionum dicendos esse contendit: quod & se posse probare dicit per Galenum & Apollonium in Argonauticis. eosdem tamen Hermolaus Barbarus τενόντας appellandos putauit.

& à præcordiis.

HANC à gladioli similitudine ensiformem, & à clypei forma, scutiformem cartilaginem vocant.

sub costis verò.

HIC exemplaria præter rationem variare video: nam siue ἐώας siue νόθας legeris, idem est; cum ἐώαι Græcis dicantur costæ breuiores molliorésque; quas Latini spurias, sicuti & Græci νόθας, vocant.

Ac ne sæpiùs dicendum sit.

GALENVS primo De vsu partium libro: Quoniam, inquit, periculum erat ne motiones difficiliùs fierent, & eminentiæ ossium extererentur, duplex rursus auxilium in id natura molita est; primùm quidem cartilagine vtrunque os subiungens ac obliniens; alterum verò ipsis cartilaginibus humorem vnctuosum ac viscosum velut oleum aliquod superinfundens, per quem facilè mobilis simul, & attritu contumax omnis articulatio ossis facta est.

In manu verò.

CELSVS postbrachiali seu μετακαρπίῳ quinque ossa tribuit, contra Galenum. Nam is, & post eum Vesalius & Carolus Stephanus, quatuor tantùm attribuerunt: quanquam non incongruum fuerit, si quis primum articulum pollicis cum postbrachiali numerârit. Erunt igitur summæ manus ossa quatuordecim, si Celsum sequamur; sin Galenum, tredecim: ita vt tria ossa pollici, vti reliquis quoque digitis, præter sesamina dicta ossa, asscribamus.

Quæ commissura, osse paruo.

Ἐπιγονατίδα Græci vocant, Latini molam aut patellam nominant: est autem os rotundum, genu constituens qua parte femur tibiæ annectitur, eique cauitati oppositum quæ à poplite per extrema femoris

tubercula

tubercula producitur, ne crus in anteriora æquè ac in posteriora inflectatur, sed vt motus facilior efficiatur. Est autem per totam substantiam cauernosum in modum pumicis; extrinsecus autem cartilagine obuoluitur: quo fit vt Celsus cartilaginosum dixerit.

CAPVT II.

Ossa vitiata & corrupta quibus signis cognoscantur, & qua ratione curentur.

OMNE autem os, vbi iniuria accessit, aut vitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut loco mouetur. Id quod vitiatum est, primò ferè pingue fit, deinde vel nigrum vel cariosum. Quæ supèr natis grauibus vlceribus aut fistulis, hisque vel longa vetustate, vel etiam cancro occupatis eueniunt. Oportet ante omnia os nudare vlcere exciso: & si latius eius vitium est, quàm vlcus fuit, carnem subsecare, donec integrum os vndique pateat: tum id quod pingue est, semel iterúmve satis est admoto ferramento adurere, vt ex eo statu secedat: aut eradere donec iam aliquid cruoris ostendatur, quæ integrioris nota est. Nam necesse est, aridum sit id quod vitiatum est. Idem in cartilagine quoque læsa faciendum est. Siquidem ea quoque scalpello radenda est, donec integrum id sit, quod relinquatur. Deinde si vel os, siue cartilago rasa est, nitro bene trito respergendum est. Neque alia facienda sunt vbi caries nigritiésve in summo osse est. Siquidem id vel paulo diutius eodem ferramento adurendum vel radendum est. Qui radit hæc, audacter imprimere ferramentum debet, vt & agat aliquid, & maturiùs desinat. Finis est, cùm vel ad album os, vel ad solidum ventum est. Albo finiri ex nigritie vitium, soliditate quadam ex carie manifestum est. Accedere etiam cruoris aliquid integro, suprà dictum est. Si quando autem altius descenderit, vtrumlibet dubium est. In carie quidem expedita cognitio est. Specillum tenue in foramen dimittitur, quod magis minúsve intrando, vel in summo cariem esse, vel altius descendisse testatur. Nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore & ex febre. Quæ vbi mediocria sunt, illa altè descendisse non potest.

test. Manifestior tamen adacta terebra fit. Nam finis vitij est, vbi scobis nigra esse desiit. Igitur si caries altè descendit, per terebram vrgenda crebris foraminibus est, quæ altitudine vitium æquent. Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat. Simul enim post hæc & resoluetur ab inferiore osse quodcunque vitiatum est, & is sinus carne replebitur: & humor aut nullus postea feretur, aut mediocris. Sin autem nigricies* est, aut si caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi. Atque idem in carie quoque ad alteram partem ossis penetrante fieri potest. Sed quod totum vitiatum, totum eximendum est. Si inferior pars integra est, eatenus quod corruptum est, excidi debet. Item siue capitis, siue pectoris os, siue costa cariosa est, inutilis vitio est, & excidendi necessitas est. Neque audiendi sunt, qui osse nudato, diem tertium expectant, vt tunc excidant. Ante inflammationem enim tutiùs omnia tractantur. Itaque quantum fieri potest, eodem momento & cutis incidenda est, & os detegendum, & omni vitio liberandum est. Longeque perniciosissimum est, quod in osse pectoris est: quia vix etiam si rectè cessit, curatio veram sanitatem reddit.

*hæ 4. voces delendæ.

ENARRATIO.

Id quod vitiatum est.

CARO *quum tabescit aut liquatur, glutinosa fit & pinguis; vnde & ossa læuiora quodammodo & pinguiora reddi contingit; sicuti libro* De vulneribus *ostendit* Hippocrates. *Nigrescit autem ob acrem inflammationis calorem. Quare non immeritò in aphorismis* Hippocrates, *ex osse ægrotante carnem liuidam malam dixit.*

Oportet ante omnia.

HIPPOCRATES, *Quum caries facta fuerit in osse, dolor ex hoc corripit ipsum os, & progressu temporis attenuatur ac inflatur, & fit in ipso fractura: & si hanc resecueris, comperies ipsum os eleuatum ac asperum, ac fuluum; quibusdam etiam ad cerebrum vsque corrosum. Vbi in hoc modo affectum incideris, si quidem vltrà corrosum fuerit, sinere optimum est, & vlcus quàm celerrimè curare: si verò corrosum non fuerit, sed asperum; ad secundam vsque laminam rasum expurgabis, & velut fracturam curabis.*

vbi caries nigriciésve.

HYEME, *vt docet* Hippocrates, *ante decimumquartum, æstate post septimum febris accedit: & postquam hoc factum fuerit, vlcus colorem amittit, & ex ipso sanies pauca fluit, & quod inflammatum est, ex ipso emoritur, ac viscosum fit.*

Item siue capitis.

Hic tamen subiicienda lamina est, quam subsequente capite meningophylaca vocari dicit, ne principem aliquam partem afficiamus.

Caput III.

Quomodo os excidatur: & de Modiolo, & Terebra, ferramentis ad id paratis.

Exciditur verò os duobus modis. Si paruulum est, quod læsum est, modiolo, quem χοινίκιον Græci vocant: Si spatiosum, terebris. Vtriusque rationem proponam. Modiolus ferramentum concauum teres est, imis oris ferratum, per quod medium clauus * ipse quoque interiore orbe cinctus demittitur. Terebrarum autem duo genera sunt: Alterum simile ei, quo fabri vtuntur. Alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde subitò latius fit, atque iterum ab alio principio paulo minus quàm æqualiter sursum procedit. Si vitium in angusto est, quod comprehendere modiolus possit, ille potius aptatur. Et si caries subest, medius clauus in foramen demittitur. Si nigrities, angulo scalpri sinus exiguus fit, qui clauum recipiat, vt eo insistente circumactus modiolus delabi non possit. Deinde is habena quasi terebra conuertitur. Estque quidam premendi modus, vt & foretur, & circumagatur, quia si * leuiter imprimitur, parum proficit: Si grauiter, non mouetur. Neque alienum est instillare paulum rosæ, vel lactis, quo magis lubrico circumagatur. Quod ipsum tamen si * obtusius est, aciem ferramenti hebetat: at vbi iam iter modiolo pressum est, medius clauus educitur, & ille per se agitur. Deinde cùm sanitas inferioris partis scobe cognita est, modiolus remouetur: at si latius vitium est, quàm vt illo comprehendatur, terebra res agenda est. Ea foramen fit in ipso fine vitiosi ossis atque integri, deinde alterum non ita longè, tertiumque donec totus is locus qui excidendus est, his cauis cinctus sit, atque ibi quoque quatenus terebra agenda sit, scobis significat. Tum excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id

* ipso
* leniter
* copiosius

quod inter vtrunque medium est,excidit: ac si ambitus similis ei fit, qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur. Vtro modo verò id circumductum est, idem excisorius scal-
* radit, per in osse corrupto planus summam quamque testam *læsit, donec integrum os relinquatur. Vix vnquam nigrities integrum, caries per totum os perrumpit, maximeque vbi vitiata caluaria est. Id quoque signi specillo significatur,qui depressus in id foramen, quod infra solidam sedem habet, & ob id renitens aliquid inuenit, & madens exit. Si peruium inuenit, altiùs descendens inter os & membranam nihil oppositum inuenit, educiturque siccus, non quo non subsit aliqua vitiosa sanies, sed quoniá ibi vt in latiore sede diffusa sit. Siue autem nigrities,quam terebra detexit, siue caries, quam specillum ostendit, os transit, modioli quidem vsus ferè super-
* iam uacuus est, quia latiùs pateat necesse est, quod * iam altè processit. Terebra verò ea, quam secundo loco posui, vtendum, eaque ne nimis incalescat, subinde in aquam frigidam demittenda est. Sed tum maiore cura agendum est,cùm iam aut simplex os dimidium perforatum est, aut in duplici, superius. Illud, spatium ipsum : hoc, sanguis significat. Ergo tum lentiùs ducenda habena, suspendendaque magis sinistra manus est, & sæpius attollenda, & foraminis altitudo consideranda: vt quandocunque os perrumpitur, sentiamus : neque periclitemur, ne mucrone cerebri membrana lædatur. Ex quo graues inflammationes cum periculo mortis oriuntur. Factis foraminibus eodem modo media sæpe, sed multo circunspectiùs excidenda sunt, ne fortè angulus scalpri eandem membranam violet, donec fiat aditus, per quem membranæ custos immittatur, μηνιγγοφύλακα Græci vocant. Lamina ænea est, firma, paulum resima, ab exteriore parte læuis, quæ demissa
* sic vt * est, vt exterior pars eius cerebro propior sit, subinde ei subiicitur, quod scalpro discutiendum est: ac si excipit eius angulum, vltrà transire non patitur, eoque & audacius & tutius scalprum malleolo subinde medicus ferit, donec excisum vndique os eadem lamina leuetur, tolliq. sine vlla noxa cerebri potest. Vbi totum os eiectum est, circumradendæ

* leuandæ-

*leuandæque ſunt oræ, & *ſiquis ſcobis membranæ inſedit, colligendum. Vbi ſuperiori parte ſublata, inferior relicta eſt, non *ora tantùm, ſed os quoque totum *lauandum eſt, vt ſine noxa poſtea cutis increſcat, quæ aſpero *oſſe innaſcens protinus non ſanitatem, ſed nouos dolores mouet. Patefacto cerebro, qua ratione agendum ſit, dicam, cùm ad fracta oſſa peruenero. Si baſis aliqua ſeruata eſt, ſupèr imponenda ſunt medicamenta non pinguia, quæ recentibus vulneribus accommodantur, ſupráque imponenda lana ſuccida oleo atque aceto madens. Vbi tempus proceſſit, ab ipſo *ore caro increſcit, eaque factum manu ſinum complet. Si quod etiam os aduſtum eſt, à parte ſana recedit: ſubitque inter integram atque emortuam partem caruncula, quæ quod abſceſſit expellat, eaque fere quia teſta tenuis & anguſta eſt, *ſquama eſt: id λεπὶς à Græcis nominatur. Poteſt etiam euenire, vt ex ictu neque findatur os, neque perfringatur, ſed ſummum *tamen collidatur, exaſperetúrque. Quod vbi incidit, radi & *lauari ſatis eſt. Hæc quamuis maximè fiunt in capite, tamen cæteris quoque oſſibus communia ſunt, vt vbicunque idem incidet, eodem remedio ſit vtendum. Atque cùm ea fracta, fiſſa, forata, colliſa ſunt, quaſdam proprias in ſingulis generibus, quaſdam communes in pluribus curationes requirunt. De quibus protinus dicam, initio ab eadem caluaria accepto.

*læuandæ
*ſiquid
*oræ
*læuandũ
*oſſi
*oſſe
*λεπὶς, id eſt, ſquama à G.
*tantùm
*læuari

ENARRATIO.

Modiolus.

VIDVS Vidius modiolum eum eſſe putat, quem Hippocrates ſerram teretem nominat, eiúſque vſum in capitis tantùm affectibus neceſſarium autumat; idq́; auctoritate Hippocratis: qui dum caluariæ os ſecatur, conſiderari ſubinde ſerræ circuitum voluit. Galenus ſub finem ſexti methodi Therapeuticæ, χοινικίδας vocat: Aëtius modioli vſum tamquam noxium omnino reiicit.

Terebrarum autem.

QVONIAM quæ per terebellam fit curationem parùm tutam exiſtimârunt veteres, vt auctor eſt Galenus, propterea quòd dum audaciùs eam tractant, duram membranam quæ oſſi ſubſternitur violent; Quidam, inquit, quo minùs, vſquam aberrent, eiuſmodi terebellas excogitauerũt quæ mergi non poßint, quas ab argumento ἀβαπτίστας dicunt. Supercurrit enim paulũ ſupra terebellæ acutam cuſpidem circulus quidam parùm extans. Sanè expedit complures id genus præparatas habere ad omnem caluariæ craßitudinem: nam craßiori longior terebra conuenit (voco autem ita, cuius ſpacium quod inter ſummam eſt cuſpidem, & circulum

culum qui extans circumcurrit, maius eſt) tenuiori breuior: eſt autẽ huic quoque quod inter eſt inter cuſpidem, & quod circumcurrit minus. hactenus Galenus ſexto Methodi. Cæterùm quoniã parùm tuta eſt curatio, vt diximus, (nam qui ſic curantur, debili capite, atq. omnibus caſibus obnoxio ſuperuiuũt) videndum reſtat in quibus admitti poſſit: ſiquidẽ ſi nec confractum, nec ſciſſum ſit os, fruſtrà terebella admouetur. quin & ſi in ſuperficie vulneratum ſit, ſanies verò ad cerebri membranã ſuccingentem non pertingat, inutilis erit eiuſdẽ vſus; quemadmodum etiam vbi rima in oſſe temporis fuerit. Verùm ſi percuſſus aliquis in capite rimam in caluaria contraxerit exilem adeò, vt per eam ſanies exudare nequeat; tum demum eiuſdem vſus erit, ac tum ex Galeni ſententia, curam aggredienur. quam in hunc modum de vulneribus capitis deſcribit Hippocrates: Si ab initio aſſumptam curationem, inquit, adminiſtras, non oportet os ſtatim ad membranam perforare ac exſcindere; non enim conducit membranam oſſe denudatam eſſe, ad multum tempus malè afflictam; ſed poſtremum vbi madore corrumpi ac putreſcere ipſam periculum eſt. Eſt & aliud periculum, ſi ſtatim oſſe ad membranam vulnerato ipſum auferas, ne in ipſo opere membranam per terebellum vulneres. Verùm terebrantem oportet, vbi iam valdè parùm abeſt vt os iam ſit perforatum, & os iam mouetur, à terebratione deſiſtere, & ſinere vt os ſua ſponte diſcedat. Oportet autem os ipſum quod excidendum eſt, terebellis in circuitu perforari: cauendum tamen eſt ne in oſſibus admodum prærupti, atque infirmis terebra vtaris; periculum enim eſſet, ne dum circumagitur, terebella & os ad cerebri membranam vrgeretur, cerebrúmque comprimeret: nam ſi vel comprimatur vel concutiatur cerebrum, vt idem auctor eſt libro De locis affectis, attonitus morbus illicò ſuperuenit.

Tunc exciſorius ſcalper.

Is potiſſimùm quem Græci κυκλίσκον vocant: de cuius, & aliorũ ſcalpellorum vſu plura apud Galenum ſexto methodi Therap.

eaque ne nimis incaleſcat.

Terebrantem, inquit Hippocrates, frequenter eximere terebellum oportet, caliditatis oſſis gratia, & in frigidam aquam immergere. Caleſcens enim ex circumductione terebellum etiam os excalefaciens ac reſiccans adurit, & maius os perforationem ambiens diſcedere facit, quàm aliâs diſceſſurum fuiſſet. Si verò etiam ſtatim volueris vſque ad membranam perforare & poſteà os auferre, eodem modo frequenter eximere terebellum conuenit, & in frigidam aquam demergere. At ſi non ab initio curationem aſſumpſeris, ſed ex alio traditam acceperis, ita vt poſterior tardè ad curationem deuenias, terebello exſculpto ſtatim os ad membranam perforare ac exſcindere oportet, & exempto terebello, ſæpiùs ſpeculari, tum aliâs, tum per admotum ſpecillum circumcirca per ipſius terebelli viam: nam multo citius ſuppuratur os, ſi ſuppuratum iam, ac tranſpuratum perforaueris; & ſæpe contingit vt non profundum os ſit.

per quem membranæ cuſtos.

Hæc à Galeno in commentariis De officina medici, chirurgicis inſtrumentis annumeratur, qua etiam vtitur in corporibus incidendis; vt quum coſtam ſecat, eius membranam intactam relinquit. Huic non diſſimile inſtrumentum eſt quod chirurgi noſtri vectem dicunt, quum eo attollant os quod in totum ferè exciſum eſt & iam labat. Verumenimuerò quoniam Celſus noſter in deſcribendis ferramentis, chirurgiciſque inſtrumentis ſedulus admodùm fuit, ſchemata ſingulorum ex Vidi Vidij commentariis petere viſum fuit, atque huic capiti ſubiungere.


Modiolus

Ferramentum in imo terebræ semicirculatum.




Modiolus.






Terebra quæ per manubriolum vertitur.



Ferramentum quod ima parte terebræ vnguis speciem repræsentat.



Ferramentum quod ab ima parte terebræ, quasi in pomum desinit striatum.





Terebellia alia, aliis longiora.

Lamina

Lamina custos membranæ.



Vectis, quo recentiores membranam tuentur, & os attollunt.



CAPVT

CAPVT IIII.

De caluariæ curatione.

IGITVR vbi ea *pertusa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi eius obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares aures've sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens iacuerit. Hæc enim non nisi osse fracto eueniunt. Atque vbi inciderunt, scire licet necessariam, sed difficilem curationem esse. Si verò etiam torpor accessit, si mens non constat, si neruorum vel resolutio vel distentio secuta est, verisimile est etiam cerebri membranam esse violatam, eoque in angusto magis spes est. At si nihil horum secutum est, potest etiam dubitari, an os fractum sit. Et protinus considerandum est, lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percussum sit, & hoc ipso leni an aspero, mediocri an vastiore, vehementer an leniter. Quia quo mitior ictus fuit, eo faciliùs os ei restitisse credibile est. Sed nihil tamen melius est, quàm certiore id nota explorare. Ergo quà plaga est, demitti specillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum, ne cùm in quosdam sinus naturales inciderit, opinionem fracti ossis frustrà faciat; neque nimis plenum, ne paruulæ rimulæ fallant. Vbi specillum ad os venit, *nihil nisi lene & lubricum occurrit, integrum id videri potest. Si quid asperi est, vtique quà suturæ non sint, fractum os esse testatur. A suturis se deceptum esse Hippocrates memoriæ prodidit; more scilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt: Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipueque in eo ministerio quod vtilitatis caussa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis antè deceptus est. Sed hæc quidem alioquin memoria

*percussa,

* si nihil nisi læue

moria magni professoris, vti interponeremus effecit. Potest autem futura eo nomine fallere, * quæ æquè aspera est, vt aliquis hanc esse, etiam si rima est, existimet eo loco, quo subesse hanc verisimile est. Ergo eo nomine decipi non oportet, sed os aperire tutissimum est. Nam neque vtique certa sedes, vt suprà posui, futurarum est, & potest idem, & naturaliter commissum, & ictu fissum esse, iuxtáve aliquid fissum habere. Quin aliquid etiam, vbi ictus fuerit vehementior, quamuis specillo nihil inuenitur, tamen aperire commodius est. At si ne tum quidem rima manifesta est, inducendum super os atramentum scriptorium est, deinde scalpro id * detrahendum. Nigritiem enim continet, si quid fissum est. Solet etiam euenire, vt altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit. Itaque si grauiter aliquis percussus est, si mala indicia subsecuta sunt, neque ea parte qua cutis * discussa est, rima reperitur, non incommodum est parte altera considerare, nunquis locus mollior sit, & tumeat, eumque aperire. Siquidem ibi fissum os reperietur, nec tamen magno negocio cutis sanescit, etiam si frustra desecta est. Os fractum, nisi succursum est, grauibus inflammationibus afficit, difficiliusque postea tractatur. Raró, sed aliquando tamen euenit, vt os quidem totum integrum maneat, intus verò ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat, isque ibi concretus magnos dolores moueat, *oculos quibus obcæcet. Sed fere contra id dolor est, & eo loco cute incisa pallidum os reperitur. Ideoque id quoq. os excidendum est. Quacunque autem de caussa curatio hæc necessaria est: si nondum satis cutis patefacta est, latiùs aperienda est, donec quicquid læsum est, in conspectu sit. In quo ipso videndum est, ne quid ex ipsa membranula, quæ sub cute caluariam cingit, super os relinquatur. Siquidem hæc scalpro terebrisve lacerata, vehementes febres cum inflammationibus excitat. Itaque eam commodius est ex toto ab osse diduci. Plagam, si ex vulnere est, talem necesse est habeamus qualem accepimus. Si manu facienda est, ea fere commodissima est, quæ duabus transuersis lineis litteræ X figuram * accepit, vt deinde à singulis

* quia
* deradendum.
* discissa
* oculosq. obc.
* accipit,

gulis procedentibus * ſingulis cutis ſubſequatur. Inter quæ * *alij, lingulis: alij, ligulis legunt.*
ſi ſanguis fertur, ſpongia ſubinde in aceto tincta cohibendus
eſt, occupanduſque obiectis linamentis, & caput altius exci-
tandum. Neque id vitium vllum metum, niſi inter muſcu-
los, qui tempora continent, adfert, ſed ibi quoque * nihil tu- * nihilominus tutò fit.
tius fit. In omni verò fiſſo fractóve oſſe protinus antiquio-
res medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent.
Sed multo melius eſt, antè emplaſtra experiri, quæ caluariæ
cauſſa componuntur. Eorumque aliquid oportet ex aceto
mollitum, per ſe ſuper fiſſum fractúmve os imponere, deinde
ſuper id aliquanto latius quàm vulnus eſt, eodem medica-
mento illitum linteolum, & præterea ſuccidam lanam aceto
tinctam. Tunc vulnus deligare, & quotidie reſoluere, ſimili-
terque curare vſque ad diem quintum. A ſexto die etiam va-
pore aquæ calidæ per ſpongiam fouere, * cætera ex eadem fa- * cætera ead.
cere. Quòd ſi caruncula increſcere cœperit, & febricula aut
ſoluta erit, aut * leuior, & cupiditas cibi reuerterit, ſatiſque * lenior
ſomni accedet, in eodem medicamento erit perſeuerandum.
Procedente deinde tempore, emolliendum id emplaſtrum
adiecto cerato ex roſa facto, quo faciliùs carnem producat.
nam per ſe reprimendi vim habet. Hac ratione ſæpe rimæ
callo quodam implentur, eſtque ea oſſis velut cicatrix; & la-
tiùs fracta oſſa, ſi qua inter ſe non cohærebant, eodem callo
glutinantur, eſtque aliquanto melius velamentum cerebro,
quàm caro quæ exciſo oſſe increſcit. Si verò ſub prima cura-
tione febris intenditur, breueſq. ſomni & iidem per ſomnia
tumultuoſi ſunt, vlcus madet, neque alitur, & in ceruicibus
glandulæ oriuntur, magni dolores ſunt, cibique ſuper hæc fa-
ſtidium increſcit, tum demum ad manũ ſcalprumque venien-
dum eſt. Duo verò ſub ictu caluariæ periculi ſunt, ne vel
findatur, vel * medium deſidat: ſi fiſſum eſt, poſſunt oræ eſſe * media
compreſſæ, vel quia altera ſuper alteram exceſſit, vel etiam
quia vehementer rurſus ſe commiſerunt. Ex quo euenit, vt
humor ad membranam quidem deſcendat, exitum verò non
habeat, ac ſic eam irritet, & graues inflammationes moueat.
Vbi medium deſedit, eandem cerebri membranam os vrget,

interdum etiam ex fractura quibuſdam velut aculeis pungentibus. His ita ſuccurrendum eſt, vt tamen quàm minimum ex oſſe dematur. Ergo ſi ora alteri inſedit, ſatis eſt id quod eminet, plano ſcalpro excidere; quo ſublato iam rima hiat quantum curationi ſatis eſt. At ſi oræ inter ſe comprimuntur, à latere eius interpoſito digiti ſpatio terebrâ foramen faciendum eſt, ab eoque ſcalper duabus lineis ad rimam agendus ad ſimilitudinem * C. literæ, ſic vt vertex eius à foramine baſis ad * rimas ſit. Quòd ſi rima longiùs patet, ab altero foramine rurſus ſimilis ſinus fieri debebit, & ita nihil latens in eo oſſe concauum eſt, abundeque exitus datur intus * lædentibus. Ne ſi fractum quidem os deſedit, totum excîdi neceſſe eſt. Sed ſiue totum perfractum eſt, & ab alio ex toto receſſit; ſiue circumpoſitæ caluariæ inhæret exigua parte, ab eo quod naturaliter ſe habet, ſcalpro diuidendum eſt: deinde in eo quod deſedit iuxta rimam quam fecimus, foramina addenda ſunt. Si in anguſto noxa eſt, duo: ſi latius patet, tria: ſeptaque eorum excidenda: & tum ſcalper vtrinque ad rimam agendus, ſic vt lunatum ſinum faciat, imaque pars eius intus ad fracturam, cornua ad os integrum ſpectent. Deinde ſi qua labent, & ex facili remoueri poſſunt, forfice ad id facta colligenda ſunt, maximeque ea quæ acuta membranam infeſtant. Si id ex facili fieri non poteſt, ſubiicienda lamina eſt, quam cuſtodem eius membranæ eſſe propoſui, & ſuper eam quicquid ſpinoſum eſt, & intus eminet, excidendum eſt: eadem lamina quicquid deorſum inſedit attollendum. Hoc genus curationis efficit, vt qua parte fracta oſſa tamen inhærent, ſolidentur: qua parte abrupta ſunt, ſine vllo tormento ſub * medicamenti tempore excidant, ſpatiumque inter hæc ſatis * illi magnum ad extrahendam ſaniem relinquatur, pluſq. in oſſe propugnaculi cerebrum habeat, quàm habiturum fuit, eo exciſo. His factis, ea membrana acri aceto reſpergenda eſt, vt ſiue aliquid ſanguinis ex ea profluit, cohibeatur: ſiue intus concretus cruor remanet, diſcutiatur. Tum idem medicamentum eodem modo, qui ſuprapoſitus eſt, mollitum, ipſi membranæ imponendum eſt. Cæteraque eodem

[Marginal notes: * V — * rimam — * latentibus. — * medicamentis — * illis]

eodem modo facienda sunt, quæ ad linteolum illitum & lanam succidam pertinent, collocandusque is loco in tepido, & curandum quotidie vulnus; bis etiam æstate. Quòd si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida. Si vsque eò tumebit, vt super ossa quoque emineat, coërcebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita, & cum recenti vel butyro vel adipe anserino mista: ceruixque molliri debebit, liquido cerato ex irino facto. At si parùm pura membrana videbitur, par modus eius emplastri & mellis miscendus erit, idque super infundendum, eiusque continendi caussa vnum aut alterum linamentum iniiciendum, & super linteolo cui emplastrum illitum sit, contegendum. Vbi plus pura membrana est, eadem ratione adiiciendum emplastro ceratum, vt carnem producat. Quod ad abstinentiam verò & primos vlterioresque cibos potionesque pertinet, eadem quæ in vulneribus præcepi, seruanda sunt: eò magis quò periculosiùs hæc pars afficitur. Quinetiam cùm iam non solùm sustineri, sed ali * his quoque apparebunt, tamen erunt vitanda quæcunque mandenda sunt, item fumus, & quicquid excitat sternutamentum. Spem verò certam faciunt membrana * mobilis ac sui coloris, caro increscens rubicunda, facilis motus maxillæ atque ceruicis. Mala signa sunt, membrana immobilis, nigra, vel liuida: vel aliter coloris corrupti, dementia, acris vomitus, neruorum vel resolutio, vel distentio, caro liuida, maxillarum rigor, atque ceruicis. Cæteraque quæ ad somnum, cibi desiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem quæ in cæteris vulneribus, vel salutaria vel mortifera sunt: vbi bene res cedit, incipit ab ipsa membrana: vel si os eo loco duplex est, inde quoque caro increscere, eaque id quod inter ossa vacuum est, replet, nonnunquam etiam super caluariam excrescit. Quod si incidit, inspergenda squama æris est, vt id reprimat, cohibeatque, ea carni superdando, quæ ad cicatricem perducant. Omnibusque ea locis commodè inducitur, excepta frontis ea parte, quæ paulum super id est, quod inter supercilia est. Ibi enim vix fieri potest, vt * per omnem ætatem sit exulceratio,

*hos q. apparebit, al. oportebit,

* mollis

* non per

ratio, quæ linteolo medicamentum habente contegenda fit. Illa vtique capite fracto seruanda sunt, vt donec iam valida cicatrix erit, soluenda vitentur, frequens balneum, maior vini modus.

ENARRATIO.

HIPPOCRATES *septimo Aphorismorum Aphorismo* XIIII. *Ex plaga in caput stupor, aut deliriū, malum: & Aphorismo* XXIIII. *Ex ossis dissectione delirium, si ad vacuum vsque processerit. & Aphorismo* LVIII. *Quibus cerebrum concussum fuerit ex aliqua causa, eos voce statim priuari necesse est. & sectione sexta Aphorismorum Aphorismo* L. *Quibus cerebrum dissectum fuerit, iis necessum est febrem, & bilis vomitum succedere. Horum rationem in commentariis reddit Galenus.*

Et protinus considerandum est.

SECANT, *inquit quinto Methodi Galenus, tela quæ acuta sunt; collidunt quæ grauia duráque; abrumpunt omnia quum vehemens ictus fuerit. idem facit casus ab alto, vel graue aliquid durúmque incidens.*

Quia quo mitior ictus.

NVLLVM *etenim capitis vulnus contemni debet; sæpe namque cutis sola ferro contusa, aut alia quauis re, si non diligenter curetur, vt si concretus sanguis non expurgetur, incrudescens vlcus non parum molestiæ ægro afferet, eiq; periculum minatur.*

A suturis se deceptum.

ETSI *Hippocrates hominum capita atque suturas, parum inter se conuenire dicat, non tamen ob id, vt hic infert Celsus, eundem à suturis deceptum fuisse consequens est. Habet autē libro De vulneribus capitis sic Hippocrates: Hominum capita nihil inter se commune habent; neque suturæ capitis in omnibus eodem loco consistunt: verum quisquis ex priore parte capitis prominentiam habet (est autem prominentia, rotunda ossis pars eminens præ altera,) huius suturæ consistunt in capite, velut T. litera Græca pingitur, breuiorem enim lineam ad prominentiam transuersam constitutam habet; altera verò linea per medium caput, sed secundum longitudinem ad collum semper habet: qui verò ex posteriori parte capitis prominentiam habet, huius suturæ etiam contrario priori modo consistunt; nam breuior linea transuersa super prominentiam fertur; longior per mediam caluariam ad frontem perpetua: At si caput vtrimque à priori & posteriori parte promineat, suturæ H. literæ similitudinem habent. Caput quod neutra parte prominet, suturas habet ad imaginem X. literæ.*

Solet etiam euenire.

HIPPOCRATES, *Frangitur, inquit, caluaria sub vulnere alia parte quàm vbi plaga est, atque id nudatum est. Æginetа id reprehendit, neque verisimile putat, vnà parte percussa eam findi quæ contraria est. Nobis tamen Brugis Flandriæ oppido id videre contigit: siquidem quum cuidam altera parte percusso os nudaretur, ac terebello saucium latus aperiretur, & neque inflammationis neque ossis fissuræ ibidem aliqua nota subesset, quarto tamen die conuulsus interiit. Dissecto igitur nudatóque mortui capite, altera parte os fissum, membranáque os contegens inflammata conspiciebatur.*

Si manu facienda est.

IDEM *suadet Paulus: Deraso, inquit, super vulnus capite duas lineas iuxta rectos angulos mutuò se secantes quæ X. literæ figuram accipiant, incidemus; harum autem alteram esse conuenit, quæ iam præcessit; deinde*

inde quatuor in vertice angulos excoriantes, vt totum os quod perforabatur nudum exiſtat. ſi quidem ſanguis fertur, linamentis ex poſca obiectis cohibebimus; ſin minùs, ſiccis. Hippocrates de diſſectionis figura nullam facit mentionem. hoc illi dixiſſe ſufficit, quòd eatenus incidi debet, quatenus opus eſſe videtur. Oportet autem vbi ſecatur diducere ab oſſe carnem, quæ membranæ, & oßi iuncta eſt: deinde vlcus vniuerſum linamentis implere, quæ in poſterum diem minimo labore ipſum apertum exhibeant.

Neque id vitium.

MVSCVLI *temporales, quos* κροταφίτας *vocant, ſi violentur, diſtentionem faciunt, maxillæq́ue motum impediunt. Rationem reddit* Hippocrates: *dicit enim, Vbi caput incidendum eſt, cætera eius partes tutò inciduntur: tempus & regio ſuperior iuxta venam quæ per tempora fertur. hic, inquam, locus ſcalpello attingi non debet: eum enim qui inciſus fuerit, neruorum diſtentio prehendit, ac ſi tempus ſiniſtrum inciditur, dextrum neruorum diſtentione occupatur; ſi dextrum, nerui diſtenduntur in ſiniſtro. Celſus etſi metum afferre dicat, ibi tamen nihil tutiùs fieri dicit. quod quàm ſit verum, alij iudicent.*

antè emplaſtra experiri.

CATAGMATICA *aut cephalica appellabant. Aceto autem mollienda dicit, quòd id neque ſimpliciter calidum, neque frigidum dici poßit, & quòd colliquans in corporibus humiditatem conſumat. Hippocrati tamen hæc curandi ratio ſuſpecta videtur; vt qui vlcus capitis neque vino (quod alioqui vlceribus, ſi auſterum ſit, quia glutinat & repellit, conuenientißimum eſt) neque aliâ quauis re madefaciendum dicit; aut certè quamminimùm, & neque cataplaſmatis neque linamentis curandum, quòd videlicet cataplaſmata reſoluant atque effæminent. Vlceri enim cui nullus affectus iungitur, omnia quæ molliunt & maturant, aliena ſunt: ſub his enim diutiùs perſeuerat immundùm, ſordidúmque & malignum redditur; quæq́ue proxima ſunt putreſcunt. Videtur tamen Celſus ad eum Hippocratis locum reſpexiſſe, vbi dicit: Danda verò opera eſt, vt vlcus quàm celerrimè ſuppuret; hoc enim pacto quæ iuxtà ſunt, inflammari non poterunt, ipſúmque purum quàm celerrimè efficietur; neceſſe eſt enim laceratam colliſámque à telo carnem in pus verſam tabeſcere. Atqui idem non vapore aquæ calidæ per ſpongiam fouendum dicit; verùm ſiccandum eſſe vlcus: ſic enim maturè admodùm ſaneſcet, & caro non humida, ſed ſicca producetur. & neque ſimplex vlcus ita curat, ſed contuſam tantùm carnem.*

Si verò ſub prima.

VERVM *vbi intelligis febrem inuadere, inquit* Hippocrates, *vel quod aliud languenti ſignum ſuperuenire; nihil ceßare debes, ſed os ad membranam ſecare, vel ſcalpro radere: facilè autem ſecatur, & facilè raditur.*

Duo verò ſub ictu.

ID *os, inquit* Hippocrates, *quod à ſuo ſtatu recedens deſidit, raròſecandum eſt; & quæ maximè deſiſtunt & maximè prærupta ſunt, minimè ſectionem requirunt; quòd videlicet ſatis ſpacij habeat (quanquam hîc contrarium aßerat* Celſus*) ad ſaniem educendam, & per ſe, & quum citra ſectionem eiuſmodi os ad id facta forcipe demitur: nam & demi alioqui deberet, ſi cerebri membranam pungeret; aut certè attolli, ſi eandem comprimeret, etiamſi nulla ſubeßet ſanies.*

Ne ſi fractum quidem.

GALENVS *tamen os quod vehementer præruptum eſt, totum auferri iußit; vbi rima longiùs pertineat, eam demi vſque ad finem noluit.*

His factis, ea membrana.

IDEM *ſuadet* Hippocrates: *celerrimè enim purgandam dicit, & ſiccandam; ne diutius madens hebes fiat, & attollatur. quæ quum ita accidunt, periculũ eſt ne putreſcat.*

infundenda erit rosa.

OLEVM etsi per se vlceribus inimicum sit, vt auctor est Hippocrates libro De vlceribus, rectè tamen adhibetur; præsertim rosaceum, quod reprimendi & leniendi vi præditum est, in vlceribus capitis & membranæ quæ per inflammationem intumuit.

CAPVT V.

De narium fractarum curatione.

IN naribus verò & os & cartilago frangi solet, & quidem modò aduersa, modò à latere. Si aduersa fracta sunt, alterúmve ex his, nares desidunt, difficulter spiritus trahitur: si à latere os fractum est, is locus cauus est: si cartilago, in alteram partem nares declinantur. Quicquid in cartilaginem incidit, excitandum leniter est, aut subiecto specillo, aut duobus digitis vtrinque compressis. Deinde in longitudinem implicata linamenta & molli pellicula cincta circumsutaque intùs * adiicienda sunt. Aut eodem modo compositum aliquid ex arido penicillo. Aut grandis pinna, gummi vel fabrili glutine illita, & molli pellicula circundata, quæ desidere cartilaginem non sinat. Sed si aduersa ea fracta est, æqualiter vtraque naris implenda est. Si à latere, crassius esse debet ab ea parte in qua nasus iacet, ab altera tenuius, id quod inseritur. Extrinsecus autem circundanda habena est mollis, * media illita mistis inter se simila & thuris fuligine, eaque vltra aures ducenda, & fronti duobus capitibus agglutinanda est. Id enim corpori quasi gluten inhærescit, & cùm induruit, nares cõmodè continet. Sin quod intus inditũ est lædit, sicut maximè fit, vbi interior cartilago perfracta est, excitatæ nares eadem tantummodo habena continendæ sunt. Deinde, post quatuordecim dies idipsum demendum est. Resoluitur autem aqua calida, eaque tum is locus quotidie fouendus est. Sin os fractum est, id quoque digitis in suam sedem reponendum est: atque vbi aduersum id ictum est, vtraque naris implenda est: vbi à latere, ea in quam os impulsum est; imponendumque ceratum, & paulo vehementiùs deligandum est, quia callus eo loco non ad sanitatem tantummodo, sed etiam

* iniicienda al. adigenda

* medio

etiam ad tumorem increſcit. A tertio die fouendum id aqua calida eſt, tantoque magis, quanto propius eſſe ſanitati debet. Quòd ſi plura erunt fragmenta, nihilominus * extrinſecus ſingula in ſuas ſedes digitis erunt compellenda, imponendaque extrinſecus eadem habena, & ſuper eam ceratum, neque * vltra faſcia adhibenda eſt. At ſi quod fragmentum vndique reſolutum cum cæteris non glutinabitur, intelligetur quidem ex humore, qui multus ex vulnere feretur, volſella verò extrahetur. Finitiſque inflammationibus, imponetur aliquod medicamentum ex iis, quæ leniter reprimunt. Peius eſt, vbi aut oſſi, aut cartilagini fractæ, cutis quoque vulnus acceſſit. Id admodum rarò fit: ſi incidit illa quidem, nihilominus eadem ratione in ſuas ſedes excitanda ſunt. Cuti verò ſuperimponendum emplaſtrum aliquod ex his quæ recentibus vulneribus accommodata ſunt, ſed inſuper nullo vinculo deligandum eſt.

* intrinſecus

* ſupra

ENARRATIO.

HOC alienum à vero eſſe contendit Paulus Ægineta: dicit enim, Narium pars ima quum ſit cartilaginoſa, frangi non ſolet, ſed contundi, ſima fieri & peruerti.

Deinde, poſt quatuordecim dies.

ID *ante decimumquartum etiam diem tutum erit: nam quum ex omnibus corporis partibus naſus facillimè confirmari poßit, atque breui tempore callo obducatur, decem etiam diebus corroboratur, ſi non corruptio accedat: quæ etſi accedat, non magnopere turbari oportet, vt auctor eſt Hippocrates libro De articulis.*

CAPVT VI.

De aurium fractarum curatione.

IN aure quoque interdum rumpitur cartilago: quod ſi incidit, antequam pus oriatur, imponendum glutinans medicamentum eſt. Sæpe enim ſuppurationem prohibet, & aurem confirmat. Illud & in hac, & in naribus ignorari non oportet: non quidem cartilaginem ipſam glutinari, circa tamen carnem increſcere, ſolidarique eum locum. Itaque ſi cum cute cartilago rupta eſt, cutis vtrinque ſuitur. Nunc autem de ea dico, quæ cute integra frangitur. In ea verò ſi iam

pus

pus natum est, aperienda altera parte cutis, & ipsa cartilago contrà lunata plaga excidenda est. Deinde vtendum est medicamento leniter supprimente, quale lycium est aqua dilutum, donec sanguis fluere desinat. Tum imponendum linteolum cum emplastro; sic vt pingue omne vitetur: & à parte posteriore lana mollis auri subiicienda est, quæ quod est inter hanc & caput compleat. Tum ea leniter deliganda est, & à tertio die vapore, vt in naribus posui, fouenda. Atque in his quoque generibus abstinentia * primi temporis necessaria est, donec inflammatio finiatur.

* primis tẽporibus

ENARRATIO.

ÆGINETA aures tantùm contundi, quum cartilaginosæ sint, non autem frangi, existimat.

glutinans medicamentum.

QVALIA sunt quæ ἔναιμα vocantur; sistant ad secundum ferè gradum, media ratione inter ea quæ cicatricem trahunt, & carnem regenerant; suntq́ue astrictionis alicuius participia. cæterum hæc post sectionem tantùm adhibenda docet Hippocrates.

In ea verò.

AT si ad suppurationem, inquit Hippocrates, citò deueniat, citò quidem aperire non oportet. Multa quidem ex his quæ suppurari videntur, quandoque resorbentur; etiamsi quis cataplasma aliquod imposuit. Si quis verò aperire cogatur, celerrimè quidem sana fit, si in vlteriorem partem perruat. Illud tamen certò scire expedit, quòd mutila fiet auris, & minor alterâ, si perusta fuerit.

Tum ea leniter deliganda.

HIPPOCRATES deligationes omnes vitandas præcipit: nam & sana auris, inquit, deligatione pressa, dolore & pulsatione, & febre afficitur; & neque laxam deligationem ita quis circumdare poterit, vt non premat.

CAPVT VII.

De maxillæ fractæ curatione, deque quibusdam ad omnia ossa pertinentibus.

AB his ad maxillam venturus, indicanda quædam puto communiter ad omnia ossa pertinentia, ne sæpiùs eadem dicenda sint. Omne igitur os modò rectum vt lignum in longitudinem finditur, modò frangitur transuersum, interdum obliquum: atque id ipsum nonnunquam retusa habet capita, nonnunquam acuta. Quod genus pessimum est, quia

neque

neque facilè committuntur, quæ nulli retuſo innituntur, & carnem vulnerant, interdum neruum quoque aut muſculum. Quinetiam aliquando plura fragmenta à * fragmento fiunt. Sed in aliis quidem oſſibus ex toto ſæpe fragmentum à fragmento recedit. Maxillæ verò ſemper aliqua parte etiam vexata, oſſa inter ſe cohærent. Igitur in primis digitis duobus vtrinque prementibus, & ab ore, & ab cute omnino oſſa in ſuam ſedem compellenda ſunt. Deinde ſi tranſuerſa maxilla fracta eſt, ſub quo caſu ferè dens ſuper proximum dentem * excedit, vbi ea in ſuam ſedem collocata eſt, duo proximi dentes: aut ſi hi labant, vlteriores inter ſe ſeta deligandi ſunt. Id in alio genere fracturæ ſuperuacuum eſt. Cætera eadem facienda ſunt. Nam linteolum duplex madens vino & oleo ſuperiniiciendum cum eadem ſimila, & eadem thuris fuligine eſt. Deinde aut faſcia, aut mollis habena * media in longitudinem inciſa, vt vtrinque mentum complectatur, & inde capita eius ſupra caput adducta ibi * deligantur. Illud quoque ad omnia oſſa pertinens dictum erit, famem primùm eſſe neceſſariam: deinde à die tertio humidum cibum, ſublata inflammatione paulo pleniorem, eumque qui carnem alat: per omne tempus vinum eſſe alienum. Deinde tertio die reſolui debere, fouerique per ſpongiam vapore aquæ calidæ, eademque quæ primò fuerunt ſuperdari. Idem die quinto fieri, & donec inflammatio finiatur, quæ vel octauo die, vel ſeptimo ferè * reſoluitur. Ea ſublata rurſus oſſa eſſe tractanda, vt ſi quod fragmentum loco ſuo non eſt, reponatur. Neque id eſſe ſoluendum, niſi duæ partes eius temporis, intra quod quæque oſſa conſeruntur, tranſierint. Fere verò intra quartumdecimum & vnum & vigeſimum diem ſaneſcunt, maxilla, malæ, iugulum, pectus, * latus, os ſcapularum, coſtæ, ſpina coxarum, os tali, calx, manus, planta. * Inter vigeſimum & trigeſimum diem crura, brachiaque. * Inter ſeptimum & vigeſimum & quadrageſimum, humeri & femina. Sed in maxilla illud quoque adiiciendum eſt, quòd humidus cibus diu aſſumendus eſt. Atque etiam cùm tempus proceſſit, in

*ſegmento
*excidit.
*medio
*deligentur.
*ſoluitur.
*latum os
*Intra
*Intra

lagano, ſimilibuſque aliis perſeuerandum, donec ex toto maxillam callus firmarit. Item vtique primis diebus habendum ſilentium.

ENARRATIO.

PAVLVS Ægineta fracturarum differentias haſce ponit: Alia, inquit, fieri dicitur ῥαφανηδὸν hoc eſt ad rhaphani ſpeciem; alia σχιδακηδὸν, alia εἰς ὄνυχα, alia ἀλφιτηδὸν, alia κατὰ ἀπόθραυσιν, ἢ ἀποκοπὴν, id eſt iuxta refractionem. Ῥαφανηδὸν igitur fractura eſt oßis tranſuerſim per craßitudinem facta, quæ etiã σικυηδὸν aut καυληδὸν à nonnullis vocatur, ex cucumerum & caulium fractorum ſimilitudine. Σχιδακηδὸν autem quaſi aſſulæ modo, eſt oblonga oßis fiſſura: εἰς ὄνυχα, quaſi dicas in vnguem, iuxta partem aliquã eſt fiſſura, in extremo lunata; quæ etiam καλαμηδὸν vocatur. Ἀλφιτηδὸν, ad farinæ ſimilitudinem eſt appellata; eſtq; quando os in multas partes tenues finditur, quæ & ipſa καρυηδὸν à quibuſdam appellatur. Refractio autem quæ ἀπόθραυσις dicitur, vel etiam præciſio, eſt quum oßis pars per ſummitatis rupturam aufertur, vt ablata ſupernatet. Verùm hæ fracturarum differentiæ ambitioſæ nimis, atque curioſæ, vt inquit Galenus, à medicis Hippocrate iunioribus, iis nominibus enarratæ ſunt. non contenti enim fuerunt, omne os quod variè multifariámque ſit fractum, explicaſſe. Ab huiuſmodi appellationibus omnino abſtinuit Hippocrates. Galenus autem duas potißimùm ſimplices fracturarum differentias, à quibus curandi indicationes ſumuntur, poſuit; rectam, hoc eſt quæ in longũ protenditur, & tranſuerſam. Celſus his obliquam addidit.

famem primùm eſſe neceſſariam.

ATTENVANDVM, inquit Hippocrates, corpus ad dies decem vſque, deinde renutriendum non tardè: ſi enim primis diebus inflammatio non acceſſerit, in viginti diebus maxilla corroboratur, quoniam laxa & medulla plena eſt. Humidum autem cibum, hoc eſt ſorbilem & tenuem exhibet, quòd mandere ipſis nocuum ſit.

CAPVT VIII.

De Iuguli fracti curatione.

IVGVLVM verò ſi tranſuerſum fractum eſt, nonnunquam per ſe rurſus rectè coit, & niſi mouetur, ſanari ſine* iunctura poteſt. Nonnunquam verò, maximeque vbi motum eſt, elabitur, fereque id quod à pectore ſub id quod ab humero eſt, in poſteriorem partem inclinatur. Cuius ea ratio eſt, quòd per ſe non mouetur, ſed cum humeri motu conſentit. Itaque eo ſubſiſtente, * ſub id humerus agitatur. Raro verò admodum in priorem *partem iugulum inclinatur, adeò vt magni profeſſores nunquam ſe vidiſſe memoriæ mandarint. Sed locuples tamen eius rei auctor Hippocrates eſt.

*vinctura

* ſuper *al.* ſubinde hum.

* poſteriorémve par.

Verùm vt dissimilis vterque casus est, sic quædam dissimilia requirit. Vbi ad scapulas iugulum tendit, simul dextra manu * planè propellendus in posteriorem partem humerus est, & illuc in priorem attrahendum. Vbi ad pectus conuersum est, ipsum quidem retro dandum, humerus autem in priorem partem adducendus est. At si is inferior est, non id quod à pectore est, deprimendum est, quia immobile est, sed humerus ipse attollendus. Si casu superior est, id quod à pectore est, implendum lana, & humerus ad pectus deligandus est. Si acuta fragmenta sunt, incidi contrà cutis debet: ex ossibus ea, quæ carnem vulnerant, præcidenda sunt: tunc retusa ossa committenda sunt. Si quid ab aliqua parte eminet, opponendum ei triplex linteolum est, in vino & oleo tinctum. Si plura fragmenta sunt, excipienda sunt ex ferula facto canaliculo, eodemque intus incerato, ne fascia diducatur, quæ iugulo composito circundanda est sæpius potiùs, quàm valentiùs. Quod ipsum quoque in omnibus ossibus fractis perpetuum est. A dextro verò iugulo, si id fractum est, ad alam sinistram, à sinistro ad dextram. Rursusque sub ala * sua fasciari debet. Post hæc si iugulum ad scapulas inclinatum est, brachium ad latus: si in partem priorem, ad ceruicem deligandum est. Supinusque homo collocandus, cæteraque eadem facienda, quæ suprà comprehensa sunt. Sunt verò plura ossa fere immobilia, vel dura, vel cartilaginosa, quæ vel franguntur, vel forantur, vel colliduntur, vel finduntur, vt malæ, pectus, * latus, os scapularum, costæ, spina costarum, os tali, calx, manus, planta. Horum omnium eadem curatio est. Si suprà vulnus est, id suis medicamentis nutriendum est. Quo sanescente rimas quoque ossis, aut si quod * ferrumen est, callus implet. Si cutis integra est, & os læsum esse ex dolore colligimus, nihil aliud, quàm quiescendum, imponendumque ceratum est, & leniter deligandum, donec sanitate ossis dolor finiatur.

* placidè

* sana fascia dati

* latum os

* foramen

ENARRATIO.

HIPPOCRATES *libro De articulis, Iugulum comminutum, si ex toto fractum sit, faciliùs curatur; sin in longitudinem, ægriùs: ex toto fractum dicens, quod non adhæret aliqua sui parte; quod Celsus transuersim fractum appellat. Atque hæc quidem contraria sunt, atque aliquis existimet: nam quod ex toto fractum est, magis in suam sedem compelli potest; ac si summa cura prouideatur, quod sublimius est, magis deorsum cogetur idoneo habitu, ac debito vinculo: quamuis autem ex toto in suam sedem non collocetur, tamen ea pars quæ excedit, non valdè acuta apparebit. At quibus in longitudinem frangitur, simile vitium est, atque vbi ossa diducuntur: non enim ita in suam sedem restituitur; extansque oßis extremitas aspicitur admodùm acuta.*

Sed locuples tamen.

VARIAS *claniculæ aut inguli fracturas videre licet apud Hippocratem De articulis libro.*

Si acuta fragmenta.

IDEM *planè suadet Ægineta: Nam si inguli, inquit, partem aliquam refractam instabilem, aut etiam pungentem percipiamus, scalpello in rectum diuisam eandem auferemus: ac reliqua scalpris excisoriis, lamina quæ integra tueatur, aut alio scalpro propter firmitatem claniculæ subiecto exæquabimus. si quidem inflammatione careat, suturis; sin aliter, linamentis vtemur: & spleniis diuersis preparatis ad oßis eminentis inclinationem maiora ex eis & craßiora superaccõmodabimus; si inflammatio infestet, oleo imbuta; si minùs, arida.*

Si cutis integra est.

ID *decimoquarto die, aut ad summum vicesimo complebitur.*

CAPVT IX.

De costarum fractarum curatione.

PROPRIE tamen quædam de costa dicenda sunt, quia iuxta viscera est, grauioribusq́. periculis is locus expositus est. Hæc quoque igitur interdum sic finditur, vt ne summum quidem os, sed interior pars eius, quæ rara est, lædatur: interdum sic, vt eam totam is casus perruperit. Si tota fracta non est, nec sanguis expuitur, nec febricula sequitur, nec quicquam suppurat, nisi admodùm rarò, nec dolor magnus est, tactu tamen is locus *leniter indolescit, abunde est eadem quæ suprà scripta sunt, facere, & à media fascia incipere deligare, ne in alterutram partem hæc cutem inclinet. Ab vno verò & vigesimo die, quo vtique os esse debet glutinatum, id agendum. Cibis vberioribus est vtendum, vt corpus quàm plenissimum fiat, quo melius os vestiat, quod illo loco tenerum adhuc iniuriæ sub tenui cute expositum est. Per omne

* leniter al. grauiter

autem

autem tempus curationis vitandus clamor, sermo quoque, tumultus, ira, motus vehementior corporis, fumus, puluis, & quicquid vel tussim vel sternutamentum mouet,* ne spiritum quidem magnopere continere expedit. At si tota costa perfracta est, casus asperior est. Nam & graues inflammationes, & febris, & suppuratio, & sæpe vitæ periculum sequitur, & sanguis* spuitur. Ergo si vires patiuntur, ab eo brachio quod super eam costam est, sanguis mittendus est. Si non patiuntur, aluus tamen sine vllo acri ducenda est, diutiusque inedia pugnandum. Panis verò ante septimum diem non assumendus, sed vna sorbitione viuendum, imponendumque ei loco ceratum ex lino factum, cui cocta quoque resina adiecta sit, aut Polyarchi malagma, aut panaces ex vino & rosa & oleo, superque imponenda lana succida mollis, & duæ fasciæ à mediis orsæ, minimeque astrictæ. Multo verò magis omnia vitanda, quæ suprà posui, adeò, vt ne spiritus quidem sæpius mouendus sit. Quòd si tussis infestabit, ad id potio sumenda erit, vel ex trixagine, vel ex ruta, vel ex herba stœchade, vel ex cumino & pipere. Grauioribus verò doloribus vrgentibus, cataplasma imponi quoque conueniet vel ex lolio, vel ex hordeo, cui pinguis fici tertia pars sit adiecta. Et id quidem interdiu superiacebit. Noctu verò* idem aut ceratum, aut malagma, aut panni, quia potest cataplasma decidere. Ergo quotidie* quoque resoluetur, donec iam cerato aut malagmate possimus esse contenti, & decem quidem diebus extenuabitur fame corpus, ab vndecimo verò ali incipiet. Ideoque etiam laxior quàm primò fascia circumligabitur, fereque ea curatio ad quadragesimum diem perueniet: *quæ si modus erit suppurationis, plus malagma quàm ceratum ad digerendum proficiet. Si suppuratio vicerit, neque per quæ suprà scripta sunt discuti potuerit, omnis mora vitanda erit ne os infrà vitietur: sed qua parte maximè tumebit, demittendum erit candens ferramentum, donec ad pus perueniat, idque effundendum. Si nusquam caput se ostendit, vbi maximè pus *subit, sic intelligimus: creta cimolia totum locum illinimus, & siccari patiemur quo loco maximè

*nec al. næ

*exspuitur.

*item

*quæque

*quòd si metus

*subest.

humor in ea perſeuerauit, ibi pus proximum erit, eaque vri debebit. Si latius aliquid abſcedet, duobus aut tribus locis erit perforandum, demittendum erit linamentum, aut aliquid ex penicillo, quod ſummum lino ſit deuinctum, vt facilè educatur. Reliqua eadem, quæ in cæteris aduſtis facienda ſunt. Vbi purum erit vlcus, ali corpus debebit, ne tabes pernicioſa futura id malum ſubſequatur. Nonnunquam etiam leuius ipſo oſſe adfecto, & inter initia neglecto, non pus, ſed humor quidam muceis ſimilis intus coit, molleſcitque contrà cutis, in qua ſimili vſtione vtendum eſt.

ENARRATIO.

ORDINE *quodam hoc caput ex* Hippocrate De *articulis tranſumptum eſt.*

Ab vno verò & vigeſimo.

ITA *quidem & ipſe* Hippocrates *ſentit: aliis tamen non niſi poſt vigeſimum octauum ferrumen implet.*

Cibis vberioribus.

TVMOR *enim ventris, vt auctor eſt* Galenus, *coſtas fulcit: quare vbi hæ rumpuntur, qui magis ventricoſi ſunt, minùs dolent; quibus gracilis venter eſt & contractus, dolore magis vexantur, quum coſtas ſentiant ſine fulcro ſuſpenſas. At ſi febris continens aut inflammatio, hominem detinet, vt poſteà docet, inediâ vti ſatius eſt; quoniam magis læditur à cibo, quàm à coſtis non fulcitis. At ſi nulla febris ſit, præſtat catenus cibum ſumere, vt venter in eum tumorem aſſurgat; vt coſtis ſedes ſit ac fulcimentum citra offenſæ partis compreſſionem.*

Ergo ſi vires patiuntur.

HIPPOCRATES *abſque limitatione venam ſecare iubet,* Celſus *exactius nonnihil locum ipſum deſcribit, è directo lateris affecti eandem tundendam edocens.*

Si non patiuntur.

HIPPOCRATES *nullo virium habito diſcrimine aluũ etiamſi quàmmaximè ſanguis miſſus ſit, leui aliquo medicamento ducere iubet.*

aut Polyarchi malagma.

HVIVS *deſcriptionem ponit* Celſus *libro quinto.*

Quòd ſi tuſſis infeſtabit.

NESCIO *quàm appoſitè hîc potionem ex ruta aut pipere tuſſientibus accommodârit; vt quæ ſua acrimonia, quantumuis quammaximè attenuare dicas, tuſſim magis ac magis exagitent.*

Grauioribus verò.

SORANVS *quoque, vt auctor eſt* Ægineta, *ſi magna vrgeat neceſſitas, puta ſi membrana coſtas cingens vehemẽter compungatur, cutim diuidendam docet, ac fractam coſtæ partem detegendam; deinde (lamina, ne tunica coſtas tegens vulneretur, priùs ſubiecta) oſſicula quæ pungunt, ingenioſè excidenda atque eiicienda, ac cruentorum vulnerum modo curanda.*

& decem quidem diebus.

HIPPOCRATES, *Decem, inquit, diebus inedia vti conuenit: deinde corpus reficere, ac implere. Ad hæc dum offenſus inedia vtitur, arctius alligandus eſt; vbi pleniore victu, laxius.*

Si ſup-

Si suppuratio vicerit.

CELSVS brevis admodùm hîc est: Hippocrates suppurationis causas explicat, atque quorum ossa vitientur, edisserit.

sed quâ parte maximè.

IVXTA illud senis libro De internis affectionibus: Si pus in thoracem prorumpat, quà tibi monstrare videtur, illic potissimùm secans aut vrens, primùm exiguum puris emittito. Libro tamen De articulis, (vnde hæc desumpsit Celsus) non antè faciendam vstionem dicit, quàm os corruptum esse pro comperto habeamus: eâ interim animaduersione habitâ, ne ipsum vstione incalescat.

Nonnunquam etiam.

MVCCVS hic facillimè os corrumpit, doloribúsque locum exercet; neque alia ratione expelli potest, quàm vstione aut incisione.

De spinæ curatione.

IN spina quoque est quod propriè notemus. Nam si id *ex vertebra excidit, aliquo modo fractum est, locus quidem concauus fit, punctiones autem in eo sentiuntur, quia necesse est ea fragmenta spinosa esse. Quo fit, vt homo in *interiorem partem subinde nitatur. Hæc noscendæ rei caussa sunt. Medicamentis verò iisdem opus est, quæ *plurima parte huius capitis exposita sunt.

*quod ex
*anteriorem
*prima

ENARRATIO.

Medicamentis verò.

CONVENIT, inquit Æginetа, id quod refractum est, auferre, cute extrinsecus incisa suturísque commissa; remedio cruentis idoneo vti.

CAPVT X.

De humerorum, brachiorum, femorum, crurum, digitorum fractorum vel euulsorum, communibus curationibus.

SIMILES rursus ex magna parte casus curationesq. sunt humeris & femoribus. Communia etiam quædam humeris, brachiis, femoribus, cruribus, digitis. Siquidem ea *minimè periculosè media franguntur. Quo propior fractura capiti vel superiori vel inferiori est, eo peior est. Nam & maiores dolores adfert, & difficiliùs curatur. *Ea maximè tolerabilis est simplex, transuersa: peior, vbi fragmenta, atque vbi

*minus
*Earum

vbi obliqua: *pessimum vbi eadem acuta. Nonnunquam autem fracta in his ossa in suis sedibus remanent: multo sæpius excidunt, aliudq. super aliud effertur. Idque ante omnia considerari debet, & sunt notæ certæ. Si suis sedibus mota, resima, punctionisque sensum repræsentant, tactu inæqualia sunt. Si verò non aduersa, sed obliqua iunguntur, quod fit *vbi loco suo non sunt, membrum id altero latere breuius est, & musculi eius tument. Ergo si hoc *depressum est, protinus id membrum oportet extendere. Nam nerui musculique intenti per ossa contrahuntur, neque in suum locum veniunt, nisi illos per vim aliquis *intendit. Rursus si primis diebus id omissum est, inflammatio oritur. Sub qua & difficilè & periculosè vis neruis adhibetur. Nam distentio neruorum, vel *cancer sequitur, vel certum, vt *diutissimè *alatur, pus. Itaque si antè reposita ossa non sunt, postea reponenda sunt. Intendere autem digitum vel aliud quoque membrum si adhuc tenerum est, etiam vnus homo potest, cùm alteram partem dextra, alteram sinistra prendit. Valentius membrum duobus eget, qui in diuersa contendant. Si firmiores nerui sunt (vt in viris robustis, maximeque eorum feminibus & cruribus euenit) habenis quoq. vel linteis fasciis vtrinque capita articulorum deliganda, & per plures in diuersa ducenda sunt. Vbi paulò longius quàm naturaliter esse debet, membrum vis fecit: tum demum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt; indiciumque ossis repositi est, dolor sublatus. Et membrum alteri parti æquatum inuoluendum duplicibus triplicibúsve pannis, & in vino & oleo tinctis, quos *linteos esse commodius est. Ferè verò fasciis sex opus est. Prima breuissima adhibenda, quæ circa fracturam ter voluta sursum versum feratur, & quasi in cochlea serpat, satisque est eam ter hoc quoque modo circuire. Altera dimidio longiore, eaque qua parte os eminet, ab ea si totum æquale est, vndelibet super fracturam debet incipere priori aduersa, deorsúmque tendere, atque iterum de fractura reuersa in superiore parte vltra priorem fasciam desinere. Super has iniiciendum latiore linteo ceratum est, quod eas contineat,

Marginal notes: *pessima; *sæpe vbi; *deprehensum; *intenderit.; *mitissime; *agatur pus.; *lineos

neat, ac ſi qua parte os eminet, triplex ea pannus obiiciendus, eodem vino & oleo madens. Hæc tertia faſcia comprehendenda ſunt, quartaque, ſic vt ſemper inſequens priori aduerſa ſit, & tertia tantùm in inferiore parte, tres in ſuperiore * finiant, quia ſatius eſt, ſæpius circuire, quàm adſtringi. Siquidem id quod adſtrictum eſt, alienatur, & cancro opportunum eſt: articulum autem quamminimè vincire opus eſt. Sed ſi iuxta hunc os fractum eſt, neceſſe eſt. Deligatum verò membrum in diem tertium continendum eſt. Eaque * iunctura talis eſſe debet, vt primo die nihil offenderit, non tamen laxa viſa ſit, ſecundo laxior, tertio iam penè reſoluta. Ergo tum rurſum id membrum deligandum, adiiciendaque prioribus quinta faſcia, iterumque quinto reſoluendum eſt, & * ſexto faſciis inuoluendum, ſic vt tertia & quinta infrà, cæteræ ſuprà finiantur. Quotieſcunq. autem ſoluitur membrum, calida aqua fouendum eſt. Sed ſi iuxta articulum fractura eſt, diu inſtillandum vinum eſt, exigua parte olei adiecta, eademque omnia facienda donec * ab eo inflammatio ſoluatur, vel leuius quoque quàm ex conſuetudine id membrum fiat. Quod ſi ſeptimus dies non dedit, certè nonus exhibet. Tum facillimè oſſa tractantur. Rurſus ergo ſi parùm commiſſa ſunt, committi debent. Si qua fragmenta eminent, in ſuas ſedes reponenda ſunt. Deinde eodem modo membrum deligandum, ferulæque ſupèr accommodandæ ſunt, quæ fiſſæ circumpoſitæque oſſa in ſua ſede contineant: & in quam partem fractura inclinat, ab ea latior, valentiorque ferula imponenda eſt. Eaſq. omnes * citra articulum eſſe oportet reſimas, ne hunc lædant, nec vltrà aſtringi, quàm vt oſſa contineant: & cum ſpatio laxentur, tertio quoque die paulum habenis ſuis coartari: ac ſi nulla prurigo, nullus dolor eſt, ſic manere donec duæ partes eius temporis quod os quoque conſeruet compleantur, poſtea leuiùs aqua calida fouere, quia primò digeri materiam opus eſt, tum euocari. Ergo cerato quoque liquido id * leniter eſt vngendum, perfricandaque ſumma cutis eſt, laxiuſque id deligandum eſt. Tertio quoque die ſoluendum ſic, vt remota calida aqua, cæ-

* faciant.
* vinctura
* ſexta faſcia
* adeo
* circa
* pleniter

tera eadem fiant. Tantummodo singulæ fasciæ quoties resolutæ fuerint, subtrahantur.

ENARRATIO.

vel cancer sequitur.

CANCRI *nomine pro sphacelo, hîc passim abutitur.*

Ferè verò fasciis sex.

MODVS *hic deligandi Tagaultio non placet; neque tam numerosis fasciis opus esse censet, quòd hæ in membro præfracto præter solitum iam cooperto, pruritum & dolorem (quæ duo symptomata à fractis membris diligenti studio arcenda sunt) excitare, atque eius quod iam fracturæ infixum est, perspirationem prohibere possint. Hippocrates duobus linteis contentus est.*

Deligatum verò membrum.

TERTIO *die ob id ligamenta soluenda sunt, ne tensio quæpiam aut motus præter solitum contectæ particulæ obueniat; aut eius quod infixum est fracturæ perspiratus prohibeatur.*

Quotiescunque autem soluitur.

TANTVM *aquæ temperatæ, inquit Ægineta, superinfundere ratio est, quantum saniem discutere sufficit. Hippocrates libro De officina medici, Quod ad aquæ calorem pertinet, inquit, & copiam; calor vehementior non sit, quàm vt infusa possit ferri à manu: copiam vbi relaxandum attenuandúmque est, esse conuenit maximam; vbi caro producenda est; aut molliendum, minimam.*

diu instillandum vinum.

SOLIVS *olei calidi suffusio suffecerit; quanquam non inutile sit vinum, præsertim austerum.*

donec duæ partes eius.

VARIIS *temporibus ossa coalescunt; sicuti etiam Celsus antè scripsit: nam pedis ossa, exceptis his quæ cum tibiæ ossibus communionem habent, atque iis quæ malè curantur (siquidem hæc non ante quadragesimum diem curationem perfectam admittunt) vicesimo die absolutè restituuntur. Tibiæ verò & brachiorum ossa, quum benè curantur, quadragesimo die restituuntur. Femoris os quinquagesimo die conferuet: maxillæ ossa triginta quinque diebus agglutinantur. In genere autem omnia ossa tardiùs corroborantur, atque ferrumen implent, si non secundùm naturam posita fuerint. cuius quoque generis sunt, quæ non in eadem figura conquiescunt: nam & calli debiliores iisdem obducuntur.*

De fracti humeri curatione.

HÆC communia sunt. Illa propria. Siquidem humerus fractus, non sic, vt membrum aliud intenditur. Sed homo collocatur alto sedili, medicus autem humiliore aduersus. Vna fascia brachium amplexa ex ceruice ipsius qui læsus est, id sustineat. Altera ab altera parte super *caput data, ibi accipit nodum. Tertia *iuncto imo humero deorsum demittitur, ibi quoque capitibus eius inter se *iunctis. Deinde ab occipitio ipsius minister sub ea fascia quam secundo loco posui,

* cubitum
* vincto
* vinctis.

sui, correpto : si dexter humerus ducendus est, dextro: si sini-
ster, sinistro brachio, demissum inter femina eius qui curatur
baculum tenet : medicus super eam fasciam de qua tertio
loco dixi, *palmam inicit* dextram : si sinister, sinistram : si * planam
dexter humerus sumatur, simulque alteram fasciam minister *dextram,
attollit, alteram *premit medicus : quo fit, vt leniter humerus si sinister,
extendatur. Fasciis verò, si medium aut imum os fractum dextram,
est, breuioribus opus est: si summum, longioribus, vt ab eo si d. h. si-
sub altera quoque ala per pectus & scapulas porrigantur. Pro- nuatur,
tinus verò brachium cùm deligatur, sic inclinandum est, id * deprimit
quod afficit, vt ante fascias quoque sic *figurandum sit: ne * figuratū
postea suspensum aliter, aliter cùm deligabatur, humerum
inclinet. Brachioque suspenso, ipse quoque humerus ad la-
tus leniter deligandus est. Per quæ fit, vt minimè moueatur,
ideoque ossa sic se habent, vt aliquis composuit. Cùm ad fe-
rulas ventum est, extrinsecus esse earum longissimæ debent,
à lacerto breuiores, sed sub ala breuissimæ. Sæpius eæ resol-
uendæ sunt, vbi in vicinia cubiti humerus fractus est, ne ibi
nerui rigescant, & inutile brachium efficiant. Quoties solutæ
sunt, fractura manu continenda, cubitus aqua calida fouen-
dus, & molli cerato perfricandus, ferulæque vel omnino non
imponendæ contra *eminentia cubiti, vel aliquanto breuio- * eminen-
res *sunt. tiam
* sint.

ENARRATIO.

Sed homo collocatur.

REPOSITIONIS in proprium locum, conuenientiorem multo ac faciliorem rationem edocet Hippocrates *libro* De fracturis. *Id porrò in omnibus luxationibus, fracturis obseruandum est; vt quàm fieri potest maximè, in deligationibus, coaptationibus, repositionibúsque ossium, eam partis figuram obseruemus, in qua & æger diu immotus persistere possit, & qua maximè à dolore abest, quæque rectissima sit.* Rectis*simam autem vocat Galenus, quæ venas, arterias, musculos quàm rectissimos habeat: sic angularem figuram brachio rectissimam, vt quæ dolore maximè vacet, & quæ eidem naturalis sit, appellat.*

Cùm ad ferulas ventum.

EARVM *vsus Hippocrati septimo primùm die aut nono esse debet : nostri temporis chirurgi non omnino malè, protinus easdem circumponunt, ipsas quidem constringentes, prout sensus & tumor ex inflammatione (si adsit) postulat; ideóque easdem adhibent, non vt astringant, verùm vt adaptationis figuram contineant, & ossa in suam sedem reposita fulciant. Debent autem ferulæ, sicuti docet* Hippocrates De officina medici, *esse leues & æquales, ab ex-*

trema parte resimæ, ab vtraque parte vinculo paulo breuiores, craßißimæq; quà fractura extat.

& molli cerato.

I D *molle, læue, & purum esse vult Hippocrates, hoc est vt nihil sordium, nihil propolis terreni arenosiq; ei sit immixtum. Vitur autem eiusmodi cerato, vt auctor est Galenus, in vicem perfusionis, quæ perficere quidem & id poterat; verùm ceratum id tutiùs præstat; præsertim vbi semper aßidere medicus non potest, ac continuò madore aliquo subiectas partes madefacere perfunderéque.*

De brachij fracti curatione.

AT si brachium fractum est, in primis considerandum est, alterum os, an vtrumque comminutum sit, non quòd alia in eiusmodi casu curatio admouenda, sed primùm, vt valentiùs extendatur, si vtrunq. os fractum est: quia necesse est minus neruos contrahi altero osse integro, eosque intendente. Deinde, vt curiosius omnia in continendis ossibus fiant, si neutrũ alteri auxilio est. Nam vbi alterum integrum est, plus opis in eo, quàm in fasciis, ferulisque est. Deligari autem brachium debet paulum pollice ad pectus inclinato. *est, Siquidem is maximè brachij naturalis habitus * sit, idque inuolutum mitella commodissimè excipitur, quæ latitudine ipsi brachio, perangustis capitibus collo iniicitur, atque ita commodè brachium ex ceruice suspensum est. Idque paulum supra cubiti alterius regionem pendêre oportet. Quòd *in *fractum si * ex summo cubito id * factum sit, glutinare id vinciendo alienum est. Fit enim brachium immobile, ac si nihil aliud quàm dolori occursum est, idem qui fuit eius vsus est.

ENARRATIO.

EX *cubiti oßibus, inquit Hippocrates, vbi non ambo fracta existant, facilior curatio est, si supernum os sanciatum est, etiamsi craßius id existat; partim quòd sanum subtentum fundamento loco ipsi est; partim quòd faciliùs occultari potest, nisi iuxta manus iuncturam sanciari contigerit. Crassa enim est caro quæ supernè innascitur; infernum verò os excarne est, & non facilè occultari potest, & vehementiore extensione opus habet. si verò hoc contritum non fuerit, sed alterum illud, vilior extensio sufficit: at si ambo fracta fuerint, fortißima extensione opus habent.*

De crurum femorúmque fractorum curatione.

IN crure æquè ad rem pertinet, alterum saltem os integrum manere. Commune verò ei femorique est, quòd vbi de-

ligatum est, in canalem coniiciendum est. Is canalis ab inferiori parte foramina habet, per quæ si quis humor excesserit, descendat: & à planta moram, quæ simul & sustineat eam, & delabi non patiatur: & à lateribus caua, per quæ loris datis mora quidem crus femurque, vt collocatum est, *detineat. Esse etiam is debet à planta, si crus fractum est, circa poplitem: si femur, vsque ad *coxam: si iuxta superius caput femoris, sic vt ipsa quoque *ei coxa sit. Neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri breuius, quia nunquàm in antiquum statum reuertitur, summisque digitis postea cruris eius insisti *, sed multa tamen femori debilitas est, vbi fortunæ negligentia quoque accessit.

*detineatur.
*coxam, iux.
*in eo
*.Sed m. tum

ENARRATIO.

FEMVR *fractum in anteriorem & posteriorem partem magis promouetur; crus seu tibia in omnem partem prolabitur, quum vtraque ossa fracta fuerint. Constat enim crus, sicuti & brachium, duobus ossibus, puta surâ & tibiâ: in tres autē, quum alterum, intra, & extra; tibia quidem retrò, sura verò anteriùs.*

Neque tamen ignorari.

IOANNES *Tagaultius libro suo Institutionum chirurgicarum quarto, ex Hippocrate sententiam hanc non citra rationem suspectam habet. Non enim, inquit, quoties femur frangitur, necessariò ipsum breuius efficitur, sed dumtaxat si statim quum fractum est, minùs quàm par sit à chirurgo distentum fuerit, vel tortuosè distractum, & separatæ & distantes ossis fracti partes non rectè & ad amussim, priusquam ferrumen impleant, coaptatæ extiterint: tunc enim & breuius femur redditur, & crure eius partis homo claudicabit. Sic autem de hac re libro De fracturis scripsit* Hippocrates: *At verò si femoris os fractum sit, extensio imprimis diligenter facienda est, ne minus quàm debeat efficiatur; amplior enim si fit, nullam offensionem affert. Verum quoque est, vt in eodem opere testatur* Hippocrates, *quòd quibuscunque vtraque tibia vel cubiti fracta sint ossa, illa breuiora effici: quod sanè intelligendum est, nempe, vt Galenus interpretatur, nisi ante conformationem debita adhibeatur extensio, & commoda deligatione ossium coaptatio seruetur, quoad callus obducatur: tunc enim non solum in maiorem tumorem quàm naturaliter illis conueniat, membrum attollitur; verùm etiam breuius propter retractos musculos efficitur. Hæc Tagaultius. Nisi igitur hac in re quisquam Celso patrocinari velit, locum hunc sic legendum existimârim:* Neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri breuius, quoties in antiquum statum non reuertitur.

De fracti digiti curatione.

DIGITVM satis est ad vnum *furunculum post inflammationem deligari.

*furculum *al.* funiculum

ENARRATIO.

ÆGINETA *articulorum ossa in digitis, quum laxa fistulosáque sint, contundi quidem plerumque; rarò autem frangi auctor est. Idem deligatura vtendum docet, dum vrget inflammatio: nam facilè in ipsis propter laxitatem callus amplior concrescit.*

Communes curationes ad humeros, brachia, crura, femina, digitósque confractos pertinentes.

* ista
HIS propriè ad singula membra pertinentibus, rursus *illa communia sunt: primis diebus fames: deinde tum, cùm iam increscere callum oportet, liberalius alimentum, longa à vino abstinentia, fomentum aquæ calidæ, dum inflammatio est, liberale, cùm ea desit, modicum. Tum etiam longior vlterioribus è liquido cerato membris, & mollis tamen vnctio. Neque protinus exercendum id membrum, sed ad antiquos vsus *reducendum est. Grauius aliquanto est, cùm ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit, maximeque si id musculi femoris aut humeri senserunt. Nam & inflammationes multo grauiores & promptiores cancros habent. Ac femur quidem si ossa inter se cesserunt, ferè præcidi necesse est. Humerus verò quoque in periculum venit, sed faciliùs *conseruatur. Quibus periculis etiam magis id expositum, quod iuxta ipsos articulos ictum est. Curiosius igitur agendum est, & musculus quidem per mediam plagam transuersus præcidendus. Sanguis verò, si parum fluxit, mittendus: corpus inedia extenuandũ, ac reliqua quidẽ membra lentius intendenda, & lenius in his ossa in suã sedem reponenda sunt. His verò neque intendi neruos, neque ossa tractari satis expedit. Ipsique homini permittendum est, vt sic ea collocata habeat, quemadmodum minimè lædunt. Omnibus autem his vulneribus imponendum primò linamentum est vino madens, cui rosæ paulum admodum adiectum sit: *cetera eadem deliganda fasciis sunt aliquanto quàm vulnus latioribus, laxius scilicet, quàm si ea plaga non esset, *quanto facilius & alienari & occupari cancro vulnus potest, *numeris potius

* paulatim red.
* conseritur.
* cæterum
*. Quando
* numero

potius fasciarum id agendum est, vt laxæ quoque æquè contineant. Quod in femore humeroque sic fiet, si ossa fortè rectè concurrerint: sin aliter se habebunt, eatenus circundari fascia debebit, vt impositum medicamentum contineat. Cætera eadem quæ suprà scripsi, facienda sunt, præterquam quòd neque ferulis, neque canalibus, inter quæ vulnus sanescere non potest, sed pluribus tantummodo & latioribus fasciis opus est, ingerendumq. subinde in eas est calidum oleum & vinum, magisque in * principio fame vtendum, vulnus calida aqua fouendum, frigusque omni ratione vitandum est, & transeundum ad medicamenta, quæ puri mouendo sunt, maiorque * vulneri quàm ossi cura agenda. Ergo quotidie soluendum nutriendumque est. Inter quæ si quod paruulum fragmentum ossis eminet, id si retusum est, in suam sedem dandum: si acutum, antè acumen eius * longius est præcidendum: si breuius, limandum, & vtrinque scalpro * limandum, tum ipsum recondendum est: ac si id manus facere non potest, volsella, quali fabri vtuntur, iniicienda est, rectè se habenti capite ab ea parte qua * sima est, vt ea parte qua gibba est, eminens os in suam sedem compellat. Si id maius est, membranulisque * cinguntur, sinere oportet * ea sub medicamentis resolui, idque os, vbi iam nudatum est, abscindere: quod maturius scilicet faciendum est, * prodestque ea ratione & os coire, & vulnus sanescere. Illud suo tempore, hoc prout se habet. Nonnunquam etiam in magno vulnere euenit, vt fragmenta quædam velut emoriantur, neque cum cæteris coëant. Quod hîc quoque ex modo fluentis humoris colligitur. Quo magis necessarium est, sæpius vlcus resoluere atque nutrire. Sequitur verò, vt id os per se post aliquot dies excidat, * cùm tam misera antea conditio vulneris sit, tamen id interdum maius * diutiusque facies. Sæpe enim integra * cutis osse abrumpitur, protinusque prurigo & dolor oritur. Quæ soluere, si accidit, maturius oportet, & fouere aqua per æstatem frigida, per hyemem egelida: deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibusdam velut aculeis carnem vexat, quo à prurigine & punctionibus cognito, aperire

* primo
* vulneris q. ossis
* si long.
* limatum ip.
* curua
* cingitur
* eas
* potestq.
* Ac cùm
* latiusque.
* cute os

rire id melius, eosque aculeos præcidere necesse habet. Reliqua verò curatio in vtroque hoc casu eadem est, quæ vbi ictus protinus intulit puro iam vlcere. Cibis hîc quoq. vtendum est carnem producentibus: si breuius adhuc membrum est, & ossa loco suo non sunt, paxillus tenuis quàm * leuissimi generis inter ea demitti debet, sic vt capite paulum supra vlcus emineat, isque quotidie plenior adigendus est, donec par id membrum alteri fiat. Tum paxillus remouendus, vulnus sanandum est, cicatrix inducta fouenda frigida aqua est, in qua myrtus, hedera, aliæ've similes verbenæ sint: illinendumque medicamentum quod siccet, & magis etiam hîc quiescendum, donec id membrum confirmetur. Si quando verò ossa non conferbuerunt, * quæ sæpe soluta, sæpe mota sunt, in aperto deinde curatio est: possunt enim * coire. Si vetustas occupauit, membrum extendendum est, vt aliquid lædatur. Ossa inter se manu diuidenda, vt concurrendo exasperentur, vt si quid pingue est, eradatur, totumque id quasi recens fiat. Magna tamen cura habita, ne nerui musculíve lædantur. Tum vino fouendum est, in quo malicorium decoctum sit, imponendumque idipsum oui albo mistum. Tertio die resoluendum, fouendumque aqua, in qua verbenæ, de quibus suprà dixi, decoctæ sint. Quinto die idem faciendum, ferulæque circundandæ. Cætera & antè & pòst eadem facienda, quæ suprà scripsi. Solent tamen interdum diuersa inter se ossa * cohærere. Eoque & breuius membrum & indecorum fit: & si capita acutiora sunt, assiduè punctiones sentiuntur. Ob quam caussam frangi rursus ossa & * dirigi debent. id hoc modo fit: Calida aqua multa membrum id fouetur, & ex cerato liquido perfricatur, intenditurque: & inter hæc medicus pertractans ossa, vt adhuc tenero callo manibus ea diducit, compellitque id, quod eminet, in suam sedem: & si parùm valuit, ab ea partes, in qua os se inclinat, inuolutam lana regulam obiicit. Atque ita deligando assuescere iterum vetustæ sedi cogit. Nonnunquam autem rectè quidem ossa * cœperunt, superincreuit verò nimius callus, ideoque locus intumuit. Quod vbi incidit, diu leniterque id membrum

*læuissimi

* quod sæpe mota sæpe soluta sunt,

* diu quiescendo

* conferuere: vel coalescere.

* dirimi

* cohæserunt,

brum perfricandum est ex oleo & sale & nitro, multum aqua calida salsa fouendum, & imponendum malagma quod digerat, altrictiusque alligandum, oleribusque & præterea vomitu vtendum. Per quæ cum carne callus quoque extenuatur, confertque aliquid de sinapi, quod cum ficu in alterum pariter membrum impositum, donec id paulum erodat, eoque euocet materiam. Vbi his tumor extenuatus est, rursus ad ordinem vitæ reuertendum est.

ENARRATIO.

TENVIS *victus adhibendus est, dum inflammationis omnis suspicio procul absit: abstinendúmque, vt docet Hippocrates, à pane & vino ad decem vsque dies: dehinc paulatim sunt reficiendi. ac tum demum intrepidè vinum crassum & stipticum concedendum est.*

Grauius aliquanto est.

NAM *quibus hæc ossa nudantur, vt auctor est Galenus, non tam ossium, quàm musculorum, arteriarum ac venarum magnitudine periclitantur: quibus accedit quòd propinquiora sunt neruorum musculorumq́ initiis. Quare magis quoque iis periculis subiacere dicit eos Celsus, qui iuxta ipsos articulos icti sunt: cui non absimile est quod dicit Hippocrates, magis euadere eos, quibus inferior pars ossis quàm quibus superior excessit. Celsus hîc suo more Hippocratis sententiam nonnihil immutauit; & neque repositionis, neque aliorum meminit: nam Hippocrates, At quibus, inquit, femoris aut brachij os, extrà emineat, hi non valdè superstites euadunt; sunt enim ossa hæc grandia, & medullæ plena; & quæ simul vulnerantur, multa sunt & magni momenti, & musculi & nerui, & venæ: & si quidem reposueris, conuulsiones accedere solent; si verò non reposita fuerint, febres acutæ & biliosæ, & singultuosæ oboriuntur; & denigrantur. Non minùs autem superstites euadunt hi quibus reposita non sunt, neque tentatum est, vt reponeretur. Celsus hîc suo more cancrum pro nigritie reddit.*

Humerus verò.

HIC *mendum subesse videtur, legendúmque sed faciliùs curatur.*

Omnibus autem his.

BENE *admodum parum olei admiscendum monet: neque enim ossis fracturæ, si iisdem carnis vulnus accedat, ceratum aut rosatum admittunt, quòd hæc vlcus tum sordidum, tum putre efficiant; sed in eorum locum pului1los oblongos vino austero nigro imbutos superiniicimus.*

Cætera eadem quæ suprà.

FERVLAS *vetat, ne comprimant: Hippocrates tamen easdem nonnunquam admittit: dicit enim, Reliqua curatio esse debet, perinde ac si ossa citra plagam perfringantur, nisi quòd ferulæ non sint imponendæ. quam obrem hic pluribus fasciis opus est, quàm alibi, cum & minùs constringendum sit, & ferulæ tardiùs circumdandæ: tamen si ferulæ superaccommodentur, è regione vlceris circumponantur; detur opera vt laxiores sint, ne vehementer astrictæ premant.*

Frigúsque omni ratione.

PERICVLVM *enim est ne cum febre grauis horror subsequatur, néue neruorum distentio superueniat: nam frigida semper neruorum distentionem afferunt; præsertim in vlceribus.*

Inter quæ ſi quod.

HIPPOCRATES *libro De fracturis: Os præcidendum eſt, ſi reſtitui nequit, & parum quid excedere videatur: abſcindere hoc licet, ſi noxium ſit, & carnem aliqua ex parte vulneret ac moleſtiam afferat, nudatúmque ſit, hoc quoque abſcindendum eſt. Reliqua verò non multum refert præcidantur nec ne: ea verò præcidi non oportet, ex quibus ſquamma reſoluenda eſt.*

vbi iam nudatum.

NAM *quæcunque oſſa in ſuam ſedem reuerti non potuerunt, hæc ſcire licet abſceſſura eſſe; non etiam quæ ex toto carne iam nudata ſunt: nudatur autem carne quibuſdam ſuperior, pleriſque verò emoritur caro quæ circa fracturam eſt.*

Nonnumquam etiam.

VBI *copioſiùs quàm pro vlceris modo pus feratur (dicit Galenus) verendum eſt ne ſubiectum os vitiatum ſit: ſi præter id ad exitum feſtinet, iam certa res eſt. Propter humoris igitur abundantiam hic frequentiùs deligandum ac reſoluendum monet Hippocrates.*

Quæ ſoluere.

SATIVS *tamen fuerit aquæ temperatæ ſuffuſione vti.*

Si vetuſtas occupauit.

LOCVS *admodum eſt obſcurus: id tamen innuere videtur Celſus, quòd ſi fortè debito tempore oſſa iuſto callo non obfirmentur, propter muccoſam quandam pinguedinem iiſdem adhærentem, tum demum ita extendenda eſſe vt lædantur, manúque diuidenda: ſic vt ſi quid ex oſſe corruptum ſit (diximus namque muccum illum oſſis corruptionem præſagire) extirpetur. Quanquam & ipſa conſtabit ſententia, ſi de ea fractura intelligatur locus, quæ nondum rectam repoſitionem admiſerit; verùm per patientis negligentiam ſimile quid poro confractis oſſibus accreuerit.*

Ob quam cauſam.

ID *tamen faciendum eſt, antequam prorſus indurnerit callus: nam alioqui difficilior erit curatio, neque tam facilè ſoluetur, laborantéſque in extremos labores atque pericula adducet.*

Nonnunquam autem.

NON *ſolùm intumeſcit locus, ſed & dolorem nonnunquam inuehit, atque functiones impedit, ſi iuxta articulum coaluerit.*

malagma quod digerat.

ID *enim Galeno auctore iam factos callos imminuit: Ægineta ſi recens adhuc callus eſt, reſtringentibus medicamentis vtitur; in quem vſum laminam plumbi exhibet.*

CAPVT XI.

De luxatis oſſibus.

Ac de fractis quidem oſſibus hactenus dictum ſit. Mouentur autem ea ſedibus ſuis duobus modis. Nam modò quæ iuncta ſunt inter ſe dehiſcunt, vt cùm latum ſcapularum os ab humero recedit, & in brachio radius à cubito, & in crure tibia à ſura, interdum à ſaltu, calcis os à talo, quod raró tamen fit. Modò articuli ſuis ſedibus excidunt. Antè de prioribus dicam. Quorum vbi aliquid incidit, protinus is locus cauus eſt, depreſſuſque digitus ſinum inuenit. Deinde

grauis inflammatio oritur, atque in talis præcipua. Siquidem febres quoque & cancros & neruorum vel distentiones vel rigores, qui caput scapulis annectunt, mouere consueuit. Quorum vitandorum caussa facienda eadem sunt, quæ in * ossibus mollibus læsis: vbi aliquid incidit, protinus his locis proposita sunt, vt dolor tumorque per ea tollantur. Nam diducta * ossa nunquam rursus inter se iunguntur, & vt aliquid decoris eo loco sit, nihil vsus admittitur. Maxilla verò & * vertebra omnesque articuli cùm validis neruis comprehendantur, excidunt: aut vi expulsi, aut aliquo casu neruis vel ruptis vel infirmatis: faciliusque in pueris & adolescentulis, quàm in robustioribus: hique elabuntur in priorem & in exteriorem partem, quidam omnibus modis, quidam certis. Suntque quædam communia omnium signa, quædam propria sunt cuiusque. Siquidem semper ea parte tumor est, in qua os prorumpit: ea sinus, à qua recessit. Et hæc quidem in omnibus deprehenduntur, alia * verò si in singulis. Quæ simulatque de quoque dicam, proponenda erunt. Sed vt excidere omnes * articuli non possunt, sic non omnes reponuntur. Caput enim nonnunquam compellitur, neque in spina vertebra, neque ea maxilla quæ vtraque parte prolapsa antequam reponeretur, inflammationem mouit. Rursum qui neruorum vitio prolapsi sunt, compulsi quoque in suas sedes iterum excidunt. At quibus in pueritia exciderunt, neque reposita sunt, minùs quàm cæteri crescunt. Omniumque, quæ loco suo non sunt, caro ea increscit, magisque in proximo membro, quàm in vlteriore. Vt puta si humerus loco suo non est, maior in eo ipso fit, quàm in brachio: maior in hoc, quàm in manus acie. Tum pro sedibus & pro casibus qui inciderunt, aut maior aut minor vsus eius membri relinquitur: quoque in eo plus vsus superest, eo minus id extenuatur. Quicquid autem loco suo motum est, ante inflammationem reponendum est. Si illa occupauit, * tum conquiescat, lacessendum non est: vbi finita est, tentandum est in his membris, quæ id patiuntur. Multum autem eò confert & corporis & neruorum habitus. Nam si corpus tenue, si humi-

* ossium molibus
* hæc ossa
* vertebræ
* verò in
* articuli poss.
* dum c. tunc lac. est.

dum est, si nerui infirmi, expeditius os reponitur. Sed & primò faciliùs excidit, & postea minùs fideliter continetur. Quæ contraria his sunt, meliùs continent. Sed id quod expulsum est, difficulter admittunt. Oportet autem ipsam inflammationem leuare, supèr succida lana ex aceto imposita. A cibo, si valentioris articuli casus est, triduo: interdum etiam quinque diebus abstinere debet. Bibere aquam calidam dum sitim finiat. Curiosiusque hæc facere his ossibus motis, quæ validis plenisque musculis continentur: si verò etiam febris accessit, multo magis: *deinde ex die quinto fouere aqua calida, remotaque lana ceratum imponere ex cyprino factum, nitro quoque adiecto donec omnis inflammatio finiatur. Tunc infrictionem ei membro adhibere, cibis vti bonis, vti vino modicè, iamque ad vsus quoque suos id membrum promouere: quia motus vt in dolore pestifer, sic aliàs saluberrimus corpori est. Hæc communia sunt, nunc de singulis dicam.

*deinde dieq. fo. ex aq.

ENARRATIO.

LVXATA in suam sedem tribus generalibus modis collocantur, vt auctor est Oribasius: vnus vocatur palæstricus, ad quem ferè solas manus adhibemus: atque hic vtpote imbecillis aptatur ad mollia corpora, qualia sunt puerilia, & muliebria. Alter methodicus dicitur, ad quem instrumenta adhibemus, quorum vsus in communi vita est: & hic omnibus idoneus est, pueris, mulieribus, masculis iam robustioribus & corpori iuuenili, atque iis luxatis, quæ iam vetusta sunt. Tertius reponendi modus qui per organa est, maius habet momentum; valet enim ad prolapsa vbi malum diutiùs trahitur; valet ad corpora athletarum: præterea quæcunque prolapsa curationem non accipiunt, & sub methodico modo curari nequeunt, omnia organorũ opera restituuntur. Est autem luxatio, sicut docet Paulus, quum articulus à proprio sinu ad insolitum excidit, in qua motus arbitrarius impeditur. Hippocrates in luxatis multa perpendenda monet: Siquidem nosse oportet, inquit, quòd naturæ à naturis multùm differant; ad hoc vt elabentia facilè rursus incidant: differt enim acetabulum ab acetabulo, quum aliud facilè transcendi possit, aliud minùs. Plurimùm item differt neruorum ligamentum, quum in quibusdam remissum sit, in quibusdam intentum: nam humiditas hominibus fit ex articulis propter neruorum connexionem, si laxa fuerit & intensiones facilè ferat: multos enim videas qui adeò humidi sunt, vt quando velint, articuli ipsis citra dolorem excidant, & absque dolore restituantur. Differt etiam habitus quidam corporis: nam his quibus bene se habet membrum, & minùs excidit, & difficiliùs incidit.

Mouetur autem ea.

SIC post Hippocratem Paulus Ægineta, alias luxationis differentias esse negauit, quàm quæ ex maioris minorisque ratione sumuntur. Nam quum in totum articulus exciderit, ἐξάρθρημα: quum autem aliqua-

aliquatenus emotus est, aut vsque ad tuberculum è sinu elapsus, παράρθρημα aut παράρθρησις appellatur. Recentiores, si quas alias luxationum differentias commenti sunt, impropriè luxationes appellarunt, quum potiùs affectus luxationibus coniuncti dicendi sint.

Caput enim nonnumquam.

ID *quantumuis fieri posit, rarum tamen est: nam si in partem posteriorem prolabatur, aut exciderit caput, numquam in suos sinus compellitur, sed ineuitabilem mortem affert: idem de spina vertebrísque in totum luxatis, & maxilla quæ inflammationi iam obnoxia est, censendum est.*

Quicquid autem loco suo.

LOCVM *hunc ita restituit Ioannes Tagaultius Institutionum chirurgicarum libro V.* Quicquid autē suo loco motum est, ante inflammationem reponendum est; sin illa iam occupauit, dum cōquiescat, haudquaquam lacessendum est; vbi finita est, tentandum in his membris quæ id patiuntur. *Leonarthus Fuchsius libro octauo Methodi curatiuæ sic legere maluit:* Si verò illa occupauit, tum conquiescat; haudquaquam enim lacessendum est, &c.

Multum autem eo.

CELSVS *impropriè neruos pro tendonibus aut ligamentis vsurpat; sicuti passim hoc libro cancri nomine, pro sphacelo aut gaugræna abutitur.*

Oportet autem.

INFLAMMATIONEM *magis compesceris, dolorémque lenieris, si hydrelæum cum aceti momento lanæ succidæ imponas.*

deinde ex die quinto.

FOTVS *enim aquæ calidæ gemina ratione prodest: nam dolorem, si quis adsit, demulcet, & quod in particula laborante noxium conceptum est, elicit.*

CAPVT XII.

De maxillæ luxatæ curatione.

MAXILLA in priorem partem propellitur, sed modò altera parte, modò vtraque. Si altera in contrariam partem ipsa, mentumque inclinatur, dentes paribus non respondent, sed sub his qui secant canini sunt. At si vtraque, totum mentum in exteriorem partem promouetur, inferioresque dentes longiùs quàm superiores excedunt, intentique supèr musculi apparent. Primo quoque tempore homo in sedili collocandus est, sic vt minister à posteriore parte caput eius contineat: vel sic, vt iuxta parietem is sedeat, subiecto inter parietem & caput eius scorteo puluino duro: *eoque caput per ministrum vrgeatur, quo sit immobilius. Tum medici digiti pollices linteolis vel fascijs, ne dilabantur, inuoluti in os eius conijciendi: cæteri extrinsecus admouendi sunt. Vbi

* eiusque

 vehe-

vehementer maxilla apprehensa est, si vna parte procidit, concutiendum mentum, & ad guttur adducendum est. Tunc simul & caput apprehendendum, & excitato mento maxilla in suam sedem compellenda, & os eius comprimendum est, sic vt omnia penè vno momento fiant.* Si in vtrâque parte prolapsa est, eadem omnia facienda, sed æqualiter retro maxilla agenda est. Reposito osse, si cum dolore oculorum & ceruicis iste casus incidit, ex brachio sanguis mittendus est. Cùm omnibus verò, quorum ossa mota sunt, primò liquidior cibus conueniat, tum his præcipuè, adeò vt sermo quoque frequenti motu oris* per neruos lædat.

* Sin ab vtr.

* neruos perlædat.

ENARRATIO.

Primo quoque tempore.

PERICVLVM *enim esset in mora: Siquidem, vt auctor est Hippocrates, si non reponatur, animæ periculum imminet, præ febribus continuis, & torpido sopore. Soporiferi enim hi musculi sunt, & dum alterantur, & dum intenduntur præter naturã.*

quo sit immobilius.

CÆSARIVS *in suis Annotationibus* mobilius *legi posse existimat: ego certè, si* immobilius *legatur, sententiam rectiùs constare existimo: nam quantumuis Hippocrates maxillam in vtramuis partem esse velit mobilem, & quæ huc & illuc manu deduci possit; idem tamen præcipit, vt caput scorteo puluillo subiiciatur, vt quàm minimè cedat.*

vno momento fiant.

PRIVSQVAM *videlicet musculi distenti ob consortium cerebrum coafficiant: habent enim hi musculi neruos ab ipso cerebro, ac prope ipsum contingunt; quo fit vt celerrimè coafficiatur: quare & nisi reuerti queat maxilla, mortis periculum imminere docet Hippocrates.*

Si in vtraque parte.

SATIS *est concutere, mentúmque adducere deorsum, vt docet Galenus, vt processus extremitas rostro similis, iugali ossi inferiùs collocetur; sicq; in interiorem partem vtrinque totam maxillam compellere, simúlque præcipere homini vt os claudat.*

ex brachio sanguis.

VT *fluxionem à laborante particula auertamus.*

CAPVT XIII.

De capite luxato.

CAPVT duobus processibus in duos sinus summæ vertebræ demissis, super ceruicem contineri in prima parte proposui. Hi processus interdum in posteriorem partem excidunt, quo fit, vt neruus sub occipitio extendatur, mentum pectori adglutinetur, neque bibere is, neque loqui possit, interdum sine voluntate semen emittat. Quibus celerrimè

mors

mors superuenit. Ponendum autem hoc esse credidi, non quò curatio eius rei vlla sit, sed vt res indicijs cognosceretur; & non putarent, sibi medicum defuisse, si qui sic aliquem perdidissent.

CAPVT XIIII.

De spina luxata.

IDEM casus manet eos, quorum in spina vertebræ exciderunt. Id enim non potest fieri, nisi * ex medulla, quæ per medium, & duabus membranulis, quæ per duos à lateribus processus feruntur, & neruis, qui continent, ruptis. Excidunt autem & in posteriorem partem, & in priorem, & supra septum transuersum, & infra. *Si in vtranque partem exciderint, à posteriore parte vel tumor, vel sinus oritur. Si super septum id incidit, manus resoluuntur, vomitus aut distentio neruorum insequitur, spiritus difficulter mouetur, dolor vrget, & aures obtusæ sunt. Si sub septo, femina resoluuntur, vrina supprimitur, interdum etiam sine voluntate prorumpit. Ex eiusmodi casibus, vt tardiùs quàm ex capitis, sic tamen intra triduum homo moritur. Nam quod Hippocrates dixit, vertebra in exteriorem partem prolapsa, pronum hominem collocandum esse, & extendendum, tum calce aliquem super ipsum dèbere consistere, * id intus impellere: in his accipiendum est, quæ paulum excesserunt, non in his, quæ toto loco motæ sunt. Nonnunquam enim neruorum imbecillitas efficit, vt quamuis non exciderit vertebra, paulum tamen in priorem partem promineat. Id non iugulat, sed ab interiore parte non contingit quidem * posse: ab exteriore si * propulsum est, plerunque iterum redit: nisi, quod admodum rarum est, vis neruis restituta est.

* &

* sed in vtramuis part.

* idque

* redire posse:

* quid prop.

ENARRATIO.

Idem casus manet.

VERTEBRÆ spinæ, vt ait Paulus, si ex toto prolabantur procidantq́ue, præcipitem mortem afferunt; medulla siquidem ipsius spinæ, vel quamlibet compressionem non sustinet, quum & solus ex ipsa neruorum processus si contundatur, hominem in periculum perducere possit.

Exci-

Excidunt autem.

GALENVS tria vitia in spina, quum vertebræ loco mouentur, incidere dicit: nam quando in posteriorem partem conuertitur, κύφωσιν, quum in priorem, λόρδωσιν, & quoties in latus inclinat, σκολίωσιν appellat; & extra hæc quartum vitium in spina incidere dicit, quod σεῖσις vocatur; vbi videlicet vertebræ loco manent, sed earum compago loco mouetur.

Si in vtranque.

Vtramuis *legendum videtur.*

Ex eiusmodi casibus.

NERVI omnes qui à spinæ medulla oriuntur, in interiorem partem procedunt. Premuntur ergo magis vbi spina in hanc partem conuertitur, vt docet Galenus, quàm vbi in exteriorem, cumq́; iis vrgentur partes, quæcunque spinæ superinsident: quo fit vt interdum quoque superior vesicæ pars comprimatur, & quæ cum his consortium habent omnia inflammatione occupentur; vnde periculum mortis subitaneæ immineat.

CAPVT XV.

De humero luxato.

HVMERVS autem modò in alam excidit: modò in partem priorem. Si in alam delapsus est, * & victus cubitus recedit ab latere, *rursum iuxta eiusdem partis aurem cum humero porrigi non potest, longiusque altero id brachium est. Si in priorem partem, summum quidem brachium extenditur, minùs tamen quàm naturaliter, difficiliusque in priorem partem quàm in posteriorem cubitus porrigitur. Igitur si in alam humerus excidit, & vel puerile adhuc est corpus, vel molle, certè & imbecillibus neruis intentum est, satis est collocare id in sedili, & ex duobus ministris alteri imperare, vt caput lati scapularum ossis leniter reducat, alteri vt brachium extendat: ipsum posteriore parte residentem humerum sub ala eius cogere, simulque & latum os, & altera manu brachium eius ad latus impellere. At si vastius corpus neruive robustiores sunt, necessaria est * spathula lignea, & quæ crassitudinem duorum digitorum habet, & longitudine ab ala ad digitos peruenit. In qua summa capitulum est rotundum, & leniter cauum, vt recipere particulam aliquam ex capite humeri possit. In ea bina foramina tribus locis sunt inter se spatio distantibus, inque ea lora mollia conijciuntur. Eaque spatha fascia inuoluta, quo minus tactu lædat, ad alam à brachio dirigitur, sic vt caput eius summæ alæ subijciatur: Deinde, loris suis ad brachium deligatur, vno loco paulum infra

*ei vinctus al. eiectus

* rursumq́.

* scala

infra humeri caput, altero paulũ ſupra cubitũ, tertio ſupra manum. Cui rei protinus interualla tunc quoq. foraminũ aptata ſunt. Sic brachium deligatum ſuper ſcalæ gallinariæ gradum traiicitur, ita altè, vt conſiſtere homo ipſe non poſſit, ſimulq. in alteram partem corpus demittitur, in alterã brachium intenditur. Eoque fit vt capite ligni caput humeri impulſum, in ſuam ſedem, modò cum ſono, modò ſine hoc compellatur. Multas alias eſſe rationes ſcire facile eſt, vno Hippocrate lecto, ſed non alia magis vſu comprobata eſt. At ſi in priorem partem humerus excidit, ſupinus homo collocandus eſt, faſciaque aut habena media ala circumdanda eſt, capitaque eius poſt caput hominis miniſtro tradenda, brachium alteri: præcipiendumque, vt ille habenam, hic brachium extendat. Deinde, medicus caput quidem* hominis ſiniſtra debet repellere, dextra verò cubitum cum humero attollere, & os in ſuam ſedem compellere; faciliusque id in hoc caſu, quàm in priore reuertitur. Repoſito humero, lana alæ ſubijcienda eſt. Si in interiore parte os fuit, vt ei opponatur. Si in priore parte, vt tamen commodiùs deligetur. Tum faſcia primùm ſub ala obuoluta, caput eius debet comprehendere, deinde *profectus ad alteram alam, ab eaque ad ſcapulas, rurſusque ad eiuſdem humeri caput tendere. Sæpiusque ad eandem rationem circumagi, donec bene id teneat. Vinctus hac ratione humerus commodiùs continetur*. Si adductus ad latus ſit, ad id quoque faſcia deligatur.

* humeri

* profecta

*, qui add. quoque ad latus, ad id faſc. del.

ENARRATIO.

HIPPOCRATES *vno tantùm modo humeri articulum luxari auctor eſt; atque adeò decipi medicos qui in anteriorem quoque partem luxari contendunt. eius autem verba initio de luxatis ſic habent: Humeri verò articulum vno modo luxari noui ad locum ſub alis; ſurſum autem nunquam, neque ad exteriorem partem. Non tamen affirmauerim an luxetur an non, etiamſi habeam quod de ipſo dicam. Sed neque in anteriorem partem vmquam vidi, neque videtur mihi vmquam excidiſſe: medicis tamen videtur valdè in anteriorem partem luxari; & maximè decipiuntur in his, quorum carnes tabes circa articulum, & brachium occupauit: appâret enim in talibus caput brachij omnino in anteriorem partem eminens. Galenus (vti etiam Celſus) in alias etiam partes excidere teſtatur; idq; quinquies ſe vidiſſe affirmat, quater Romæ, ſemel in Aſia. Ægineta autem inquit, Brachij caput, ſcapularum ſinui inſertum excidit quidem frequenter; verùm neque in ſuperiorem partem (vt quod ſcapu-*

larum processus anchoræ similis impediat) neque in posteriorem, propter ipsas scapulas; neque in anteriorem, ob musculi bicipitis tendinem ipsúmque humeri tuberculum: sed rarò quidem in interiorem, exteriorémque prolabitur: continuè verò, præsertim macilentioribus, ad ima, atque his sanè facilè & excidit, & rursus inseritur: multa autem carne præditis contrà, rarò quidem elabitur, sed ægrè in suam sedem compellitur.

At si vastius corpus.

REPOSITIONIS *modum hunc inter reliquos commendat Hippocrates; iustißimè enim commotionem facit, si solum penitus intùs ad brachij caput lignum fuerit: iustissima item sunt in vtramque partem adæquationem facientes delibrationes, & adhac ossi brachij secura. Recentes itaque luxationes citiùs incidunt quàm quis putare possit, & priusquam extentæ esse videantur. Sed & veteres sola hac repositio reponere potest, si non iam ob vetustatem quidem caro in acetabulum deuenit: caput autem brachij in loco ad quem declinauit, semitam sibi ipsi iam fecit. Hactenus Hippocrates.*

Reposito humero, lana.

SI *quidem inflammationem non sentiat pars affecta, mediocris pila ex lanâ (id enim per lanam intelligit Celsus) sicca; sin iam inflammata sit, eadem oleo madens subiicitur.*

CAPVT XVI.

De cubiti luxati curatione.

IN cubito autem tria coire ossa, humeri, & radij, & cubiti ipsius, ex his quæ prima parte huius voluminis posita sunt, intelligi potuit. Si cubitus, qui innexus humero est, ab hoc excidit, radius qui adiunctus est, interdum * trahitur, interdum subsistit. In omnes verò quatuor partes excidere cubitus potest: sed si in * priorem prolapsus est, extentum brachium est, neque recuruatur. Si in * posteriorem, brachium curuum est, neque extenditur, breuiúsque altero est. Interdum febrem vomitumque bilis mouet. Si in exteriorem interiorémve brachium porrectum est, sed paulum in eam partem à qua os recessit recuruatum, quicquid incidit, reponendi ratio vna est. Neque in cubito tantùm est, sed in omnibus quoque membris longis, quæ per articulum longa testa iunguntur. Vtrunque membrum in diuersas partes extendere, donec spatium inter ossa liberum sit. Tum id os quod excidit ab ea parte, in quam prolapsum est, in contrariam impellere. Extendendi tamen alia atque alia genera sunt, prout nerui valent, aut ossa huc illúcve * sederunt. Ac modò manibus solis vtendum est, modò quædam alia adhibenda. Ergo si in priorem partem cubitus prolapsus est, extendi per duas manus

* distrahitur.

* posteriorem

* priorem

* se dederunt. *al.* ceciderunt.

manus, interdum etiam habenis iniectis satis est. Deinde rotundum aliquid à lacerti parte ponendum est, & super id repentè cubitus ad humerum impellendus est. At in alijs casibus commodissimum est eadem ratione brachium extendere, quæ fracto * cubito suprà posita est, & tum ossa reponere. * humero Reliqua curatio eadem est, quæ in omnibus. Celerius * tantùm & sæpius id resoluendum est, multoque magis aqua calida fouendum, * diutius ex oleo & nitro ac sale perfricandum. * tamen * & diut. In cubito enim celerius, quàm in vllo alio articulo, siue extrà remansit, siue intus reuertit, callus circundatur, isque si per quietem increuit, flexus illius postea prohibet.

ENARRATIO.

QVANTO *gibberi cubiti articulus magis varius est humero, vt ait Æginеta, tanto plus negocij exhibet; & tardiùs quidem excidit, sed difficiliùs reponitur, propter tuberculorum sinuúmque frequentiam. Dilabitur autem in omnem partem; præcipuè tamen in priorem, & posteriorem.*

Interdum febrem.

HIPPOCRATES *libro* De articulis: *Recrudescit maximè cubiti gibbus, febrilus, doloribus, nausea, & vomitu meraca bilis: præsertim si retrorsum luxatus fuerit, ob torporem; deinde in anteriorem partem.*

Si in exteriorem.

ID *nullam prorsus curationem recipere testatur* Paulus *Æginеta: Hæc enim, inquit, luxatio omnium quæ in cubiti gibbero fiunt, maximè dolorifica est, & periculosa.*

Extendendi tamen alia.

EA *ex* Hippocratis De *fracturis libro, &* Oribasio De *machinamentis petenda sunt. Cæterùm in cubiti repositione considerandum est, an videlicet protinus in ipso principio accersitus sit, & num antè aut febris, aut inflammatio apprehenderit: nam si horum alterutrum apprehenderit, tantisper quiescendum est, dum inflammatio aut febris remiserit: adhibita enim vi, vt docet* Hippocrates, *hominem perimeret; & quum nullus articulus dum febris vrget, in suam sedem compellendus sit, minimè omnium cubitus.*

CAPVT XVII.

De manu luxata.

MANVS quoque in omnes quatuor partes prolabitur. Si in posteriorem partem excidit, porrigi digiti non possunt: si in priorem, non inclinantur: si in alterutrum latus, manus in contrarium, id est, aut ad pollicem, aut ad minimum digitum conuertitur. Reponi non difficilimè potest. Super durum locum & renitentem ex altera parte intendi

manus, ex altera brachium debet, sic vt prona sit: si in posteriorem partem os excidit, supina: si in priorem, si in interiorem exterioréṁve, in latus. Vbi satis nerui diducti sunt, si in alterutrum latus procidit manus, * brachium in contrarium repellendum est. At his, quæ in priorem posterioréṁve partem prolapsa sunt, superimponendum durum aliquid, idque supra prominens os manu vrgendum est, per quod vis adiecta faciliùs in suam sedem compellit.

* vt & brach. in c. repellenda est.

ENARRATIO.

MANVS in quatuor prolabitur aut mouetur partes; interiorem videlicet, exteriorem, posteriorem & anteriorem. Hippocrates totam quidem manum aut intrò, aut extrà, aut hac aut illac, maximè verò intrò luxari auctor est. Manus autem articulum aut intrò, idq; maximè, aut extrà tantùm prolabi contendit; sicuti sequenti quoque capite Celsus de palma scribit.

CAPVT XVIII.

De Palma.

IN palma quoque ossa interdum suis sedibus promouentur, modò in priorem partem, modò in posteriorem. In latus enim moueri paribus ossibus oppositis non possunt. Signum id solum est, quod omnium commune est, tumor ab ea, in quam os venit: sinus ab ea, à qua recessit. Sed sine intentione *digitorum, tantummodo bene pressum os in suam sedem reuertitur.

*, digito

CAPVT XIX.

De digitis.

AT in digitis totidem ferè casus, eademque signa sunt, quæ in manibus. Sed in his extendendis non æquè vi opus est, cùm & articuli breuiores, & nerui minus validi sint. Super mensam tantummodo intendi debent, qui vel in priorem, vel in posteriorem partem exciderunt, tum iam palma compelli, atque id quod in latus elapsum est, digitis restitui.

CAPVT

CAPVT XX.

De Femore.

CVM de his dixerim, de his quoque quæ in cruribus sunt, videri possum dixisse. Siquidem etiam in hoc casu quædam similitudo est femori & humero,& tibiæ & cubito,pedi & manui. Quædam tamen separatim quoque de his dicenda sunt. Femur in omnes quatuor partes promouetur, sæpissimè in interiorem, deinde in exteriorem, raró admodùm in priorem aut posteriorem. Si in interiorem partem prolapsum est, crus longius altero & * vastius est: extrà enim pes vltimus spectat. Si in exteriorem, breuius * rarumque fit, & intus inclinatur, calx ingressu terram non contingit, sed planta ima, meliusque id crus superius corpus,quàm in priore casu fert, minusque baculo eget. Si in priorem crus *extensum est, implicarique non potest, alteri cruri ad calcem par est: sed ima planta minùs in priorem partem inclinatur, dolorque in hoc casu præcipuus est, & maximè vrina supprimitur. Vbi cum dolore inflammatio quieuit, commodè ingrediuntur, totusque eorum *pes est. Sed & si in posteriorem extendi non potest crus, breuiusque est, vbi * constitit, calx quoque terram non contingit. Magnum autem femori periculum est, ne vel difficulter reponatur, vel repositum rursus excidat. Quidam iterũ semper excidere contendunt; sed Hippocrates & Diocles, & Philotimus,& Nileus,& Heraclides Tarentinus, clari admodùm auctores, ex toto se restituisse memoriæ prodiderunt. Neque tot genera machinamentorum quoque ad extendendum in hoc casu femur, Hippocrates,* Andreas Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heraclides, Faber quoque quidam reperissent, si id frustrà esset. Sed vt hæc falsa opinio est, sic illud verum est. Cùm ibi valentissimi nerui, musculique sint, si suum robur habent, vix admittere; si non habent, postea non continere. Tentandum igitur est, & si tenerius membrum est, satis est habenam alteram ab inguine, alteram à genu intendi. Si validius, melius adducent, qui

* valgium
* varumq.
* plicari nõ potest, extensumque alteri
*pes etiam sedet. Sed si
* consistit, *al.* insistit,
* Andreas, Nil.

easdem habenas ad valida bacula deligarint: tumque eorum fustium imas partes oppositæ moræ obiecerint, superioresque ad se vtraque manu traxerint. Etiamnum valentius intenditur membrum super scamnum, cui ab vtraque parte axes sunt, ad quos habenæ illæ deligantur, qui vt in torcularibus conuersi, rumpere quoque, si quis perseuerauerit, non solùm extendere neruos * & musculos possunt. Collocandus autem homo super id scamnum est, aut pronus, aut supinus, aut in latus: sic vt semper ea pars superior sit, in quam os prolapsum est: ea etiam inferior, à qua recessit. Neruis extentis * in priorem os venit, rotundum aliquid super inguen ponendum, subitoque super id genu adducendum est eodem modo, eademque de caussa, qua idem in brachio fit, protinusque si * complicari femur potest, intus est. In cæteris verò casibus, vbi ossa per vim paulum inter se recesserunt, medicus debet id quod eminet, retrò cogere, minister contrà inde coxam propellere. * Posito osse, nihil aliud noui curatio requirit, quàm vt diutius is in lecto detineatur, ne si motum adhuc neruis laxioribus femur fuerit, rursus erumpat.

*, sed &

*, si in

* plicari

* Reposito

ENARRATIO.

Si in interiorem.

NON solùm longius appâret crus, si sano cōferatur, & genu ipsum prominentius; sed & ad inguina crus inflectere nequit, & iuxta penem tumor manifestus occurrit, tanquam femoris capite illic desidente. Duas autem potissimùm ob causas crus ipsum altero longius est, vt docet Hippocrates: nam os, inquit, quod à coxa procedit, & sursum ad pectinem fertur, fundamentum sit capitis femoris, & articuli ceruix in acetabulo vehitur.

Si in exteriorem.

QVIBVS in exteriora femur exciderit, contraria omnia appârent: siquidem iuxta penem regio dehiscit, clunes inturgescunt, & genu interiùs demergitur, & crus inflectere non possunt ob musculos posteriores qui flexui repugnant; quoniam ita figurati plurimùm extendi non sustinent. Conspicitur & affectum crus sano breuius; idque non immeritò, vt docet Hippocrates, quum femoris caput non feratur super os, sicuti quando in interiorem partem procidebat; sed iuxta os quod non prominet, sed natura residet, in carnem natura humidam cedentémque infigatur.

dolorque in hoc casu.

EST quidem in principio dolor, femoris capite comprimente carnem in quam incumbit; vnde interdum antequam occallescat, inflammationes oriri soleant, quas vrinæ suppreßio aut difficultas comitari consueuit; potißimùm quoties ceruix vesicæ comprimitur.

Magnum

Magnum autem femori.

REPOSITUM crus tum aliàs, tum quotiescunque muccosus humor in iunctura coxæ coacernatus fuerit, excidere solet: nam, ut Hippocrates sectione VI. Aphorismorum Aphorismis XLIX. & quinquagesimo, Quibuscumque à coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit; iis muccores superueniunt. &, Quibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, iis crus tabescit, & claudicant nisi urantur. Quos Aphorismos sic coniunctim legit & interpretatur Tagaultius: Quibuscunque à diuturno coxendicum dolore conflictatis, propter muccoris seu muccosi humoris ac pituitosi copiam in articulo seu iunctura coxæ coacernatam, τὸ ἰσχίον, id est, coxa ipsa (hoc est femoris caput quod in coxæ siue ossis ischij cauo inseritur) suo naturali acetabulo propulsa excidit, & rursum incidit (id est, in natiuam suam sedem spontè resiliit, aut aliter repulsa est; inibi tamen dum persistere non potest, sed soluta compage lubrica continenter relabitur) iis processu temporis crus (quod Græcis σκέλος dicitur, hoc est totum membrum, tam tibia scilicet quàm femur) necessariò alimoniæ penuriâ contabescit, & ariditate conficitur, omnésque in claudicationem euadunt, si non urantur; hoc est nisi priùs ferramentis igne candentibus urendo, & muccus ille qui ossis ischij sinum occupat, absumatur, & laxitas cutis ad quam femoris caput subinde lubricum procidebat, contrahatur.

Collocandus autem homo.

SI in posteriorem partem femur prolapsum sit, neque pronum neque supinum hominem collocamus, sed sedentem; magis autem in integram coxam inclinatum.

CAPUT XXI.

De Genu.

GENU quoque & in exteriorem, & in interiorem, & in posteriorem partem excidere notissimum est: in priorem non prolabi plerique scripserunt. Poteståque id vero proximum esse: cùm inde opposita patella, ipsa quoque caput tibiæ contineat. Meges tamen eum cui in priorem partem excidisset, à se curatum esse memoriæ prodidit. In his casibus intendi nerui rationibus ijsdem quas in femore retuli, possunt. Et id quidem quod in posteriorem partem excidit, eodem modo rotundo aliquo super poplitem imposito, adductoque eo crure reconditur. Cætera verò manibus simul *, tum ossa in diuersas partes compelluntur. * iunctis, ossa inde versus par.

ENARRATIO.

GENU in tres partes facillimè erumpit atque excidit; facillimè etiam reponitur: in priorem partem non prolabitur, propter patellam ei oppositam; quanquam id asserat Meges.

In his casibus.

ITA ut si in exteriorem partem & interiorem veniat, homo resupinandus sit; sin in posteriorem, pronus collocandus.

CAPUT

CAPVT XXII.
De Talo.

TALVS in omnes partes prolabitur. Vbi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem conuertitur. Vbi huic contrarius * talus, contrarium etiam signum extat. Si in priorem partem erumpit, à posteriore latus neruus durus & * insanus est, minusque is opus est: si in posteriorem, * calx penè conditur, plaga maior fit. Reponitur autem is quoque per manus, prius in diuersa pede & crure diductis. Et in hoc quoque casu diutius in lectulo perseuerandum est, ne is talus, qui totum corpus sustinet, parùm confirmatis neruis ferendo oneri cedat, rursusque prorumpat. Calceamentis quoque humilioribus primo tempore vtendum, ne * iunctura talum ipsum lædat.

* casus,
* ignauus
* lanx
* vinctura

ENARRATIO.

ORIBASIVS, Modò, inquit, in interiorem, modò in exteriorem partem prolabitur talus; nonnumquam etiam in posteriorem.

CAPVT XXIII.
De Planta.

PLANTÆ ossa ijsdem modis quibus in manu, prodeunt, ijsdemque conduntur. Fascia tantummodò calcem quoque debet comprehendere: ne cùm mediam plantam imumque eius vinciri necesse est, liber talus * in medio relictus, materiam pleniorem recipiat, ideoque suppuret.

* à

CAPVT XXIIII.
De Digitis.

IN digitis nihil vltrà fieri debet, quàm quod in his qui sunt in manu, positum est. Potest tamen conditus articulus medius aut summus canaliculo aliquo contineri. Hæc facienda sunt in his casibus, vbi sine vulnere ossa exciderunt. Hîc quoque & ingens periculum est: & eo grauius, quo maius membrum est, quóve validioribus neruis aut musculis contine-

continetur. Ideoque humeris, femoribusque metus mortis est*, ac si reposita ossa sunt, spes nulla est. Non repositis tamen, nonnullum periculum est. Eoque maior in vtroque timor est, quo propius vulnus articulo est. Hippocrates nihil tutò reponi posse, præter digitos & plantas & manus dixit, atque in his quoque diligenter esse agendum, ne præcipitarent. Quidam brachia quoque & crura reposuerunt. Et ne cancri, distentionesque neruorum orirentur, sub quibus in eiusmodi casu fieret mors matura, sanguinem ex brachio miserunt. Verùm ne digitus quidem, in quo minimum vt malum, sic etiam periculum est, reponi debet* ante inflammationem, aut posteà cùm iam vetus* res est. Si reposito quoque osse nerui distenduntur, rursus id protinus expellendum est. Omne autem membrum, quod cum vulnere loco motum, neque repositum est, sic iacere conuenit, vt maximè cubantem iuuat, tantùm ne moueatur, néve dependeat. In omnique tali morbo magnum ex longa fame præsidium est. Deinde ex curatione eadem quæ proposita est, vbi ossibus fractis vulnus accessit. Si nudum os eminet, impedimento semper futurum est. Id quod excedit, abscindendum est. Imponendaque supèr arida linamenta sunt & medicamenta non pinguia, donec quæ sola esse in eiusmodi re sanitas potest veniat. Nam & debilitas sequitur, & tenuis cicatrix inducitur, quæ necesse est facilè noxæ posteà pateat.

* : at

* nisi ante

* luxatio est.

ENARRATIO.

Hæc facienda sunt.

PLVRIMA *quæ huc referri possunt, iam antè dicta sunt: nam quòd luxatio cum vlcere periculosa sit, atque magna ex parte lethalis (præsertim si neruis aut musculis principalioribus vicina sit) enarratum est. Quare si quis antedicta huc accommodet, caput hoc planißimum comperiet.*

Octaui & vltimi libri

FINIS.

LECTORI S.

BENIVOLE Lector: Ecce tibi duas has Celſi epiſtolas, vnam ad Iulium Calliſtum; alteram ad Pullium Natalem. Quas huic noſtræ Celſi editioni adiungere bonum factum viſum nobis fuit: partim, quòd idem argumentum quod hi Celſi libri, tractant, nempe de re medicâ: partim etiam quia eiuſdem auctoris videbantur; ne quid forte Celſi de re medicâ, à nobis deſiderare poſſis. Vale & fruere.

CORNE-

CORNELIVS CELSVS
CAIO IVLIO CALLISTO S.D.

INTER *maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse, medicamenta deorum immortalium manus esse: non sine ratione, ut mea fert opinio. prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id præstant medicamenta usus experientiâ comprobata. Animaduertimus itaque sæpe inter deliberationes contentionesque Medicorum auctoritate præcedentium, dum quæritur quidnam faciendum, aut qua ratione succurrendum sit ægro, quosdam humiles quidem, & alioquin ignotos, reuerà peritiores, vel (quod fateri pudet) longè semotos à disciplina medicinæ, & ne affines quidem eius professioni, medicamento efficaci dato, protinus velut præsenti numine, omni dolore periculoque liberasse ægros. Quamobrem spernendi sunt quidem, qui medicinam spoliare student usu medicamentorum, forsan non à medendo, sed à potentia, effectuque medicamentorum ita appellatam. Probandi autem sunt, qui omnino succurrere periclitantibus student. Ego certè aliquoties magnum scientiæ consequutus sum titulum, ex usu prosperè datorum medicamentorum, multosque ex eadem caussa non mediocrem gloriam tulisse memini. Est enim hæc pars Medicinæ vel maximè necessaria, certè antiquissima, & ob hoc primùm celebrata atque illustrata: siquidem verum est, antiquos herbis ac radicibus, corporis vitia curasse: quia timidum genus mortalium inter initia non facilè ferro ignique se committebat. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes. Et nisi magna compulsi necessitate,*

ipsius salutis, non patiuntur sibi fieri, quæ sanis vix toleranda sunt. Cur ergo aliqui excludant medicinam de vsu medicamentorum, non inuenio, nisi vt detergant impudentiam suam. siue enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, meritò accusandi sunt, quòd tam negligentes in tam necessaria parte artis fuerint: siue experti quidem sunt eorum vtilitatem, denegant autem vsum, magis culpandi sunt, qui crimine inuidentiæ flagrant: quod malum quum omnibus animantibus inuisum debeat esse, tum præcipuè medicis, in quibus nisi plenus misericordiæ, & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis voluntatem, hominibus, Diisque omnibus inuisi debent esse. Iccircò ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinæ legitimè est obligatus. Sed persequetur eos, cùm res postulauerit, vt militans, & ciuis bonus omni modo, quia medicina non fortuna, neque personis æstimat homines, verùm æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua porrecturam & succursuram se pollicetur, nullique vnquam nocituram profitetur. Hippocrates conditor nostræ professionis initia disciplinæ à iureiurando tradidit, in quo sanctum est, vt ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonstretur à quoquam medico; videlicet longè præformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim nefas existimauerit, spe dubia homines lædere, quanto scelestius perfecto iam nocere iudicabunt? Magni ergo æstimauit nomen decusque medicinæ conseruare, pio sanctoque animo quemque secundum ipsius propositum se gerentem; scientia enim sanandi, non nocendi est medicina: quæ nisi omni parte sua plenè excubat in auxilia laborantium, non præstat quam hominibus pollicetur misericordiam. Desinant ergo qui prodesse afflictis, aut nolunt, aut non possunt, alios quoque deterrere, negando ægris

auxilia,

auxilia, quæ per vim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primùm cibis, ratione aptoque tempore datis tentat prodesse languentibus: Deinde si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim. Potentiora enim hæc & efficaciora quàm cibi. Pòst vbi ne ad hæc quidem cedunt difficultates aduersæ valetudinis, tunc coacta ad sectionem; vel vltimò ad vstionem venit. At Asclepiades maximus auctor medicinæ negauit ægris danda medicamenta. Quidam enim hoc mendacio pro argumento vtuntur. Poteram tamen, si verum id esset, dicere quid Asclepiades senserit. forsitan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo sanè fuit qui parùm feliciter se in hoc negocio gessit. Itaque non deterreor persona, cùm re manifesta prodesse videor. Nunc verò cùm tam impudenter quidam de eo mala comminiscantur, quid possum vltrà dicere, nisi quodammodo parricidium ac sacrilegium eos committere qui hæc dicunt? Ille enim febricitantibus, vitiisque præcipitibus correptis, quæ oxypathe Græci dicunt, negauit medicamenta danda, quia cibo vinoque interdum aptè dato remediari eos tutius existimauit. Cæterùm in libro qui Parasceuon, id est, Præparationum inscribitur, contendit vltimæ sortis esse medicum, qui non ad singula quæque vitia binas ternasque compositiones, & expertas, & protinus paratas habeat. Vides ergo quàm non placeat Asclepiadi vsus medicamentorum? cui nisi plura ad vnumquodque genus vitij medicamenta composita habeat, non videtur dignus professione medicinæ. Sed ista licentia nomine tantummodò medicorum propter quorundam negligentiam latiùs processit. Raròenim aliquis priusquã se suosq. tradat medico, diligenter de eo iudicat, cùm nemo ne imaginem suam pingendam cõmittat, nisi probato priùs artifici per quæ-

dam experimenta, atque electo, habeat'ne omnia pondera ac mensuras exactas, ne quid errorũ in rebus necessariis accidat: videlicet quia sunt quidam qui pluris alia quàm seipsos æstiment. Ob quod sublata est vnicuique studendi necessitas, & non solùm antiquos auctores per quos cõsummatur professio, quidam ignorant sed etiam comminisci falsa de iis audent. Vbi enim delectus nõ est personarum, sed eodem modo bonus malusque habetur, disciplinæ ac sectæ obseruatio perit, quodq́. sine labore potest contingere, & in quo dignitatis atque vtilitatis præstare videtur æqualitas, id vnusquisque magis sequitur. Atque vt quisque vult facit & medicinam. Quosdam enim à peruerso proposito nemo potest mouere: & sanè omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis eius. Multos itaque animaduertimus vnius infirmitatis scientia, medici plenum nomen consecutos. Nos verò ab initio rectam viam secuti, nihil prius in totius artis perceptione, quàm homini permittitur, iudicauimus. Quia ex hac omnia commoda consecuturos nos existimabamus, non medius fidius tam pecuniæ aut gloriæ cupiditate, quàm ipsius artis scientiæ. Magnum enim, & supra hominis naturam duximus, posse aliquem tueri, vel recuperare suam, & vniuscuiusque bonam valetudinem: itaque vt cæteris partibus disciplinæ, ita huic quoque, quæ per medicamenta virtutem suam exhibet, curiosè institimus, eo magis quòd percipiebamus indies ex vsu profectus eius, quos interdum supra fidem & opinionem plurimorum exhibebamus. Sed quid vltrà opus est probare necessarium esse vsum medicamentorum? præcipuè tibi, qui, quia percepisti vtilitatem eorum, idcircò à me compositiones quasdam petiisti. Ego autem memor humanitatis tuæ, candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plenissimè, mihi etiam peculiariter præstas, non solùm quæ desideras remedia, verùm etiam si

qua alia de expertis in præsenti habui, in hunc librum contuli, quem ad te misi. Cupio enim mediusfidius quà possum tuæ in me tam perseueranti beneuolentiæ respondere, adiutus omni tempore à te, præcipuè verò istis diebus: vt primùm enim potuisti, non es passus cessare tuæ erga me pietatis officium, tradendo mea scripta Latina de medicinalibus, nostro Cæsari. Quorum potestatem tibi feceram, vt ipse prior legeres, simpliciterque indicares mihi quid sentires de iis. Plurimum enim iudicio tuo tribuo. Tu porro candidissimo animo, & erga me beneuolentissimo, dignos nomine editionis, non verbis, sed re probasti, periculumque non minùs tui iudicij quàm ego stili propter me adisti, quo tempore diuinis manibus ea tradendo consecrasti. Fateor itaque me gratias tibi agere, quòd & priùs quàm rogareris consummasti amicissimo affectu vota mea, & quòd contigit mihi fauore tuo maturiorem percipere studij huius mei fructum ac voluptatem. Ignosces autem, si paucæ tibi visæ fuerint compositiones, & non ad omnia vitia scriptæ: sumus enim, vt scis, peregrè, nec sequitur nos nisi necessarius admodùm numerus libellorum. Postea autem si & tibi videbitur, ad singula quæque compositiones colligemus. Oportet enim copiam earum selectam habere, quoniam reuerâ quædam magis quibusdam, & non omnes omnibus conueniunt, propter differentiam scilicet corporum, & affectionum, quarum initium à capite faciemus (summum enim & quasi primum locum hoc obtinet,) dantes operam vt simplicia remedia prima quæque ponamus. Interdum enim hæc efficaciora sunt, quàm ex pluribus composita medicamenta. Erit autem nota denarij pro Græca drachma: æquè enim in libra denarij LXXXIIII. apud nos sunt, sicut drachmæ apud Græcos incurrunt.

CORNE-

CORNELIVS CELSVS PVLLIO NATALI, S.D.

LECTIS *duobus libris compositionum Græcis, Pulli Nàtalis, quos misisti mihi vt in Latinum sermonem conuerterem, libenter parui tuæ voluntati, dignos eos existimans quibus operam impenderem, quos plenos vtilitatis comperi; alioqui excusassem, ni me propositum haberet, nihil non dignum sublimi Romanorũ maiestate, de bono medicinæ artis splendidissimè scribere, idque perennitati, & literis mandare. Habebit ergo & præsens tempus, & futura posteritas, in hoc perpetuæ voluntatis meæ curæque gratissimum munus; siquidem bona valetudine nihil est pulchrius. Dedi operam quantum potui, vt ad verbum transferrem, quæ in Græcis medicinalibus repperi, nec necessariam curam cultus orationis putaui, quia rectius duxi proprietates nominum edere, & rem veram sub herbarum peregrinarum vocabulis explicare. Vnum genus fateor me translationis de industria declinasse, quo ferè Græci vtuntur, in medicamentorum scripturis, omnia ad secundam personam dirigentes. Ego verò in vsum medicamentorum quæ edidi, omnis boni gratia nullam malui quàm infinitam inserere personam. Admoneremque, nisi certum haberem te non ignorare, me huiusmodi bona vtilitatis magis quàm delectationis caussa scripsisse. Græci medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt: quæ quia ad denarium nostrum conueniunt, (octoginta enim & quatuor in libram incurrunt) pro nota Græcæ drachmæ quæ est figura talis, Z, notam denarij Latinam, quam nosti, posui; id est hanc, *: & ad eius pondus Græcas drachmas rediges. Et quando quæ volui præfatus sum, nunc quæ desideras explicabo.*

INDEX OMNIVM, QVÆ IN CELSO CONTINENTVR.

Primus numerus librum, secundus caput designat.

Caput

Empro-

Medico-

Q.

R.

S.

aduersus

T.

V.

FINIS.

ERRATA.

Pagina 14. Columna 1. Linea 20. *quidem* lege *quidam.*
Pag. 16. colum. 1. linea 27. *ſine* lege *ſi ne.*
Pag. 18. colum. 2. *lin.* 24. (*quantum enim ſpiritus cibo ſtatim recreantur, proportio ſtatim oſtendit corporis*) eſt parentheſis.
Pag. 23. colum. 1. lin. 34. *vileſcunt,* lege *bileſcunt.*
Pag. 31. colum. 1. lin. 12. *emaricat* lege *amaricat.*
Pag. 36. colum. 2. lin. 32. *vocant* lege *vorant.*
Pag. 37. col. 1. lin. 1. lege *enim ex iis ſunt qui medicamentis.*
Pag. 38. col. 1. lin. 33. *non tametſi* lege *nam.*
eadem col. 2. lin. 21. *fuſio* lege *fuſior.*
Pag. 40. col. 1. lin. 5. *Itaque* lege *ita.*
Pag. 61. col. 1. lin. 13. *huic* lege *hinc.*
Pag. 63. col. 1. lin. 43. *ſiquidem eos* lege *ſiquidem ſi eos.*
Pag. 72. col. 2. lin. 6. *ſed ita vitio* lege *ſed id vitio.*
Pag. 73. col. 1. lin. 31. *ſanguinus* lege *ſanguinis.*
Pag. 74. colum. 2. lin. 9. *pituitoſam* lege *pituitoſarum.*
Pag. 88. col. 2. lin. 15. *non ſolum illa* lege *non ſolum in illa.*
Pag. 92. col. 2. lin. 26. expunge *vt.*
Pag. 93. col. 2. lin. 8. *quam* lege *quum.*
Pag. 121. col. 2. lin. 11. *ſoluturam* lege *ſoluere*
Pag. 132. colum. 2. lin. 21. *abſceſſum* lege *abſceſſuum.*
Pag. 146. col. 1. lin. 28. *frigidorum in ſiccos* lege *in calidos & ſiccos.*
Pag. 180. col. 2. lin. 20. lege *eliciant, ac euacuent.*
Pag. 184. col. 2. lin. 7. ℈. ℨ. lege ℈ 1. *aut* ℈ 1. *ß. pro, &c.*
Pag. 197. col. 2. lin. 43. *principio vtitur,* deeſt *frictione.*
Pag. 200. colum. 2. lin. 12. *ſtratatoria,* lege *ſtratoria.*
Pag. 215. col. 2. lin. penultima. *quo* lege *quum*
Pag. 217. col. 2. lin. 15. *habeat,* lege *habet*
Pag. 243. col. 2. lin. 10. dele *fuerint.*
Pag. 254. col. 1. lin. 26. *adiuuemus* lege *adiuuerimus.*
Pag. 256. colum. 1. lin. 42. *ipſas oleo* lege *ipſas cum oleo.*
Pag. 313. col. 2. lin. 2. *cubitus* lege *decubitus.*
Pag. 315. col. 2. lin. 20. *vacuatus* lege *vacuatis.*
Pag. 320. col. 1. lin. 5. *ſit vt,* lege *ſit quæ leniter.*
Pag. 321. col. 2. lin. 3. *etiam magnis* lege *etiam à magnis.*
Pag. 361. col. 2. lin. 20. deeſt tota hæc periodus:

Protinus.

Vtrinſq. cubiti ſecanda vena eſt ſine dilatione; reuiuiſcit enim, vt docet Aëtius, inde aliquo modo inſitus calor, vt ſenſibiliter corpus ipſum alleuetur: habendus tamen modus eſt in euacuando: in multo enim inutili, & vitiato ſanguine, parum quiddam genuini ſanguinis ineſt. Mittendus eſt ſanguis ſi morbi ferat occaſio, verno potiſſimum tempore; ſiquidem lues hæc ſub hoc tempus & naſcitur & intenditur.

Pag. 370. colum. 1. lin. 33. *ſclicet* lege *ſcilicet.*
Pag. 386. col. 1. lin. 24. *tum* lege *tam.*
Pag. 408. col. 1. lin. 29. *minatur* lege *minantur.*

Pag.

Pag.419. col.2. lin.13. *exercere* lege *exerere.*
eadem eadem lin.31. *quem quidam* lege *quod quidam.*
Pag.442. colum.2. lin.23. *glossos*, lege *grossos.*
Pag.489. post §. *Signa vulnerati lienis* deest hæc enarratio:
Sanguis enim quo nutritur lien, crassior, faeculentiórque est, vnde & magis nigricans redditur.
Pag.511. col.2. lin.23. deest tota hæc periodus:

Miserrimum.

Vt quod plurimos iugulet, nullos etenim qui mortem euasissent, se vidisse meminis verùm nec iidem à cane rabioso morsi erant, sed ab homine.
Paulus ex Ægina *Medicus, præter duos:*
Pag.539. col.2. lin.2. *atque ad* lege *atque id ad.*
Pag.543. col.2. lin.vltima *psydrachiam*, lege *psydrachion.*
Pag.547. col.2. lin.8. *ordiri* lege *oriri.*
Pag.693. col.1. lin.22. *capite*, lege *capiti.*
Pag.724. col.2. lin.31. *fundamento* lege *fundamenti.*

768

Z

Soliu calidū 26. dilutę potionēs 25. conclauis altus 20.
Cl Pulmonum affectu enī arbitramur si spumosa sunt quę tussiendo exeunt.